RODOLPHI
HOSPINIANI
TIGURINI
OPERA OMNIA
IN
SEPTEM TOMOS DISTRIBUTA.



RODOLPHUS HOSPINIANUS,
THEOLOGUS ET HISTORICUS TIGURINUS.
Natus A°. 1547. Denatus A°. 1626.

HOSPINIANUS *erat! ſatis est: non hospes in orbe:*
Scripturæ promus, condus et Historiæ:

Chr. Maurer. Pinxit. A°. 1611.
Con. Meyer fecit A°. 1662.

RODOLPHI
HOSPINIANI
TIGURINI
OPERA OMNIA
IN SEPTEM TOMOS DISTRIBUTA.

Quorum

Ius DE TEMPLIS,

II. DE FESTIS,

III. & IV. HISTORIÆ SACRAMENTARIÆ PARS PRIOR ET POSTERIOR,

V. CONCORDIA DISCORS,

VI. DE MONACHIS,

VII. HISTORIA IESUITICA.

Editio Nova, ex AVTHORIS *ante obitum recognitione hinc inde nec mediocriter auctior;*
Et, quæ hactenus summopere desiderabatur;

Præfixa est Ejusdem Vita, per I. H. HEIDEGGERVM S. S. Theol. Doct. & Profess. nunc demum concinnata.



GENEVÆ,
Sumptibus SAMVELIS DE TOVRNES.
M. DC. LXXXI.

MAGNIFICENTISSIMIS, AMPLISSIMIS, NOBILISSIMIS, AC CONSULTISSIMIS VIRIS, *Pietate, Virtute, Prudentia & Fortitudine Præstantissimis*,

D. D. CONSULIBUS,

PROCONSULIBUS, QUÆSTORIBUS, ARCHIOECONOMO,

CÆTERISQUE INTEGERRIMIS SENATORIBUS, ET TRIBUNIS PLEBIS.

Totíque Amplissimo Inclytæ Urbis & Reipublicæ TIGURINÆ Senatui,

PIO, FORTI, JUSTO.

Salutem & Felicitatem Perpetuam!

M*AGNIFICI ET AMPLISSIMI VIRI,*

Is, cujus memoria in toto Christianorum & Literatorum Orbe vivit, & gratâ fidelium mente recolitur, ad Vos, quibus Natales debet, vitam & labores consecravit & in quorum sinu & consortio placidè obdormivit, jam quasi *Redivivus* redit & coram Vobis sistitur. Magnum illum *Hospinianum* dico, cujus nomen nunquam morietur, & cujus Opera de ipsius pietate, zelo, charitate & omnigenâ doctrinâ perpetui testes erunt. Auditæ sunt ubique ferè istorum voces, & eis omnes ferè pii & sanè docti

Viri applausu & votis gratulati sunt. Sed cùm, temporis lapsu, adeò distracta fuerint omnium Celeberrimi illius Theologi & novi Polyhistoris Librorum Volumina, ut in solis Bibliothecis, tanquam pretiosa κειμήλια laterent, ex plurium desiderio & iteratis Doctorum hortamentis, eò tandem ab aliquot annis impulsus sum, ut ingentem omnium Docti Hospiniani Operum recudendorum & in unum corpus redigendorum laborem & grandes sumptus in me assumerem. Id non lucri tantùm aliquâ spe, sed in primis ut aliorum justæ petitioni annuerem, & Reipublicæ literariæ bono & Ecclesiæ Dei Verbo innixæ, ædificationi, quantùm in me & munere meo situm est, pro viribus inservirem, alacriter & strenuè aggressus sum. Illum in finem, & cum assensu Celeberrimorum in Illustri Vrbis vestræ Scholâ & Ecclesiâ Doctorum, Professorum & Pastorum, omnia Authoris nostri, præterito & hoc ipso ineunte sæculo, iteratis vicibus excusa Opera sedulò collegi & à Venerando ipsius Nepote D^no^ *Rodolpho Hospiniano* Capituli Canonicorum Præposito, & Ludi Carolini Moderatore fidelissimo, non pauca ex piissimi & doctissimi Avi Manuscriptis extracta additamenta accepi, quæ in illius Operibus, prout res & Doctrinæ id expetere visæ sunt, inserenda curavi. Nullis curis, nullis sumptibus & nulli studio peperci ut Opera illa, quàm accuratissimè in tanto Opere fieri potuit, in lucem prodirent, & Lectorum, non ingenio tantùm, sed etiam oculis accepta esse possent. Cùm autem id Opus ab aliquot annis cœptum, & distinctis vicibus, prout tempus & occasio tulerunt, excusis aliquot Voluminibus continuatum, ad umbilicum nunc tandem perductum propediem in publicum emissurus sim, non alios mihi quàm ipsi Authori Fautores & propitios Mecenates inquirendos censui. Ad Vos, igitur, *Magnifici & Amplissimi Viri*, me, tum Authoris exemplum, tum Nominis & Potentiæ ac præsertim Pietatis vestræ celebris fama ducit, & vota, pro Illustris Vestræ Reipublicæ felicitate & veræ Christi Ecclesiæ inter vos salute & ad exteros ipsos propagatione, atque pro *Magnificarum & Illustrissimarum Vestrarum Amplitudinum* perenni incolumitate, in corde meo huc usque latentia faciendi & publicè emittendi occasio istæc avido animo accepta, temeritati meæ prætextum aliquem, imò, pro solitâ vestrâ benignitate, excusationem faciet.

Non necesse est, *Magnifici & Amplissimi Viri*, ut coram Vobis de magno illo *Rodolpho Hospiniano* pluribus verbis disseram. Natales ejus perquam honestos noverunt Cives vestri, ortus est à piis majoribus, inter quos Avus & Patruus pro vera Religione & Veritatis, summo Dei beneficio è profundis superstitionis & idololatriæ tenebris in Regione vestrâ tunc emergentis, defensione, martyrio donati sunt, cujus partem Pater ipse sustinuit & tanquam titio ex igne ereptus, Ecclesiæ bono quandiu vixit strenuè & fideliter inserviit. Eo usus est Pater Luminum, ut in mundi lucem & in Ecclesiæ suæ illustre & fœcundum lumen in Terris vestris daret *Rodolphum Hospinianum*. Iste inter Vos natus, educatus & institutus est, sub præclarorum tunc viventium Virorum tutelâ, nutu & autho-

ritate,

ritate, tum in Illustri Scholâ vestrâ, tum apud exteros, è veritatis & sanæ doctrinæ fontibus rivos illos cultissimæ doctrinæ toto pectore hausit, quos deinde per totum & diuturnum vitæ curriculum, ore & calamo, in Scholâ & in Ecclesiâ, summâ cum diligentiâ, zelo & labore fudit, & quorum beneficium ad exteros & in seros Nepotes emanare fecit. Demandata sibi à Superioribus munera strenuè & summâ cum fidelitate executus est omnia. Verbum Dei purum aliquibus Ditionis Vestræ Ecclesiis indefesso studio & labore per plures annos exposuit. Scholæ ipsi doctè & diligenter præfuit, & tandem in ipsâ Vrbe Præpotentis Reipublicæ Vestræ metropoli, ad extremam senectam, Pastoris fidelissimi munus, ex voto & cum Superiorum, Collegarum, Civium omnium, & piarum Ovium ex intimis visceribus effuso applausu, indesinenter implevit. Quod huc usque breviter innui, ipsi cum multis aliis commune est, nec mirum videri debet, inter Vos præsertim, qui post exortum Celeberrimi pro cœlesti veritate ad extremum vitæ spiritum ore, calamo & manu pugnantis Herois D. Huldrici Zwinglii, tot Viros puræ doctrinæ notitiâ, zelo, charitate & fide celebres à Deo accepistis, fovistis, audivistis, dilexistis. Quid *Bullingerum*, *Pellicanum*, *Lavateros*, *Wolphios*, *Martyrem*, *Gualterum*, *Simlerum*, *Stuckios*, *Waseros*, *Breitingerum*, *Hottingeros*, *Huldricos*, *Ernios*, *Wirtzios*, *Heideggerum*, *Hospinianos*, cæteró sque Theologos, Philosophos, Philologos & in omnigenâ literaturâ excultissimos, defunctos & etiamnum superstites Viros & singula Scholæ & Ecclesiæ Vestræ clarissima Lumina memorem? Magnus verò ille *Hospinianus*, inter tot curas & consuetos labores, arduum certè & unius hominis captum excedens opus animo concepit, aggressus est, & maximam partem confecit. Veritati nitorem suum reddendi, Papatui Antiquitatis larvam detrahendi, & sanctæ Reformationi Novitatis falsò impositum crimen amovendi causâ, ex Antiquitatis penetralibus & penè omnibus totius Orbis Libris, Hebraïcis, Græcis, Latinis, aliisque Religionum varietatem, ritus & ceremonias penitissimè & sincerè indagare instituit. Inde nata Volumina, quæ in lucem damus singula: de *Templis*, *de Festis Iudæorum*, *Ethnicorum & Christianorum*, *de Monachis*, *Historia Iesuitica*, *Historia Sacramentaria duabus partibus fusè & diligenter totius Mundi oculis exposita*, & *Liber, cui nomen Concordia Discors*, quo scandali & dissidii in Ecclesiâ, Dei justo permissu, orti & ad hanc usque diem durantis crimine insontes liberat, & authores liberè & verè indicat. Ista omnia, *Magnifici & Amplissimi Viri*, Vobis & Civibus Vestris, multò quàm mihi notiora sunt, meque ea fusiùs recensendi labore & diligentiâ abundè sublevat, ea quam de vitâ, studiis, laboribus & obitu Clarissimi *Hospiniani*, Vir Celeberrimus D. Iohannes Henricus Heideggerus S. S. Theologiæ D. & ejusdem in Scholâ Vestrâ Professor descripsit, accurata, sincera & Lectoribus, quod spero, non ingrata futura historia; quam huic novæ *Hospiniani* Operum omnium Editioni præfigendam accepi. Cùm autem Libri isti, quorum edendorum curam suscepi, toti ad Dei gloriam, ad Veritatis elucidatio-

§ 4 nem,

nem, & ad sanctæ Reformationis defensionem tendant, Vos verò, *Magnifici & Amplissimi Viri*, Gloriæ Dei Amantes, Veritatis Studiosi, & Reformationis Protectores, ut veri Patriæ Vestræ Patres, Ecclesiæ Columina, & Dei Viventis vivæ Imagines sitis, spero Vos zelum, quo Opus hoc adortus sum non dedignaturos, & quam *Illustrissimis Amplitudinibus Vestris* ex sincero & submisso animo offero, dico & consecro, novam typis meis confectam Editionem, benigno vultu accepturos, & vota, quæ ego indesinenter pro Vobis, ut & pii Concives mei, pro Illustris ac Præpotentis Vestræ Reipublicę, pro Civium omnium & pro Ecclesiarum vestrarum salute, incolumitate, felicitate & prospero in his Terris statu & ęternę vitę inconcussa spe, precibus ad Deum ardentissimis nuncupo, optatum sortitura esse eventum. FAXIT summus hominum Moderator, & fidelium in Chtisto Pater, ut Vos omnes, invictum & pręcipuum Helvetię Fœderatę robur, concordes inter Vos permaneatis, ut Reipublicę sua jura illibata constent, ut Status Ecclesię fœlix sit & pacatus, ut Senatores Populo, & Populum fidelem Rectoribus suis conservet, ad fœlicem Regni Christi progressum, & ęternam animarum salutem. *Dabam Geneva, Anno Christi* M. DC. LXXXI. *ad diem* 4. *Martii.*

MAGNIFICENTISSIMARUM AMPLITUDINUM VESTRARUM,

Devotissimus Cultor, Humillimus Servus, & ad omnia Obsequia Addictissimus & Paratissimus,
SAMUEL DE TOURNES.

HOSPINIANUS REDIVIVUS,

SEU

HISTORIA VITÆ ET OBITUS

VIRI CLARISS. ET CELEB.

D. RODOLPHI HOSPINIANI,

Theologi quondam & Polyhistoris Tigurini non è multis.

NUNC DEMUM EX MEMORIIS RESIDUIS, EUM IN finem, ut Novæ OPERUM *ejus Editioni præfigeretur, singulari fide & studio collecta.*

Operâ

IOH. HENRICI HEIDEGGERI,

S. S. Theol. D. & ejusdem in Schola Tigurina Professoris.

M. DC. LXXXI.

DOLENDUM equidem maximopere est, RODOLPHI HOSPINIANI, Viri Clarissimi, & de Ecclesia ac Republica literaria meritissimi, vitam, studia & obitum, recente adhuc eorum memoria, fidis chartis consignata, & ad posteritatem transmissa non esse. Etenim ea Viri illius fuit præclara virtus & eruditio, is pro gloria Dei & veritate asserenda zelus, ut dignissimus certè fuerit, qui à bonis omnibus nosceretur, neque nosceretur duntaxat, sed pia etiam imitatione pro virium, quas Deus munificentissimus charismatum suorum diribitor impartiri variè non dedignatur, facultate exprimeretur. Neque etiam scribendo Viro tanto defuere decora ingenia, Dorothei, Isidori, Gennadii, vel Homeri etiam & Callisthenes, qui sive superstite adhuc ipso, sive recens defuncto, imaginem istam raræ pietatis, & reconditæ doctrinæ affabre *Historia exaratæ occasio.*

§ § compo-

componere, & proposito eo exemplo animos hominum non degeneres ad virtutis cultum, & ad nominis decus occupandum expetendúmque inflammare facilè possent. Sed quæcunque neglectæ præclaræ occasionis causa fuit, nunc demum, ineunte duodecimo post mortem ejus lustro, Prosopographiam ejus quampiam desideravit Typographus, de re literaria meritissimus, quam scilicet Operibus ejus sumptibus non modicis, curâque & studio laudabili denuò excusis præfigat, ne desit Lectori studioso, quem tanti nominis fama implevit, quo se oblectet, & unde, quod sibi profuturum judicabit, decerpat delibétque. Cúmque narrationem Viri hujus qualemcunque, rudi etiam penicillo adumbratam, & summa saltem rerum capita, fugiente memoria, quoad fieri poterat, prensata, complexam, quàm omnino nullam extare præstet: desiderata facere, & honestæ cumprimis petitioni Venerandi Nepotis, D. RODOLPHI HOSPINIANI, Capituli Canonicorum Præpositi, & Ludi Carolini Moderatoris fidelissimi, Amici & fautoris integerrimi, novæ Editionis hujus ἐργοδιώκτου solertissimi, album calculum adjicere, simúlque Viri incomparabilis, cujus virtus & res præclarè gestæ posteritatis memoriam neutiquam reformidant, famam extendere, deliberatum cum animo meo constitutúmque habeo. Dabit veniam Lector æquo animo, si desideriorum ejus mensuram non implevero, reputans secum, quantam partem vitæ, figuræ animi, optimorúmque facinorum calamo, qui fidus memoriæ custos est, non traditorum, oblivio obliteraverit, & à notitia nostra subduxerit. Dabo vicissim operam, ut incorrupta fide nonnisi certa & comperta prosequar: gnarus utique, honestè factis veritatem sufficere, & servili adulatione, qua fasti quandoque fœdari solent, pios Viri sancti manes non indigere.

Patria. Patriam igitur, ut inde exordiar, nactus *Hospinianus* est Ditionem Tigurinam, & in ea Comitatus Kiburgici pagum, cui nomen est Altorf, seu veteri pago. Patriæ scilicet nataliúmque splendore magni viri non censentur, sed virtute potiùs præstabili, & excellentia animi; atque is demum eximius habetur, cui non tam patria & genus ornamento est, quàm qui patriam exornavit ipse. Dedere etiam vicini in Ditione Tigurina pagi magnos Viros: dimidia à pago dicto hora distans Volketschvvil seu Laovilla Philosophum & Theologum insignem Marcum Beumlerum: & alter horæ circiter spatio dissitus ad lacum Gryphæum pagus Iohannem Frisium Philologorum inclytum decus. Nempe ingenia non locorum situs, sed Divina dignatio format. In pago illo vitalem auram *Hospinianus* noster spirare cœpit die septimo Novembris Anni Christiani M.D.XLVII. quo ipso anno novendecim antè diebus, decimo octavo nimirum Octobris, in Iscano Brabantiæ municipio natus est Belgarum doctissimus Iustus Lipsius, quo si non ingenio, at certè pietate, eruditione sacra & constantia, de Constantia licet multa speciosè hic scripserit & professus fuerit, dictis non adæquans facta, noster ille multis parasangis superior fuit. Ardebat insuper idem annus *Hospiniani* natalis ferali bello, in Germania Carolum inter & Fœderatos, quos Smalcaldiæ paulò ante commune periculum junxerat, religionis causâ suscepto, quo à Fœderatis infeliciter gesto, non mediocriter Protestantium res accisæ, & tantùm non in aciem novaculæ deductæ sunt.

Nativitatis tempus. M.D.XLVII.

Parentes. Parentes habuit *Adrianum Hospinianum*, Ecclesiæ primùm Tigurinæ Diaconum, mox Stamheimensis patrię Pastorem & Reformatorem, ac demum in Ecclesia Altorfensi suprà dicta Præconem, & Capituli Wetzikonensis Decanum dignissimum, vigilantissimúmque; nec non *Dorotheam Wolphiam*, matronam omnibus sexus illius virtutibus ornatissimam. *Avus* Avus verò ipsi

ipsi paternus fuit *Iohannes Wirt*, seu *Hospinianus*, Stamhemiæ in Turgovia præfectus inferior seu serviens: Maternus verò *Henricus Wolphius*, Tribunus plebis Tigurinus, & Oeconomus Imbracensis. Vtriusque porrò avi illius, nec non patris Adriani, titionis instar ex incendio, & mortis præsentissimæ faucibus secundo Numine erepti, memorabilis admodum historia est, dignissimáque adeò, quæ grata posteritate gliscat. Religionis mutatio communem patriam exercitam non parùm habuerat, & periculosis hinc inde, uti inter religioni & superstitioni addictos, flagrantibus utrinque studiis, fieri solet, motibus ansam præbuerat. Accidit autem, ut is, quem supra diximus, *Iohannes Hospinianus*, nostri avus, Vir integri priscique moris, patriæ & purioris in ea religionis amantissimus, in abrogatione cultus sequioris, & defæcatioris instauratione auxiliares manus porrigens, atrox admodum adversantium odium sibi conflaret; quod mox occasione ab infensis & juratis rapta potiùs quàm oblata, in nervum erupit. Oborta enim d. VII. Iulii A. M.D.XXIV. ob Pastorem Arcis Lithopoli vicinæ per religionis causam violenter abductum tumultu, pro liberando eo connitentibus iis, qui religioni favebant, plebs efferata, in qua nihil modicum esse solet, temerè insolentérque nonnulla admisit, multùm à ratione & officio abludentia, & nemini bono probata.

Paternus. Maternus. Avi paterni patris & parentis memorabile martyrium.

Qui adversus Iohannem Hospinianum per calumniam religionis infensum animum gerebant, opportunitate ea utendum rati, rerum in tumultu eo ferociùs gestarum culpam ei imputari, adeóque in ipsum, ceu turbarum Æolum, fabam cudi posse existimârunt: licet populo ferocienti illum se non immiscuisse, sed Pastori duntaxat ex violentis manibus liberando unicè intentum fuisse, liquidò constiterit. Delatoribus iniquis fides habita, & Iohannes unà cum duobus filiis, Iohanne & Adriano, utroque Præcone Evangelii, in carcerem, abreptus, quæstioni subditus, tormentis quæsitissimis vexatus, & falsa annuere nequicquam subactus est. Cùm innocentiam quoad præcipua, quorum reos peragere hostes satagebant, abundè Pater æquè ac filii comprobâssent, haud perinde commotarum turbarum crimine, quàm odio religionis, quam recens susceptam in ipso etiam carcere, inter atroces minas & horrenda ludibria professi constantissimè sunt, infensorum religioni judicum sententiâ, Pater quidem & Filius Iohannes natu major capitalis supplicii rei pronunciantur: Adrianus verò, nostri parens eidem causæ, innexus licet, & eandem sortem subire paratus, matris *Annæ Kelleræ*, honestissimæ matronæ precibus curatissimis protectus liberatúsque in ejusdem gremium, ceu liberale donum, restituitur. Referunt Annales nostri, Patrem & filium sententiam mortis animo ad lætitiam profuso & gestiente, Adrianum verò liberationis nuntium tristissimo excepisse. Iisdem proditam reperire est memorabilem vocem cujusdam Turgoviæ Provinciæ secundùm Procuratoris, quæ intimam mortis damnatorum causam propalat. Cùm enim is, qui captivorum causam orabat, Procuratorem eum, utpote cui captivi illi, Pater imprimis Iohannes, notissimi essent, ad testimonium de illorum vita retroacta perhibendum citâsset, hunc ille in modũ respõdit. *Equidem amice, ultro confiteor, me Provinciæ, cujus Iohannes ille Wirt (Hospinianus) subditus est, bis Procuratorem, inter subditos omnes Provinciæ illius non reperisse quemquam, cui Iohannes ille probitate & integritate morum intemeratáque fide cederet. Satellites meos humanissimè excipere solitus est. Hospitalis fuit erga omnes, vitæ integerrimus, obsequentissimus, & verax maximè. Domus ejus hospitium quoddam, Monasterium & Xenodochium extitit. Turbas ciebat nunquam, ab iis quàm maximè alienus.*

Quis malus genius nunc illum agitaverit, miror, si fur, latro esset, & infanda quæque perpetrâsset, parcerem homini. Ast cùm S. Annæ, aviæ, & B. Virginis Mariæ matris Christi fanum violaverit, statuásque earum demolitus fuerit, morte expiabit nefas, nec quicquam ampliùs est, quo liberari queat; Cui causæ Orator respondit: *Misereatur nostri Deus, si Vir probus adeò & honestus ob violatas duntaxat imagines ex ligno constructas, minorem jam gratiam, quàm fur, latro & infandorum patrator merebitur.* Ita damnati supplicium persolvunt incredibili constantia & fortitudine animi, miseratióque adversus eos oborta est omnium, spectantium publicè, dum ad mortem ducerentur, Patrem & Filium invicem, ceu non ampliùs Patri & filio, sed futuris posthac fratribus, martyrii gloriam gratulantes, ultimum sibi vale, mutua ardentíque invocatione nominis Divini, & constantis usque ad mortem in agnita semel cœlesti veritate propositi, fastiditis etiam imaginum, quæ morituris offerebantur, osculis, pia testificatione dicentes; denique corpora ad securim nudata notis & cicatricibus fœdè interstinctis, horribiles, quos in tormentis perpessi erant, laniatus & cruciatus palàm præferentia. Constat, Evangelio propagando non parum Martyrum horum causæ bonæ comitem fidelem constantiam & patientiam admirabilem conduxisse; eósque capite plexos arborum ad instar germina plura, quàm quæ resecta erant, protrusisse: denique per documenta isthæc illustria fidem maximè habuisse decantatam illam sententiam Tertulliani: *Exquisitior quæque crudelitas vestra illecebra magis est sectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen est sanguis Christianorum*; nec non illam Leonis Magni: *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur. Et semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata resurgunt.* Adrianus porro, nostri pater pudore potiùs quàm miseratione persecutorum dimissus, *ζῶν ὁ μάρτυς Vivus martyr* extitit, utpote qui longâ patientiâ constantiáque animi, calamitatibus & cruciatibus, quibus in quæstione corpus ejus diris modis lancinabatur, nullis depressi, immota planè & infracta, se *δόκιμον γενόμενον exploratum repertum*; & corde ac voluntate plena jam morte defunctum comprobavit, impenséque etiam doluit, quòd parem cum patre & fratre sortem exitúmque invidia negâsset. Sed assertus ille moderante ita supremo Agonotheta, in libertatem, & stigmata Christi corpore suo gestans, Christi & veritatis amore magis magísque exæstuans, & sacris literis deinceps se totum immergens, Ecclesiæ, cuius supra meminimus. Altorfensis procurationem sacram, & fratrum etiam Capituli sui Κοσμητείας, quam Decanatum vocant, nactus, omnes muneris sui partes fidelissimè explevit, Deóque sospitatori suo per decursum omne reliquum vitæ suæ spatium Soteria persolvit, donec d. IX. Februarii Anni M.D.LXIII. cum fluxa & ærumnosa hac vita Cælestem stabilémque commutans, patientiæ & laborum suorum pro nomine Christi exantlatorum certissimum brabeum retulit, vel eo etiam nomine divinæ benedictionis & gratiosæ retributionis præmio felix, quòd tantæ dignationis post se prolem reliquit. Neque minùs Deo & patriæ fidem suam probavit avus maternus, *Henricus Wolphius* cujus supra mentionem fecimus, utpote qui dubiis patriæ ob zelum pro vindicanda vera religione testatissimum, rebus, in Capellensi prœlio pro aris & focis fortissimè dimicans occubuit. Atque tanto parente, tantísque avis, verissimis Callinicis, natus noster, abundè certè, uti quidem majorum gloria posteris lumen est, imaginum habuit, quæ industriam quandoque & virtutem ejus, atque enitendi ad summa honestam contentionem, quodammodo onerarent, intenderéntque. Natum mox sacri baptismatis unda tingi, & in

Avi materni constantia.

Baptismus.

Ecclesię

Ecclesiæ corpus cooptari curavit optimus pater, sacri hujus ritus & inaugurationis testibus & fidejussoribus adhibitis *Rodolpho Gualthero*, tum temporis Ecclesiæ Petrinæ in urbe Tigurina Pastore, postea etiam Ecclesiæ Antistite, Viro meritorum amplitudine gravissimo, & Homiliasta, quo eum elogio Thuanus Pontificius exornavit, celeberrimo; nec non matrona prænobili, *Anna Zollera*, Bernhardi à Cham, Præfecti Kiburgici Conjuge lectissima. Cùm septimum ætatis annum implêsset, provida patris cura Tigurum missus est, ut ibi literarum prima rudimenta poneret. Et primò quidem sub aviæ piissimæ *Margarethæ Wolphiæ* custodia scholam frequentare cœpit. Cúmque igniculos proderet ingenii non vulgaris, ut majore judicio & cura educaretur, Avunculo *Iohanni Wolphio*, Ecclesiæ Abbatissanæ Pastori & Theologo exquisitissimo, ac in omni genere literarum, uti scripta ejus fidem faciunt, haud mediocriter exculto, in disciplinam traditus est. Is pro φυσικῇ sua erga adolescentem στοργῇ, commendatissimum eum habuit, patria charitate dilexit, ingeniumque ejus summo studio excolere & ad altiora provehere conatus est. Neque dubium habetur, ad tantæ eruditionis & claritudinis fastigium vix perventurum fuisse, nisi hic vitæ & studiorum formator Divinâ veluti Virgulâ ipsi obtigisset. Nulli enim tam clarum ingenium est, ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor etiam suasorque idoneus contingat. Hanc ille præclaram adeò opportunitatem nactus, singulari studio ad perdiscendas bonas literas adeò exarsit, ut æqualibus palmam mox aut præripuerit, aut ambiguam certè reddiderit. Digna inprimis memoratu vox ipsi adolescenti, decimum tertium circiter annum agenti, excidit. Cùm enim in ędibus avunculi recentem Petri Martyris, Theologi consummatissimi obitum supra modum plangi audiret, immodicum luctum & dolorem lenire conatus est his verbis: *Quin, amici, bono estote animo. Nos quoque bono cum Deo aliquid præstabimus.* Quæ vox non immeritò validi sensus, & boni in futurum ominis visa est. A. M.D.LXIII. d. IX. Februarii parentem optimum, cujus novissima superiùs obiter attigimus, amisit. Tum verò etiam *Rodolphi Gualtheri*, ceu alterius parentis, & apud sacrum ejus baptisma fidejussoris, pro ipso orphano & *dilecto filio*, (ita enim blandè illum insigniverat) solers cura maximè emicuit, dum eum parente charissimo orbatum pro sua virili adjuvare, & currentem ampliùs incitare vehementer studuit. Operæ pretium facturus videor, si ejus ad Rodolphum huncce suum paucos post obitũ parentis desideratissimi dies literas efficacissimas, quibus & suaviter consolari eum, & acres eidem ad vestigia à majoribus impressa alacriter sequenda stimulos infigere instituit, occasione hac inseruero. *Præclarè admodum*, ita d. XXV. Febr. M.D.LXIII. ad eum perscribit, *Vergilius, qui Andromachen de Ascanio interrogantem hisce verbis inducit:*

M.D.LIV. Tigurum missus scholam frequentat.

M.D.LX.

M.D.LXIII. Parente orbatur.

Gualtheri [illegible] insignis.

> *Ecquid in antiquam virtutem, animósque viriles.*
> *Et pater Æneas, & avunculus excitat Hector?*

Vidit enim poëta, generosiores animos à pueris statim majorum virtute excitari, ut eos sibi imitandos putent, quorum egregia facta publicè celebrantur. Et cùm omnes magnifaciant, quos sibi laudem & gloriam quæsivisse vident, plus tamen majorum exemplis afficiuntur, quos vel ipsi coram viderunt, vel ab aliis prædicari audiunt. Habes tu, mi Rodolphe, hæc omnia: quia non tantùm patre, verùm etiam avo eo natus es, qui vitæ honestatem cum fide in Christum constanti conjunxerunt. Pater etiam Adrianus in humanioribus & sacris literis eò usque profecit, ut inter doctissimos locum habere potuerit. Accessit his patruus Iohannes, qui ut eruditione eximius, & ob morum suavitatem omnibus charissimus: ita

patri suo in morte gloriosa pro Iesu Christo, socius fuit individulsus. Et hi quidem nunc in Christo beati vivunt, & nominis sui memoria te ad virtutem excitant. Quæ eò majoris apud te authoritatis esse debet, quòd in vivis adhuc habeas domestica exempla, quibus non minùs excitari potes: avunculum nimirum, Iohannem Wolphium, eruditissimum virum, & Ecclesiæ nostræ fidelem Ministrum: patruum item alterum, Leonhardum Hospinianum, cujus doctrinam elegantissimam & mores candidissimos, ne ipse quidem Momus reprehenderit. De me, qui fidem meam tibi obstrinxi, cùm in sacro fonte Christo initiareris, hoc unum dico, nunquam mihi te & studia tua promovendi voluntatem defuturam, quoad spei de te conceptæ respondere perrexeris. Interea breve hoc carmen, quo non tam patris tui memoriam celebrare, quàm ex morte ejus obortum dolorem lenire volui, apud te fidei meæ pignus esse velim. Vale. Carmen illud meditatum, quo patrem Adrianum velut ex tumulo filium Rodolphum alloquentem inducit, dignum etiam est, quod heic repræsentetur. Sic autem illud sonat:

Pater defunctus filium superstitem alloquitur.

Per varios casus, per multa pericula tandem
Appulit ad portum nostra carina suum.
Hospes in hisce fui terris, nunc civis Olympi
Mens mea cum Christo Regna beata colit.
Molliter ossa sub hoc tumulo defossa quiescunt,
Rursus ad extremum sed reditura diem.
At tu, dum licuit dilecti cura parentis,
Auribus ista tuis jussa, Rodolphe, cape.
Esto bonus, fidei & veræ pietatis amator,
Sit vitæ Christus regula certa tuæ.
Illum nec pudeat vita & sermone fateri,
Qui vitam pro te tradidit ipse suam.
Hoc avus, hoc patruusque tuus, qui fortiter olim
Pro Christo vitam deposuêre, monent.
Hoc ego nunc moneo, qui illorum magna laboris
Tunc quoque pars fueram, certus & ipse mori.
Ast aliter CHRISTO visum, qui ex ore Leonis
Eripuit, vitæ & tempora plura dedit,
Iamque gravem senio, tranquilla morte solutum
In superas ad se transtulit inde domus.
Tu si patris, avi, patrui vestigia serves
Et studiis pergas invigilare bonis,
Exurget magnum toto tibi nomen in orbe
Et simul æternùm, crede, beatus eris.

Sunt utique, uti Sapientissimus Regum loquitur, verba Sapientum tanquam stimuli, & tanquam clavi infixi. Nam & efficaciter movent, aculeósque relinquunt, uti de verbis Periclis Cicero, & Nigrini Philosophi Lucianus scribunt: & in animis audientium tenaciter impacta ære fixo fortiùs hærent. Planè ita *Hospiniano* sub tantis juventæ ejus rectoribus, Wolphio & Gualthero inprimis, felicissima incrementa capienti accidit. Cæterùm decem jam annos in schola triviali & proletariis studiis contriverat. Cúmque lætioris de se frugis spem indies auxisset, d. XI. April. M.D.LXIV. ad audiendas lectiones publicas cum laude promotus, sub præstantissimis Viris, Iosia Simlero, Rodolpho Collino, aliisque eas artes maturè imbibit, sine quibus ad illud raræ eruditionis culmen, in quo mox sideris instar coruscavit, eniti non potuisset. Placuit mox studiorum

M.D.LXIV. Ad lectiones publicas promovetur.

rum ejus Mæcenatibus, ut non domi duntaxat, sed apud exteros etiam ex Castalidum fontibus biberet, & Sapientiæ, Cœlestis cumprimis, opes inde collectas patriæ inferret. Publica igitur Ecclesiæ & Scholæ Procerum authoritate ad exteros ablegatus d. XXIX. Martii A. M.D.LXV. ad Marpurgensem Cattorum Academiam, uberioris ingenii cultus capiendi gratiâ, concessit. Ibi cùm appulisset, charus cumprimis fuit Iohanni Lonicero, Theologo, & Græcæ etiam literaturæ Professori percelebri, qui eum ab avunculo Wolphio sibi accuratè commendatum, mox atque ingenium ejus exploravit, sibi videri *juvenem ingenio & inventione perquam divitem*, fassus est. Tempus ibi in assiduis studiis consumpsit, tantúmque brevi spatio in bonis artibus progressum fecit, ut die XIX. Decembris A. M.D.LXVI. ætatis annum agens decimum nonum, supremis in Philosophia honoribus, Magisterii scilicet, seu secundæ laureæ gradu, ad quem ut omni studio aspiraret, avunculus ei author pridem suasórque extiterat, consentientibus omnium calculis, facilè potitus fuerit. Petrus Paganus, historiarum & poëseos tum temporis ea in Academia Professor, & Facultatis Philosophicæ Decanus, in solenni, quod ipsi perhibuit, testimonio professus est, *tam strenuè in literis eum versatum, morum quoque & probitatis specimen tale eum edidisse, ut omnium bonorum favorem sibi facilè conciliàrit. Tanto enim ardore & æmulatione Virtutis vitæ studiorúmque rationem instituisse, ut æquales omnes honesta contentione vicerit, superiores verò facilè æquàrit.* Non fastidivit equidem juvenis optimus eum gradum, qui nondum tum indignis collatus vilescebat, certus utique, omnes, qui magnum memorandúmque fecerunt, non modò venia, verùm etiam laude dignissimos esse, si immortalitatem sectentur, victurique nominis famam supremis etiam titulis prorogare nitantur: & famæ appetentiam esse, ac cupidinem gloriæ, quæ etiam sapientibus novissimæ exuantur. Vt enim levitatis haud dubiæ est, inanem aucupari rumorem, & omnes etiam falsæ gloriæ umbras consectari: sic levis est animi lucem splendorémque fugientis, justam gloriam, qui est fructus veræ virtutis honestissimus, segniter repudiare quod degeneris animi ut plurimùm index est. Marpurgi exactis duobus annis integris, Heidelbergam, illam bonarum sacrarúmque artium almam matrem, profectus, docentibus ibi Viris eximiis, Petro Boquino, Immanuele Tremellio, & Casparo Oleviano, operam, non ultra semestre tamen, dedit. Digredientem inde Academiæ Rector Sigismundus Melancthon luculenta admodum de vita & studiis ibi transactis testificatione prosecutus est. Sic à Superioribus, quorum à nutu & arbitrio unicè pendebat, domum revocatus, d. XXX. Septemb. A. M.D.LXVII. onustus scilicet sapientiæ à magnis viris haustæ opibus, & honoribus etiam amplis auctus, adeoque præclarè negotiatus, Tigurum redux, mox sui in linguis & artibus in solenni examine profectus eximii luculenta specimina edidit. Sequente verò anno d. XXIII. Martii Theologici etiam examinis pro more apud nos consueto aleam subiit. Cúmque in eo præclarè stetisset, & d. XXX. Martii coram Ecclesiæ Præsidibus diserta doctâque de unico Ecclesiæ capite Iesu Christo, oratione habita, dicendi etiam peritiam ac dexteritatem comprobâsset, in chorum Ministrorum Verbi Divini, inter certantia omnium vota, usitato apud nos ritu cooptatus, proxima etiam synodo Maij suam Deo & Ecclesiæ fidem conceptis juratisque verbis obstrinxit. Ab eo tempore in publicum productus varias in Ecclesia & Schola functiones obiit, & primùm quidem molestas exercitasque, per gradus scilicet, non per saltus ad altiora provectus, exemplo cùm aliorum, tum S. etiam Basilii, quem S. Gregorius Nazianzenus non subitò ad Episcopatum Cæsareensem, sed ordi-

M.D.LXV. Marpurgum mittitur.

M.D.LXVI. Magister artium creatur.

M.D.LXVII. Heidelbergam proficiscitur.

In patriam redit.

Examine pro more subit. M.D.LXVIII.

Verbi Divini Minister ordinatur.

ne ac spiritualis progressionis lege, evectum testatur. Sic enim Deo Agonothetæ placuit, in obeundis muneribus etiam inferioribus ejus fidem, industriam, patientiam manifestam facere omnibus, atque sic ad majorem dignitatem, honores, & sacrum cumprimis otium, quo fretus salubres & in publicum utiles fœcundissimi ingenii sui fœtus formare & protrudere posset, gradum ipsi munire. Eodem igitur, quo ad S. Ministerium admissus est, anno, cùm concionibus in urbe habitis non mediocrem sibi auditorum gratiam conciliâsset, die XXV. Iunii concionandi in Ecclesia Weyacensi, quinque horarum spatio ab urbe distante, munus ei demandatum est, quod ille singulis hebdomadis ex urbe bis illuc commeando, fideliter obivit. Levatus tamen nonnihil sequente Augusto ea molestia, Ecclesiæ montis Hirzelani in ditione Tigurina, quatuor horis ab urbe dissitæ procurandæ provinciam suscepit: qua ille octo annos integros, singulis etiam hebdomadis bis ex urbe, sive serena tempestas affulgeret, sive adversa ingruisset, ad illam excurrens, non minori etiam fide & patientia defunctus est. Fassum aliquando ferunt, cùm illa excursione necessum haberet in hospitio pernoctare, hospitem rusticum non incuriosum crebra secum colloquia miscentem, & de Origine Papatus, vitæ in primis Monasticæ, quam ille pro simplicitate sua ex Paradiso arcessendam ridiculè sustinuerit, anxiè inquirentem, ansam sibi libros de Origine errorum scribendi præbuisse. Neque interea in urbe etiam labores, quibus exerceretur, deerant. Nam anni sequẽtis M.D.LXIX. d. IX. Maij ludi Carolini in tertia classe magister, & mox XX. Nov. M.D.LXXI. inferioris seu Abbatissanæ scholæ, ac quinquennio post etiam Carolinæ Provisor electus est. Hanc quoque spartam ornavit, quantum potuit, saxúmque hoc verè sisyphium volvit revolvitque, & novendecim annorum orbe circumegit indefessus athleta, pari & industria & successu. Erat enim quod de Diogene refert Erato Lampracenus, educandis erudiendisque pueris apprime idoneus, utpote qui & pius tenellis puerorum animis pietatem inprimis instillare, & multiplici eruditione instructus, interioris doctrinæ semina iis maturè ingenerare, & ingenio suavi, mansueto, placidóque præditus non tam metu, qui haud fidus recti magister est, quàm charitate, ad obtinendum, quod velis, valentiore, contumaces flectere, & obvios parentésque allicere ac demulcere posset. Ferreum certè adamantinúmque dixeris, qui tot labores exantlare, & simul ingenium à situ & squalore vindicare posset. Neque enim perfunctoriè & supinè mandatis sibi muneribus functus est, sed cum cura, fide & judicio. Conciones sanè singulari studio adornavit, easque scripsit, non descripsit, ut solent, qui, quod olim de haruspicibus dicebatur, sapiunt ex alieno jecinore; accommodatas etiam ad usum multiplicem, sive instruenda & ab adversantium strophis insidiisque asserenda esset fides ac religio, cui doctrinæ parti solicitè cumprimis insudavit; sive informanda vita, quæ duo plures malè consulti non sine publico damno divellere solent. Memoria præterea adeò felici & stupenda pollebat, ut quæ chartis probè meditata, & nitidè etiam consignata tradiderat, eadem pro suggestu totidem verbis, perinde ac si singuli apices vocanti se offerrent, depositumque promptè redderent, protulerit. Cœterùm industriam ejus non parum etiam stimulavit inusitatus erga ipsum Dei & procerum favor, cujus in medio laborum curriculo eximia documenta expertus est. Nam d. XI. Iunii An. M.D.LXIX. jus civitatis Tigurinæ, rara felicitate, ipsi collatum est, tum propter augurium meritorum ejus, exploratámque jam tum fidelitatem, tum propter avi utriusque, uti

Pastor creatur Ecclesiæ Weyacensis. Mox etiã montis Hirzelani.

M.D.LXIX. Ludi Carolini magister eligitur. Mox Provisor.

Labores ejus concatenati.

M.D.LXIX. Ius civitatis Tigurinæ ei confertur.

disertè

disertè diploma memorat, fortitudinem & constantiam, suprà ex vero traditam. Eodem anno uxorem, rerum secundarum adversarúmque consortem futuram, consultò adsumpsit, Virginem ornatissimam, & quibuslibet laudibus florentem, *Annam Lavateram, Ludovici Lavateri* tum quidem temporis Templi Carolini Archidiaconi, tandémque etiam Ecclesiæ Antistitis, omni laude majoris; & *Margarethæ Bullingeræ* filiam primogenitam; inclyti illius Reipublicæ Tigurinæ Consulis & Patriæ patris *Rodolphi Lavateri*, nec non *Henrici Bullingeri*, Ecclesiæ nostræ Reformatoris, multarúmque Ecclesiarum communis parentis, cujus nomen omnia præconia respuit, quia suprà omnia eminet, neptim; quam ceu viræ suæ præsidium & dulce decus unicè dilexit, annósque plus quàm triginta concorde in matrimonio tenuit; cujus temporis tractu fœcunda mater quater & decies eum parentem fecit. Pars quidem liberorum ei progenitorum non diu vitalem auram spiravit: pars verò major longiore vitæ usura potita est. Hodiéque superstes est filia natu minima *Elisabetha*, Nobilissimi & Celeberrimi Theologi ac Scholarchæ apud nos perpetui, D. *Rodolphi Stuckii* de Ecclesia & Schola suprà quàm dici potest, præclarè meriti, vidua, matrona pietatis & virtutum omnium dotibus instructissima, quæ annum agens octogesimum octavum sic satis vegeta, etiamnum integro judicio & memoria, ex qua non pauca mibi suggessit historiam hancce locupletantia, pollet. Filios paulò diutiùs superstites, miniméque degeneres habuit tres, *Iohannem Henricum*, Pastorem factum Ecclesiæ Bulacensis, & Reginoburgensis Capituli Decanum, Virum egregium doctissimúmque, qui libros de Conciliis copiosè & perquàm eruditè à se scribi cœptos, fato præmaturo occupatus ad calcem non perduxit: *Rodolphum*, Linguæ Hebrææ in Collegio Humanitatis Professorem, & Templi Carolini Diaconum vigilantissimum & humanissimum, parentem Venerandi cumprimis Capituli nostri Præpositi, D. *Rodolphi Hospiniani*, qui hodiéque per gratiam Dei superstes Ecclesiæ & Scholæ nostræ fidem suam luculenter probat, & eo etiam nomine de Ecclesia & sacra literatura amplissimè meruit, quòd auctaria illa & ὑπομνήματα quibus, ceu posterioribus curis Opera sua, cùm in publicum pleraque bis jam edita prodiissent, Avus optimus manu propria amplificaverat, ex intimis scriniis studiosè collecta, Typographo in usum novæ editionis fideliter promptéque submisit: nec non *Ioh. Henrici Hospiniani*, Ecclesiæ Glattfeldensis Pastoris fidelissimi; cujus fratrum optimorum bigæ, ut & natarum ac generorum etiam pietati, sanctísque laboribus proporro divina gratia liberaliter benedicat: denique *Iohannem Iacobum*, civem honestissimum, non ita pridem fessa graviqúe ætate piè defunctum, relicto filio *Caspáro*, mercatore, ad extremum ducentum virali dignitate aucto, & novissimè supremum diem claudente; nec non filiabus, quarum una *Elisabetha* in venerandi senis *D. Conradi Burchardi*, Ecclesiæ ad Prædicatores Pastoris vigilantissimi, matrimonio etiamnum superstes degit. Quatuor præterea filias elocavit, *Margaretham*, Andreæ Hertero Ecclesiæ Wislinganæ Pastori; *Dorotheam* Conrado Murero aurifabro, cujus defuncti filium, magni Hospiniani proin nostri nepotem *Casparum Murerum*, Ecclesiæ Rorbacensis Pastorem, exploratæ pietatis & nivei candoris virum, unà cum sorore & ancilla, clancularia in ædes irruptione facta, sicarii perditissimi, prædæ inhiantes, plusquam Cyclopicæ crudelitatis œstro perciti, non ita pridem horribiliter trucidârunt; ad quorum fores peccatum excubat; nuptum datas: nec non *Annam*, quæ prius matrimonium cum *Ioachimo Hertero*, Ecclesiæ Bielensis Pastore, posterius cum *Osvvaldo Cellario*, Templi nostri Archidia-

Annam Lavateram uxorem ducit.

Quæ quatuordecim liberorum parentem eum fecit.

chidiacono, digniſſimo utroque contraxit, & ex priore illo *Margaretham*, filiam unicam, *Ioh. Iacobo Huldrico*, Eccleſiæ noſtræ diu Antiſtiti, multiplici rerum uſu actúque, induſtria & vigilantia incredibili, denique præcellente authoritate meritíſque graviſſimo, nuptam, ſuſtulit: denique *Regulam*, in jugales manus *Caſpari Schinzii*, Eccleſiæ Dieſſenhofanæ Paſtoris pervigilis, convenientem. Servet Deus *Hoſpinianorum* natorum, & eorum, qui naſcentur ab illis, celebrem adeò, & bonis omnibus gratiſſimam familiam, ut Reipublicæ, Eccleſiæ ac civitati commodi utiléſque, avitum decus recolere, tueríque conſtantiſſimè pergant! Sed è diverticulo in viam regredimur. Hoſpiniano igitur noſtro d. XXXI. Iulii A. M.D. LXXVI. uti ſupra diximus, Scholæ Carolinæ Proviſori electo, & moleſtia excurſionis ad Eccleſiam montis Hirzelani procul adeò diſſitam liberato, vicinioris, unius ſcilicet horæ ſpatio ab urbe diviſæ Eccleſiæ Schvvammendingenſis cura committitur. Atque ſic novendecim annorum continuorum decurſu gemino munere, eccleſiaſtico & ſcholaſtico, quorum quodque viri unius humeros efflagitat, defunctus, & Eccleſias ab urbe remotiores fidei ſuæ creditas Verbi Divini præconio fideli indefeſſus curavit, & in urbe ipſa piſtrinum ſcholaſticum patienter fortitérque verſans, juventutis ingenia omni cura ſtudióque formavit. Quicquid autem interea temporis ſucciſivi de munere tam variæ ſolicitudinis decerpere potuit, illud omne in gravioribus ſtudiis, antiquitatum cumprimis eccleſiaſticarum lectione jugi, ſcribendíſque libris auro obryzo pretioſioribus, conſumpſit. Maluit autem antiquitatum eccleſiaſticarum, quàm quibuſvis aliis ſtudiis innoteſcere. Præterquam enim quòd ad cognoſcenda eruendáque hiſtoriarum ſacrarum abdita ingenio ſuopte, inclinante velut aſtro quodam ferebatur; ſemidoctorum triſtes nugas, & diſputationes tetricas barbaráſque, quas inter qui nutriuntur, non magis ſapere poſſunt, quàm bene olere, qui in culina habitant, faſtidiens meritò; perſpexit inſuper, altiúſque ſecum expendit, Pontificios, quibuſcum potiſſimùm ſacro bello decernendum duxerat, religioni ſuæ geminum fucum, & veritatis, & vetuſtatis illinere: noſtræ verò falſitatis ex adverſo & novitatis labem aſpergere conari. Et veritatis fucus Scripturarum præſidio ab impura ejus facie ita jam abſterſus penitus, profligatúſque erat, ut, deſperatæ cauſæ documento certiſſimo, ex Scripturis damnati ad reprehenſionem ipſarum Scripturarum propalam jam ſe converterint, & de Scripturæ authoritate quoad nos, potentia in dirimendis iis, quæ in quæſtionem vocantur, perfectione, integritate, judicandi prærogativa & munere, claritate, denique neceſſitate, prodita Scripturas ſacras nefariè ſugillandi convitiandíque fœda libidine, controverſiam nobis facere religioni non duxerint. Cùm igitur decretoriis armis non ampliùs confiderent, planúmque eſſet, ſi ſolius Scripturæ munimento religio inſiſteret, res illorum penitus conclamatas eſſe, & evangelicam veritatem in immota arce conſiſtere; vetuſtatis ſeu antiquæ traditionis clypeo prætenſo tutiores ſe fore ratum firmúmque habebant, eò quòd in ea inſidiis, impoſturis, & latebris locum opportuniorem eſſe, & nos *novatorum* (ita Veteratores eos, qui ærugine quadam vetuſtatis obductam veritatem renovaverant, inſignire conſueverunt) invidioſo & inſidioſo, apud ſimplices cumprimis, veterum & novorum juxta ignaros, nomine faciliùs deprimi poſſe, minimè ambigerent. Stolidiſſimi certè vel ea ratione, quòd Verbi Divini gladio ad quintam uſque coſtam percuſſos, verborum humanorum, & traditivæ humanæ gladiò ſe ſuccingentes, viciſſim validè ferire, & errores palliare poſſe ſperarent. Hoc tamen, non alio conſilio, vetuſtatis, ſeu veteris traditionis patrocinio præſidióq; inniti voluerunt. Atque

Eccleſiæ Schvvammendingenſi præficitur.

Animũ ad ſcribendum applicat.

Antiquitatibus eccleſiaſticis eruendis ſtudet.

Inſtituti ratio.

alterum

alterum hunccce, vetuſtatis ſcilicet ſpecioſum fucum feliciter admodum diſcuti *Hoſpinianus* noſter credidit, ſi errorum primæ Origines & incunabula ipſa, intimæque fibræ in aprico poſitæ, adeóque jam pellucentes penitus, noſci ab omnibus poſſent. Quamobrem impetum concepit animo ſuo planè heroicum, & laude nunquam intermoritura digniſſimum fictitiæ illius vetuſtatis ſpectrum debellandi, Gibeoniticáſque artes & fraudes, monſtratis genuinis errorum, qui paulatim Eccleſiam inundaverant, originibus detegendi, convellendíque. Et magnæ quidem molis, immenſíque laboris opus aggrediebatur, cùm de cœleſti doctrina, & ceremoniis veræ primitivæ Eccleſiæ, tum de inclinatione & depravatione ejuſdem doctrinæ, déque ceremoniarum mutatione, auctione & progreſſu iis ſeculis, quæ Chriſtum & Apoſtolos primùm, deinde verò Conſtantinum Imperatorem, imprimis autem Gregorium M. ſecuta ſunt. Eo opere pandere cumprimis deſtinaverat origines & progreſſus errorum Pontificiorum, nominatim circa doctrinam *de S. Baptiſmo, de S. Domini Cœna, de Templis, de Feſtis, de Iejuniis, de Ordinibus Eccleſiaſticis, de Monachis, de primatu Papæ, de Sepulturis & Funeribus.* Pontificum quoque vitas contexere incipiebat, & Antigratianum inſuper moliebatur, quo demonſtrare inſtituerat, *Gratianum in ſuo decreto multa falſa, pugnantia, commentitia & notha recitare, tum verò impudenter, fallaciter, malitioſè & impiè corrumpere.* Quam difficilem certè, longámque admodum telam texere alacriter ordiebatur. Quò minùs autem pertexeret, adeóque laudabiliter deſtinata ex ejus, bonorúmque omnium voto deſiderióque perfecta ſingula provenirent, tum argumenti animo ſagace jam deſcripti, & utcunque delineati copia, tum ætas, cùm ſcholaſticis laboribus, nonnihil inſtitutum impedientibus, liberatus ſacrum ad perficiendas propoſiti argumenti partes otium nanciſceretur, jam provecta ſatis (quippe tum annum ætatis quadrageſimum primum pœne impleverat) tum ſuborta oculorum infirmitas, tum alia quoque intentionis ejus aciem ſubinde abrumpentia, obſtiterunt. Sed grandia ſatis ſunt, quæ ad umbilicum perducta, & planè ad Cleanthis lucernam elucubrata lucem viderunt, hodiéque vident: neque contemnenda etiam illa, quæ inchoata & affecta, quòd nondum juſtus ordo, lima & colophon iis adhibita, ultimáque manu nec dum perpolita eſſent, neque ipſe ſuperſtes prodire paſſus eſt, ceu imparia ſuſtinendæ famæ nominis ſui; neque præter ejus voluntatem & conſilium hæredes, cimeliorum iſtorum fidi cuſtodes, edere voluerunt. In recenſendis autem operibus ejus univerſis eum ordinem tenebimus, ut primùm ea, quæ publici juris facta ſunt, cum diſtinctione temporum, commemoremus, ſimúlque reliquum vitæ ejus curriculum proſequamur; ac tum demum opera ejus ἀνέκδοτα hactenus, breviter indigetata, lectori curioſo repræſentemus. Percrebuerat jam apud doctos fama Achillei, quod meditabatur, operis, accendebátque animos multorum deſiderio percipiendi quendam ejus guſtum, ex quo, tanquam ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γινώσκειν, & de toto opere conjecturam capere integrum eſſet. Quorum deſideriis ſatisfecit Oratione diſerta admodum & efficaci, publicè coram frequenti Paſtorum & Profeſſorum Eccleſiæ & Scholæ Tigurinę cœtu recitata, & A. M. D. LXXXV. impreſſa; *De Origine & progreſſu rituum, & ceremoniarum eccleſiaſticarum*, qua generali quadam complexione argumentum vaſtiſſimum ſupra indigetatum conſtringens, ſimplices & veras cerimonias, quę in Novo Teſtamento ab ipſo æterno Filio Dei, Domino & Servatore noſtro Ieſu Chriſto inſtitutę fuerunt, ediſſerit, ſimúlque oſtendit, quatenus cerimoniæ iſtę vel manſerint, vel paulatim mutari, augeri, corrumpi cœperint;

De originibus errorum ſcribere animum induit.

Partes inſtituti operis.

Scripta in lucem edita narrantur.

M D.LXXXV. Oratio de origine & progreſſu rituum Eccleſiæ.

cœperint; ac quibus in locis, id magis aut minùs factum sit: uno scilicet brevíque fasce coarctans originem, incrementa & progressum cerimoniarum ecclesiæ, quin & totius Papatus, qui ex cerimoniis potissimùm constat. Est certè Oratio illa plena bonæ frugis & succi, atque promulsis quædam omnium operum, quæ deinceps ex divite ingenii sui penu deprompsit, dignissima proin, quam etiam doctissimi, nedum tyrones, studiosè lectitent. Sic feliciter admodum tentato publico illo vado, progressus est ad partes suscepti Operis quas justis spissísque Voluminibus exequi placuit. Et primò quidem omnium An. M.D.LXXXVII. in publicum emisit libros quinque *de Templis*, hoc est, *de Origine, progressu, usu & abusu Templorum, ac omnino rerum omnium ad Templa pertinentium*, Illustriss. Principis Palatini Hæredis, Friderici IV. augusta præscriptione editos. Cúmque ejus libri exemplaria paucos intra annos distracta omnia essent, secundam ejus editionem An. M.DC.III. sub auspiciis Seren. Electoris Friderici V. adornavit; qua priorem emendavit, auxit & locupletavit cum integris capitibus, tum responsionibus ad Bellarmini, Baronii, aliorúmque sociorum, qui scripta sua, cùm prior illa editio prodiret, nondum parturiverant, sophismata in eo quidem argumento perhibitis. In quinque libros universum illud de Templis opus tribuit. Et *primo* quidem Capitibus XIII. de loco Patriarcharum & lucis, tabernaculo Iudæorum, Templo Hierosolymitano utroque, Synagogis Iudæorum, origine Templorum apud Gentes & Christianos, ubi de Christianorum Templorum magnificentia & sanctitate in primis accuratè adversus Bellarminum disputatur; nec non de Origine & progressu asylorum. *Secundo* Capitibus XXIX. de origine Presbyterii, seu chori & gremii Templorum, nec non Cryptarum, Cathedræ Episcopi, Baptisterii, Cibariorum, altarium & circa illa ornamentorum translationis & cultus omnis reliquiarum sanctorum in Templis asservatarum; imaginum vel simulachrorum apud Gentes, idolorum apud Iudæos, & cultus omnis imaginum, crucis cumprimis apud Christianos, nominibus imaginis, simulachri & idoli; lucernarum & lampadum in Ecclesiis, Organorum Musicorum in Templis, anathematum, aliorúmque ornamentorum, aquæ lustralis, campanarum & precum ad earum pulsum; crucis, gallorum gallinaceorum & stellarum in templorum turribus; processionum, litaniarum, supplicationum, nec non invocationis sanctorum in litaniis, denique peregrinationum ad Templa & alia loca sacra. *Tertio* capitibus VII. de origine rerum quæ sunt extra Templa, puta cœmeteriorum, sacellorum seu capellarum, ossariorum, ædium sacerdotum & carcerum Episcoporum, Scholarum, Theologiæ in primis scholasticæ primæ, mediæ & ultimæ, Bibliothecarum, deinque typographicæ artis. *Quarto* Capitibus X. de origine & vero usu dedicationum & consecrationum in genere, & dedicationum Templorum, altarium, crucis, imaginum calicis, cerei paschalis, frugum, primitiarum, aquæ lustralis, campanarum & cœmeteriorum. *Quinto* denique capitibus VII. de origine & progressu bonorum Ecclesiasticorum, decimarum, oblationum ac primitiarum, advocatiarum seu juris patronatus, denique de usu & abusu bonorum ecclesiasticorum, & incorporationum voragine, diffusissimè juxta atque eruditissimè tractatur. Primo autem loco hanc de Templis commentationem numeris omnibus absolutissimam perfici typísque exscribi placuit, quòd Templa ceremoniarum omnium, & errorum circa illas sinum & receptaculum quoddam esse, ambiguum non haberet. Fatetur autem in Præfatione dedicatoria, gravissimorum & doctrina præstantissimorum virorum, atque

MDLXXXVII. Libri quinque de Templis.

Synopsis librorum de Templis.

atque inter eos cumprimis Guilhelmi Stuckii, S. Theologiæ Professoris doctissimi, nec non Abrahami Colbingeri, Illustrissimo Principi Palatino, Iohanni Casimiro à secretis consiliis, Viri pietate, doctrina & consiliis præstantissimi, acrioribus stimulis se permotum, edendi hujus, similiúmque librorum animum fiduciámque sumpsisse. Quamprimum autem carceres opus hocce perfregit, bonorum certè omnium applausum mox meruit, & tot ferè admiratores, quot lectores attentos & veritatis studiosos habuit.

Guil. Stuckii & Colbingeri hortatu librum hunc edidit.

Adstrepuerúntque ei statim domi forísque viri docti incitamentis variis, subditis ingenio ejus excelsa quæque promittenti facibus continuis, ut institutum semel rectè & ex usu publico placitum alacriter prosequeretur.

Incentiva doctorum.

Quos inter apud exteros principem facilè locum obtinuerunt viri excellente doctrina & consilio prædití, Otto à Grunrad, & is quem supra diximus, Abrahamus Colbingerus, Illustrissimorum Principum, Iohannis Casimiri, & Friderici, Comitum Palatinorum, consiliarii. In literis enim ad Colbingerum V. Cal. Sept. A. M.D. LXXXVII. exaratis, sudante adhuc sub prelo tractatu de Monachis, ingenuè Hospinianus fassus est, frequentibus illorum incentivis se adductum esse, ut cœptam telam pertexeret.

Grunradii inprimis & Colbingeri.

Illud verò, ita Colbingerum alloquitur, *tibi persuasum habeas velim, partem hanc alteram* (tractatum de Monachis) *in publicum prodire, te & D. Grunradio authoribus & hortatoribus præcipuis, ut si quæ inde ad Ecclesiam utilitas redundet, eam meritò vobis solis acceptam referre debeat. Quòd si tot hîc essent Colbingeri & Grunradii, quot sunt zoili, in reliquo pertexendo opere fortassis alacrior essem: sed istorum malitia, qua non modò illi nihil dignum laude in studiorum palæstra agunt, sed aliorum insuper labores arrodunt impudentissimè, faciunt, ut sæpe de abjectione totius operis cogitem.* Cui nonis Octobr. ejusdem anni hunc in modum Colbingerus respondit: *Mi Hospiniane, velim persuasum habeas, lucubrationes istas tuas Ecclesiæ haud minùs utiles atque necessarias, quàm bonis omnibus gratissimas esse. Ejusmodi enim tu materiam pertractandam suscepisti, quam neque hostes refutare, aut inficias ire, nec invidi invidiæ aculeis pungere, ut maximè velint, poterunt. Itaque quod tu in calce epistolæ de zoilis in eam ferè sententiam addidisti, quasi illorum ad absterrendum te malitia plus quàm publica utilitas, & piorum monita ad pergendum apud te fuerint, mirificè mihi displicuit, & nolim sanè ejusmodi te cogitationibus frænum laxare. Virtutis est bonis quàm plurimis placere. Proinde te per omnia sacra religionis juráque amicitiæ adhortor & obtestor, ut strenuè in opere Domini pergas, tibique persuadeas, & Deum O.M. tibi vires suppeditaturum, & Mæcenates non defuturos, plúsque te ex conscientia fructus percepturum, quàm ex malevolorum theonino dente incommodi passurum. Quid quòd turpe est incæptis desistere, promissis non stare, Reipub. deesse. Memineris præterea, opere relicto zoilos, quos vereris, non æquiores fore, adversarios triumphaturos, bonos tibi indignaturos.* &c. Paulò ante his verbis idem Colbingerus ei applauserat: *Fateor ego, multa à multis hodie in publicum edi, nullius tamen institutum æquè ac tuum probo. Quid enim hoc tempore renascentis mirificè Papatus æquè necessarium esse potuisset, quàm detestandam Papatus originem & nativitatem, ac longè fœdiorem educationem hominum oculis apertissimè conspiciendam proponere. Tu fac ut divinum consilium strenuè & indefesso studio exequaris, persuasúmque habeas, te immortalem gratiam à posteritate initurum.* Neque certè adulationem ullam, veri affectus venenum, sed veritatis amorem unicum pia hæcce hortamenta & consilia Colbingero, qui gratiæ erga Hospinianum causas procul habebat, extorsisse palam est. Sic incitatus ad reliquas propositi operis partes perficiendas strenuè perrexit. Nam A. M.D. LXXXVIII. secundam ejus partem *de Monachis, seu de Origine & progressu Monachatus ac ordinum Monasticorum, Equitum Militarium*

M.D.LXXXVIII. Libros sex de Monachis divulgat.

tam sacrorum quàm secularium omnium, sex in universum libris comprehensam, & Illustrissimo Hassiæ Landgravio Mauritio, illi eruditorum sapientúmque Principum ocello, dedicatam vulgavit: & eandem, cùm editionis prioris exempla avidè excepta & dissipata jam essent, A. M.DC.IX. adhibita lima, & accedentibus secundis curis, quibus Bellarmini de Monachis tractatio, post priorem demum editionem illam, Lucina obstetricante, in lucem prolata occasionem, uberémque materiam suppeditavit, consummatiorem longè denuo excudi curavit. Et *primo* quidem operis ejus libro, Capitibus XII. præmissa ὀνοματολογίᾳ, de origine Monachorum apud Iudæos, nec non de Pharisæis, Sadducæis, Essenis, Nazireis Rechabitis, Prophetarum filiis, denique de Gentilium, Turcarum & Iaponiorum Monachis succinctè admodum disserit. *Secundo* Capitibus V. præfatus de variis primorum apud Christianos Monachorum generibus, & Monachos in Eremitas & Cœnobitas distinguens, eremiticam Veterum vitam & studia tradit. *Tertio* Capitibus XIV. de vita Cœnobitica, ejúsque Origine nonnulla præstruens, sigillatim eos Cœnobitas, qui in Oriente maximè inde ab A. 300. ad A. 530. seu Benedictum Nursinum usque floruerunt, puta Thabennesiotas, ordines S. Basilii, Hieronymi, Augustini, Canonicorum, Acœmerorum, seu Studitarum, perstringit, & de origine tõsuræ clericorum ac Monachorum, Virginibus monialibus seu sanctimonialibus, omniúmque horum ascematis, usibus & abusibus locupletissimè tractat. *Quarto* Capitibus XXIX. eos Cœnobitas, quibus in Occidente hinc inde dispersis, sed passim in Cœnobia contractis, latéque propagatis, Benedictus certam regulam seu vitæ rationem præscripsit, enarrat. *Quinto* Capitibus XXVII. qua demum occasione circa An. 900. usque ad 1197. Benedictinorum familiæ in plures distrahi cœperint, aliíque simul ordines plurimi emerserint, exponit. *Sexto* Capitibus LXXVII. novorum, hactenus planè incognitorum ordinum, mendicantium cum primis, universum ferè terrarum orbem rapidi torrentis adinstar inde ab A. 1200. inundantium origines copiosissimè pandit; & quàm immane hodiernos inter & veterum Christianorum Monachos discrimen intercedat; solidè demonstrat. Hoc etiam opus, admotos ungues sapiens, pari applausu doctorum exceptum, & recta æstimatione doctissimum juxta atque utilissimum habitum est. Certè Antonius Fajius, Genevensis Theologus acutissimus, literis ad Hospinianum scriptis judicii sui aliorúmque testimonio amplissimo & gratulatione fausta sic illud exornavit: *Laborem illum tuum utilissimum esse Ecclesiæ, omnes docti & pii apud nos agnoscunt, & tibi propterea benè precantur. Ego autem Ecclesiæ vestræ gratulor, quæ doctis & industriis hominibus affatim abundat, tibi autem peculiariter, quòd præclarum institutum aggressus, cum laude summa tua illo defungaris. Qui animum hunc tibi dedit, vires etiam administrabit. Perge itaque, Vir doctissime, stabulum illud errorum Pontificiorum repurgare, ut tanquam Hercules alter trophæum erigas non tam tibi, quàm Veritati. Deus tuis cœptis aspiret*, &c. Cúmque eandem in sententiam etiam Henricus Mollerus, Hamburgensis Theologus, ad Guilhelmum Stuckium de opere isthoc scripsisset, & optimorum etiam quorumque tum præconiis opus suum mactari, tum stimulis industriam acui intellexisset, simul literis XI. Cal. Maij M.D.LXXXIX. datis, *hæc & similia testimonia sibi auro & argento multò gratiora esse*, fassus est: simul magnorum virorum de laboribus suis judiciis magnopere se affici, & ad altiora studia magis magísque incendi, testatus est. Omnes enim, qui gloria famáque ducuntur, mirum in modum assensio & laus à bonis & prudentibus profecta delectat: & vel solo hoc nomine ab iis invidia, vitium eorum,

Synopsis librorum de Monachis.

Faji & aliorum de eo opere judicium.

eorum, qui nec cedere volunt, nec possunt contendere, spernitur, quia minor & miser est, qui invidet, & bonorum favore potitur, rémque habet is, cui invidetur. Disseminata jam latè erat eruditionis Hospiniani opinio, & ex sparsis ingenii ejus monumentis domi forísque innotuit, quantum hactenus virum fortuna in occulto tenuerit. Proinde ejus clariorem in lucem protrahendi, & ingenii tanti ex scholastico pulvere, in quo tantùm non consenuerat, ad amplioris fœnoris usuram provehendi bonos omnes cupido incessit. Obtulítque se mox *Iohannis Iacobi Wickii*, Templi Carolini Archidiaconi solertissimi obitu pulchra occasio. Tum enim Senatus Populísque Tigurini conspirante centum & octo suffragiorum numero d. XXV. Sept. An. M.D.LXXXVIII. in concionandi illo munere, & Canonicatus dignitate defuncto successit. Grata admodum ipsi accidit promotio, utpote qua finem exerciti muneris scholastici, & requiem haud inopem, commodam futuram expediendis iis, quæ pridem destinaverat, nactus esset. Illud quoque munus perinde ac omnia reliqua integerrimè, nec sine magna dignatione administravit. Interea cupiditas operis semel suscepti continuandi non minùs atque ignis magis magísque in ipso se exeruit.

Eligitur Archidiaconus Templi Carolini.

Parturiebat nempe proximè novam operis illius partem *de origine & progressu jejuniorum:* quam tamen aliquo usque productam, quò minùs absolveret & luci publicæ exponeret, causa erat, quòd in altera parte disputationum Roberti Bellarmini quæ à prælo calens adhuc ad manus ejus successerat, observasset, propositum illi esse in tertia parte de jejuniis deditâ operâ tractare. Differendam igitur ampliorem de jejuniis tractationem, donec tertia illa pars lucem aspiceret, ratus, deinceps aliis intentior, perficere eam planè omisit. Ea etiam occasione suum de Bellarmino, cujus tum temporis scripta recens nata, eóque minùs trita erant, judicium familiaribus ad Colbingerum suum literis, his ferè verbis exprompsit: *Docet Bellarminus iste Romæ hodie, &c, meo quidem judicio, facilè est princeps eorum, qui in acie Iesuitica pro Antichristianismo adversus Evangelij lucem scriptis suis dimicant. Edidit ille jam duos tomos satis magnos, quibus disputationum titulum præfixit, & in iis controversias omnes, quæ sunt inter Pontificios & Evangelicos in unum corpus redegit. Quamvis autem præcipuorum ferè omnium nostræ partis Doctorum scripta citet, videlicet Lutheri, Melanchthonis, Brentii, Zvvinglii, Bullingeri, Bezæ &c. videtur tamen ejus propositum inprimis esse Petri Martyris libros eruditissimos, Kemnitii Tridentini Concilii examen, & Calvini Institutiones, propugnaculum adversus Papistas fortissimum, oppugnare, evertere & confutare. Primo loco semper indicat, quid sit in controversia: tum nostrorum sententiam & argumenta ex sacris Literis & Patribus desumpta, non ubique mala fide proponit; mox ea interpretationibus, distinctionibus, oppositionibus, exceptionibus, argutiis & sophismatis sic confutat, ut oculos obiter ea legentium mirificè perstringat, & eis quasi caliginem quandam affundat; denique Pontificiorum sententiam indicat, eámque ex Verbo Dei, Patribus, argumentis ex ratione depromptis probare ac tueri conatur. Vnde etiam à Pontificiis tomi isti, tanquam promptuarium vel armamentarium quoddam instructissimum, ex quo arma & tela peterent, quibus utcunque saltem instructi adversus nostros in acie stare & pugnare possent, sic certatim emuntur, ut rarò non solùm Collegium Iesuitarum & Monachorum, sed ne mediocriter quidem doctum sacrificulum reperias, qui eos non habeat. Quapropter sæpe optavi prodire aliquem ex nostris, qui ex professo cum eo congrederetur, ne Iesuitæ sibi triumphos polliceantur: & ecce magna cum lætitia audivi, talem esse Antonium Faijum, Genevensis scholæ Theologum, eúmque responsionem ad primam ejus partem adornâsse, quam prælo jam commisisset, nisi Mars & Bellona impedirent.* Sic abrupto, de jejuniis argumento, de festis telam exorsus est, eámque mox feli-

MDLXXXIX. Opus de origine & progressu jejuniorum aliquousque productum abjicit.

Ejus judicium de Bellarmino.

citer pertextam prælo commisit. Placuit autem duabus partibus argumentum isthoc fœcundissimum exhaurire. Priorem partem *de Festis Iudæorum & Ethnicorum, hoc est, de origine, progressu, ceremoniis & ritibus festorum dierum Iudæorum, Græcorum, Romanorum, Turcarum & Indianorum*, primùm An. M.D.XCII. edidit, præscriptis in lumine nominibus Clarissimis, *Othonis à Grunrade & Abrahami Colbingeri*, eam potissimùm ob causam, quòd accepta sui de originibus operis synopsi, continui ad id pertexendum & in apertum proferendum hortatores sibi extiterint, quinimò in omnibus ad se datis literis velut ex pacto secum agant, & operis continuationem efflagitent, eò quòd *ultro hoc opus susceperit, quòd illud promiserit, quòd debeat Ecclesiæ & Reipublicæ literariæ, quòd plurimùm eo ipso commodaturus sit, adeóque non nisi cum Reipublicæ Christianæ injuria illud aut supprimere, aut è manibus abjicere possit.* Vnde si quid ex laboribus suis ad Ecclesiam emolumenti redundaturum sit, id omne illis, sibi tantùm non odio & tundendo ad moliendum opus instantibus, acceptum referendum, sicut antehac in familiaribus literis, ita etiamnum in publica & honorifica illa compellatione professus est. Cúmque primæ editionis illius exemplarium penuria laborare Typographus incepisset, secundam An. M. DC. XI. non parùm emendatam, auctam & locupletatam adornavit, publicóque dedit. Tribus autem libris argumentum illud omne inclusum explicare conatus est. *Primo* enim agens *de Festis Iudæorum* Capitibus XII. de Iudæorum die, horis, septimanis, mensibus & anno; de origine & progressu sabbathi apud eosdem, de Neomenia, seu primæ diei mensium feria, de Paschate, Pentecoste, festo tabernaculorum, tubarum, expiationis, concionis magnæ; de Sabbatho septimi anni, de anno Iubilæo, de festo Purim seu sortium, nec non ξυλοφορίας; de Encœniis; denique de recentiorum Iudæorum festis. *Secundo* explicans *Ethnicorum festa*, Capitibus XXX. de die & dierum distinctione apud Ethnicos, de feriis, ludis circensibus & scenicis; de mensibus & annis eorundem; ubi etiam menses variarum Gentium ad Romanorum seu Iuliani anni menses accommodat; de Calendis & Neomeniis; de nundinis, nonis, hebdomadis; de idibus; de festis; quæ Romani & Græci singulis mensibus celebrare soliti sunt, plurimis adjectis ad festa Græcorum & Romanorum, nec non ludos eorundem, copiosis admodum appendicibus. *Tertio* denique capitibus II. de festis Muhammedanorum & Indianorum; ex imis antiquitatum Iudaicarum, Græcarum & Romanarum penetralibus eruditissimè disserit. Si ullus alius hic certè liber amplissimi ingenii, & prodigiosæ lectionis Viri hujus indicium certissimum præbet. Meritóque Vir Clarissimus Andreas Origanus, Matheseos in Academia Francofurtensi ad Oderam Professor, & Ephemeridum Brandeburgensium author Hospiniani, quem *diligentissimum fastorum enarratorem* vocat, luculento propterea elogio passim exornavit. Sequente anno M. D. XCIII. operis de Festis partem alteram, *Festa Christianorum seu de origine, progressu, ceremoniis & ritibus Festorum dierum Christianorum* Librum unum, Amplissimi inclytæ urbis Vitoduranæ Senatus tutelæ commendatum, luci publicæ exposuit. Quem etiam An. M. DC. XII. non modica accessione, responsionum cumprimis ad Bellarmini pro idololatria Romana & Iacobi Gretseri Iesuitici etiam Monachi pro festo corporis Christi meditatas strophas & sophismata, auctiorem locupletiorémque secundùm typis exsculpi curavit. Eo libro, præmissis quæstionibus, anne festa celebranda sint; quæ sit libertas Christianorum N. T. quoad menses, dies & alias circumstantias ad festa pertinentes attinet; anne in honorem solius Dei, an etiam Sanctorum celebrari festa

conveniat;

[Margin notes: M.D.XCII. Ædit libros de festis Iudæorum & Gentilium. — Synopsis librorum de festis Iudæorum & gentilium. — M.D.XCIII. Librum de festis Christianorum edit. — Libri illius synopsis.]

conveniat; ubi de Martyrum memoriis fusè differit; historiam primitivæ & recentioris Ecclesiæ de festis, eorúmque accumulatione & incremento, texuit; inde festis in generalia seu *solennitates*, & particularia, nec non mobilia & fixa distributis, de Canonizatione sanctorum, ejúsque origine, & progressu, de Vigiliis, & octavis festorum celebriorum, nec non die Dominica, ejúsque antiquitate agit: ac demum festa juxta duodecim mensium seriem distinguens, Ianuarii quidem mensis festa XXXI. Februarii XVIII. Martii XXXI. Aprilis XXX. Maij XXXI. Iunij XXX. Iulij XXXI. Augusti XXXI. Septembris XXX. Octobris XXXI. Novembris XXX. Decembris XXXI. adeóque festa in universum trecenta quinquaginta quinque copiosè exponit; subjuncta de Encœniis aliísque nonnullis in tractatione omissis appendice. Sequente anno M.D.XCIV. *Henrico Wolphio* Ecclesiæ Abbatissanæ Pastori, pietatis & eruditionis laude perquam eximio, placidè in Domino defuncto, Senatus Populísque Tigurini, quem penes arbitrium Vrbis Tigurinæ Pastores plerosque eligendi est, calculis potioribus surrogatus est. Qua in statione perquam honorifica, eóque etiam acceptiore, quòd non adeò molestis in ea occupationibus districtus; ad continuandum quieta cum industria opus à se susceptum, tempus liberum magis solutúmque sortitus esset, annos triginta duos integros, adeóque ad finem usque vitæ, fidi vigilantísque Pastoris partibus gnaviter expletis, perstitit. Mox igitur, quantum per curam gregis illius ipsi commissi licuit, operi cœpto strenuè insistentem occupavit argumentum ingenio ejus dignissimum, & in publicum salutare maximè, de Cœna Domini, quæ cùm charitatis & unitatis ex instituto Salvatoris vinculum inter Christianos adamantinum esse debuerit, fraude sathanæ, & insita ingenii humani ad odia mutua pertinaciter exercenda, malitia, contentionis & dissidii funestissimi perpetuus fomes quidam extitit. Operi illi *Historiæ Sacramentariæ* titulum præfixit. Cujus quidem priorem partem puta *Libros quinque de Cœnæ Dominicæ prima institutione, ejúsq́, vero usu & abusu in primitiva ecclesia*; nec nõ *de Origine, progressu, ceremoniis & ritibus Missæ, transsubstantiationis, & aliorum pœne infinitorum errorum, quibus Cœnæ prima institutio horribiliter in Papatu polluta & profanata est*; An. M.D.XCVIII. inclyti Senatus Populísque Tigurini authoritate & patrocinio, quod ille lectu dignissimâ epistolâ, qua Ecclesiam Tigurinam à crimine novitatis, quo ceu venenato quodam telo illam hostes ejus impetierant, fortiter vindicat, supplex imploravit; communitam in lucem edidit. Atque horum etiam librorum ordinem & tenorem paucis hîc repræsentare lubet. *Primo* igitur libro in capita VI. tributo, historiam de prima Cœnæ Dominicæ institutione, ejúsque ceremoniis & ritibus; sensum verborum Christi, *Hoc est corpus meum*, &c. cerimonias & ritus Cœnę Dominicę in Apostolica Ecclesia; Apostolorum de verbis Christi, *Hoc est corpus meum*, sententiam, Christi & Apostolorum Liturgiam altiùs repetens, inclinationem denique rituum & sanæ de Cœna Domini doctrinæ Apostolorum adhuc temporibus recenset. *Secundo* Capitibus IX. agit de ritibus & cerimoniis Cœnæ Dominicæ in plerísque Asiæ, Africæ & Europæ, excepta Romana, Ecclesiis, à temporibus inde Apostolorum, seu An. 100. ad 600. usque de inclinatione & corruptelis, ceremoniarum, erroribúsque in iisdem Ecclesiis, Romana excepta, subortis, de vero sensu verborum Christi, *Hoc est corpus meum*, &c. & orthodoxa de sacratissima Cœna Domini, omnium Patrum & Doctorum primitivæ ecclesiæ doctrina; de liturgia primitivæ ecclesiæ; de ceremoniis & ritibus Cœnæ Dominicæ in Romana Ecclesia, à temporibus Apostolorum

M.D.XCIV. Pastor Ecclesiæ Abbatissanæ eligitur.

M.D.XCVIII. Historiæ Sacramentariæ partem priorem edit.

Synopsis partis prioris Historiæ Sacramentariæ.

usque ad Gregorium M. de vera sententia verborum Cœnæ in Romana Ecclesia, ex ejusdem Episcoporum scriptis; de inclinatione sanæ doctrinæ, novis & incommodis opinionibus, stipulis & erroribus cùm aliorum, tum Romanæ etiam Ecclesiæ circa illud tempus; de hæreticorum circa Cœnam Domini in eadem tempora incidentium erroribus: denique de nominibus, quibus Sacramentum Cœnæ primis illis sexcentis annis insigniri consuevit. *Tertio* capitibus IX. historiam Cœnæ Dominicæ ab anno Domini 600. usque ad An. 850. expandens, de rituum à Pontificibus in primis Romanis hujus ætatis intervallo accumulatorum incrementis, Liturgia Gregoriana seu Romana, cujus partes viginti septem accuratè perstringit; de Canone Missæ, ubi Liturgiam illam Missæ non esse Gregorianam, accurata crisi demonstrat; de origine Linguæ Latinæ in Missa & sacris omnibus, de obligatione Ecclesiarum ad liturgiam & canonem Missæ Romanum amplectendum, de consensu præcipuorum in hac etiam ætate Doctorum circa doctrinam de Cœna Domini cum Christo, Apostolis & primitiva Ecclesia, de Canone Latino, quatenus is cum primitivæ Ecclesiæ ritu & doctrina conveniat; denique de inclinatione sanæ doctrinæ de Cœna Domini circa id temporis, latissimè disserit. *Quarto* Capitibus XIII. de ritibus & ceremoniis, earúmque inclinatione in Cœna, inde ab anno 850. sequentiúmque temporum decursu tractans; primam certaminis sacramentarii circa tempus Caroli Calvi originem, Bertrami pro sententia saniori contentionem masculam, certaminis ejusdem progressum, & transsubstantiationis incunabula, inclinationem horribilem sanioris doctrinæ à Leone IX. usque ad Innocentium III. seu ab An. 1050. usque ad annum 1200. ubi Berengarii historiam narrat; originem consubstantiationis, seu impanationis; Transsubstantiationis in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. celebrato, confirmationem; ceremoniarum inde idololatricarum exortum, cautelas ridiculas sacrificulis missam celebrantibus præscriptas; Conciliorum de observandis novitiis ceremoniis decreta; ruinas sanioris doctrinæ Scholasticorum operâ inductas; Canonis Latini novam falsámque interpretationem, & ad transsubstantiationis dogma detorsionem; errores suppullulantes circa missam varios immanésque; signa & miracula falsa ad incrustandum musteum dogma obtrusa; denique Missam Pontificiam passim jam receptam firmatámque, studiosissimè persequitur. *Quintus* idemque ultimus liber, Capitibus XIV. constans, totus elenchticus est, quo ceremoniæ & ritus missæ, Transsubstantiatio, aliíque pene infiniti errores, quibus Cœnæ Dominicæ prima institutio & sana doctrina in Papatu horribiliter corrupta & profanata est; Bellarmini etiam erroribus illis lenocinantis sophismatis ad partes vocatis, solidè admodum gravitérque refelluntur. Hos quoque libros, arduum utique & cognitu necessarium thema, inusitata hactenus methodo, mira verborum luce, rerum historiarúmque copia complexos, eruditos cupidósque lectores intentos admodum, defixósque habuisse constat. Certè Daniel Tossanus, Theologus Heidelbergensis gravissimus, lectis iis literas ad Hospinianum dedit, quibus de ingenii isthoc fœtu subactissimo hunc in modum illi sapienter gratulatus est: *Felices illi meritò judicantur, quibus aut facere scribenda, aut scribere facienda datum. Tibi cùm utrumque contingat, quis te felicissimum non judicet: & felicissimam quoque Tigurinam Scholam, quæ talem Scholarcham est nacta. Bene certè de Ecclesia mereris, qui ex tenebris ac veteribus monumentis multas præclaras historias eruis, nominatim de ecclesiasticis cerimoniis; & ad copiosam illam de re sacramentaria historiam progressus ad originem Dominicam & Apostolicam traditionem Bellarminum, qui excelsa manu*

Danielis Tossani de libris illis judicium.

nostras

noſtras Eccleſias adortus eſt, revocas. Si ulla ſuperſtitio deteſtabilis eſt, illam omnino pronuntiare debemus talem, quæ in Miſſa Pontificia conſpicitur. Rurſus ſi ulla ſuperſtitio radices unquam egit, & animos hominum faſcinavit, ægréque hodie ex multorum animis eripitur ac evellitur, illa ipſa eſt. Tanta vis eſt veternoſarum, ut Auguſtinus loquitur, opinionum, & diu creditæ ac defenſæ falſitatis. Precor autem Deum O. M. ut vires & otium tibi ſuppeditet, ut laudatiſſimi operis, quod ſupereſt feliciter pertexere & abſolvere poſſis. Poſſent & alia Theologorum, Anglorum in primis, Hollandi, Rivii, Thorétoni, Rainoldi, Bondi, aliorum prægnantia de libris hiſce teſtimonia proferri, ſi inſtitutæ brevitatis ratio permitteret. Neque verò ſic Papatus duntaxat de Cœna Domini portentoſos errores eorúmque origines, incrementa & faſtigium in aperta luce poſuit; Verùm, extimulantibus amicis, aurémque crebrò vellicantibus, originem quoque & progreſſum controverſiæ de Cœna Domini Lutheranos inter & Orthodoxos diuturna gravíque contentione agitatæ, accuratè narrandum, poſteríſque mandandum cenſuit. *Hiſtoriæ Sacramentariæ partis poſterioris occaſio.* Cùm enim inter eos, quorum Theologia in maximi de cœtero momenti capitibus ut plurimum conſentiens, initiò quidem in paucis, & ejus generis, quæ nec ignoranti nocent, nec ſcientem magnopere juvant, neque adeò fidei cardines, & fundamenta convellunt, diſſidebat; lamentabile illud religionis diſſidium valeſcere, implacabile planéque vatinianum inter partes renitentes odium radices agere, per conſequentiarum trochleas, odio magis quàm ex fide, abominanda quæque Eccleſiis noſtris impingi, & interpretando accendi; denique per præfervida cerebroſorum & implacabilium hominum, in ſchola crucis non eductorum, adhæc inſano partium ſtudio deditorum ingenia non ſtare, quò minùs κακὸν ἀνίατον, & vulnus immedicabile ſit, omnium jam in propatulo eſſet; ſuarum omnino partium eſſe duxit, quæ veræ & genuinæ fuerint irreligioſi hujus diſſidii origines & cauſæ; quomodo proin cœperit, quomodo creverit, quomodo inveteraverit malum, memoriæ ſempiternæ mandare, ut conſtare apud poſteros liquidò poſſet, quinam fuerint veri & præfracti triſtiſſimi diſſidii illius, quod tantopere animos tranſverſos abripuit, & partes utraſque inſidiantibus opportunas fecit, authores, & quos penes tum erroris, tum ſchiſmatis etiam inducti culpa hæreat. Hoc certè prudenti conſilio Hiſtoriæ Sacramentariæ partem illam poſteriorem, *de origine ſcilicet & progreſſu controverſiæ Sacramentariæ de Cœna Domini inter Lutheranos, & Orthodoxos, quos Zvvinglianos & Calviniſtas vocāt, exortæ*, ab anno Chriſti Salvatoris 1517. *uſque ad* An. 1602. deductam confecit, & An. M. DC. II. Magnifico Nobiliſſimóque Bonaventuræ Bodeckero, Elkoviæ Domino, ſacram eximiámque, publicam in lucem miſit. *M. DC II. Hiſtoriæ Sacramentariæ partium alteram edit.* Ea verò methodo libri illius tractatio procedit, *Methodus libri.* ut primò omnium quę Lutheri & Zvvinglii de Cœna Domini ante & poſt certamen ſacramentarium doctrina fuerit, accuratè exponat; ac tum demum de origine & primis funeſti illius certaminis authoribus, progreſsúque inde ab An. 1524. ad annum uſque 1602. annorum ſcilicet ſeriem continuam, hiſtoriæque ipſius filum contextúmque ſecutus, integra fide, & procul omni ſtudio, ordine pandat. Negari non poteſt, fuiſſe opus illud ſudem in oculis iis potiſſimùm, quorum aures mordaci vero roſerat, quíque carnalia quorundam, quorum ſe ſervituti totos addixerunt, ſtudia prodi & perſtringi, graviter admodum tulerunt. Apud æquos contra rerum arbitros, huic operi perinde ac reliquis illibatus honos conſtitit, agnoſcentes ſcilicet, ex indubitabilibus monumentis & rebus ipſis hiſtoriam erutam, magnóque candore compoſitam eſſe. Ea tempeſtate per ora manúſque doctorum utrarumque partium volitabant Cæſaris

Baronii

Baronii refutando ab Anglis destinatur.

Baronii Sorani, Cardinalis Romani, Annales Ecclesiastici, opus labore magno vigilatum, lectione multiplici tessellatum, &, si eruditionem promptitudinemque singula ad scopum, quem sibi præfixerat, revocandi spectes, non omnino scriptoris doctissimi juxta sagacissimíque laude defraudandum. Cœterùm quia sub Latij dominantis nutu positus, claritudinem insuper & honores obsequiis parare studuit, adeò sordida adulatione, & totius historiæ ad tyrannidis Pontificiæ sedis stabilimentum detorsione, tempora infecit, ut projectæ servientis purpurati illius patientiæ neminem non cordatum tœdeat. Quærebatur tamen passim, qui solida gravíque eruditione, exquisita antiquitatum notitia, acríque judicio prædirus, cum Baronio, ita comparato scilicet, ut, quod de hæreticis Tertullianus dixit, firmos fatigare, infirmos capere, medios cum scrupulo dimittere posset; manum feliciter consereret, ostenderétque adeò, Baronium non veritati litâsse, sed scenę inservii ste; non gloriæ Christi & Ecclesiæ sanguine ejus redemptæ sacerdotem, sed merum Papæ Romani, Babyloniorúmque flaminum æruscatorem fœneratorémque fuisse. Atque sustinendæ cum laude & verè doctorum applausu provinciæ huic parem *Hospinianum* recti ingeniorum æstimatores omnes habuerunt. Certè Theologi Angli, quos supra memoravi, Thomas Hollandus cumprimis, Regius in Academia Oxoniensi Professor, Thorentonus, Rainoldus, Rivius, Bondus, alíisque, semel atque iterum *Hospinianum* quæsitissimis precibus rogârunt invitatúntque, ut reliquis curis tantisper sepositis, ad refellendum Baronium ingenii sui nervos intenderet, atque ea ratione totius orbis melioris hiantes cupiditates impleret. Tametsi dubium nemini esset, validos satis ejus humeros esse ad ferendum hoc onus, & desideriis amicorum, doctorum cumprimis virorum nihil non ipse dare solitus esset; sonticas tamen ob causas oneri huic se, sexagenario jam major, excusavit; simúlque sui de Baronii Annalibus judicii, familiaribus ad amicum Oxoniæ commorantem, & Theologorum Anglorum ad se desideria perscribentem, die 24. Aug. An. M.DC.VIII. exaratis literis, copiam hunc ferè in modum fecit: *Ad Baronium quod attinet, is, ut fatear liberè, quod sentio, non videtur tantus, quantus à plerisque historiarum imperitis habetur vulgò. Percurri ejus Annales non obiter, quantum quidem per occupationes ecclesiasticas, scholasticas, literarias & domesticas licuit, in emendatione & locupletatione librorum meorum de Monachis, qui brevi recudentur, & animadverti inter alia, eum visiones, miracula & putidissimas fabulas ex nugatoribus papisticis recensere quàm plurimas, quæ ferè mediam partem tomorum ejus complectuntur, & sine labore refutari possunt. Si enim maximè vera essent omnia, ut narrantur, ad confirmationem tamen superstitionum & idololatriæ Antichristi pertinent de quibus 2. Thess. cap. 2. dicitur, cujus adventus est secundùm operationem Sathanæ, cum omni potentia & signis ac prodigiis mendacibus, & cum omni deceptione injustitiæ, &c. Deinde plurima miracula, visiones, & alia, quæ admirantur multi, narrat ex authoribus, qui seculis inferioribus vixerunt, & rumores ac fabulas postea demum confictas ex Apocryphis & Monachorum Legendis hauserunt, & historiis sine judicio & pudore inseruerunt. Hujus generis miraculosas narrationes, & visiones fabulosas apud Zonaram, Vincentium, Nicephorum, Metaphrastem, Antoninum, Surium & alios posteriores historicos reperias, quas Baronius pro veris narrat; tu verò iis haud facilè sine suspicione falsitatis fidem adhibeas. Secundò Baronii propositum est in suis Annalibus, uti etiam Bellarmini in suis controversiis, Romanæ ecclesiæ, & Episcopi seu Pontificis authoritatem, jam ferè collapsam, fulcire & sustinere: unde Bellarminus in Præfatione primi tomi scribit, hanc causam esse, cur in isto suo opere nulla disputatio sit diligentiùs copiosiúsque tractata, nulla major, nulla*

Ejus de Baronii Annalibus judicium & excusatio.

instructior,

instructior ea, qua summi Pontificatus institutio & authoritas asseritur & defenditur. Hinc etiam Baronius omnia ac singula, quæ in Ecclesia acciderunt, Pontificis Romani authoritate esse gesta contendit: probatos historicos, sicubi aliqua referant contra sedem Romanam facientia, rejicit, in cæteris omnibus probat: Pontificum Romanorum facta quantumvis truculenta, tyrannica & injusta, excusat, probat & defendit. Benonem & alios contradicentes, & qui auriti & oculati fuerunt testes eorum omnium, quæ scripserunt de iis, mirum in modum exagitat & calumniatur: Concilia non eorum authoritate convocata Pseudosynodos, Imperatores, Reges, Principes, Episcopos bestiam illam non adorantes, hæreticos, schismaticos &c. vocat, &c. quæ tamen omnia ab historiarum peritis facilè refutari possunt. Quòd autem scribis, me solum, doctorum apud vos judicio, hoc ipsum præstare posse, id totum amori erga me vestro tribuo; judicium autem vestrum de me non recipio, nec palmam hanc vobis præripio. Sum, ut nôsti, solus in hac palæstra, nec habeo, quenquam, quocum de rebus dubiis ac difficilioribus in historia conferre possim: neque etiam hic sumus instructi bibliothecis, ut vos, & aliis præterea multis ad talem laborem tantúmque opus necessariis: ut de meo non limato ac impolito judicio & perquam exigua doctrina nihil dicam. His adde, quòd meæ lucubrationes de originibus errorum Pontificiorum me sibi totum vendicant, ut stationem deserere, & ad alia transire sine magno dedecore non possem. &c. Sic perseveranter manens in tenore suscepti semel de origine errorum operis, posteriorem historiæ Sacramentariæ partem locupletandam perficiendámque duxit accessione narrationis de famoso libri Concordiæ partu. Nam hinc illi *Concordia discors*, seu, *de Origine & progressu Formulæ Concordiæ Bergensis liber unus*, quem An. M. DC. VII. Illustrissimi Hassiæ Landgravii Ottonis auspiciis man dari typis curavit. Cujus quidem libri synopsin, utpote ei commodè satis præfixam, texere nihil attinet. In epistola ad Mauritium Hassiæ Landgravium, Ottonis parentem d. 22. Aug. anni ejusdem exarata, libri intempestivè editi culpam, eò quòd circa id tempus Serenissimi Electoris Palatini Friderici IV. literæ ad amplissimum Senatum Tigurinum, de colloquio Orthodoxos inter & Vbiquitistas instituendo, quo de concordia Protestantes inter Principes sarcienda, impediendísque eadem opera Iesuitarum sanguinariis consiliis in commune consultaretur; advolâssent, sic studiosè amolitur, ut simul de institutis ejusmodi Colloquiis sententiam graviter proferat hunc ferè in modum: *Etsi ego de hujusmodi colloquio mihi ipsi nihil boni polliceri possim, & majores animorum distractiones & conturbationes, odia item, contentiones ac diffidia post illud nocentissima vehementer metuam, præsertim si mecum reputem, quæ Marpurgense, Maulbrunnense, Mompelgardense & Ratisbonense colloquia secuta sint; & adversarii palam protestentur, se non discere, sed docere, & ne in minimo quidem articulo sententiam mutare, sed in semel concepta opinione firmiter permanere velle: nihilominus editionem hujus libri vel in aliud tempus rejecissem, ac reservâssem; vel, si ex usu ecclesiæ fuisset, prorsus suppressissem, si hoc consilium & institutum Illustriss. Principum vel ante semestre mihi cognitum fuisset, ne illud impedivisse accusari meritò possem.* Ex tripode hæc locutum esse, rebus ipsis & experiundo non semel cognitum est. Sed & in literis ad Wolphgangum Amlingum, Ecclesiæ Servestanæ Pastorem & superintendentem die 22. Aug. ejusdem anni, datis fassus est ingenuè, operi illi *de Concordia discorde*, deesse plurima: nulla equidem sua culpa, sed tum quòd ad cognitionem & manus suas plura non pervenerint; tum quòd nonnulla dedita opera, omitti consultiùs visum sit, propter admonitionem ex aula potente insinuatam, ut in scribenda ea historia cautè circumspectéque agat, si quid secretorum ex cameris Principum, præsertim verò ex oris Saxonicis habeat. Fore alioquin, ut res hæc ingenti periculo non careat,

M. DC. VII. *Concordiæ discordis librum edit.*

Eius de Colloquiis cum Lutheranis instituendis sententia.

Historia de Concordia discorde defectus & eorundem causæ.

§§§§ reat,

Christianum Saxoniæ Electorem redivivum scribere meditatur.

reat, propter orthodoxos iis in locis suspectos, ne cum iis ludus Crellianus vel Procerianus ludatur. Fortè etiam non mediocriter historiam illam Sacramentariam auxisset & exornasset is, quem meditabatur, *Christianus redivivus*, hoc est, *de ortu & progressu susceptæ à Christiano Electore Saxoniæ Ecclesiarum & Scholarum in Saxonia superiore Reformationis Historia, ex actis & originalibus, ut sint optimi Principis defuncti vindiciæ perennes, fideliter congesta, & tribus libris comprehensa.* Grande scilicet volumen ex Saxonia submissum in hæredum manibus versatur, quo Christiani Electoris illius Principis & pientissimi & fortissimi, dicere crebrò soliti: *Ego nec Calvinianus sum, nec Flaccianus, sed Christianus. Habent Flacciani suum Cælum in quo etiam ipsum orcum collocant*; Ephemerides accuratissimè texuntur, & instituta ab ipso Ecclesiarum Saxonicarum Reformatio, subita & improvisa ejus morte interrupta, plenissimè exponitur, ex quibus, aliísque etiam irrefragabilibus monumentis Christianum illum redivivum orbi Christiano, non parum certè pia Principis illius meditamenta admiraturo, repræsentare statuerat. Quæ verò causa ab hoc ipsum instituto minimè ignobili revocârit, dicere equidem non habeo. Saltem is materiæ illius copiam uberrimam in manibus habuit. Interim & historiæ sacramentariæ pars posterior, & Concordia illa discors vehementer eos, qui Lutheranarum partium asseclas se professi sunt, urebant; qui eorum operum vim chrysippeis sophismatis, & tortuosis argutiis, acribúsque dicteriis convellere maximopere laborabant. Constat autem, utriusque operis refutandi in Saxonicis oris negotium Leonhardo Huttero, Wittebergensi Professori, homini arroganti & pravè facundo, datum esse. Et primùm quidem An. M.DC.XI. personatus ille, uti prudenter conjectabant, prodiit, larva scilicet assumpta cujusdam Christophori à Vallo, S. Theologiæ Candidati, sub qua adversus ea, quæ Hospinianus in Annalibus Sacramentariis ad annum M.DC.XIX. gesta prodidit, vernacula scriptione ingenii sui libidinem procaciter satis exercuit. Non deerat Hospiniano & index novorum moliminum, & resistendi iisdem gravis hortator David Pareus, Theologus Archipalatinus celebratissimus, qui imminentium indicio facto, simul illi larvatum illum à Vallo sine mora proterendi, scriptis ad illum die 27. Maij, anno 1611. humanissimis literis, author suasórque extitit. Literarum hic ferè tenor fuit: *Cùm ecclesiæ ædificationi nos in hac vita mancipârit Deus, Vir Clarissime, ego quidem exegeticis nonnullis scriptionibus prodesse hactenus studui: tu verò historicis tuis commentariis profuisti plurimùm, & me ipsum non rarò adjuvisti, imò delectâsti. Itaque ut pergas hoc facere, argumento novo oblato te cohortandum duxi. Adversus Commentarium tuum alterum de re sacramentaria, nec non Concordiam discordem comperimus, mandatum ex aula Saxonica D. Huttero datum, historiam tuam ut refutaret. Laborâsse etiam illum ea in re ex domesticis meis studiosis cognovi. His nundinis Lipsensibus prodiit Germanica hæc Historiæ Sacramentariæ consignatio, usque ad annum 29. deducta. Credo vobis non esse visam. Author magna pollicetur, & triumphus est, ut audio, nostris vicinis, &c. Percurri librum. Præter magnifica mendacia nihil video novi. Suaserim ut vestigia hujus scriptoris, qui haud dubiè est ille Hutterus, premas ilico, neque exspectes, dum tota moles te opprimat. Feceris magnum operæ pretium Germanicè respondendo.* Non defuit bonæ causæ Hospinianus, utpote qui, accedentibus imprimis ejusmodi stimulis; personato larvam egregiè detraxit, adornata scriptione vernacula, qua & historiæ à se consignatę veritatem in arce collocavit, & adversantis vanitatem solidè detexit. Neque tamen responsio isthæc, omnibus numeris absoluta, lucem vidit; incertum an studio pacis, Politicæ in primis, cui contentionis serram hunc in modum reciprocatam nocituram facilè existimavit; an alias ob causas, in obscuro latentes. Cùm verò has

Leonhardo Huttero negotium ejus refellendi datur.

M.DC.XI. Prodit is primùm sub larva Christoph. à Vallo.

Davidis Parei indicium Hospiniano factũ, & consilium.

has vices habeat conditio mortalium, ut adversa ex secundis, & ex adversis secunda nascantur, adeóque sine mixtura calamitatis nulla in rebus humanis felicitas sit; adversam etiam subinde asperámque sortem noster expertus est. Præterquam enim quòd hactenus charissimorum pignorum octo tristem jacturam passus est: fidam quoque tori & curarum sociam *Annam Lavateram*, conjugem charissimam, cujus consortium tantum abest, ut, quod Romanenses nostris objiciunt, impedimentum aliquod studiis ejus piis objecerit, ut magno illi contra & dulci ad omne opus bonum incitamento adjumentóque fuerit; ex ærumnosa hac vita cælestem in patriam evocatam, amisit. Patienter tamen domesticam illam calamitatem, utcunque acerbam, tulit, memor utique, & mortalem se duxisse, & ad æternam beatitudinem præmisisse. Consolabantur etiam mox orbitatem ejus secundæ nuptiæ cum matrona honestissima, *Magdalena Wirzia*, nobilis & eximii viri, *Conradi Wirzii*, Præfecti quondam Vadivillani, filia, bonis ominibus contractæ, & d. XIII. Maij An. M.DC.XII. solenniter celebratæ. Hanc verò etiam felicitatem non parùm subitò oborta oculorum infirmitas turbavit imminuítque. Ineunte nempe anni ejusdem bruma ex pertinacibus nimiùm studiis cataracta seu suffusio conflata, utrique oculo infestum adeò glaucoma obduxit, ut visum penitus amiserit, integrúmque ferè annum videndi prorsus inops, & cassus luminibus traduxerit. Triste admodum accidit viro, non alio magis quàm visus beneficio ad obeundas occupationes, in quibus consenuit, indigenti, in medio laborum cursu visus jacturam pati. Neque tamen morbo hoc afflictus concionari destitit, cùm memoria felix & dives appellata supellectilem hactenus in ea reconditam facilè redderet. Prælegi igitur sibi à domestico quopiam curavit textum, quem deinceps ita secum volvebat, ut meditati probéque compositi sermonis formam animo imprimeret. Sic instructus, & comite ac duce viæ ascito, suggestum conscendit felicitérque adeò cœcus dixit, ut non minori quàm antehac fructu applausúque, neque sine commiseratione etiam auditus fuerit. Contigit autem secundo Numine, ut subsequentis anni autumnũ Tigurum veniret Chirurgus, Martinus Bloss, Bretta inferioris Palatinatus oppido, Philippi Melanchthonis patriâ, oriundus. Is cùm suæ artis, in depellendis etiam oculorum ejusmodi ὑποχύμασι, fidem fecisset, de consilio prudentum ad curam Hospiniani admissus, die XVIII. Sept. An. M.DC.XIII. Deo clementer benedicente, utriusque oculi pupillæ concretam infestantémque pelliculam, seu cataractam manubriata acu adeò feliciter decussit, ut confestim sublata vitiosa suffusione ægro visus integer redierit, & ad extremum usque vitæ vegetus valénsque permanserit, non sine publica lætitia, festísque gratulationibus bonorum omnium: quos inter Raphael Eglinus, seu Iconius, Marpurgensis tum Theologus sagacissimus, sequenti carmine ipsi, ceu alteri Phœnici recuperatam oculorum valetudinem gratulatus est:

M.DC.XII. Conjugis Annæ Lavateræ obitus.

Nuptias secundas cũ Magdalena Wirzia celebrat.

Oculorum visum & usum, infestante cataracta, amittit.

Cœcus concionatur.

M.DC.XIII. Visus ei restituitur.

Iconij gratulatio.

Perpetuis quòd te magnísque laboribus orbas
Luminibus, Doctorum, Hospiniane, decus,
Haud mirum! mirum potiùs, caligne dempta
Visum iterum Dominum restituisse seni.
Cur? nisi quòd pulsis tenebris, in luce serena
Verba sacræ Cœnæ promis & historiam,
Hutterum contra; qui frustra obducere soli
Conatur tenebras, Cimmeriúmque Chaos.
Gratulor ergo tibi, Vir clare, & gaudeo nobis:
Nobis, queis veris pandis originibus

Historiam infaustam; tibi quod renovatus ut alter
Phœnix, perpetuo lumine lætus ovas.

M.DC.XIV. *Hutteri Concordia concors Hospiniano opponitur.*

Sequente ſcilicet anno in lucem prodiit inauſpicatus ille partus Leonhardi Hutteri, cui titulum hunc fecit: *Concordia concors; ſeu de origine & progreſſu formulæ Concordiæ Eccleſiarum Confeſſionis Auguſtanæ, liber unus.* Hoſpiniani ſcilicet Concordiæ diſcordi, ante ſeptem annos vulgatæ, è diametro oppoſitus, quo quantum de libro ipſo, tantundem de eruditionis, candoris & judicii *Hoſpiniani* fama, ſuæque eccleſiæ infamia ſe detrahere poſſe ſperavit. Opus ipſum haud exiguæ molis, & μετὰ πολλῆς φαντασίας prodiit, aſt ſi inanem verborum ſtrepitum, & rerum, convitiorum, ſplendidarúmque calumniarum tumorem ei demeres, tantùm non ad incitas redigi, atque in nihilum recidere liquebat. Cœterùm ſine mora reprimendum exultantem hominis audaciam domi foríſque judicârunt multi: & ipſe quoque initiò Hoſpinianus neutiquam dubitavit. Statim enim atque librum legit, non ſine impetu quodam calamum ſtrinxit, & reſponſionem adornare cœpit, qua neſcio anne quid ſolidius, judicioſius, temperantius in eo controverſiarum genere ſcribi potuerit. Certè non ſine voluptate & fructu, admirationéque ingenii & virtutis moderationíſque, qualis hominem pium, adde etiam liberum ingenuúmque decet, ſcripti illius partem magnam prœlo maturam, legiſſe me profiteor. Neque tamen opus iſthoc ad metam perduxit, ſeu tœdio victus eſt maledicentiæ adverſarii, qui neſcio quibus agitatus furiis ubique inſultare, quàm cum ratione quadam diſputare maluit; ſeu faſtidium ſubiit ducendi funem moleſtæ adeò contentionis, qua non tantùm ànimos veritatis factâ copiâ ſauciatos ægróſque, magis exulceratum iri, ſed etiam capitales religionis hoſtes, Ieſuitas cumprimis, infauſti certaminis illius futuros ſpectatores avidiſſimos, delicias jucundo ejuſmodi ſpectaculo ſibi facturos, operámque demum daturos, ut, quod olim Alexander M. Græcis inter ſe contendentibus eventurum in ſinu rides dixit, Ciconia pugnantibus ranis imperitet; metuit. Imminebant enim proximè ea tempora, quæ optimum quemque nullo negotio commovere poterant, ut conſcientiâ prævalentis & ſatis jam evictæ cauſæ, privatas injurias publicis utilitatibus remittat, ſaltem ut politica pace faciliùs animi coaleſcerent, & commune periculum cervicibus omnium æquè impendens communi concordia propulſarent. Miſſa igitur, vel certè ſopita altercatione iſta vim ingenii ſui adverſus Ieſuitas, malorum ferè omnium, quæ Chriſtianum orbem premunt, architectos vertit. Cúmque perſuaſiſſimum omnino haberet, veternoſos, turpiſſimos ac pernicioſiſſimos eorum errores luce meridiana clariùs jam detectos eſſe, neque ulla eorum Sophiſtica ampliùs palliari poſſe; conſultum porrò duxit, cum hominibus auctoritatem profeſſionis ſacerrimæ præferentibus, & habitu atque ore ad exprimendam imaginem honeſti exercitis, cœterùm animo perfidioſis & ſubdolis, avaritiam ac libidinem occultantibus; & quantò magis falſa ſunt, quæ faciunt, tantò plura facientibus, rerum Theologicarum diſceptationem ad tempus omittere, & ipſos ea parte, qua in nos maximè valent, captare; technas eorum, artéſque fallaces & ſanguinarias ſcrutari; ut caput ſuum ex tenebris ſuſtulerint: ut vitam omnem ex certarum legum præſcripto ad hypocriſin compoſuerint; ut ad potentiæ Regibus ipſis metuendæ faſtigium aſcenderint: ut ſecularibus negotiis homines de ſchola & templo ſeſe ingeſſerint: ut Principum & rerumpublicarum arcana ſcrutati prodiderint; ut ipſum ſocietatis humanæ vinculum, quod in data fide & pactorum obſervantia conſiſtit, pervertèrint: ut Clementibus, Caſtellis, Catisbeiis, Ravaillacis, ſicariis aliis ad parricidia

Cui is ſtatim reſpondet. *At mox reſponſiõ abrumpit.* *Hiſtoriã Ieſuiticam ſcribit.* *Conſilii ratiõ.*

ricidia iter muniverint:ut regnorum excidia machinati fuerint: ut denique variis technis sanguinem ac vitam nostram, & chariorem vel ipsa vita libertatem impetierint. Hic Iesuitarum jugulum situm, hac parte illos feriendos esse: atque id cùm usu fructuosius fore, tum etiam facilius expeditiúsque, eò quòd fraudes hæ semel deprehensæ non æquè ac erronea dogmata, sophisticis strophis & æquivocationibus eludi se patiantur, scitè admodum prudentérque statuit. Hoc ferè argumentum est operis A. M. DC. XIX. vulgati, cui titulum fecit: *M DCXIX.*
Historia Iesuitica, hoc est, *de origine, regulis, constitutionibus, privilegiis, incrementis, pro-* *Historiâ*
gressu & propagatione Ordinis Iesuitarum; item *de eorum dolis, fraudibus, imposturis, nefa-* *Iesuiticam di-*
riis facinoribus, cruentis consiliis, falsa quoque, seditiosa & sanguinolenta doctrina; cujúsque *vulgat.*
etiam frontispicio Illustrissimi Principis, Georgii Friderici, Margravii Badensis augustum nomen præscripsit. Synopsin totius operis, quatuor in libris distincti, ipsemet Author Præfationi subjunxit. Septuagesimum secundum annum ætatis proximè exegerat, cùm opus isthoc typis exscriberetur. Tum igitur plenus annis, & morti maturus scribendi finem fecit, reliquúmque vitæ tempus, quoad ipsi corporis animíq; vires constiterunt, occupationibus ordinariis, precibus, meditationibus, Lectionibus sanctissimis impendit. Præter eos autem libros, quos publici juris factos exposuimus, quibus libelli etiam de animæ in corpore exi- *Scripta*
stentia & immortalitate, nec non homiliæ de filio prodigo, vernaculo idiomate *eius inè-*
editi accenseri possunt; non pauca etiam ἀνέκδοτα in hæredum manibus versari, *dita re-*
& nonnulla ita etiam comparata esse, ut, si hodiéque lucem aspicerent, non pœ- *censen-*
nitendum rei sacræ usum, lucémque dubiis fœnerari, adeóque utcunque docto- *tur.*
rum desideria satiare possint, jam supra dicere occupavimus. Nihil dicam de
Homiliis præstantissimis in S. Scripturæ libros nonnullos integros, puta V. T. *Homiliæ*
Hoseam, Ioelē, Amosum, Habacucum, Haggeū, Michęam, Malachiā, Abdiam, *ejus in*
nec non capita priora Danielis, & N. T. S. Matthæum, Marcum, Lucam, Episto- *variós*
las S. Pauli ad Galatas & Philippenses; quos libros omnes publicis concionibus *V. & N.*
explanavit. Nihil etiam de iis, quorum procedente hac narratione mentionem *T. libros.*
fecimus; puta libris de jejuniis, Christiano Redivivo, iisque etiam, quibus Chri- *Libri de*
stophori à Vallo, & ab eo solo nomine discreti Hutteri φλυαρολογήματα disertè *jejuniis,*
admodum efficacitérque diluit & discussit. Nihil denique de quibusdam, quo- *Christiano*
rum prima tantùm lineamenta consignaverat, quo in censu sunt fragmenta non *Redivi-*
pauca de cerimoniis Ecclesiæ singulis seculis receptis: de authoritate Patrum; *vus.*
de S. Baptismo: de ordinibus ecclesiasticis: de primatu Papæ: de Cœlibatu sacer- *Refutatio Chri-*
dotum. Præstò præterea sunt ξύμμικτα & collectanea non pœnitenda, veluti *An-* *stoph. à*
tigratianus, quo canonum plurimorum juri canonico insertorum diligens & ac- *Vallo, &*
curata crisis continetur: *Vitæ Pontificum Romanorum*, quæ conjunctæ in primis cum *Hutteri.*
iis, quæ de eodem argumento ὁ πάνυ Bullingerus magno judicio, fide & cura *Fragmenta.*
conscripta posteris reliquit, Romanorum Pontificum historiam mirificè illu- *Antigratianus.*
strarent: denique tractatus *de funeribus, sepulturis & exequiis Iudæorum, Gentilium &* *Vitæ Pontificum Rom.*
Muhammedanorum, ubi non pauca etiam de funeribus Christianorum integro *De funeribus &*
tractatui materiam suppeditatura, comparent. Scriptis iis omnibus, tum editis *sepulturis tractatus.*
tum ineditis, domi forísque nomen clarissimum & *Polyhistoris* potiore jure, *Celebritas no-*
quàm Solinus ille, elogium adeptus, abundè quòd omnem abstrusam & à vulgo *minis.*
remotam doctrinam in numerato haberet, fidem fecit. Neque certè arduum foret, de ejus virtute, eruditione eminente, meritísque consignatissima testimonia promere virorum doctissimorum in Germania, Gallia, Belgico, Anglia, Bohemia, Sarmatia, ad tertium usque cælum verissimis laudibus Hospinianum extollentium, nisi brevitatis studium cohiberet. Adeò verò laudum ista-

rum mangoniis corrumpi se passus non est, ut 14. Cal. April. An. 1601. ad Thomam Hollandum Anglum scribere hæc in verba non dubitaverit: *Mihi affirmanti credas velim, me in lucubrationibus in lucem à me editis mihi ipsi satisfecisse nunquam; ac proinde siquis fructus ad Ecclesiam inde rediit, id soli benedictioni Divinæ tribuo.*

Ejus modestia.

De aliis magnificè, de se infra modum humiliter sentiens, habitu etiam externo antiqui moris usus, peregrinis ad ipsum invisentibus, Anglis cum primis hospitibus, fama nominis ad videndum ipsum excitis, & inanium in illo speciem desiderantibus, admirationi quandoque fuit. Multum etiam ad comparandam illam gloriam meritorum contulit, quòd insigni tranquillitate vitæ, negotiis à vocatione ejus alienis non permixtus, & extra vitæ politicæ theatrum positus, velut ἀπ᾽ αἰγίλου curas illas & secreta, quibus venandis homines malè curiosi invigilant, despectans, quieta cum industria hoc egit: quódque tanto etiam animo par robur corporis, oris, vultus & genarum rubentium dignitate & venustate singulari præditum competiit, cujus etiam valetudinem temperantia, & divisis curarum remissionúmque temporibus, (noctem enim non lucubrationibus immodicis, sed quiete idonea traducere solitus est, ut diei partibus cumprimis seriis occupandis vigor magis constaret) sustinere curæ unicè habuit. Metuendus cumprimis Pontificiis veritatis orthodoxæ assertor habitus est, de quo audire lubet Ecclesiæ quondam nostræ Antistitem gravissimum, Ioh. Iacobum Breitingerum, oratione diserta admodum de Ecclesiarum antiquissimarum & Reformatorum nostrorum sensu atque consensu habita sic inter alia loquentem: *Cùm in Frisiæ Occidentalis Academia Sibrandum Lubbertum insignem Theologum audirem adolescens, essémque aliquando Conradi Kochii, nunc Ecclesiæ Schaphusianæ Antistitis vigilantissimi, ipsum convenientis comes, adesset etiam Iohannes Dysius Antverpianus, vir eruditione clarus, magnos illos viros ab affectu liberos, liberalissimè profiteri memini, erudito hoc seculo Pontificiorum errores impugnari egregiè à multis; sed qui eorum feliciùs obturet ora, præter Hospinianum Tigurinum esse neminem.* Hæc scilicet laudabilis illa, & heroë dignissima vindicta est, qua is ζέων τῷ πνεύματι totus spiritu Divino exardescens, vindicem se gessit sanguinis majorum, sine justa causa profusi ab illis, qui Papæ Romano, ejúsque erroribus sacramento dixerant: nescientes tamen ipsi, superstitione miserè fascinati, quid facerent. Hac etiam demum ratione ipse avus nostri, unà cum ejus patruo, intrepidus Dei Martyr, ceu alter Samson, non tantùm suapte constantia, sed in nepote etiam hoc fortissimo, Pontificiorum columnas Monachos, Iesuitas, Missam, Deum illum Maozim validissimo nisu discutiente, & ultioni ac gloriæ mactante, neutiquam inglorius & inultus occubuisse noscitur. Sic per omnem vitam Deo pietatem minimè fucatam: Superioribus, quos enixissimè coluit, & pro ratione gravis officiis salutarib. etiam ex Dei verbo consiliis monitísque ad pietatem, justitiam, charitatem patriæ, & in contrahendis cum exteris amicitiis piam circumspectionem, non tam morositate virulentiáque verborum quàm moderatione pia animi & argumētorum ponderibus, prudenter admodū inflexit: Ecclesiæ fidē intemeratam, industriam, vigilantiam luculentissimè probavit. Neq; etiam scholæ, ecclesiæ officiis longo tempore mancipatus licet, defuit. Præterquam enim quòd in juventute informanda novēdecim annos desudavit, ad altiora jam promotus bis, semel A. 1590. & 1591. atq; iterum An. 1598. 1599. & 1600. Scholarchæ munere functus, scholam fidelissimè, severitatē gravitatémq; censoriam jucūditate & humanitate temperās, rexit. Cúmq; scholastici regiminis duæ sint partes, institutio & disciplina: illa doctrinā pariat, hæc mores componat: utramq; prudentia & industria dirigat & perficiat; utriusq; summā accuratámq; rationē habuit, ut nec institutis deficeret,

Tranquillitatis vitæ amans fuit.

Corporis habitus & valetudo.

Papatū felicissimè omnium oppugnavit.

Vindex est strenuus sanguinis majorum.

Pietas erga Deum. Obsequiū erga superiores.

Fides erga ecclesiam. Cura Scholæ.

Bi Scholarcham gessit.

nec

nec diſciplina luxaretur. Deniq; ſic vixit, ſic ſe geſſit,ut tritæ Veterum ſententiæ, quòd ἀνὴρ ἀγαθὸς κοινὸν ἀγαθὸν *bonus vir commune bonum ſit*, vel ſolus fidẽ fecerit. Sicut *Commune bonũ fuit.* enim aſtra non unam tantùm regionem illuminant, ſed univerſum mundum radiis ſuis illuſtrant: ita *Hoſpinianus* non paucis tantùm profuit, ſed quoquoverſum meritorum ſuorũ radios ſparſit atq; diffudit,ut plurimis virtute illorum uti licuerit,hodiéq; liceat. Tandẽ verò vitæ laborúmq; ſatietas & mortis maturitatẽ attulit. *Hiſtoria obitus.* Quæ ipſa tamen non ſubitò,ſed lento gradu procedens ſacrum hocce caput in Libitinæ cenſum rapuit. Eſt quidem χαλεπὸν γῆρας, & ſenectus ipſa morbus. Aſt in- *M.DC.XXIII.* ſuper ſtudiorum aſſiduitate graveſcere ejus valetudo,& corporis, animi verò cumprimis vires hebeſcere cœperunt. Anno quippe M. DC. XXIII. ſeptuageſimum ſextum ingreſſus ætatis annum,ἀῤῥωστία τῆς διανοίας,morbo ſenibus adeò familiari,ut *Senex bis puer evadit.* in proverbium abierit,*bis pueri ſenes*;laborans,in pueritiã revolutus,&ad obeundas muneris ſui partes,converſationémq; ſolitam prorſus inhabilis redditus eſt. Laborantem nihilominus diu ſatis eo morbo, judiciíq; inopia,pro munere publico,ne *Laborãti eo morbo curæ obversantur.* quid detrimenti illud patiatur,curæ frequenter diſtrinxerunt. Quoties enim ſigno dato ad audiendas conciones cõfluere cœtum obſervâſſet, turbari cœpit,quiritabundus ſc. tempus adeſſe habendæ concioni,concionatorẽ verò deſiderari. Poſtquam verò piam illi fraudẽ domeſticorũ quiſpiã feciſſet,toga induta & aſſumptis libris, ſimulans ſe ad ſacra obeunda pergere,ultro acquievit. Subinde etiam ſe ad colloquiũ celebre Theologicum invitatũ,ſibiq; illud ſine mora adeũdum pertendit;neq; ſedari poterat priùs,quàm comptè veſtitus, & ad iter longinquum conficiendum paratus,ad ędium ſcalas uſq; comite aſſumpto progrederetur,tum enim fatigatus & nondum domo egreſſus properè rediit,& ſe inſtituto bellè defunctum credidit. Tot ſc. annorum curæ aſſiduæ, gravéſque occupationes animo ejus altè defixæ hęrebant,atq;nunc cõfuſo judicio, perturbatáq; ratione,ſeſe inconditæ ingerebãt. Duravítq; hęc animi invaletudo tres annos integros. Ad extremum verò ita corporis vires langueſcere cœperunt,ut appareret, diem ſupremum proximè abeſſe,quem diẽ XI. Martii A. M. DC. XXVI. agens annum ętatis ſeptuageſimum *M.DC.XXVI.* nonum ita explevit,ut nullo vel minimi doloris edito indicio,inter aſtantiũ cha- *Placidè obdormit* ritatum cõplexus,ſuſpiria & vota calidiſſima piè in Domino Soſpitatore ſuo obdormiverit,virámque adeò pulcherrimè & glorioſiſſimè actam morte placida & beata concluſerit. Biduo poſt corporis ejus exuviæ funebri ritu apud nos recepto, magna frequentia omnis ordinis hominũ,ſupremos hoſce honores defuncto certatim perſolventiũ, terræ cõmuni matri mandatæ ſunt. Vivit ille glorioſus *hoſpes*, cœli receptus ſinubus,& à certamine gravi cũ *originib.* & *incremẽtis* teterrimorum, *Epinicion.* quibuſcum ſpiritualis miles ſtrenuè confligtabatur, *errorum* liberatus,ſe fruitione æternæ & incõmutabilis veritatis, ſummíq; boni, ſuaviſſimè oblectat,fideliúmq; adeò laborum, quos pro Domini ſui gloria in exercita hac mortalitate ſuſtinuit, certiſſimũ brabeum deportat. Noſtrarũ verò partiũ eſſe meminerimus,tum ut lau- *Epilogus* dem omnẽ inſignis hujus glorię Divinę organi ad Deũ,omnis boni inexhauſtum fontẽ,unicè colendũ referamus:tũ ut gratias immortales eidẽ perſolvamus, quòd donorũ ſalutariũ viri illius uſum eccleſiæ cõceſſerit,& adhuc dum concedat:tum deniq;ut Deũ Patrem Agonotheten,Epiſtaten I.Ch.& Xyſtarchen Spir.S. ſupplici & prece & poplite oremus,ut gratioſè is nobis cõcedat,quò ad exemplũ fidelis hujus ſervi,officiũ quiſq; dũ vires ſuppetunt,faciamus gnaviter,& ſpiritualis æmulationis ardore provecti,tanquã in Dei & unctorũ ejus conſpectu,militiã egregiam militemus,curſum abſolvamus,fidem ſervemus,donec tandẽ mortalitate expleta, maturi gloriæ,cœleſtem illã metam,ad quã nobis omni ſtudio unicéq; decurrendum,attingemus, comprehendemúſq; per Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum, cui ſoli honor & gloria debetur in ſecula ſeculorum. *Amen.*

IN VIRI CLARISSIMI

D. RODOLPHI HOSPINIANI

τῦ Μακαρίτυ

THEOLOGI, ET POLYHISTORIS CELEBERRIMI

Opera denuò recusa.

Qui toti quondam scriptis illuxerat Orbi,
Nunc rursum in scriptis Hospinianus adest!
Illa diu in segnes conjecta fuêre latebras,
Qui daret exemplar nullus in Orbe fuit.
Causa est: tantorum semper monumenta laborum
In pretio summis summa fuêre Viris.
Nunc iterum è mediis sunt illa extracta tenebris,
Chalcographo solitis commemorante typis.
Hos oculo percurre libros, cupidissime Lector,
Si veræ fueris Relligionis amans.
Romuleæ retegens Autor deliria Sectæ
Narrat, quos soleat nectere fraude dolos.
Romula gens fingit quæ vix veneranda Vetustas
Christiados primæ credidit esse suum.
Cumq; Autor primâ prodens ab origine falsum
Fallaces Romæ detegat esse fucos,
Succubat exutus titulis fallacibus error,
Et verum specie jam meliore nitet.
Cur verò tantâ zeli divinitus aurâ
Afflatus, rogitas, Hospinianus erat?
Martyribus sanctis ortus super æthera mentem
Sustulit, & Christi tactus amore fuit.
Martyres in Cœlo fulgent; tamen ardua sæpe
Gloria Martyrij in Posteritate viget!
O quot adhuc vivunt, queis hic celeberrimus Autor
De zeli, & vultûs lumine notus erat!
Verba ejus fuerant etiam flagrantia, postquam
Abbatissanâ Pastor in Æde fuit.
Hinc meritò dicam: scripta hæc doctissima certè
Materies doctæ Posteritatis erunt!
De tanto si plura velis, placidissime Lector,
Scire viro, exactâ jam ratione potes.
Nam nova nunc hujus prodit Descriptio vitæ,
Hanc Te ne pigeat volvere sæpe manû:
Si lectu dignatus eris, mirabere mecum,
Quàm mirè soleat ducere Iova suos!

Tiguri, die 2. Februarii.
Anno τῆς χειροτονίας
M.DC.LXXXI.

JOHANNES HULDRICUS.
Ecclesiæ Tigurinæ in Æde
Abbatissanâ. Pastor, ab
Hospiniano quartus.

RODOLPHVS

HOSPINIANVS

DE

TEMPLIS

ET REBVS AD EA SPECTANTIBVS.

Digitized by Google

RODOLPHI HOSPINIANI DE TEMPLIS

HOC EST,

DE ORIGINE, PROGRESSV, VSV ET ABVSV
Templorum & Rerum ad Templa pertinentium.

LIBRI QVINQVE.

I. De Locis Sacris *Patriarcharum*, Tabernacvlo, Templo & Synagogis *Iudæorum*; Lvcis & Templis *Gentilium*; & Templis *Christianorum*.

II. De iis quæ Templis continentur; Choro, Cryptis, Cathedra, Baptisterio, Ciboriis, Altaribvs, Reliqviis, Imaginibvs, Crvce, Lvcernis, Organis, Anathematis, Aqva *Lustrali*, Campanis, Crvcibvs *in Turribus*, Processionibvs, Invocatione *Sanctorum*, & Peregrinationibvs.

III. De iis quæ *extra* Templa; Cœmeteriis, Sacellis, Ossariis, Ædibvs *Sacerdotalibus*, Carceribvs *Episcopal.* Scholis, Bibliothecis, *Arte* Typographica.

IV. De Consecrationibvs Templorum, Altarium, Crucis, Imaginum, Calicis, Cerei, Frugum, Primitiarum, Aquæ *Lustralis*, Campanarum, Cœmeteriorum.

V. De Bonis *Ecclesiasticis*, Donatione *Constantini*, Decimis, Oblationibvs, Ivre *Patronatus*, Incorporationibvs.

Editio Nova, *variis* Autoris Observationibvs, *hactenus ineditis*; *Ejusdemq;* Oratione *de* Ceremoniis, *locupletata*. *Cum* Indicibvs *necessariis*.

Cyprianvs. Si ad Divinæ Traditionis caput & originem revertamur, cessabit Error humanus.



GENEVÆ,

Sumptibus Ioannis Antonii & Samuëlis De Tournes.

M. DC. LXXII.

SERENISSIMO ET GENEROSISSIMO

PRINCIPI *ac* DOMINO

D^no^ FRIDERICO V, COMITI PALATINO

Ad Rhenum, Bavariæ DVCI, *ac Illustrissimi & Potentissimi Principis ac Domini*, D^n.^ FRIDERICI IV, Comitis Palatini, *Romani Imperij Archidapiferi &* Electoris FILIO Hæredi & Successori, *Domino suo Clementissimo.*

VERISSIME à S. PETRO Apostolo scriptum esse, Illustrissime, Serenissimeque Princeps, Satanam instar rugientis leonis obambulare, & indesinenter quærere quem devoret, plurimis exemplis jam inde ab exordio Mundi ad hunc usque diem probari posset: sed vnicum CHRISTI exemplum vice omnium sit. Si enim Satanæ tanta audacia & confidentia fuit, vt æternum DEI FILIVM aggredi & tentare non sit veritus, quò eum perderet & Electorum liberationem impediret, quid obsecro Clementissime Princeps miseris Mortalibus ab eo exspectandum erit, qui propriis cupiditatibus pravis abrepti ad omne malum subinde feruntur; & de quibus Paulus testatur, quòd ex seipsis ne quidem ad cogitandum quicquam boni idonei sint? Cum primis autem Regnum Dei perpetuò non solùm cuniculis, sed etiam apertâ vi oppugnat, idque labefactare & prorsus evertere conatur: filios etiam suos exitio devotos, & quos Deus justo suo iudicio in reprobum sensum tradidit, subinde in filios Dei concitat & armat. Est hoc quoque ingenium Satanæ, vt quo propitiùs Regnum Dei accedere, & liberationem fidelium appropinquare videt, hoc vehementius furiat, & summa imis miscere conetur: ob quam causam etiam postremi quique conatus ejus prioribus graviores atque atrociores sunt. Qui enim in Ægypto contentus erat ab initio populum Dei libertate spoliavisse, vbi tempus promissæ liberationis appropinquare vidit, novâ rabie & irâ Pharaonis animum accendit, vt jam non in viros modò, sed in recens natos infantes sæviret etiam, & jam nascituris crudeles insidias strueret, adhæc laboribus non ferendis populum gravaret. Quo astu effecit quoque, Mosis & Aaronis odium, non solùm Rex, sed etiam Aulici, & plerique alij conciperent, quò eos de libertate loquentes nollent amplius

¶ 3 audire.

audire. Similiter quum Babylonici excidij initia ſub Nabuchodonoſore & Evilmerodacho Regibus lęta ac felicia fuiſſent, ſub illius tamen finem Balthazari extremæ impietatis & furoris auctor fuit; quo Religionem & veri Dei cultum verum omnino abolere conatus eſt, cujus inſtaurationem præ foribus eſſe animadvertebat. Multos quoque decepit tunc Satan novis periculis & motibus, quos in Iudæa excitabat, vt in Babylone potiùs inter idololatras manere, quàm libertatis beneficio frui vellent. Quum etiam tempus illud fatale adeſſe intelligeret, quo promiſſus Meſſias & Salvator humani generis in Mundum venire debuit, tum verò immaniſſimè & crudeliſſimè ſævire & tumultuari cœpit. Civilibus enim Romanorum bellis, per Iulium Cęſarem & C. Pompeium excitatis, totum orbem turbavit: & paulò antè Pompeium in Iudęam adduxit, qui vrbe Hieroſolymitanâ captâ, Sanctum Sanctorum quoque ingreſſus, in quod tamen nulli, niſi ſummo Pontifici, & quidem ſemel duntaxat quotannis ingredi licebat, illud non ſolùm prophanis & barbaris oculis, ſed etiam cruentis manibus polluit, atque inſuper ſacrilego auſu ſpoliavit: Iudæorum quoque gentem libertate ſpoliatam Romanorum tyrannidi ſubjecit. Sequuta ſunt mox graviora, quando Auguſtus & Antonius infelici huic genti Herodem Regem dederunt, qui & omnem regiam & ſacerdotalem proſapiam trucidavit ac delevit, Seniorum ſenatum abolevit, Sacerdotium verò ad homines obſcuros & improbos tranſtulit. Idem jam nato Chriſto crudeles inſidias ſtruxit, eaque occaſione infantes Bethleemitici novo & inaudito crudelitatis exemplo cæſi ſunt. Poſtea Chriſto docenti, & miraculis divinam ſuam potentiam ac virtutem declaranti, per Pontifices, Sacerdotes, Scribas, Seniores, Phariſęos, Herodem, ac innumeros alios magno conatu ſeſe oppoſuit Satan. Et quamvis per mortem ac reſurrectionem Chriſti lethale vulnus ſibi inflictum eſſe ſentiret, tamen ejus quoque meritum, vnà cum illius reſurrectione, partim apertis mendaciis & calumniis, partim falsâ doctrinâ apud omnes in dubium vocare conatus eſt. At vbi poſt Chriſti Aſcenſionem Apoſtoli Evangelium inter Iudęos & Gentes prædicaverunt, tunc novas, & quidem maximas turbas dedit, excitatis paſſim per Iudæos non ſolùm perſequutionibus, ſed etiam ſeditionibus publicis, vt eorum doctrinam & prędicationem Romanis, tunc rerum Dominis, inviſam & exoſam redderet. Neque ipſum ſpes ſua fefellit. Exſtant enim in Eccleſiaſtica hiſtoria immaniſſima crudelitatis plus quàm belluinę exempla, quę in toto Romano Imperio per annos plus minus trecentos ędita fuerunt, quum fides Chriſtiana per totum terrarum orbem longè lateq; propagaretur, & Satan, ceſſantibus vbiq; Oraculis, & corruente indies Idolorum cultu ac veneratione, ſibi de poſſeſſione ſua cedendum eſſe animadverteret. Quod autem jam olim truculentiſſimus iſte Regign & Eccleſię Chriſti hoſtis fecit, id majores quoque noſtri ab annis 80. magno cum ſuo damno ac detrimento experti ſunt, quando potentiſſimos Imperatores, Reges & Principes adverſus renaſcentem vbiq; terrarum Evangelij doctrinam excitavit, & regna paſſim omnia bellis civilibus, ſeditionibus, parricidijs, alijſque horrendis motibus turbavit. Quid in Germaniâ noſtrâ præſtiterit, ut ſalutaris doctrinæ quam in ea Deus publicari voluit per Præcones Cœleſtes, curſum impediret, & Candelabrum Aureum ex eâ auferret penitus; Quid poſtmodum in Galliâ, ubi Deus Verbi ſui lumine plurimos colluſtravit, Eccleſiaſque ſuſcitavit non exiguo numero, pauci ſunt qui ignorent. Quid adverſus noſtrates Eccleſias Evangelium profitentes idem ille perpetuus piorum hoſtis ſit machinatus, propiùs etiam noſtris cognitum: Et toti Europæ innotuit quid nuper in Vrbem nobis

vicinam

vicinam & Fœderatam, Evangelicæ Luci, in ea ſplendenti, odio ſit molitus, quæ concilia, quas technas, in opus πανολεθρίαν contulit, quamquam initio quod Dei Providentiam conatu. Antichriſtus quoque Romanus, homo ille peccati & filius perditionis, in Templo Dei ſedens, & nil niſi ſanguinem & cædem fidelium ſpirans, quum primùm, poſt diuturnos & craſſos errores Papiſticos, ac tenebras plus quàm Cimmerias, lucem cœleſtem ingenti Dei bonitate, Mundo illuceſcere, tempuſque illud adeſſe intellexit, quo Filius Dei Spiritu oris ſui ipſum confecturus ſit: ſimulque vidit, Clericorum & Monachorum quantùvis præpingues & craſſos ventres, non poſſe labaſcentem Romanam Eccleſiam fulcire & ſuſtentare amplius, vt afflictis rebus ſuis ſuccurreret novum fœtum parturire cœpit, eumque circa annos Domini 1540. in lucem edidit, Capucinos dico, inprimiſque Ieſuitas, qui erroribus & abuſibus, ex verbo Dei toti jam Mundo detectis, plauſibilem aliquam ſaltem ſpeciem orationis lenocinio induerent, nervos Pontificios conſervarent, & tanquam propugnatores ac Patroni regni Papiſtici in omnem terram ſubmitterentur. Et certè Ieſuitas, tanquam obſequentiſſimos filios, non puduit hactenus, ſeculorum aliquot veternoſos, turpiſſimos ac perniocioſiſſimos, luce meridianâ manifeſtiores errores, claritate doctrinæ cœleſtis in hac poſtrema Mundi ætate Dei beneficio detectos, palliare, tegere, verborum lenociniis involuere, rhetoriciſque coloribus pingere, maximè autem auguſtiſſimo Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ titulo & prætextu ornare: adeoque nihil eſt tam craſſum tam putidum, tam impurum, tam inſulſum, tam impium, tam fabuloſum & falſum in Pontificia lacuna aut cloaca, quod novis iſtis hominibus non benè oleat. Ieſuitæ etiam terras mariaque peragrantes & Bibliothecas omnes perluſtrantes, Patrum & Hiſtoricorum tum veterum, tū recentiorum ſcripta ipſis repugnantia, interpolare, voces, ſententias, quin integras paginas addere, aſſuere, detrahere, mutare, mutilare, nefarieque pro arbitratu & libidine ſua corrumpere audent, quod ipſi honeſto, ſi Diis placet, titulo ſeu nomine, Libros repugnare vocant. Hoc juris verò nullus vnquam bonus ſibi ſumſit: tentàrunt autem id ſæpè Arriani, aliique impudentiſſimi audaciſſimique hæretici, quò facilius portentoſa ſua dogmata & horrendas blaſphemias adverſus Orthodoxos tueri ac quoque modo propugnare poſſent. Adhæc in omnibus Regnis, & provinciis parricidia, proditiones, incendia, cædes, ſeditiones, & bella non ſolùm contra Orthodoxos; ſed etiam Pontificiæ religionis Principes, Academias, privatoſque homines Hiſpanicam Inquiſitionem & Ligam repudiantes, movent ac ſuſcitant, atteſtante hoc etiam totâ Pariſienſi Vniverſitate in Cenſura de Ieſuitarum ſecta, ſic enim appellat, ad Parlamentum ejuſdem vrbis.

Hęc paulò Pluribus commemorare volui, Generoſiſſime Princeps, vt Chriſtiani ac Orthodoxi Principes & Magiſtratus, Eccleſiarum item Paſtores, & Theologi, quid ſibi faciundum ſit, hinc intelligant. Quò magis enim Leo ille infernalis, Satan, rugit & frendet, Antichriſtus fremit ac furit, Ieſuitæ tumultuantur & inſaniunt his noſtris poſtremis temporibus, hoc Principes & Magiſtratus Evangelicos & Orthodoxos magis anniti decet, vt vera religio & doctrina æterni Filii Dei puraputa conſervetur, defendatur & magis magiſque per orbem terrarum propagetur. Hoc enim piorum Principum & Magiſtratuum Officium præcipuum eſſe non ſolùm ſacræ literæ teſtantur, inprimiſque Iſaias Propheta, qui eos Nutritios Eccleſiæ Dei vocat, ſed etiam Homerus,

qui eos Ποιμένας λαῶν appellat. Accedit huic, quòd id demùm Regnum, eaque Respublica stabilis est, optimis auspicijs administratur, rebus prosperis vtitur, Deoque chara & accepta est, in qua Reges, Principes, Magistratus & ipsorum subditi verum Dei cultum instituunt, retinent, exercent & tuentur: in qua & verbum Dei pro vnica vitæ, religionis & actionum omnium regula habetur & observatur: à qua denique superstitiosi cultus, è quibus omnis generis peccata & scelera profluunt, exterminantur. Contrà verò id Regnum eaque Respublica misera & infelix sit oportet, in qua Dei cultus aut negligetur prorsus, aut toleratur & exercetur idololatricus & superstitiosus, ac præter Dei verbũ in Ecclesiam importatus. Hujus probè memores primi Imperatores Christiani Constantinus M. Theodosius, Gratianus, Valentinianus, &c. tam profligandis deastris Ethnicis, aliisque peregrinis & idololatricis cultibus, & coërcendis reprimendisque falsis doctoribus, quàm provehendæ Dei gloriæ, & instaurandæ orthodoxæ verǽque religioni graviter operam dederunt. Ac vt de reliquis omnibus taceam, vterque Celsitudinis T. proavus, Paternus, Fridericus III. Pius, Elector Palatinus: Maternus etiam Philippus Landgravius Hassiæ: ac Patruus magnus Ioannes Casimirus Comes Palatinus, sanctissimæ memoriæ Principes, maximo cum vitæ & fortunarum suarum omnium periculo orthodoxo religionis & Evangelicæ veritatis patrocinium fortiter susceperunt, & nunc propterea in cœlis cum Electis æternâ beatitudine fruuntur, teque nominis sui memoriâ ad eundem zelum, similesque virtutes excitant: præsertim quum in vivis adhuc habeas domesticum exemplum Illustrissimi Potentissimique Principis Friderici IV. Electoris Palatini, ac Celsitudinis T. Parentis, qui in promovenda gloria Dei ac defendenda vera religione, nullis vel sumptibus vel laboribus parcit.

Similiter quoque omnes reformatarum Ecclesiarum Pastores, Doctores ac Ministros omni suo studio, curâ, labore & solicitudine anniti decet, vt non tantùm purumputum verbum Dei fideliter Ecclesiis sibi concreditis annuntient, sed etiam omnis generis errores ac hæreses confutent, inprimisq; Iesuitarum fraudes, imposturas, dolos detegant, & sophismata eorum refellant. Sic enim graviter eos quoque adhortatur Paulus ad Titum 1. Oportet, inquit, vaniloquis & mentium seductoribus obturare os, & redarguere severiter. Neque enim satis est simpliciter docere veram religionem, nisi eandem quoque constanter vrgeant, defendant & conservent Ecclesiarum Episcopi. Huc maximè pertinent ejusdem Pauli verba 2. Tim. 4. Obtestor te coram Deo & Domino Iesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos in apparitione sua & regno suo. Prædica sermonem, insta tempestivè & intempestivè: argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina. Nam erit tempus quũ sanam doctrinam non sustinebunt, sed juxta concupiscentias suas coacervabunt sibi doctores ii quibus pruriunt aures, & à veritate quidem aures avertent, ad fabulas verò convertentur. At tu vigilia in omnibus, &c. Et navant quidem Theologi in Gallia, Anglia, Scotia, Belgio, Palatinatu, Helvetia, aliisque Regnis & provinciis Ecclesiæ Christi fidelem operam, docendo ac erudiendo populum, arguendo peccata & scelera vndique grassantia, oppugnando Iesuitas & sophismata eorum refutando. Hos inter ego mimimus, & tanquam anser inter Olores, quod Dei gratiâ potui, hucusque præstiti. Collegi enim ab aliquot jam annis Opus, in quo exprobatis, & quidem Pontificiorum historiis quoq; veram Originem & progressum Papatûs demonstro, ita quidem, & quivis intelligere

queat,

queat, in vera primitiva Ecclesia nulla omninò ejus, vel saltem perquàm exigua vestigia exstitisse, & si quàm longissimè retrospiciamus, circa Gregorij M. tempora primò ejus quasi semina sparsa, quæ mox radices agere & paulatim succrescere cœperint, donec tandem in immensum excreverint, & agrum Dominicum longè lateque occupârint. Hujus Operis partes Sex jam sunt editæ: Primam, De Origine & progressu, vsu & abusu Templorum, ac rerum omniũ ad Templa pertinentium quinq; libris comprehensam, sub felicibus auspicijs Illustrissimi Principis FRIDERICI IV. Electoris Palatini Celsitudinis T. Parentis in lucem prodire volui. Sed quia primæ Editionis exemplaria omnia quæ Tiguri excusa fuerunt, distracta sunt atque divendita, ut nulla amplius in bibliopolis vænalia reperiantur, & plura passim à multis requirantur, adeoque non ingratas esse meas lucubrationes Reipublicæ literariæ intelligam, idcirc ò typis preloque rursus subjiciendam ac denuò imprimendam hanc primam partem tradidi. Eam verò sic emendatam, auctam & locupletatam, cùm integris multis capitibus, tum Responsionibus ab Roberti Bellarmini Iesuitę, Cęsaris Baronij Cardinalium & Sociorum eorum sophismata & argumenta, quibus idololatriam Romanam defendere conantur, vt pro nova meritò haberi possit: sub Serenissimo T. nomine, Friderice Princeps Generosissime, in lucem exire patere. Quia enim Electoralis Palatinatûs Hæres es dignissimus, ideò Celsitudinem T. hujus Secundæ editionis hæredem quoque esse volui, quod Illustrissimo Parenti T. Friderico Electori, cui prima, vt diximus, Editio dedicata & consecrata erat, non ingratum fore confido, quum ille Celsitudinem T. ardenter ac meritò, ob singulares & eximias virtutes, quę in Celsitudinis T. primis juventutis annis elucent, diligat. Deinde Palatinæ familiæ multa in totam Helveticorum gentem beneficia & præclara merita exstant: inprimis autem jam olim, vt adhuc hodiè inter Palatinos Principes & Tigurinam Rempublicam summa animorum conjunctio fuit: ideoque me simul & boni civis & grati hominis officium facere puto, si Palatinam domum vnicè colo & observo, meumque amorem & observantiam hoc rursus chartaceo munusculo declaro. Tuam Celsitudinem autem humiliter rogo, vt hanc animorum conjunctionem inter Vestram familiam & Tigurinos, fovere & alere, ac in ea constanter perseverare quoque: & hanc libri hujus dedicationem, erga Celsitudinem T. summæ meæ observantiæ signum, benigno vultu à me accipere dignetur. Deum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, à quo solo omne bonum proficiscitur, supplex oro rogoque, vt Celsitudinem T. cum Illustrissimo Parente Electore, & tota denique domo Palatina, quàm diutissimè ad nominis sui gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem servet & tueatur, ac in Vobis omnibus dona sua magis magisque augeat: AMEN. Tiguri Helvetiorum urbe primariâ Calend. Augusti, Anno nati in carne Filij Dei 1603.

CLEMENTIÆ T.

Observantissimus

Rodolphus HOSPINIANVS Tigurinus.

ILLVSTRISSIMO, &

Generosissimo PRINCIPI *ac* DOMINO, D.

FRIDERICO, COMITI

PALATINO-ad-Rhenum, Bavariæ DVCI, *ac* Illustrissimi Principis LVDOVICI Sacri Romani Imperii Archidapiferi & Electoris, beatæ *memoriæ*, FILIO & HÆREDI, Domino suo Clementissimo.

QVEMADMODVM *Dei Opt. Max. Creatoris illius cæli ac terræ natura simplicissima purissimaque est, Illustrissime Generosissimeque Princeps, ita quoque cultûs sui modum seu rationem simplicem quidem, sed tamen numeris omnibus absolutissimam ac perfectissimam præscripsit, & viam salutis unicam facilemque jam inde ab exordio rerum monstrauit hominibus. Primis enim Parentibus nostris in Paradiso denunciatis inobedientiæ suæ pœnis, mox filium suum Vnigenitum promisit, qui morte suâ homines à peccatorum pœna æternisque supplicijs liberaturus esset: hunc igitur expectare, in eum confidere; illique soli adhærere & vitæ integritate servire jussit, nullis ceremonijs aut externis ritibus principio annexis. Tradiderunt hanc salutis doctrinam, & hunc Dei perfectissimum cultum sedulò Patriarchæ ante Mosem liberis ac nepotibus suis, quibus cum diutissimè vixerunt, non in Templis aut similibus locis Religionis exercitio peculiariter destinatis, quùm ea Deus ab initio nullo expresso mandato requisiisset, , sed in domibus suis, quæ tum quidem nihil aliud quàm Scholæ & officinæ quædam veræ Religionis, pietatis, honestatis, morumque optimorum fuerunt: Hîc igitur pro se quoque Patriarcharum universam suam familiam, quas numerosissimas habuerunt, veram fidem in Deum, & in filium eius totius mundi redemptorem, fideique officia fideliter docui. Doctrinæ huic addiderunt Sacrificia: Abel enim è grege suo pecus obtulit in holocaustum Domino conditori omnium: ita & Seth, Noe, Sem, Abraham, Isaac & Iacob, omnes denique Patres sacrificâsse creduntur. Hæc etiam illorum sacrificia cum altaribus eâ ætate nulli certo loco affixa fuere, sed vbicunque data fuisset occasio, præcipuè tamen vbi Deus vel insignia edidisset miracula, vel significâsset se ibi aliquando res magnas gesturum, ibi Patres altaria erexerunt, & sacrificia obtulerunt, quibus & preces adjunxerunt, vt partim gratitudinem suam erga Deum hoc pacto testarentur, partim verò hostiam seu mortem filij* DEI, *quâ peccata totius mundi expiaturus erat, sibi in memoriam revocarent. Quia verò salutis promissio Adamo olim data, sequentibus seculis propter universalem totius humani generis corruptionem, & horribile judicij ac iræ Dei exemplum in Diluvio æditum, prorsus abolita videri potuisset, solenni ejus instauratione opus fuit. Ad eam verò rem ex peculiari gratia Deus Abrahamum ele-*

git,

git, quem inter Idololatras in Ur Chaldæorum agentem in terram Chanaam evocavit, & salutis fœdus cum eo ac semine eius in æternum instauravit. Ut verò in fœderibus non solum conditiones utrinque conscribi solent, sed etiam sigilla addi, quibus confirmentur: ita suum hoc fœdus instituto Circumcisionis sacramento in hominibus obsignari voluit, quo minus de ejus fide ac benevolentia dubitare possent. Etsi enim fidem & obedientiam pro suo jure à nobis exigere poterat, ea tamen est bonitate & Clementiâ Deus noster, ut licet in alto resideat, sicut David canit: & gloria ejus suprà cœlos exaltata sit, ad nostros tamen mores sese demittit, quo infirmitati nostræ succurrat. Atque hæc quidem Religionis veræ exercitia fuerunt, & hoc cultûs potissimùm genere ut simplicissimo, ita quoque sanctissimo purissimoque Deus in illa mundi ætate prima, quæ ab Adamo ad Mosem usque spatio nimirum 2455. annorum, juxta Funccianam supputationem, extenditur, ab hominibus coli voluit.

Postea tempora verò, quoad externos ritus longè magnificentior cultus per Mosem traditus est populo Dei, instituto Tabernaculo, Sacerdotio, varijs generibus Sacrificiorum, Ablutionum, Purificationum, Festorum, alysque infinitis propè operosisque Ceremonijs. Tandem etiam Templum illud magnificentissimum, totiusque orbis miraculum à Solomone exstructum, & auro argentoque mirandum in modum exornatum, in cineres autem redactum à Zorobabele reparatum instauratumque fuit. Quæ omnia non tam jubente, quàm permittente, seu indulgente & connivente Deo facta sunt: non quòd natura ejus immutata esset, & jam ipse tam magnifico apparatu ac splendidâ pompâ coli gauderet, hisque rebus infantum instar demulceretur, sed quòd ipsi nunc res esset cum duræ cervicis, præfracto, obstinato & ad Idololatriam, cui in Ægypto plus æquo assueverat, proclivi populo, quem hoc pacto ab Idolorum cultu avocare, & in vera Religione ac societate unius corporis Ecclesiastici retinere voluit. Putavit siquidem clementissimus Dominus Israëlitas suos nullam deinceps omninò habituros occasionem peregrinos cultus recipiendi, quos tam exquisitis instruxisset & quasi involuisset sacris. Unde & Conradus Pellicanus in explicatione præcepti Dei, de Ara non ex sectis, sed impolitis lapidibus exstruenda, quod Exodi 20. cap. exstat, Voluisse videtur, ait, Deus abesse sacris suis omnem splendorem artis & precij: idque esse quòd placeant illi, & quod absolutè prodesse posset fidelibus, cupientibus Deum in spiritu & veritate colere. Quod autem postea Mosi ostendit tabernaculum, arcæ & ararum preciosum, illustre, artificiosum & laboriosum ædificium & sanctuarium, id ipsum vel ex hoc loco videtur ostendisse, permissionem potius fuisse, quàm mandatum, & ad duræ cervicis populum & superstitiosum nimis continendum in officio: alioqui, ut patet, nimiùm propensum ad ritus gentilium, deosque eorum. Eâ tantum ratione condescendendo fragilitati ipsorum, quùm ara pulchra carere in sacris suis nollent, & sculptile habere non permitterentur, atque nondum fixum locum scirent vel consequerentur sub Mose ad cultum Dei: ideò ordinavit ista externa ad pejora cavenda, usque ad correctionis, de voluntate eorum, & ex ipsorum donarijs ad quæ erant promptissimi. Adhæc in his externis Ceremonijs & Ritibus quasi velata abscondebantur potissima Christi & Ecclesiæ mysteria, fueruntque sacramenta Iudaici populi, quibus Dominus hunc obstringere firmiter voluit, & in memoriam revocare beneficia sua, denique exerceri pietatem & obedientiam, adeoque fidem confœderatorum suorum. Circumcisio enim docebat eos, in peccatis conceptos & natos, & proinde naturâ pollutos, purgatione opus habere. Sacrificijs quotidianis, matutinis nimirum & vespertinis, peccatorum expiatio adumbrabatur: cumque eadem quotidie repeterentur, haud obscurè ad sacrificium quoddam perfectius remittebant, quod semel immolatum ad expianda peccata nostra sufficiens futurum esset. Eadem fuit festorum, thymiamatis & aliorum penè infinitorum ratio: quòd nimirum per se ad salutem nihil conferrent, illius verò mysteria adumbrarent, & in fidei contemplationem animos excitarent. Quò etiam factum est, ut hæ

¶¶ 2 Ceremoniæ,

Ceremoniæ, & cultus ille in universum quantumvis magnificentissimus per se non placeret Domino, quoties sensu mysteriorum destituerentur, fide in promissum Servatorem carerent, atque externum modò cultum exercerent. Nam Psalm. 40. David inquit, Sacrificium & oblationem noluisti: holocaustum & sacrificium pro peccato non postulâsti. Et Psalm.50. Non arguam te propter sacrificia tua, nec propter holocausta tua quæ coram me sunt semper. Item, Non delectaris sacrificio, nec holocaustum exigis, alioquin darem. Et apud Esa. cap. 1. inquit Dominus: Cùm veniretis vt conspiceremini coràm me, quis quæsivit hoc de manu vestra, vt conculcaretis atria mea? Ne addatis offerre sacrificium mendax: suffimentum abominatio est mihi: Calendas & sabbatum quòd convocetis convocationem, non possum ferre iniquitatem cum cœtu. Calendas vestras odio habuit anima mea, sunt mihi oneri, fatigatus sum sustinendo. Hierem. 6. ait: Vt quid mihi thus ex Saba affertis, & calamum suaveolentem de terra longinqua? Holocaustomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi. Rursum 7. cap. Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes: quia non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum & victimarum. In eandem sententiam etiam Hoseæ 4. dicit, Declinârunt, dum tantum student victimis: itaque ego castigabo universos. Et Amos 5. Odi & proieci festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum. Quod si obtuleritis holocaustomata mihi, & munera vestra, non suscipiam, & vota pinguium vestrorum non recipiam. Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam. Nunquid Hostias & Sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis? Ex adverso autem in lege & Prophetis subinde requirit & exigit veræ fidei obedientiam, quæ carnis affectus omnes mortificat, Deo nos hostiam viventem sistit, & Christi merito quæsitam peccatorum remissionem amplectitur, adhæc ad supremi numinis invocationem, ad vitæ innocentiam, & ad omnia reliqua pietatis officia nos excitat. Vnde Moses dicit, Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas eum, & incedas in cunctis vijs ejus, & servias Domino Deo tuo toto corde, tuo, & totâ animâ tuâ, vt scilicet custodias præcepta & statuta eius, quæ ego præcipio tibi hodie in bonum: Deuteron. 10. Et David ostendens qua in re verus Dei cultus situs sit, inquit: Sacrificate sacrificia justitiæ, & confidite in Iehova: Psalm.4. Item, Sacrificia Deo laudem, & redde altissimo vota tua. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me: Psalm. 50. & 51. Sacrificia Dei, ait, spiritus contritus. Apud Hoseam ipsemet Dominus ait, Misericordiam volo, non sacrificium: & cognitionem Dei plusquàm holocaustum. Et apud Ieremiam cùm disertis verbis indicasset, se in die, qua eduxisset Israelitas ex Ægypto nihil eis de holocaustomatis præcepisse, mox addit: Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut benè sit vobis. Micheas denique capite 6. inducens aliquos de vero Dei cultu interrogantes, quibus nimirum in rebus ille consistat, respondet: Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid à te requirat Dominus, nempe facere judicium, diligere misericordiam, & solicitum vel submissum ambulare coram Deo tuo, Hæc propterea pluribus commemoro, Clementissime Princeps, vt appareat, cultum illum Dei externum in veteri Testamento sumptuosissimum, & Ceremonias splendidissimas, non solùm umbras, figuras & typos Christi Domini ac Redemptoris nostri, sed etiam ex permissione veriùs quàm mandato Dei institutas fuisse, ad retinendum populum Israeliticum, ad Idololatriam & omnis generis superstitiones nimiùm procliuem, in officio: adeoque etiam ad salutem nihil contulisse, quam sacræ literæ in solius Christi merito monstrant nobis. Vnde & illud simul fieri manifestum puto, quod vel præcipuum in hac tota tractatione est, Ceremonias veteris Testamenti abrogatas, & in universum abolitas fuisse, cùm tempus illud perfectionis, quod Christus ad-

stus adventu suo attulit, & de quo Paulus ad Hebraeos loquitur advenisset. Nam umbris manentibus dubia fuisset lux, quam Servator in mundum importavit secum. Neque etiam Deus rem vult habere amplius cum infantibus, quales ante legem fuerunt, quos nudis promissis & crebris revelationibus quasi manu duxit: sed & nec cum juvenibus, quorum ferociae & protervitae post legem, institutis externis ritibus & ceremoniis magnificis, aliquid concedendum fuit: verùm per Christum filium suum cum nova Ecclesia, tanquam cum viris agere vult, quos puerilibus istis ritibus & ceremoniis ceu pupis occupatos esse nequaquam convenit. Quae tamen non ita à quoquam accipi velim, quasi cum externo illo cultu veteris populi verae fidei & pietatis officia simul abolita & sublata sint: permanent enim illa constantissimè in Ecclesia Christi, tantùm abrogata illa magnifica pompa operosarum Ceremoniarum, & rituum externorum omnium, jam in Dei cultu hoc unum quàm diligentissimè observandum, quod olim adumbratum fuit, & piiporrò non in obediendis typicis hisce sacris, sed in praestandis verae fidei & pietatis officiis occupari debent: quòd futurum Servator Samaritanae mulierculae praedixerat, inquiens: Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores patrem in spiritu & veritate adorabunt. Etenim pater tales quaerit qui adorent ipsum. Deus est spiritus, & eos qui adorant ipsum, in spiritu & veritate adorare oportet. Quo loco Adorationis nomine totum Dei cultum, deinceps in Ecclesia sua exercendum, complectitur; quem duobus capitibus constare dicit, Spiritu scilicet & veritate, ut hoc pacto Mosaicas Ceremonias omnes procul ab Ecclesia sua excludat, suumque cultum ab omnibus istis corporeis, externis & puerilibus ritibus ac crepundiis repurget. Ut vero inter suos quidam nervi etiam essent publicorum congressuum, in quibus in vera fide rectè erudirentur, simulque Christianis hominibus externis quibusdam signis remissio peccatorum & justitia coram Deo ceu sigillis obsignaretur, in legalium Ceremoniarum locum Christus paucissimas suae Ecclesiae servandas instituit, Baptismum nimirum & Coenam sacram: praeter has enim duas sacras actiones seu Ceremonias publicas nullas disertè ordinavit Dominus. Unde & D. August. epist. 118. ad Ianuarium inquit: Tenere oportet Dominum nostrum Christum sicut ipse in Evangelio loquitur leni jugo suo nos subdidisse & sarcinae leni. Ideò sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, & significatione praestantissimis societatem novi populi colligavit: sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, Communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in scripturis canonicis commendatur, exceptis his quae servitutem populi veteris pro congruentia cordis ipsorum & Prophetici temporis onerabant, quae & in quinque libris Mosis leguntur. Ut verò paucae numero, ita quoque simplices sunt, & sic omni prorsus splendore & pompâ ac magnificentiâ carent, ut etiam vilia & contemptibilia carni nostrae, & vix aliquid cum promissionum divinarum majestate commune habere videantur. In Baptismo enim oculi nostri nihil aliud quam vilis aquae aspersionem cernunt. In sacra Coena parva panis buccella, & vinum porrigitur hominibus. Sed haec sunt non absque singulari studio sic à Servatore constituta; qui cùm perversum carnis nostrae ingenium probè nosset; cavere hoc pacto voluit, ne externis inhaerendo interna salutis mysteria negligeremus, & signa pro rebus signatis acciperemus, quam miserrimam animarum servitutem Augustinus appellavit. Apostoli has à Christo institutas Ceremonias diligenter observarunt, nihil mutarunt, nullas ademerunt, neque etiam addiderunt, sed tanquam obedientes discipuli à Christo institutis simpliciter contenti fuerunt, nisi quòd Ordinationem per manuum impositionem ministrorum seu pastorum Ecclesiae prioribus adjecerunt. Ac licet primis aliquot annis Apostoli Ceremonialia quaedam Mosaica, ut res indifferentes, propter imbecilles, & nondum de abrogatione legis Mosaicae plene edoctos, observârint, ut patet ex Actor. 16. ubi Paulus Timotheum, quem volebat secum abducere ad Iudaeos, qui sciebant eum ex Graeco patre natum esse, circumcidit: idemque Apostolus 1. Corinth. 9 dicit, se Iudaeis factum esse quasi Iudaeum, ut Iudaeos lucrifaceret, & iis qui sub lege erant, quasi esset sub lege, ut eos lucri faceret, & iis qui sine lege fuerunt,

tanquam ipse quoque sine lege sit, cum tamen non sit sine lege Deo, sed obnoxius legi Christi, ut lucrifaceret eos qui sunt sine lege: Tamen cùm videret falsos fratres & obstinatos Iudæos, observationem legis, tanquam necessariam ad salutem postulare, nequaquam illis cesserunt, sed manifestè contra legem egerunt, ut doctrinam de abrogatione legis, & libertatem tuerentur. Unde Paulus cum Hierosolymis esset, unà cum Tito, non est compulsus eum circumcidere ob falsos fratres, qui sub introierant ad explorandam libertatem nostram, quam habemus in Christo, quo nos in servitutem adigerent: Galat. 2. Et eam ob causam Antiochiæ Petrum in gratiam falsorum fratrum Iudaizantem graviter reprehendit Paulus, Galat. 2. Idem 1. Cor. 10. legem de ciborum discrimine abrogat: Et Galat. 5. apertè docet, adeò esse abrogatam legem Mosis, ut si quis eâ opinione circumcidatur, aut aliâs observet legis Ceremonias quòd sint necessariæ ad salutem, non possit salvari. Ab hac verò primitivæ Ecclesiæ simplici quidem illa, sed tamen absolutissima perfectissimaque forma in vero Dei cultu, longissimè recesserunt posteræ ætates, & Ceremonias in Ecclesia ita prodigiosè accumularunt, ut non tantum Iudaismum revocatum, sed insuper quoque Ethnicismum introductum dicere jure optimo posset Clementia tua. Ac cœpit quidem radices agere hoc malum haud longè post Apostolorum tempora: mox autem tantos progressus fecit, ut D. August. in Epist. ad Ianuarium conquestus sit, Christianam Religionem ita traditionibus humanis, Ceremonijs ac ritibus onerari jam suo tempore, ut Iudæorum conditio tolerabilior fuerit sub lege, quàm Christianorum sub Gratia & Evangelio, ut qui legalibus tantum sarcinis, non etiam humanis traditionibus subjecti fuerint. Tolerari tamen utcunque potuisset, ni Gregorij M. temporibus, inprimisque post Caroli M. ætatem factum fuisset deterrimum, & crescentibus superstitionibus, erroribus & abusibus, ipsum quoque tandem in tam immensam arborem excrevisset, ut hortulo Dominico plurimum damni attulerit. Quæ cum ita sint, ut sunt certissimè, tamen vetustatem subinde crepant hodiè Pontificij, quippe quibus hoc curæ in primis semper est, ut suas leges, ritus, instituta, consuetudines, cultumque suum adeò totum, quoad eius fieri potest antiquitatis authoritate commendent reddantque augustiorem. Ex quo fit, ut non solùm à prisca vetustate sæpe authores accersant, quibus nihil unquam simile ne in mentem quidem venit, sed etiam ad veræ primitivæ Ecclesiæ, imò ad Christi & Apostolorum tempora usque sua omnia referant, quæ tamen ijs seculis prorsus incognita fuerunt. Hoc autem argumento in eum finem utuntur potissimum, ut hominibus persuadeant, veram esse hanc suam Religionem, nec temerè ab ea recedendum: sequendam enim esse vetustatem veterumque consuetudines, ac insistendum parentum nostrorum vestigijs, qui feliciter etiam suos secuti sint. Sed est hoc ineptissimum simul & insulsissimum, Symmachus urbis Romæ Præfectus, & gentilismi propugnator strenuus dicebat etiam, ut est videre apud Ambrosium lib. 5. epistolarum, Præstate oro vos, ut quæ pueri suscepimus, senes posteris relinquamus: servanda est tot seculis fides, sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos. Utamur obsecro ceremonijs avitis. Et Iudæi Idololatræ ad Ieremiam Prophetam aiebant: Sic fecimus nos, & patres nostri, reges nostri, & principes nostri, & saturati sumus panibus, & benè nobis erat. Quid autem adhæc Deus? In statutis, inquit, patrum vestrorum nolite ambulare. Ego Dominus Deus vester. Pharisæis objicientibus Christo, quare discipuli ejus transgrediantur traditionem majorum? respondetur à Domino, Quare vos transgredimini mandatum Dei per traditionem vestram? Hypocritæ benè de vobis Prophetavit Isaias, dicens, Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat: cor autem eorum procul est à me. Sed frustrà me colunt, docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum. Et constantissimus Dei martyr Cyprianus lib. 2. epist. 3. inquit: Si Solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid qui ante omnes est Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Et in fine epistolæ, Si sacerdotes Dei & Christi sumus, inquit, non invenio quem magis sequi quàm Deum

Deum & Christum debeamus, &c. Idem rursus ait, Qualibet consuetudo quamvis vetusta, quàmvis vulgata, veritati est postponenda: & usus qui veritati est contrarius abolendus est. In quam sententiam etiam Nicolaus Papa Ignaro Remensi Archiepiscopo scribens inter alia dicit: Mala consuetudo non minus quàm perniciosa corruptela abjicienda & vitanda est: quæ nisi citius radicitus evellatur in privilegiorum jus ab impiis assumitur.

Quemadmodum igitur de Catone fertur, quòd cum Græci per incredibilem arrogantiam se omnium hominum primos esse falsò dicerent, & artium liberalium aliarumq; rerum inventionem non ad veram originem referrent, sed sibi solis ascriberent, eóq; omnium gentium historias pervertere, & antiquissimam doctrinam abolere conarentur, peculiarem librum de Originibus rerum scripserit, ne Romani facilè in errores abducerentur: ita ego quoque cùm scirem Pontificios Antiquitatis argumento potissimum hodiè uti, eóq; simplicioribus fucum facere, collegi aliquot jam annis ex veris approbatisq; historiis, & ex ipsorum etiam Papistarum libris ORIGINEM PAPATUS VERAM, *hoc est, Opus de inclinatione & depravatione doctrinæ cœlestis, deque Ceremoniarum mutatione, auctione & progressu ijs seculis quæ Christum & Apostolos primùm, deinde verò Constantinum Imperatorem, in primis autem Gregorium Primum, Pontificem Rom. & Carolum. M. secuta sunt: Cujus hæc summa est, Pontificiam religionem, quatenus in doctrina & ceremonijs à verbo Dei scripto discrepat, intra mille proximos annos demùm natam, eóq; temporis spacio Pontifices Romanos prisca sustulisse, & nova surrogasse, quæ nunc pro vetustissimis habeantur. Collegeram autem hæc omnia in meos privatos usus. Sed hunc meum laborem judicio gravissimi & doctrinâ præstantissimi aliquot viri, ut viderunt, ita probârunt, ut continuò me ad æditionem ejus adhortati fuerint: cumq; objicerem illis, nihil minus unquam mihi in mentem venisse, quàm ut publicarem eum, aut typis excudendum traderem, ceu indignum qui à doctis legeretur, non quoad materiam, quam quidem utilissimam nostris temporibus arbitror, sed quoad auctorem, qui hæc pro dignitate, ob ingenii & doctrinæ exiguitatem tractare non posset, illi tamen hortando, urgendo, monendo, rogandóq; non destiterunt. Hos inter præcipuus est D. Guilielmus Stuckius SS. Theologiæ in Schola nostra Professor: habet enim hoc ferè peculiare vir ille, ut licet doctissimus sit, aliorum tamen laudi atque gloriæ, studiorum laboribus acquisitæ, non invideat, neque bonorum cursum sistat aut conatus impediat, sed eos potius quacunque posit ratione promoveat atque adjuvet: quæ virtus ut in viris doctis rarissimè invenitur hodiè, ita illud è contra quàm plurimis est insitum, ut aliorum labores non ad ostentationem, sed ad Ecclesiæ totiusq; Reipublicæ literariæ utilitatem æditos Theonino, sed potius canino dente arrodant, carpant, taxent, cavillentur & suggillent, nihilq; nisi quod ipsi soli dicunt ac faciunt rectum putent. Accessit Stuckio aliisq; pietate, doctrinâ & consiliis præstantissimus vir D. Abrahamus Colbingerus, Illustrissimo Principi Ioanni Casimiro à Secretis, qui æditionem hujus operis literis ad Stuckium nostrum datis semel iterumq; flagitavit. Tantorum igitur virorum, authoritate & judicio victus tandem manus dedi.*

Horum autem laborum meorum partem primam sub felicibus Celsitudinis T. auspiciis in lucem prodire volui FRIDERICE *Princeps Illustrissime. Laudatissimus enim mos est & plurimis jam seculis multorum exemplis confirmatus, ut quem quis suspiciat, colat maximeque faciat, in ejus fide, tutelâ & patrocinio scriptum, quod æditurus est, reponat & quasi consecret. Causæ autem sunt multæ eæque graves quæ me & alios in admirationem C. T. rapiunt, eamque ut summa cum observantia colamus, plurimique faciamus compellunt. Ex Palatinorum enim Principum laudatissimorum stirpe originem ducis, cujus in totam Helvetiorum gentem, in primis autem in patriam meam, hoc est Tigurinam Rempubl. multa beneficia & præclara merita exstant, quæ adhuc in Annalibus nostris magna cum laude & grata memoria celebrantur. Quod autem Celsitudinem tuam pecu-*

¶¶ 4 *liariter*

liariter attinet, de generosissima ejus indole tam multa & praeclara ad nos huc usque famâ & litteris clarissimorum virorum constantissimè perferuntur, ut nemini dubium sit, quin non solùm in amore & benevolentia erga nostram Rempublicam & Ecclesiam sis permansurus, sed etiam universa Christi Ecclesia & S.S. Romanum Imperium in te propediem nutritium & protectorem fidelissimum, ac Principem verè Christianum habiturum sit. Habet C. T. unam Dedicationis nostrae causam: altera est primae hujus partis, sicut & totius Operis nostri materia: quam quidem Principibus quoque cognitu & necessariam & utilem esse arbitror, hoc praesertim ultimo ante Christi ad judicium extremum adventum seculo, quo Antichristus Romanus adversus veras, & ad verae primitivae Ecclesiae formam reformatas Ecclesias universum mundum concitat, & omnia bellis, incendijs, caedibus, seditionibus, proditionibus ac sanguine miscet, ut eam fidem ac Religionem restinguat ac funditus exstirpet, ex qua regno suo excidium imminere intelligit. Est enim hoc ingenium Satanae, ut tum maximè fremat, ringatur, frendeat & tantùmnon prae furore & insania rumpatur, quando Christum se fortiorem adesse videt, cui ipsum cedere oporteat. Docet hoc Christus quoque quando illum forti armato confert, qui sua quietus possidet, dum nemo illum invadit, at hoste ipsum expugnante vires omnes ad domus suae defensionem exerit. Unde & postremi quique illius conatus prioribus graviores atque atrociores sunt. Sic in Aegypto olim factum fuisse Moses testatur. Qui enim initio contentus erat Israelitas avita libertate spoliavisse, ubi tempus liberationis adesse videt, nova rabie Pharaonis animum accendit, qua jam non in viros modò, sed in recens natos infantes saviret, & laboribus intollerandis populum gravaret. Similiter, cùm Babylonici exilij initia tolerabilia fuissent sub Nabuchodonosore & Evilmerodacho regibus, sub illius tamen fine Balthasari extremae impietatis & sacrilegi furoris author fuit, quo Religionem & veri Dei cultum omninò abolere conatus est, cuius instaurationem prae foribus adesse videbat. Huc etiam pertinent laniena illae cruentissimae, quas in toto Romano Imperio per annos circiter trecentos aeditas fuisse ex Ecclesiastica historia Eusebij constat, cùm Religio Christiana per totum orbem longè latéque propagaretur, & Satan, cessantibus ubique oraculis & evanescente indies Idolorum cultu, sibi cedendum esse sentiret. Et quod tunc fecit, id ipsum longe majori rabie & truculentia quàm ante hac nunquam sub hujus mundi finem facturum, sacrae literae nos docent, & hodiè experimur. Prodest igitur in tantis Antichristi furoribus, quibus universus mundus perturbatur, & summa imis miscentur, Principibus Christianis, quibus à Deo Ecclesiae suae patrocinium & tutela commissa est, scire & probè cognita habere fundamenta, originem item ac progressum Pontificiae Religionis, quam antiquissimam & jam inde ab exordio mundi traditam esse subinde clamant, & pro qua tuenda, conservanda propagandaque tantis viribus laborant & dimicant, ut intelligant Principes, non inniti eam fundamento firmo Verbi Dei, & doctrinae verae primitivae Ecclesiae, sed stramineo potius, humanarum constitutionum, rituum & Ceremoniarum, quas non tantum ex Iudaismo, sed Ethnicismo quoque intra mille proximos annos, si quàm longissimè retrospiciamus, mutuati sunt: ac propterea istis Pontificum Romanorum furoribus, terriculamentis, ac brutis fulminibus nihil terreantur, imò ne moveantur quidem, sed in excutiendo Pontificio jugo, & à suis provincijs procul arcendis Papisticis tenebris alacres, in defendenda autem vera doctrina verbi Dei & veteris Ecclesiae, quam his postremis temporibus Deus ex immensa gratia & misericordia, mundo rursum revelavit, constantes & strenui sint. Neque enim inter Christianos ferenda est sceleratissimi nebulonis Machiavelli Itali sententia, quâ vult Principes non magnopere laborare debere verámne an falsam Religionem habeant: cum eo usq; etiam provehatur execrandus homo, ut Ethnicas superstitiones Christianae Religioni sine omni pudore anteponat. Sed potius Principi Christiano ante omnia evitendum est, ut vera Religio ab se colatur, propagetur ac defendatur strenuè.

nuè. Quam quidem ad virtutem non solùm generosissima tua indole, sed etiam majorum tuorum exemplis egregiè excitari potes Princeps Illustrissimè. Vterque enim avus tuus sanctissimi nimirum Illustrissimique Principes FRIDERICVS *Palatinus Elector, &* PHILIPPVS *Hassiæ Landgravius pastorem Evangelij doctrinam summo quoque cum capitis fortunarumque suarum discrimine propugnârunt acerrimè. Pater etiam tuus Ludovicus Elector in tuenda verbi Dei doctrina egregiam sane operam navavit. Qui omnes nunc in Christo beati vivunt, & virtutum suarum præmijs æternis in cælo fruuntur, teque nominis sui memoriâ ad similes virtutes excitant. Quæ eò majoris apud te authoritatis esse debent, quòd in vivis adhuc habeas domestica exempla, quibus non minus excitari potes: Patruum videlicet Ioannem Casimirum, & Avunculum Gulielmum Landgravium Illustrissimos Principes, & in promouenda gloria Dei ac defendenda verâ religione fortissimos heroas. Horum vestigijs si C.T. insistat, quod omnes boni sibi de te pollicentur, non solùm in terris felix & fortunatus eris, sed etiam in cælis aliquando æternum regnabis. Sed quid ago Princeps Illustrissime? cùm hæc & alia audias sæpius & clarius à viro nobilitate, magnaque pietate & doctrina præstantissimo D. Ottone à Grünrad morum ac disciplinæ tuæ magistro fidelissimo: à magno quoque nostra ætate Theologo D. Daniele Tossano alijsque viris clarissimis mihique summâ observantiâ colendis. Accipe igitur Princeps Generosissime Clementissimeque à me, licet nullus meriti aditu C.T. noto, chartaceum hoc munusculum benigno vultu, idque summæ meæ erga te observantiæ testimonium esse patere, & me Tuæ Clementiæ maximo tuo merito tunc obstrictum putabo. Dominus Iesus verus Dei & Mariæ filius, cui omnis potestas in cælo & terra data est, Celsitudinem T. cum Illustrissimo Fortissimoque Principe Ioanne Casimiro totaque Palatinorum familia tueatur, & quàm diutissimè ad nominis sui gloriam conservet, donaque sua in vobis augeat,* AMEN. TIGVRINA Helveticorum metropoli 4. *Calend. Febr. Anno* 1587.

T. CELSITVDINIS

Observantissimus

Rodolphus HOSPINIANVS
Tigurinus

INDEX

INDEX CAPITUM HORUM Quinque Librorum.

LIBER PRIMUS continet *Originem* TEMPLORUM: *ubi agitur.*

LIBER SECUNDUS complectitur *Originem rerum quæ in* TEMPLIS *continentur: ubi*

His

LIBER TERTIVS complectitur *originem Rerum quæ sunt extra* TEMPLA : *ibiq;*

LIBER QVARTVS agit.

LIBER QVINTVS agit.

INDEX AVTHORVM,
qui in toto hoc Opere citantur.

Schoperus.

INDEX RERVM ET VERBORVM

MEMORABILIVM: Quæ in toto hoc Opere continentur.

A.

Alexan-

Digitized by Google

Ius

Pontifi-

&

Squilla

FINIS INDICIS RERVM & VERBORVM.

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ
tam VETERIS quàm NOVI TESTAMENTI:

QVI AB AVTHORE IN EODEM HOC OPERE *succinctâ methodo ponderantur & explicantur.*

IN VET. TESTAMENTO

Lib.

FINIS INDICIS LOCORVM S. SCRIPTVRÆ.

BIBLIOPOLÆ LECTORI
SALUTEM.

CUM animadversum a nobis esset CLARISSIMI HOSPINIANI Scripta Theologica jampridem desiderari, audiremusque ab iis qui de talium precio possunt judicare, quantæ essent eruditionis atque utilitatis; in id lubentes incubuimus ut tam eximia monumenta pluribus hocce tempore communicarentur. Cúmque per Amicos admoniti essemus non contemnenda ADDITAMENTA ab AUTORE ante obitum Libris jam editis manu ipsius adscripta fuisse, quæ essent penes Rev. D. Rodolphum HOSPINIANUM Rod. Nepotem, V.D. in Ecclesia Tigurina Min. & Præpos. cum reliquis Viri Eruditissimi lucubrationibus affectis & ineditis (quales sunt *Tractatus de Funeribus Iudæorum, Græcorum, Romanorum*, &c; De *Cælibatu Sacerdotum in Pistorium*; *Catalogus omnium Conciliorum General. & Particular*; Item *Romanorum Pontificum*;) Pronam hac in parte ejus humanitatem atque in Publicum bonum propensionem experti sumus. Statim enim ad nos transmisit Celeberr. Aui OBSERVATIONES manuscriptas ad Tractatum de TEMPLIS, quas hæc Editio exhibet; Alias nonnullas ad secuturum mox de FESTIS; Necnon ORATIONEM de CEREMONIIS ECCLESIASTICIS jamdiu non extantem, quam Templorum Argumento adjecimus. Cætera quinetiam ἀνέκδοτα pollicitus, si publicæ utilitati conducibilia judicentur, quam nos promovere pro virili, non desinemus. *Vale.*

DE ORIGINE

DE ORIGINE ET PROGRESSV

TEMPLORVM.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De Loco in quo *Patriarchæ* ante exstructum TABERNACVLVM Familias suas instituerunt: Vbi & de LVCIS, in quibus *Gentiles* primò conuenerunt, & Sacra sua tractârunt.

Locus Patriarcharum tempore religioni exercendæ destinatus.

A B ADAMO *primo Homine ad Mosis Prophetæ sanctissimi tempora vsque, Patriarchæ nulla Templa, seu Loca certa & fixa exercendæ religioni peculiariter destinata habuerunt, sed partim, in domibus suis priuatis, partim verò nomadum instar, vagam vitam persequentes, passim hinc inde variis in locis, in quibus Deus illis apparuerat, & aliqua suæ præsentiæ signa dederat, erectis Aris siue Altaribus Deum inuocârunt, Sacrificia obtulerunt, & familias suas in vera Dei cognitione, religione & cultu fideliter instituerunt. Cuius rei illustre habemus exemplum in Noë, de quo dicitur, Gen. 8. c. quòd egressus ex Arca, ædificarit Altare Iehouæ, in eoque Holocausta obtulerit. Genes. 12. legitur etiam, quòd Abrahamus inter Bethel & Ain fixerit Tabernaculum suum, ibique inuocauerit nomen Domini, ædificato Altari, quòd Dominus eo loco ei apparuerit. Et sequenti cap. dicitur, eodem rediisse Abrahamum, & inuocasse nomen Domini. Iacobus quoque Patriarcha, vt in eodem lib. 28. cap. indicatur, in sancto illo atque augusto Loco, in quo Deus illi mirabili modo apparuerat, erecto Altari vnà cum Familia sua, repurgata prius ab omnibus idolis, sacrum cultum, Orationis nimirum & Sacrificij, Deo exhibuit. Vnde colligimus, si res atque necessitas ita postulet, Deum etiam sub Dio, & locis quibusuis rectè ritéque coli posse.*

Templis multæ Gentes olim caruerunt.

Apud Ethnicos quoque fuerunt, qui Templa nulla Diis ædificanda, nec in Templis Deos colendos esse arbitrabantur, sed omnem Templorum vsum respuebant, seu alienum à Maiestate diuina. Zenonis enim Philosophi & Stoicorum disciplinæ authoris dogma fuisse legimus., ἱερὰ Θεῶν μὴ οἰκοδομεῖν, *hoc est,* Templa Deorum non ædificanda: *Et barbaros quosdam dicere solitos accepimus,* eos impiè facere, qui Diis Templa exstruerent. *In qua sententia Schytas fuisse Herodotus lib. 4. testatur, qui nulli Deorum Templa ædificârunt, præterquàm Marti. Persæ etiam, eodem authore, Templa nulla exstruxerunt, sed montes editissimos conscenderunt, ibique Ioui immolârunt. lib. 1. Præterea, cùm Solem potissimùm venerati sint, mundum hunc vniuersum Templum illius esse dixerunt: Alexand. lib. 2. cap. 22. Atque iccirco, Magis authoribus, non solum Græcorum, sed aliarum quoque Nationum Templa destruxerunt, concremârunt & solo æquârunt. Et à Bithynis vsurpatum similiter legimus, vt adoraturi, cacumina montium conscenderint, & sine Templis Iouem Pappam salutârint, sicut Schytæ Pappeum: quæ etiam Diogenis opinio fuit, qui mundum phanum Dei sanctissimum existimauit. Alexand. lib. 2. cap. 22. Cilices etiam ferunt in eam insaniam incidisse, vt non solùm in montibus Deos suos colerent, verùm etiam Amanum montem ipsum Dei loco haberent. Carmeli quoque incolæ nullum Dei sui Templum habere, nec Germani illi antiquiores: sed illi in monte tantummodò Aras habuerunt, hi verò Arbores Altas, Lucos & Nemora Deorum suorum nominibus appellata: sicut referunt Gyraldus* de *Diis gentium Syntagmate* 17. *aliique multi: de Germanis verò Cornelius Tacitus, & luculenter in primis lib.* 1. *Anna-*

Germani veteres aliique populi Templorum loco habuerunt Lucos, Nemora & altas arbores.

Annalium Boiorum Auentinus, qui dicit, Tuisconem, primum Germanorum Regem, Lucos & Nemora, in quibus res diuina perpetraretur, consecrâsse. Theodo quoque primus Boiorum Regulus, Lucum & Montem Danubio imminentem, more Maiorum suorum Alemanno Herculi Victori, & bellorum Præsidi dedicauit, ejusque nomine appellari jussit, & Sacris ibi, ritu patrio, Diuis operari præcepit. Duas præterea in ripa Danubij & ora Germaniæ, vetustissimas Quercus, prodigiosæ magnitudinis, millibusque passuum 20. distantes gentili Ceremoniâ idem Theodo consecrauit, eoque frequens populus coijt & victimas immolauit. Petrus Albinus ex Ernesto Brotufio scribit lib. 1. cap. 6. Mersburgum ciuitatem antiquitus ad Caroli M. vsque tempora Martem atque Zuttiberum coluisse in querceto, siue luco quernis arboribus consito, ad quem certis temporibus, Sacra ei facienda gratiâ, maxima hominum multitudo confluxerit. Nam nihil sacratius Quercu Germani etiam Veteres habuêre: nulla Sacra sine huius arboris fronde confecere: & Sacrificijs epulisque ritè sub hac arbore perpetratis, Deos suos inuocârunt. Apud alias quoque gentes Quercus Ioui consecrata fuit, & sub ea Sacra ejus celebrârunt: Vnde Verg. lib. 3. Georg. canit:

Quercu sacræ olim.

Sicubi magna Iouis antiquo robore quercus.
Ingentes tendat ramos, *&c.*

Et Plinius lib. 16. refert, in Ponto circa Heracleam aras fuisse Iouis Statiui cognomine, ibique quercus duas ab Hercule satas. Apud illas etiam Oracula petierunt. De quercu Dodonæa, quæ ob oraculorum multitudinem πολύγλωσσος *dicta fuit, multa hinc inde apud Poëtas leguntur: nos quoque in sequentibus aliquid de ea dicturi sumus. Hasque ob causas etiam (vt obiter hoc annotem)* Viscum *eius, quod tamen non nisi ex palumborum & turdorum fæce nascitur, è cœlo missum putârunt, signumque esse à Deo electæ arboris. Sacrificijs epulisque ritè sub arbore præparatis, duos admouerunt candidi coloris Tauros: quorum cornua tunc primùm vinciantur. Sacerdos candidâ ornatus veste, arborem scandit, falceque aureâ resectum, candido exceptum fuit sago. Tum demùm victimas immolârunt, precantes vt suum donum Deus ijs prosperum faciat, quibus dederint. Fœcunditatem eo poto dari cuicunque animalium sterili arbitrati sunt, & contra venena esse remedio. Tanta gentium in rebus friuolis plerunque religio fuit. Plinius de Naturali histor. lib. 16. cap. 44. & Auentinus lib. 3. Annalium. Quæ Religio, seu potius superstitio Gentilium condonanda fortasse ipsis fuisset, ni inde vsque ad Christianos manâsset, quibus adhuc hodiè* Viscum *admirationi est, ideoque ab ipsis non minus religiosè obseruatur, & curiosè inquiritur, pretiumque auri, ob priscam illam stultitiam, apud multos habere dicitur.*

Viscum quercus vnde in admiratione.

Alexander Sardus lib. 3. indicat, Germanos in hisce Lucis & Nemoribus Sacros equos aluisse, ex quorum hinnitu obseruârint, quæ futura sint. Fuit Romæ quoque Ilex vetustior Vrbe, in qua titulus æreis literis, Hetruscis religione arborem illam jam tunc dignam fuisse significauit, Plinio auctore lib. 16. cap. 44. Nat. histor. Meminit verò & Luci Marici Plutarchus in vita C. Marij, quem Minturnenses religione Deorum venerati sint atque obseruarint. Habuit & Sclauorum Gens Lucum quendam sacrum, firmissimâ sepe cinctum, ob Deorum multitudinem maximè in delitijs: in cuius medio ruinosæ steterunt quercus, Prouen *Deo dicatæ, ad quas varios Sacrificiorum ritus peregerunt, adstantibus populo Regulo. Atrium ingredi fas nemini erat, præter Sacerdotes ac sacrificare volentes, aut quem mortis periculum vrgebat, cui tutum ibi fuit datum asylum, vt Helmodus indicat c. 53. Senones etiam Lucum sacrum venerati sunt, quem nisi vinculo ligatus ingredi nemo ausus fuit, vt testatur Amianus lib. 34. Massilienses etiam, qui Galliam Narbonensem inhabitant, in Lucis, in quib. nulla erat effigies, Sacra fecerunt: & interdum arborum truncos venerati sunt, tanquam eis diuinitas aliquid inesset. De his Lucis, qui plura cupit cognoscere, legat Benedicti Curtij Symphoriani librum Hortorum quartum. Ex historia etiam sacra liquet, Chananæos quoque Lucos Templorum loco plantâsse, quos Dijs suis consecrârint, in ijsque Cultum Deorum suorum exercuerint.* 1.

In Lucis sacris equos aluerunt Gentes.

In Lucis cur Gentes suos Deos coluerint.

Nicolaus Gerbelius in sua Græcia hoc ideò à gentilibus obseruatum scribit, quòd scilicet adeuntibus huiusmodi sacrata loca, religiosum quendam diuinumque horrorem incuterent sylue.
Alij hoc factum putant, quòd Manes & He- 2.
roum animas, qui Lares vitales dicuntur, Lucos tenere Ethnici crediderint: Vnde apud Vergilium in 6. dicunt:

Nulli certa domus, Lucis habitamus opacis.

Alij loca illa instinctu mali spiritus ideò ad Cul- 3.
tum Deorum delecta esse existimant, vt ibi latere melius scelerati possent, & suas nequitias occultius perpetrare. Nã Munsterus in suis ad lib. 1. Reg. c. 15. Annotat. testatur, Gẽtiles in Lucis res abominandas perpetrâsse, Prostibula scilicet passim in ijs vtriusque sexus instituentes, aliaq; nefanda exercentes. Confirmant hæc, quæ Sozomenus lib. 5. c. 19. de Luco illo amœnissimo, in Daphne Antiocheno Suburbio sito, commemorat: Cùm enim amœnitatẽ ejus perstrinxisset, & vnde nomẽ habeat retulisset, à Daphne nimirũ, quæ cùm Apol-

Lucus in Daphne officina nequitiæ

Apollinem amatorem fugeret, in arborem eiusdem nominis conuersa est, hac tandem subiungit: Hoc(*inquit*) Suburbium cùm tale esset, accedere, turpe judicabatur probis hominibus. Ipse siquidem situs: & natura loci ad ignauiam & voluptatem inuitabat, & fabulæ hypothesis, amatoria existens, modicâ occasione acceptâ morbum amantium juuenibus alioqui corruptis duplicabat, qui fabularum prætextu grauiter incendebantur, & absque pudore libidinosa facta aggrediebantur, nec castitatem complecti valentes, neque castos eo loco videre sustinentes. Etenim si quis sine amata in Daphne morabatur, stupidus & expers gratiæ, ac quasi scelus quoddam & abominabilis auersandúsque judicabatur. Et aliâs is locus Ethnicis venerabilis ac in multo pretio erat. Erat enim illic elegans Daphnei Apollinis Imago, & Templum magnificè ac pretiosè elaboratum, quod Seleucum Antiochi patrem exstruxisse ferunt. *Et quid in peregrinationibus in Nemora & alia Loca Sacra olim Religionis ergò susceptis perpetratum sit multa historia locupletissimè docent. Atque hæc fortasse causa fuit, quòd Deus noluit populum suum juxta Templum & Aras Lucos plantare, inquiens:* Non plantabis tibi Lucum ex vllis arboribus juxta Aram D. Dei tui, quam facies tibi. *Deut.* 17. *Nonnulli hoc factum ab Ethnicis putant, vt Cultus Dei esset ornatior, eòque acceptior: erant*
4. *enim Luci manu consiti, ideoque sine dubio arbores omnis generis in ordinem aptè & concinnè disposita: Vt nihil dicam de vmbra quâ in Lucis homines fruebātur: Vnde Verg lib.* 1. *Æneid.* Lucus in vrbe fuit media lætissimus vmbra. *Vnde etiam Hoseas propheta 4.c. Israelitis exprobrans, quòd in collibus suffitum adolerent sub quercu & vt Ieremias dicit, sub omni ligno frondoso immolarent, hanc eius rei causam addit,* quòd *scilicet* bona sit vmbra eorum. *Ego*
5. *multos Gentilium, qui rectius de Deo senserunt Templorum vsum ideò damnâsse, & Cultui divino Lucus, excelsa & huiusmodi Loca destinâsse existimo, quòd putârent, immensam illam summi Dei maiestatem tam angustis templorum Parietibus ceu septis concludi non posse: quod etiam sacra literæ docent, 2.Par. 2. Hinc factum etiam opinor, vt multis in locis quibusdam Diis sine tectis Templa ædificârint. Romæ enim Templum* Termini, *à Numa exstructum, desuper patens foramen habuit, nefas etenim duxit,* Terminum *Deum Pacis & Iustitiæ custodem sub tecto conspici. Sic Iovi, Soli, Lunæ & Diofidio in aperto mundo templa ὕπαιθρα & sub diuo eandem ob causam veteres exstruxère. Quod à Græcis inprimis sæpè factitatum legimus, vt his Diis ὕπαιθρα Templa exstruxerint:*

Cur multis in locis Templa sine tecto ædificata. Termini Templū Romæ.

sicut ædes Iouis pulverii in Attica semper sine tecto erigebatur: vt ex Plut. Numa Alex. lib. 2. c.13. refert. Xerxes Rex à Magis Persarum persuasus, Græciæ Templa eò propensius inflammâsse dicitur, quòd parietibus includerent Deos, quibus omnia paterent. Vel etiam ex κακοζηλίᾳ
Patriarchas Veteris Testamenti Gentiles imitari 6.
voluerunt, qui ante exstructionem Tabernaculi Templa nulla habuere, sed vbivis locorum Altaria erexerunt, ibique suas familias instituerunt Sacrificiáque obtulerunt. De Abrahamo Cap.22. Genes. sic legitur: Abraham plantavit Nemus in Beersabe, & invocavit ibi nomen Dei æterni. Fecit igitur hoc ille, non commodioris solùm amœnioris que habitationis gratiâ, sed ut esset locus divino cultui sacratus: quò ipse ad sacrificandum Deo & ut divinis laudibus celebrandis, rebúsque divinis meditandis, quieto atque intento animo assiduè operam dare posset, frequenter secedere solebat. Rectè igitur Caietanus dixisse videtur, fuisse locum illum quasi Oratorium & Templum, ad colendum Deum, tam ipsi Abrahæ, quàm domesticis eius, aliisque sociis verum Deum Colentibus. Hebræi tradunt, referente Tostato, solitum Abrahamum, hospites, qui domum eius frequentabant, deducere in eum locum, vt ibi Deum laudarent, & de rebus divinis invicem sermocinarentur, sibique adessent sacrificanti. Iuxta traditionem Hebræorum est, quod in Targum Hierosolymitano Scriptum legimus, hisce verbis: Abraham hortum plantavit, plenum optimis fructibus; & peregrinos suscipiens hospitio, gratis omnia illis suppeditabat, nihil aliud exigens pro precio, nisi vt conditorem rectorémque Cæli & terræ agnoscerent & colerent, cuius nempe donum esset, quicquid comedissent & bibissent. Sic veram religionem edoctos, & ad melioris vitæ instituta conversos dimittebat. Hoc verò postea propter typum vnico tantùm in loco fieri voluit Deus: ob eámque causam excindere præcepit Israëlitis einsmodi Lucos, deijcere in ijs Aras & Statuas, & superstitionis eius omnem delere memoriam: Exod.24. Deut.7. & 12. & 17. Quæ leges cavendum etiam admonebant, ne Gentium Ritus atque Mores ad suam Religionem transferrent, néue sibi traditas Ceremonias ad earum exemplum conformarent, minimèque alio quàm ab se delecto loco Victimas suas immolarent. Inprimis verò cap.10. Deut. hæc verba leguntur. Subvertite omnia loca, in quibus Gentes quas possessuri estis coluerunt Deos suos super montes excelsos ac colles, & subter omne lignum frondosum. Dissipate Aras earum, confringite Statuas, Lucos igne comburite, & Idola comminuite: disperdite nomina earum de locis illis. Vos autem non ita facietis Domino Deo vestro.

Cur autem Lex Mosaica tantopere detestata sit lucorum & arborum cultum, in operatione

Sacrorum, *breviſſimè Philo nonnullas cauſas exponit, diſputans cur Lex Moſis Lucos vel arbores, intra juxtave Templum Dei eſſe vetuerit. Primò, inquit, quoniam verum Dei Templum, non amœnitas poſtulat, ſed ſeveram caſtimoniam. Deinde, quia non eſt fas illuc importare, quæ faciunt ad virorem arborum, hoc eſt, brutorum & hominum excrementa. Tertiò quia ſylveſtris materiæ nullus eſt uſus, cum ſit, ut Poëtæ loquuntur, telluris inutile pondus: fructifera autem arbores, parum cordatos & pios ab intentione animi, religionéque ſacris debita retraherent. Præterea condenſa ſylvarum maleficiis conveniunt, ex latebris ſecuritatem & inſidiarum occaſionem quærentibus: at patentia & oculis expoſita loca, quæ ingreſſi, & videri ab aliis, & videre alios poſſunt, ſacris maximè apta ſunt & accommodata.* *Lucos excindere præcipit Deus. In Lucis quando Iſraëlitæ ſeruire cœperint Deo.* *His tamen mandatis, licet ſeueriſſimis, adeò nihil obtinuit apud Iſraëlitas ſuos, vt ipſi quoque ad Gentilium imitationem Lucos plantarint, in quibus Diis alienis ſeruierunt. Hoc inde factū puto, quòd priſca ſimplicitas cœpiſſet eis diſplicere: Adam, Abel, Iacob & reliqui Patriarchæ Aris erant contenti: his illi cenſebant addendos Lucos, quò Dei Cultus eſſet ornatior. Cœpit hæc idololatria primò in populo Dei ſub judicibus Othoniele & Ehud: quod Iudic. 3. indicatur his verbis:* Fecerunt filii Iſraël malum in oculis Iehouæ, oblitique ſunt Iehouæ Dei ſui, & ſeruierunt Baalim & Lucis. *Ante hunc ſiquidem locum nullus alius in Sacra Hiſtoria exſtat, qui tale quid de Iſraëlitis referat. Notandum autem obiter in Hebræo legi* אשרות *&* Aſeroth, *hoc eſt, Lucis: quod nomen vetus interpres non rectè legit pro* עשתרות Aſtaroth, *quod proprium nomen Dei Sidoniorum fuit: quæ corrupta lectio etiam in nonnullis Germanicis verſionibus inuenitur. Inſtaurauit hanc Idololatriam in Iudæorum Gente primus Regum Roboam. Etſi enim 3. Regum 14. in genere de Iudæis referatur, quòd peccatis ſuis longè maiores ſuos ſuperârint, eò quòd exſtruxerint ſibiipſis excelſa, Statuas & Lucos, &c. tamen Ioſephus Antiquit. lib. 8. cap. 10. peccati huius authorem ſeu potius inſtauratorem Roboamum facit, quando dicit:* Roboam ad impias & injuſtas converſus eſt actiones, & ſpreuit Dei Religionem, ita vt & Populus ejus imitaretur iniquitatem. Cum moribus namque Principum corrumpitur conuerſatio Subjectorum: cùm viderint illorum luxurias, ſuæ caſtitatis merita reſpuentes, quaſi virtutem eorum imitari nituntur illecebras. Non enim opera Principum approbare videntur, niſi etiam ſimiliter hęc agantur, *Hactenus Ioſephus. In quam ſententiam etiam à Platone ſcriptum eſt.* Quales in Republ. Principes eſſent, tales etiam reliquos ſolere eſſe ciues. *Inter Reges autem Iſraëlis impius ille Achab primus Lucos plantauit. 1. Reg. In iis, vt Ieſebeli Reginæ gratificaretur, Sacerdotes aluit, qui inde Lucorum ſeu Nemorum Sacerdotes appellantur, 1. Reg. 18.*

Idololatria ad Quercū Mambre Trifariā peccarūt Iudæi. *Hæc inquam eſt Origo eius Idololatriæ, quæ grauiſſimè ſæpiſſiméque à Deo per Prophetas damnantur, & quā ſibi Iudæi ſimul ac Iſraëlitæ omnis generis mala accerſiuerunt: quòd nimirum in collibus Aras exſtruerent, ibique ſuffitum adolerent ſub quercubus, & ſub omni ligno frondoſo immolarent. Si enim hoc ipſorum factum cum legibus Dei conferamus, trifariam ab ipſis grauiſſimum peccatum admiſſum intelligemus. Primùm enim memoriam ſuperſtitionis huius adeò non deleuerunt, vt eam introductâ aliâ cōſimili, magis ſuſcitarint: tum eâ quam diuinitus acceperant Religionis formâ poſthabitâ, Ritus Ethnicos obſeruabant: denique eo, quem vnum Religioni lex conſecrârat, loco nō contenti, quoscunque montes atque colles ſuperſtitioni ſuæ deſtinabant. Et quanquam multis ſe ſpecioſis rationibus excuſare niterentur: vt quòd honorem eum nullis peregrinis Diis, verùm ipſi Iehouæ deferrent: quòd ea ſolùm ad hunc Cultum delegiſſent loca, in quibus Deus olim à Patriarchis viſus, cultúſque eſſet: quòd animis optimis, planéque Deo deuotis, iſthac Sacra peragerent: excuſationes tamen eas omnes Deus repudiabat, & hos illorum Cultus vt tetrum inuentum Dæmonum, acerrimis, ſicut diximus, Prophetarum ſermonibus condemnabat, & tandem extremi exitij ipſis cauſa fuerunt.*

Et tamen hæc ſuperſtitio tam altas in hominum animis radices egerat, vt ea adhuc Conſtantini Magni tempore in Palæſtina in vſu fuerit. Sozomenus enim de Idololatria ad Quercum Mambre lib. 2. cap. 4. ita ſcribit: Locus quem nunc Terebinthum vocant, qui decim ſtadiis ab Hebron, quam à meridie vicinam habet, ab Hieroſolymis verò circiter 250. ſtadiis diſtat, de quo verax ſermo eſt, Abrahamo ibi filium Dei, vna cum Angelis contra Sodomitas miſſis, apparuiſſe, illique filii generationem prædixiſſe. Annuam verò illic Panegyrin eamque ſplendidam regionis illius incolę & vlteriores Palæſtini, & Phœnices & Arabes, etiamnum meſſis tempore celebrant. Conueniunt autem illic plurimi etiam nundinarum gratiâ, tam empturi quàm venditurí. Eſt enim id feſtum cunctis frequentiſſimum, Iudæis tanquam de Patriarcha Abrahamo gloriantibus; Græcis propter angelorum apparitionem, Chriſtianis verò, quoniam etiam tum temporis pio viro is apparuit, qui poſterioribus temporibus ad ſalutem humani generis per virginem

nem sese manifestè exhibuit. Honorant autem eum locum pro sua quique religione, alii ad vnum omnium Deum orantes, alii angelos inuocantes & vinum libantes, ac Thure, vel Boue, vel Hirco vel Oue aut Gallo sacrificantes. Quod enim quisque charum & bonũ toto anno accuratè nutritum secundum votum, cùm sibiipsi tum domesticis suis ad eiusdem Festi conuiuiũ asseruabat. Honorantes autem eum locum cuncti, siue ad cauendum iram Dei, ne quid mali paterentur, ne cum vxoribus quidem, cùm in eo agerent, commiscebantur, quamuis illæ eo Festo ornato, & mundiciei muliebri plus solito vacarent, & temerè in conspectum progrederentur, neque aliàs lasciuiebant, tametsi Tabernacula communiter & promiscuè haberent. Est enim locus ille serenus & indiscretus, nec vlla habens ędificia, nisi sola quæ circa ipsam quercum ab Abrahamo olim structa fuerant, vnà cum puteo ipso parato. Tempore verò Panegyrico nemo ex eo hauriebat. Etenim secundum legem Gentilium alij lychnos accensos in illum iaciebant, alii vinum infundebant, alij placentulas, alij numismata, vnguenta, vel thymiamata injiciebant, eamque ob causam, sicut fieri solet, aqua illa cõmixtione injectorum corrupta & inutilis videbatur. Cùm autem Imperator de his certior factus esset admodum Palestinę Episc. succensuit, quòd competentem rei istius curam neglexissent, ac locum sanctum existentem prophanis libationibus ac Sacrificiis conspurcari permisissent. Præcepit igitur Phœniciæ Episc. vt in vnum congregati, Arâ, quę ibi erat, ex fundamentis dirutâ, ac statuis igni traditis, Ecclesiam ibidem struerent, &c. *Vide Socr. lib.*1.*c.* 18.

Vocalula Walfahrt & Wallen vnde & quid.

Ab his Lucis, quos Germanicè Wald *vocamus, quò Ethnici vetere͏sque Germani religionis ergò, vt ostendimus, frequentes conuenêre,* Wallfahrt *&* Wallen *denominata deductáque priscæ superstitionis vocabula sunt: & significant celebrem ob Religionem conuentum; iisq; hodie vtimur pro peregrinationibus ad Sacras Ædes salutatum Diuos, Diuásque, vt Auentinus indicat lib.*1. *Annalium.*

Antra ante Tēplorum vsum apud Græcos cōsecrata Diis.

Alexander Sardus lib. 3. *de Moribus & Ritibus Gentium testatur, in Græcia, antequàm condi Templa cœptum sit, Antra consecrasse Diis.*

Quemadmodum autem Deus Lucos excindere iussit populum suum, sic contra apud Ethnicos piaculum fuit, eos vel in vsus necessarios, ne dum ob contemptum succindere. Dion enim libro hist. 51. *refert,* Turulium, cum arbores Luci Apollinis Coi incidere fecisset, vt naves fabricaret, ab Augusto propterea iussum necâri.

Anabaptistæ Templa improbant.

Fuerunt etiam inter ipsos Christianos nonnulli, inprimis Anabaptistæ, qui Deum absque Templis vllis colendum esse existimârunt, adeóque simpliciter omnia Templa, certáque & destinata loca Cultui diuino, in Ecclesia Christi improbârunt. Vtebantur autem his rationibus. Primò, *quòd neq; primi Patres & Patriarchæ ante Mosem habuerint Templa, certáque ad Deum colendum loca: sed totus mundus erat illis Templũ, quia Deus etiam vbique est quem colamus: eum igitur vbiq; etiam coli posse. Proinde Patres illi sicut sese offerebat occasio, & vbicunque Deus sese manifestabat, siue in montibus, siue in conuallibus, ibi eum coluisse leguntur: Et locum illum tùm demum dicebant esse sanctum, sicut de Iacobo legimus Gen.*28. *Quòd verò Moses postea ædificarit Tabernaculum, & Solomon Templum, ibiq; Deus voluerit & non alibi sibi sacrificari: primùm, aiunt, illa fuisse Mysteria Regni Christi, & significasse Corpus Christi, ipso Christo id testante Ioan.*3. Soluite templum hoc, & ego intra triduum excitabo illud: Loquebatur autem, *inquit Ioannes,* de Templo corporis sui. *Tabernaculum igitur & Templum Solomonis fuisse typum corporis Christi, in quo Deus manifestari debuerit, & sicut non licuerit Sacrificia offerre, nisi in Templo, sic non licere nisi in Christo Deum inuocare, & illi Sacrificia nostra offerre. Cùm igitur cessarint Vmbræ, Ceremoniæ & Cultus ille Aaronicus, cessare etiã debere Templa: præsertim cùm ita Ceremonialis lex abrogata sit, vt eam non liceat reuocare. Atque hoc ipsum volunt cùm Deum, Prophetas & Apostolos, tum Christum etiam apertissimis verbis docuisse. Sic enim Dominus ipse apud Prophetam ait:* Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: vbi stabit igitur Domus illa quam ædificabitis mihi, & vbi est Locus ille in quo quiescere possim? *Isa* 66. *Et Solomon,* Cœli cœlorum te non capiunt. *Stephanus quoque,* Excelsissimus non in manufactis Templis habitat, *Actor.* 7. *Et Christus ad Samaritanam mulierem,* Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem: sed veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Deus Spiritus est. *Ioan.*4. *Apostolus quoque apertè ait* 1.*Timot.* 2. Volo viros Deum adorare in omni loco. *Ex his omnibus colligunt, non solùm inutile esse & non necessarium, sed etiam superstitiosum Templa ædificare & retinere, in quibus colatur Deus.*

Responsio ad argumēta Anabaptistarū

Negatur autem à nobis hæc consequentia: Quod enim ad Patriarchas attinet, non sequitur, Illis non fuit mandatum, vt Templa extruant, in quibus Deum colant: Ergo Christianis non

non licet vlla habere Templa. Neq; enim vllus quoque eis dies præscriptus fuit certus, quem sanctificarent: Non autem sequitur propterea, non solùm non necessarium esse, sed neque vtile & licitum Christianis, diem Dominicum, aut vllum alium sanctificare. Adorabant Patriarchæ Deū, vbicunque se offerebat occasio: nos quoque idem facimus: nec Cultum Dei alicui loco affigimus: sed sicut illi, quanquam totus mundus erat eis loco Templi: cùm tamen cogenda erat Ecclesia, certa aliqua loca habuerint oportet, vbi simul conuenirent omnes, cur non nobis idem necessarium esse diceremus? oportet enim alicubi conuenire. Ac licet Deus non mandârit, vt Templa, & certa Loca habeamus, in quibus conueniamus, eúmque colamus, non tamen etiam prohibuit. Templa igitur Christianis concessa sunt.

Quod de legis abrogatione obiiciunt, verum est: Sed non propterea lex Ceremonialis reuocatur, si Templa ædificantur, in quibus à Fidelibus colatur Deus, & Ecclesiasticum Ministerium exerceatur. Neque enim reuocatur lex Ceremonialis de Sabbathis sanctificandis, quia sanctificamus diem Dominicum & alios dies festos: Quia hæc non instituta sunt in Ecclesia, vt simpliciter necessaria, sicut tunc temporis obseruatio legis Ceremonialis etiā necessaria erat: sed vt vtilia, & ad ordinem in Ecclesia, & ad ædificationem: libera tamen per se, neq; vllius conscientiam obstringentia, habemus Tempora & Templa. Adde & Hieronymi responsionem in cap. 4. epistolæ ad Galatas, Ecclesia Christi, inquit, non obseruat eosdem dies, & eadem tempora quæ Iudæi, sed diuersa: eoque etiam, dum hæc obseruat, non facit contra Apostoli mandatum, dicentis, non esse obseruandos dies, menses & annos, nempe quos Iudæi: neque eâ conscientiâ, quâ Iudæi: sed alios dies & liberâ conscientiâ. Hoc etiam de Templis, & aliis locis Deo ab Ecclesia dedicatis, dicendum est.

Quod ad loca Prophetæ Isa. 66. c. Solomonis, Stephani & aliorum attinet, nihil prorsus contra Templa faciunt, sed potius contra eos, qui Deum eiúsque Maiestatem, Potentiam & Gratiam Templis, ac Ædium sacrarum & parietum septis includunt, adeóque certo loco alligant, quum illi omnia pateant, & hac ratione Mundus ipse & omne hoc totum illi quasi pro Templo sit.

Quod etiam afferunt ex Ioan. 4. & ex Apostolo, nihil aliud probat, quàm Dei cultum in nouo Testamento non esse certis locis alligatum, quia Christianis vbiq; locorū sua Sacrificia offerre liceat. Et quod ad Christum attinet, voluit Samaritanam mulierem docere, venisse iam tēpus illud, quo abrogandus sit Leuiticus Cultus cum Templo. Futurum enim breui, vt vocentur Gentes ad verum Dei Cultum: & ita, vt Deus vbique locorum adoretur, idque purè & sincerè, absque tot talibusque Ceremoniis, quot qualesque ad id vsque tempus Iudæi in cultu suo habuerant: sed sicut Malachias prædixerat fore, vt Deo offerretur Sacrificium mundum in omni loco. Neque etiam aliò respexit Paulus, quàm, cùm sublata sit illa Iudaica lex, quâ non licebat Iudæis alibi, quàm in Templo Hierosolymitano offerre Sacrificia, velle se; vt Christiani vbique locorum, sua offerant Deo Sacrificia. Ex his igitur locis omnibus nihil potest aliud concludi de Templis, quàm Cultum Dei apud Christianos, non esse certis locis sicut neque certis temporibus, alligatam: ideoque licere nobis, sicut quouis tempore, ita etiam quouis loco, Deum colere, inuocare, nostráque illi offerre Sacrificia: modò omnia ad ædificationem & ex fide fiant.

Me igitur Originem Templorum & rerum ad Templa pertinentium inuestigantem, in eadem cum nonnullis Gentilibus, Anabaptistis, aliisque Fanaticis esse sententia nemo existimet: Scio enim certo debere inter Christianos esse loca, quocunque ea nomine appellare velis, ad res sacras tractandas, hoc est, ad audiendum Verbum Dei, ad orandum & ad Sacramenta celebranda. Et quia ab omnibus non omninò barbaris Gentibus Templa Sacrorum causa exstructa sunt, vt mox indicabitur, non repudiamus id nomen, neq; etiam abhorremus à Tēplis, vel à Gētilibus, vel etiam à Papistis exstructis, modò ab omni superstitione Idolorū aliorumq; abusuum sint expurgata, néue iis, & externo Cultui nimiùm tribuatur, posthabito veri Dei Cultu vero & spirituali, ne etiā Deum rectè riteq; coli sine Templis existimetur. Nam etsi Christus & Apostoli interdum variis in locis prædicârunt verbum Dei, tamen in Templo quoque & Synagogis, quæ erant eius temporis Ecclesia, docuerunt. Matth. 26. Christus inquit: Quotidiè apud vos sedebam docens in Templo, & me non tenuistis. Et Ioh. 18. Ego palam loquutus sum mūdo, ego semper docui in Synagoga, & in Templo, quo omnes Iudæi conueniunt. Act. 3. Petrus & Ioannes simul ascendebant in Templū sub horam precationis 9. Act. 5. Angelus educens Apostolos de carcere, dicit eis: Ite & stantes in Tēplo loquimini plebi omnia verba vitæ huius ∴ qui cùm audissent, intrauerunt diluculo in Templum, & docebant. Act. 13. Paulus & Barnabas missi ad prædicandum, primùm intrant in Synagogam, & ibi prædicant. Pace etiam redditâ Ecclesiæ sub Constantino M. Templa certatim ad vsus Sacros Christiani ædificare cœperunt, vt suo loco indicabitur. Vnde D. August. quoque epist. 49. ad Deo gratias, Templa per se non damnat, sed vult vt vni & soli Deo seruiāt. Templum,

Authorum sententia de Templis.

inquit

inquit, Sacrificia, & alia quæcunque ad hæc pertinentia, cùm exhibentur Deo, secundùm ejus inspirationem atque doctrinam, vera Religio est, cùm autem Dæmonibus, secundùm eorum impiam superbiam, noxia superstitio. Quapropter qui Christianas literas vtriusque Testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus Paganorum, quòd construant Templa, & instituant Sacerdotia, & faciant Sacrificia, sed quòd hæc Idolis & dæmonijs exhibeant.

Bellarmini calumnia.

Graui igitur injuriâ Bellarminus nostros afficit, eo quòd scribit Col. 2186. *nos negare Templa rectè ad orandum ædificari; contrarium enim docemus. Imò primam Bellarmini propositionem Col.* 2187. *totam concedimus: nempè*, rectè institui certa loca, in quibus verbum Dei, & Sacramenta populo ministrentur. *modò absit superstitio, & opinio quòd Deus illis locis alligetur: sed ordinis tantùm gratiâ & politiæ externæ loca ista sunt habenda, non tanquam diuini Cultus partes. Impudenter etiam ibidem calumniatur Iesuita Vualdenses ac Bohemos fratres, quasi Templa & loca ejusmodi ordinis gratiâ constituta, vna cum Anabaptistis oderint: nam ipso facto mendacij arguitur.*

Ibidem quoque Bellarminus in eo vehementer errat, quòd scribit. Templa ad Sacrificia vera, & propriè dicta, offerenda Deo, rectè & piè à Christianis exstrui. *Nam Christiani nullum verum & propriè dictum Sacrificium habent, nisi vnicum illud Christi, quo semetipsum in cruce obtulit semel, vt peccata fidelium tolleret: Hebr.* 9. *& quo consecrauit in perpetuum eos qui sanctificantur: Hebr.* 10. *Quòd enim Preces, Eleemosynæ, Gratiarum actio & similia interdum in verbo Dei* Sacrificiâ *appellantur, impropriè fit, vt declaratur Hebræor. c.*13.

Hinc etiam manifesta fit altera Pontificiorum & *Vbiquistarum calumnia, quâ nostros tanquam hostes Templorum damnant, eo quòd in Civilibus bellis Galliæ & Belgij Templa aliquot in locis à nostrorum militibus & plebe confracta fuerunt. Est enim hæc fallacia Accidentis. Et si valet hæc propositio, Quorum milites confringunt & destruunt in furore bellico Templa, ij hostes sunt Templorum eaque sublata omnino volunt: tunc seipsos vnà damnant quoque. Quàm flagitiosè & barbarè se gesserint Latini, captâ Constantinopoli: Pompeij Columnæ Cardinalis copiæ, occupatâ Româ sub Clemente 7. exercitus item Caroli 5. Româ denuò captâ, in destruendis, confringendis & diripiendis Templis, vrbibus deprædandis, constuprandis virginibus, & Sacris omnibus profanandis; prolixè narrant Nicetas Chron. lib. de*

L... coccino, purpura & bysso
Isaaco & filio ejus Alexio, ... decem enim cor-
19.*cap.*2. §. 3. *Panuinius in vita* ... ura) ex
Ionius in vita Pompeij Columnæ & lib. 24. ...
storiæ suæ.

Quo tempore autem, quo authore quáue occasione ejusmodi sacrorum congressuum loca, & reliqua ad ea pertinentia, apud Iudæos, Gentes & Christianos exstrui cœperint, qualia item ea fuerint Apostolorum temporibus, & illos proximè consequutis, qualia deinde posterioribus seculis extiterint, & in quem non dissimulandum abusum ea res tandem degenerârit, ex probatis autoribus in sequentibus referemus.

CAPVT II.

De TABERNACVLO Iudæorum.

QVoniam post legem latam non licebat nisi in vno loco sacrificare, propter typum Christi, qui vno in loco oblatus est, ad peccatorum mundi expiationem, ideo etiam certus fuit locus populo Dei designatus, in quo ceu in Sacra quadam officina, Sacerdotes sacrificarent. Is autem locus erat initio quidem Tabernaculum Mosis, postea verò Templum Solomonis.

Tabernaculū à quo & quando erectum

Tabernaculum *sive* Tentorium *quod vocatur etiam in sacra Scriptura* Sanctuarium, *Exod.*25. Tabernaculum fœderis, *Exod.* 35. *Num.*4. Domus Dei in Silo, *Iudic.*20. 1. *Reg.* 1. Tabernaculum testimonij, *Exod.*29. Tectum fœderis, *Exod.*40. *primus omnium Moses in deserto ædificauit & exstruxit, die prima Mensis primi secundi anni exitus ex Ægypto, qui fuit post datam Abrahæ promissionem* 430. *& conditi mundi* 2455. *iussu & mandato Dei expresso, vt indicatur Exod.* 40. *quo tempore quoque Apollinis Delij Templum ab Eristhone Cecropis filio ædificatum. Vites etiam à Dionysio Deucalionis filio in Græcia inventæ fuerunt, juxta Eusebium, Berosum & Funccium. Quia verò per annos* 40. *per desertum oberrabat populus cum Mose, non conveniebat eis fixum aliquod Templum, sed portatile. Et habuit quidem formam aliquam Templi, sed reuera Tabernaculum erat, & Tentorium, ex pellibus & lignis, cortinis & alijs, id genus rebus exstructum, è quibus etiam militaria Tabernacula & Tentoria exstrui solent. Quia enim Israëlitæ degebant in Tabernaculis, cùm essent viatores & milites, Deus quoque, vt esset hac in parte non absimilis suo populo (erat enim illius Dominus) voluit & sibi ædificari Tabernaculum, inque medio sui populi collocari, quod inhabitaret in medio sui populi existens. Quæ res typus*

Trunci

FINIS INDICIS RERVM & VERBORVM.

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ
tam VETERIS quàm NOVI TESTAMENTI:

QVI AB AVTHORE IN EODEM HOC
OPERE *succinctâ methodo ponderantur & explicantur.*

IN VET. TESTAMENTO

Lib.

IN NOVO TESTAMENTO.

FINIS INDICIS LOCORVM S. SCRIPTVRÆ.

BIBLIOPOLÆ LECTORI
SALUTEM.

CUM animadversum a nobis esset CLARISSIMI HOSPINIANI Scripta Theologica jampridem desiderari, audiremusque ab iis qui de talium precio possunt judicare, quantæ essent eruditionis atque utilitatis; in id lubentes incubuimus ut tam eximia monumenta pluribus hocce tempore communicarentur. Cúmque per Amicos admoniti essemus non contemnenda ADDITAMENTA ab AUTORE ante obitum Libris jam editis manu ipsius adscripta fuisse, quæ essent penes Rev. D. Rodolphum HOSPINIANUM Rod. Nepotem, V.D. in Ecclesia Tigurina Min. & Præpos. cum reliquis Viri Eruditissimi lucubrationibus affectis & ineditis (quales sunt *Tractatus de Funeribus Judæorum, Græcorum, Romanorum*, &c; De *Cælibatu Sacerdotum in Pistorium*; *Catalogus omnium Conciliorum General. & Particular*; Item *Romanorum Pontificum*;) Pronam hac in parte ejus humanitatem atque in Publicum bonum propensionem experti sumus. Statim enim ad nos transmisit Celeberr. Aui OBSERVATIONES manuscriptas ad Tractatum de TEMPLIS, quas hæc Editio exhibet; Alias nonnullas ad secuturam mox de FESTIS; Necnon ORATIONEM de CEREMONIIS ECCLESIASTICIS jamdiu non extantem, quam Templorum Argumento adjecimus. Cætera quinetiam ἀνέκδοτα pollicitus, si publicæ utilitati conducibilia judicentur, quam nos promovere pro virili, non desinemus. *Vale.*

DE ORIGINE

DE ORIGINE ET PROGRESSV

TEMPLORVM.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De Loco in quo *Patriarchæ* ante exſtructum TABERNACVLVM Familias ſuas inſtituerunt: Vbi & de LVCIS, in quibus *Gentiles* primò conuenerunt, & Sacra ſua tractârunt.

Locus Patriarcharum tempore religioni exercendæ deſtinatus.

AB ADAMO *primo Homine ad Moſis Prophetæ ſanctiſsimi tempora vſque, Patriarchæ nulla Templa, ſeu Loca certa & fixa exercenda religioni peculiariter deſtinata habuerunt, ſed partim, in domibus ſuis priuatis, partim verò nomadum inſtar, vagam vitam perſequentes, paſsim hinc inde varijs in locis, in quibus Deus illis apparuerat, & aliqua ſuæ præſentiæ ſigna dederat, erectis Aris ſiue Altaribus Deum inuocârunt, Sacrificia obtulerunt, & familias ſuas in vera Dei cognitione, religione & cultu fideliter inſtituerunt. Cuius rei illuſtre habemus exemplum in Noë, de quo dicitur, Gen. 8. c quòd egreſſus ex Arca ædificarit Altare Iehouæ, in eaque Holocauſta obtulerit. Geneſ. 12. legitur etiam, quòd Abrahamus inter Bethel & Ain fixerit Tabernaculum ſuum, ibique inuocauerit nomen Domini, ædificata Altari, quòd Dominus ea loca ei apparuerit. Et ſequenti cap. dicitur, eodem rediſſe Abrahamum, & inuocaſſe nomen Domini. Iacobus quoque Patriarcha, vt in eadem lib. 28. cap. indicatur, in ſancto illo atque anguſto Loco, in quo Deus illi mirabili modo apparuerat, erecto Altari vnà cum Familia ſua, repurgata prius ab omnibus idolis, ſacrum cultum, Orationis nimirum & Sacrificij, Deo exhibuit. Vnde colligimus, ſi res atque neceſſitas ita poſtulet, Deum etiam ſub Dio, & locis quibuſuis rectè ritèque coli poſſe.*

Templi nullæ Gentes olim caruerunt.

Apud Ethnicos quoque fuerunt, qui Templa nulla Dijs ædificanda, nec in Templis Deos colendos eſſe arbitrabantur, ſed omnem Templorum vſum reſpuebant, ceu alienum à Maieſtate diuina. Zenonis enim Philoſophi & Stoicorum diſciplinæ authoris dogma fuiſſe legimus, ἱερὰ Θεῶν μὴ οἰκοδομεῖν, hoc eſt, Templa Deorum non ædificanda: *Et barbaros quoſdam dicere ſolitos accepimus,* eos impiè facere, qui Dijs Templa exſtruerent. *In qua ſententia Schytas fuiſſe Herodotus lib. 4. teſtatur, qui nulli Deorum Templa ædificârunt, præterquàm Marti. Perſæ etiam, eodem authore, Templa nulla exſtruxerunt, ſed montes editiſsimos conſcenderunt, ibique Ioui immolârunt. lib. 1. Præterea, cùm Solem potiſsimùm venerati ſint, mundum hunc vniuerſum Templum illius eſſe dixerunt: Alexand. lib. 2. cap. 22. Atque idcirco, Magis authoribus, non ſolùm Græcorum, ſed aliarum quoque Nationum Templa deſtruxerunt, concremârunt & ſolo æquârunt. Et à Bithynis vſurpatum ſimiliter legimus, vt adoraturi, cacumina montium conſcenderint, & ſine Templis Iouem Pappam ſalutârint, ſicut Schytæ Pappeum: quæ etiam Diogenis opinio fuit, qui mundum phanum Dei ſanctiſsimum exiſtimauit. Alexand. lib. 2. cap. 22. Cilices etiam ferunt in eam inſaniam incidiſſe, vt non ſolùm in montibus Deos ſuos colerent, verùm etiam Amanum montem ipſum Dei loco haberent. Carmeli quoque incolæ nullum Dei ſui Templum habere, nec Germani illi antiquiores: ſed illi in monte tantummodò Aras habuerunt, hi verò Arbores Altas, Lucos & Nemora Deorum ſuorum nominibus appellata: ſicut referunt Gyraldus de Dijs gentium Syntagmate 17. alijſque multi: de Germanis verò Cornelius Tacitus, & luculenter in primis lib. 1.*

Germani veteres aliique populi Templorum loco habuerunt Lucos, Nemora & altas arbores.

Annalium Boiorum Auentinus, qui dixit, Tuiscouem, primum Germanorum Regem, Lucos & Nemora, in quibus res diuina perpetraretur, consecrâsse. Theodo quoque primus Boiorum Regulus, Lucum & Montem Danubio imminentem, more Maiorum suorum Alemanno Herculi Victori, & bellorum Præsidi dedicauit, ejusque nomine appellari jussit, & Sacris ibi, ritu patrio, Diuis operari præcepit. Duas præterea in ripa Danubij & ora Germaniæ, vetustissimas Quercus, prodigiosæ magnitudinis, millibusque passuum 20. distantes gentili Ceremoniâ idem Theodo consecrauit, eoque frequens populus coijt & victimas immolauit. Petrus Albinus ex Ernesto Brotufio scribit lib. 1. cap. 6. Mersburgum ciuitatem antiquitus ad Caroli M. vsque tempora Martem atque Zuttiberum coluisse in querceto, siue luco quernis arboribus consito, ad quem certis temporibus, Sacra ei facienda gratiâ, maxima hominum multitudo confluxerit. Nam nihil sacratius Quercu Germani etiam Veteres habuêre: nulla Sacra sine huius arboris fronde confecere: & Sacrificijs epulisque ritè sub hac arbore perpetratis, Deos suos inuocârunt. Apud alias quoque gentes Quercus Ioui consecrata fuit, & sub ea Sacra ejus celebrârunt: Vnde Verg. lib. 3. Georg. canit:

Quercus sacra olim.

Sicubi magna Iouis antiquo robore quercus.
Ingentes tendat ramos, *&c.*

Et Plinius lib. 16. refert, in Ponto circa Heracleam aras fuisse Iouis Statini cognomine, ibique quercus duas ab Hercule satas. Apud illas etiam Oracula petierunt. De quercu Dodonæa, quæ ob oraculorum multitudinem πολύγλωσσος *dicta fuit, multa hinc inde apud Poëtas leguntur: nos quoque in sequentibus aliquid de ea dicturi sumus. Hasque ob causas etiam (vt obiter hoc annotem)* Viscum *eius, quod tamen non nisi ex palumborum & turdorum fæce nascitur, è cælo missum putârunt, signumque esse à Deo electæ arboris. Sacrificijs epulisque ritè sub arbore præparatis, duos admouerunt candidi coloris Tauros: quorum cornua tunc primùm vinciantur. Sacerdos candidâ ornatus veste arborem scandit, falceque aureâ resectum, candido exceptum fuit sago. Tum demùm victimas immolârunt, precantes vt suum donum Deus ysprosperum faciat, quibus dederint. Fæcunditatem eo poto dari cuicunque animalium sterili arbitrati sunt, & contra venena esse remedio. Tanta gentium in rebus friuolis plerunque religio fuit. Plinius de Naturali histor. lib. 16. cap. 44. & Auentinus lib. 3. Annalium. Quæ Religio, seu potius superstitio Gentilium condonanda fortasse ipsis fuisset, ni inde vsque ad Christianos manâsset, quibus adhuc hodiè* Viscum *admirationi est, ideoque ab ipsis non minus religiosè obseruatur, & curiosè inquiritur, pretiumque auri, ob priscam illam stultitiam, apud multos habere dicitur.*

Viscum quercus vnde in admiratione.

Alexander Sardus lib. 3. indicat, Germanos in hisce Lucis & Nemoribus Sacros equos aluisse, ex quorum hinnitu obseruârint, quæ futura sint. Fuit Romæ quoque Ilex vetustior Vrbe, in qua titulus æreis literis, Hetruscis religione arborem illam jam tunc dignam fuisse significauit, Plinio auctore lib. 16. cap. 44. Nat. histor. Meminit verò & Luci Marici Plutarchus in vita C. Marij, quem Minturnenses religione Deorum venerati sint atque obseruarint. Habuit & Sclauorum Gens Lucum quendam sacrum, firmissimâ sepe cinctum, ob Deorum multitudinem maximè in delitijs: in cuius medio ruinosæ steterunt quercus, Prouen *Deo dicatæ, ad quas varios Sacrificiorum ritus peregerunt, adstantibus populo Regulo. Atrium ingredi fas nemini erat, præter Sacerdotes ac sacrificare volentes, aut quem mortis periculum vrgebat, cui tutum ibi fuit datum asylum, vt Helmodus indicat c. 53. Senones etiam Lucum sacrum venerati sunt, quem nisi vinculo ligatus ingredi nemo ausus fuit, vt testatur Ammianus lib. 34. Massilienses etiam, qui Galliam Narbonensem inhabitant, in Lucis, in quib. nulla erat effigies, Sacra fecerunt: & interdum arborum truncos venerati sunt, tanquam eis diuinitas aliquid inesset. De his Lucis, qui plura cupit cognoscere, legat Benedicti Curtij Symphoriani librum Hortorum quartum. Ex historia etiam sacra liquet, Chananæos quoque Lucos Templorum loco plantâsse, quos Dijs suis consecrârint, in ijsque Cultum Deorum suorum exercuerint.* 1.

In Lucis sacris equos aluerunt Gentes.

In Lucis cur Gentes suos Deos coluerint.

Nicolaus Gerbelius in sua Græcia hoc ideò à gentilibus obseruatum scribit, quòd scilicet adeuntibus huiusmodi sacrata loca, religiosum quendam diuinumque horrorem incuterent syl-
uæ. Alij hoc factum putant, quòd Manes & He- 2.
roum animas, qui Lares vitales dicuntur, Lucos tenere Ethnici crediderint: Vnde apud Vergilium in 6. dicunt:

Nulli certa domus, Lucis habitamus opacis.

Alij loca illa instinctu mali spiritus ideò ad Cul- 3.
tum Deorum delecta esse existimant, vt ibi latere melius scelerati possent, & suas nequitias occultius perpetrare. Nā Munsterus in suis ad lib. 1. Reg. c. 15. Annotat. testatur, Gētiles in Lucis res abominandas perpetrâsse, Prostibula scilicet passim in ijs vtriusque sexus instituentes, aliaq. nefanda exercentes. Confirmant hæc, quæ Sozomenus lib. 5. c. 19. de Luco illo amœnissimo, in Daphne Antiocheno Suburbio sito, commemorat: Cùm enim amœnitatē ejus perstrinxisset, & vnde nomē habeat retulisset, à Daphne nimirū, quæ cùm

Lucus in Daphne officina nequitiæ

Apol-

Apollinem amatorem fugeret, in arborem eiusdem nominis conuersa est, hæc tandem subiungit: Hoc(*inquit*) Suburbium cùm tale esset, accedere, turpe judicabatur probis hominibus. Ipse siquidem situs: & natura loci ad ignauiam & voluptatem inuitabat, & fabulæ hypothesis, amatoria existens, modicâ occasione acceptâ morbum amantium juuenibus alioqui corruptis duplicabat, qui fabularum prætextu grauiter incendebantur, & absque pudore libidinosa facta aggrediebantur, nec castitatem complecti valentes, neque castos eo loco videre sustinentes. Etenim si quis sine amata in Daphne morabatur, stupidus & expers gratiæ, ac quasi scelus quoddam & abominabilis auersandúsque judicabatur. Et aliâs is locus Ethnicis venerabilis ac in multo pretio erat. Erat enim illic elegans Daphnei Apollinis Imago, & Templum magnificè ac pretiosè elaboratum, quod Seleucum Antiochi patrem exstruxisse ferunt. *Et quid in peregrinationibus in Nemora & alia Loca Sacra olim Religionis ergò susceptis perpetratum sit multa historia locupletissimè docent. Atque hæc fortasse causa fuit, quòd Deus noluit populum suum iuxta Templum & Aras Lucos plantare, inquiens:* Non plantabis tibi Lucum ex vllis arboribus juxta Aram D. Dei tui, quam facies tibi. *Deut.* 17. *Nonnulli hoc factum ab Ethnicis putant, vt Cultus Dei esset ornatior, eóque acceptior: erant*
4. *enim Luci manu consiti, ideaque sine dubio arbores omnis generis in ordinem aptè & concinnè disposita: Vt nihil dicam de vmbra quâ in Lucis homines fruebãtur: Vnde Verg lib.* 1. *Æneid.* Lucus in vrbe fuit media lætissimus vmbra. *Vnde etiam Hoseas propheta* 4.*c. Israelitis exprobrans, quòd in collibus suffitum adolerent sub quercu & vt Ieremias dicit, sub omni ligno frondoso immolarent, hanc eius rei causam addit,* quòd *scilicet* bona sit vmbra eorum. *Ego*
5. *multos Gentilium, qui rectius de Deo senserunt Templorum vsum ideò damnâsse, & Cultui diuino Lucos, excelsa & huiusmodi Loca destinâsse existimo, quòd putârent, immensam illam summi Dei maiestatem tam angustis Templorum Parietibus seu septis concludi non posse: quod etiam sacra litera docent,* 2.*Par.* 2. *Hinc factum etiam opinor, vt multis in locis quibusdam Diis sine tectis Templa ædificârint. Romæ enim Templum* Termini, *à Numa exstructum, desuper patens foramen habuit, nefas etenim duxit,* Terminum *Deum Pacis & Iustitiæ custodem sub tecto conspici. Sic Iovi, Soli, Lunæ & Diosidio, in aperto mundo templa ὕπαιθρα & sub diuo eandem ob causam veteres exstruxêre. Quod à Græcis in primis sæpè factitatum legimus, vt his Diis ὕπαιθρα Templa exstruxerint: sicut ædes Iouis pulverii in Attica semper sine tecto erigebatur: vt ex Plut. Numa Alex. lib.* 2. *c.*13. *refert. Xerxes Rex à Magis Persarum persuasus, Græciæ Templa eò propensius inflammâsse dicitur, quòd parietibus includerent Deos, quibus omnia paterent. Vel etiam ex χαμοζηλίᾳ Patriarchas Veteris Testamenti Gentiles imita-* 6.
*ri voluerunt, qui ante exstructionem Tabernaculi Templa nulla habuere, sed vbinis locorum Altaria erexerunt, ibique suas familias instituerunt Sacrificiáque obtulerunt. De Abrahamo Cap.*22.*Genes. sic legitur: Abraham plantavit Nemus in Beersabe, & invocavit ibi nomen Dei æterni. Fecit igitur hoc ille, non commodioris solùm amœnioris que habitationis gratiâ, sed ut esset locus divino cultui sacratus: quo ipse ad sacrificandum Deo & ut divinis laudibus celebrandis, rebúsque divinis meditandis, quieto atque intento animo assiduè operam dare posset, frequenter secedere solebat. Rectè igitur Caietanus dixisse videtur, fuisse locum illum quasi Oratorium & Templum, ad colendum Deum, tam ipsi Abrahæ, quàm domesticis eius, aliisque sociis verum Deum Colentibus. Hebræi tradunt, referente Tostato, solitum Abrahamum, hospites, qui domum eius frequentabant, deducere in eum locum, vt ibi Deum laudarent, & de rebus divinis invicem sermocinarentur, sibique adessent sacrificanti. Iuxta traditionem Hebræorum est, quod in Targum Hierosolymitano Scriptum legimus, hisce verbis: Abraham hortum plantavit, plenum optimis fructibus, & peregrinos suscipiens hospitio, gratis omnia illis suppeditabat, nihil aliud exigens pro precio, nisi vt conditorem rectorémque Cæli & terræ agnoscerent & colerent, cuius nempe donum esset, quicquid comedissent & bibissent. Sic veram religionem edoctos, & ad melioris vitæ instituta conversos dimittebat. Hoc verò postea propter typum vnico tantùm in loco fieri voluit Deus: ob eámque causam excindere præcepit Israëlitis einsmodi Lucos, deijcere in ijs Aras & Statuas, & superstitionis eius omnem delere memoriam: Exod.*24. *Deut.*7. *&* 12. *&* 17. *Quæ leges cavendum etiam admonebant, ne Gentium Ritus atque Mores ad suam Religionem transferrent, néue sibi traditas Ceremonias ad earum exemplum conformarent, minimèque alio quàm ab se delecto loco Victimas suas immolarent. Inprimis verò cap.*10. *Deut. hæc verba leguntur. Subvertite omnia loca, in quibus Gentes quas possessuri estis coluerunt Deos suos super montes excelsos ac colles, & subter omne lignum frondosum. Dissipate Aras earum, confringite Statuas, Lucos igne comburite, & Idola comminuite: disperdite nomina earum de locis illis. Vos autem non ita facietis Domino Deo vestro.*

Cur autem Lex Mosaïca tantopere detestata sit lucorum & arborum cultum, in operatione

Cur multis in locis Templa sine tecto ædificata. Termini Templis Romæ.

Sacrorum, brevissimè Philo nonnullas causas exponit, disputans cur Lex Mosis Lucos vel arbores, intra juxtave Templum Dei esse vetuerit. Primò, inquit, quoniam verum Dei Templum, non amœnitas postulat, sed severam castimoniam. Deinde, quia non est fas illuc importare, quæ faciunt ad virorem arborum, hoc est, brutorum & hominum excrementa. Tertio unia sylvestris materia nullus est usus, cum sit, ut Poëta loquuntur, telluris inutile pondus: fructifera autem arbores, parum cordatos & pios ab intentione animi, religionéque sacris debita retraherent. Praterea condensa sylvarum maleficiis conveniunt, ex latebris securitatem & insidiarum occasionem quærentibus: at patentia & oculis exposita loca, quæ ingressi, & videri ab aliis, & videre alios possunt, sacris maximè apta sunt & accommodata.

Lucos excindere præcipit Deus In Lucis quos deo Israëlitæ seruire cœperint Deo.

His tamen mandatis, licet seuerissimis, adeò nihil obtinuit apud Israëlitas suos, ut ipsi quoque ad Gentilium imitationem Lucos plantarint, in quibus Diis alienis seruierunt. Hoc inde factũ puto, quòd prisca simplicitas cœpisset eis displicere: Adam, Abel, Iacob & reliqui Patriarchæ Aris erant contenti: his illi censebant addendos Lucos, quò Dei Cultus esset ornatior. Cœpit hæc idololatria primò in populo Dei sub judicibus Othoniele & Ehud: quod Iudic. 3. indicatur his verbis: Fecerunt filii Israël malum in oculis Iehouæ, oblitique sunt Iehouæ Dei sui, & seruierunt Baalim & Lucis. *Ante hunc siquidem locum nullus alius in Sacra Historia exstat, qui tale quid de Israëlitis referat. Notandum autem obiter in Hebræo legi* האשרות *&* Ascroth, *hoc est, Lucis: quod nomen vetus interpres non rectè legit pro* עשתרות Astaroth, *quod proprium nomen Dei Sidoniorum fuit: quæ corrupta lectio etiam in nonnullis Germanicis versionibus inuenitur. Instaurauit hanc Idololatriam in Iudæorum Gente primus Regum Roboam. Etsi enim 3. Regum 14. in genere de Iudæis referatur, quòd peccatis suis longè maiores suos superârint, eò quòd exstruxerint sibiipsis excelsa, Statuas & Lucos, &c. tamen Iosephus Antiquit. lib. 8. cap. 10. peccati huius authorem seu potius instauratorem Roboamum facit, quando dicit:* Roboam ad impias & injustas conversus est actiones, & spreuit Dei Religionem, ita vt & Populus ejus imitaretur iniquitatem. Cum moribus namque Principum corrumpitur conuersatio Subjectorum: cùm viderint illorum luxurias, suæ castitatis merita respuentes, quasi virtutem eorum imitari nituntur illecebras. Non enim opera Principum approbare videntur, nisi etiam similiter hęc agantur, *Hactenus Iosephus. In quam sententiam etiam à Platone scriptum est.* Quales in Republ. Principes essent, tales etiam reliquos solere esse ciues. *Inter Reges autem Israëlis impius ille Achab primus Lucos plantauit. 1. Reg. In iis, ut Iesabeli Reginæ gratificaretur, Sacerdotes aluit, qui inde Lucorum seu Nemorum Sacerdotes appellantur, 1. Reg. 18.*

Idololatria ad Quercũ Mambre Trifariã peccarũt Iudæi.

Hæc inquam est Origo eius Idololatriæ, quæ grauissimè sæpissiméque à Deo per Prophetas damnantur, & quâ sibi Iudæi simul ac Israëlitæ omnis generis mala accersiuerunt: quòd nimirum in collibus Aras exstruerent, ibique suffitum adolerent sub quercubus, & sub omni ligno frondoso immolarent. Si enim hoc ipsorum factum cum legibus Dei conferamus, trifariam ab ipsis grauissimum peccatum admissum intelligemus. Primùm enim memoriam superstitionis huius adeò non deleuerunt, ut eam introductâ aliâ cõsimili, magis suscitarint: tum eâ quam diuinitus acceperant Religionis formâ posthabitâ, Ritus Ethnicos obseruabant: denique eo, quem vnum Religioni lex consecrârat, loco nõ contenti, quoscunque montes atque colles superstitioni suæ destinabant. Et quanquam multis se speciosis rationibus excusare niterentur: ut quòd honorem eum nullis peregrinis Diis, verùm ipsi Iehouæ deferrent: quòd ea solùm ad hunc Cultum delegissent loca, in quibus Deus olim à Patriarchis visus, cultúsque esset quòd animus optimũ, planéque Deo deuotis, isthac Sacra peragerent: excusationes tamen eas omnes Deus repudiabat, & hos illorum Cultus ut tetrum inuentum Dæmonum, acerrimis, sicut diximus, Prophetarum sermonibus condemnabat, & tandem extremi exitij ipsis causa fuerunt.

Et tamen hæc superstitio tam altas in hominum animis radices egerat, ut ea adhuc Constantini Magni tempore in Palæstina in vsu fuerit. Sozomenus enim de Idololatria ad Quercum Mambre lib. 2. cap. 4. ita scribit: Locus quem nunc Terebintum vocant, qui indecim stadiis ab Hebron, quam à meridie vicinam habet, ab Hierosolymis verò circiter 250. stadiis distat, de quo verax sermo est, Abrahamo ibi filium Dei, vna cum Angelis contra Sodomitas missis, apparuisse, illique filii generationem prædixisse. Annuam verò illic Panegyrin eamque splendidam regionis illius incolę & vlteriores Palæstini, & Phœnices & Arabes, etiamnúm messis tempore celebrant. Conveniunt autem illic plurimi etiam nundinarum gratiâ, tam empturi quàm venditurí. Est enim id festum cunctis frequentissimum, Iudæis tanquam de Patriarcha Abrahamo gloriantibus; Græcis propter angelorum apparitionem, Christianis verò, quoniam etiam tum temporis pio viro is apparuit, qui posterioribus temporibus ad salutem humani generis per virginem

Google

nem sese manifestè exhibuit. Honorant autem eum locum pro sua quique religione, alii ad vnum omnium Deum orantes, alii angelos inuocantes & vinum libantes, ac Thure, vel Boue, vel Hirco vel Oue aut Gallo sacrificantes. Quod enim quisque charum & bonũ toto anno accuratè nutritum secundum votum, cùm sibiipsi tum domesticis suis ad eiusdem Festi conuiuiũ asseruabat. Honorantes autem eum locum cuncti, siue ad cauendum iram Dei, ne quid mali paterentur, ne cum vxoribus quidem, cùm in eo agerent, commiscebantur, quamuis illæ eo Festo ornato, & mundiciei muliebri plus solito vacarent, & temerè in conspectum progrederentur, neque aliàs lasciuiebant, tametsi Tabernacula communiter & promiscuè haberent. Est enim locus ille serenus & indiscretus, nec vlla habens ędificia, nisi sola quæ circa ipsam quercum ab Abrahamo olim structa fuerant, vnà cum puteo ipso parato. Tempore verò Panegyrico nemo ex eo hauriebat. Etenim secundum legem Gentilium alij lychnos accensos in illum jaciebant, alii vinum infundebant, alij placentulas, alij numismata, vnguenta, vel thymiamata injiciebant, eamque ob causam, sicut fieri solet, aqua illa cõmixtione injectorum corrupta & inutilis videbatur. Cùm autem Imperator de his certior factus esset admodum Palestinę Episc. succensuit, quòd competentem rei istius curam neglexissent, ac locum sanctum existentem prophanis libationibus ac Sacrificiis conspurcari permisissent. Præcepit igitur Phœniciæ Episc. vt in vnum congregati, Arâ, quę ibi erat, ex fundamentis dirutâ, ac statuis igni traditis, Ecclesiam ibidem struerent, &c. *Vide Socr. lib.1.c.18.*

Vocabula Wallfahrt & Wallen vnde & quid.

Ab his Lucis, quos Germanicè Wald *vocamus, quò Ethnici veteresque Germani religionis ergò, vt ostendimus, frequentes conuenêre,* Wallfahrt *&* Wallen *denominata deductáque priscæ superstitionis vocabula sunt: & significant celebrem ob Religionem conuentum; iisq; hodie vtimur pro peregrinationibus ad Sacras Ædes salutatum Diuos, Diuásque, vt Auentinus indicat lib.1. Annalium.*

Antra ante Tẽplorum vsum apud Græcos cõsecrata Diis.

Alexander Sardus lib. 3. de Moribus & Ritibus Gentium testatur, in Græcia, antequàm condi Templa cœptum sit, Antra consecrasse Diis.

Quemadmodum autem Deus Lucos excindere iussit populum suum, sic contra apud Ethnicos piaculum fuit, eos vel in vsus necessarios, ne dum ob contemptum succindere. Dion enim libro hist. 51. refert, Turnlium, cum arbores Luci Apollinis Coi incidere fecisset, vt naves fabricaret, ab Augusto propterea iussum necári.

Anabaptistæ Templa improbant.

Fuerunt etiam inter ipsos Christianos nonnulli, inprimis Anabaptistæ, qui Deum absque Templis vllis colendum esse existimârunt, adeóque simpliciter omnia Templa, certáque & destinata loca Cultui diuino, in Ecclesia Christi improbârunt. Vtebantur autem his rationibus. Primò, *quòd neq; primi Patres & Patriarchæ ante Mosem habuerint Templa, certáque ad Deum colendum loca: sed totus mundus erat illis Templũ, quia Deus etiam vbique est quem colamus: eum igitur vbiq; etiam coli posse. Proinde Patres illi sicut sese offerebat occasio, & vbicunque Deus sese manifestabat, siue in montibus, siue in conuallibus, ibi eum coluisse leguntur: Et locum illum tùm demum dicebant esse sanctum, sicut de Iacobo legimus Gen.28. Quòd verò Moses postea ædificarit Tabernaculum, & Solomon Templum, ibiq; Deus voluerit & non alibi sibi sacrificari: primùm, aiunt, illa fuisse Mysteria Regni Christi, & significasse Corpus Christi, ipso Christo id testante Ioan.3.* Soluite templum hoc, & ego intra triduum excitabo illud: Loquebatur autem, *inquit Ioannes,* de Templo corporis sui. *Tabernaculum igitur & Templum Solomonis fuisse typum corporis Christi, in quo Deus manifestari debuerit, & sicut non licuerit Sacrificia offerre, nisi in Templo, sic non licere nisi in Christo Deum inuocare, & illi Sacrificia nostra offerre. Cùm igitur cessarint Vmbræ, Ceremoniæ & Cultus ille Aaronicus, cessare etiã debere Templa: præsertim cùm ita Ceremonialis lex abrogata sit, vt eam non liceat reuocare. Atque hoc ipsum volunt cùm Deum, Prophetas & Apostolos, tum Christum etiam apertissimis verbis docuisse. Sic enim Dominus ipse apud Prophetam ait:* Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: vbi stabit igitur Domus illa quam ædificabitis mihi, & vbi est Locus ille in quo quiescere possim? *Isa 66. Et Solomon,* Cœli cœlorum te non capiunt. *Stephanus quoque,* Excelsissimus non in manufactis Templis habitat, *Actor. 7. Et Christus ad Samaritanam mulierem,* Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem: sed veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Deus Spiritus est. *Ioan.4. Apostolus quoque apertè ait 1.Timot. 2.* Volo viros Deum adorare in omni loco. *Ex his omnibus colligunt, non solùm inutile esse & non necessarium, sed etiam superstitiosum Templa ædificare & retinere, in quibus colatur Deus.*

Anabaptistarũ argumẽta contra Tẽpla.

Responsio ad argumẽta Anabaptistarũ

Negatur autem à nobis hæc consequentia. Quod enim ad Patriarchas attinet, non sequitur, Illis non fuit mandatum, vt Templa extruant, in quibus Deum colant: Ergo Christianis non

non licet ulla habere Templa. Neq; enim ullus quoque eis dies praescriptus fuit certus, quem sanctificarent: Non autem sequitur propterea, non solùm non necessarium esse, sed neque utile & licitum Christianis, diem Dominicum, aut ullum alium sanctificare. Adorabant Patriarchae Deū, ubicunque se offerebat occasio: nos quoque idem facimus: nec Cultum Dei alicui loco affigimus: sed sicut illi, quanquam totus mundus erat eis loco Templi: cùm tamen cogenda erat Ecclesia, certa aliqua loca habuerint oportet, ubi simul convenirent omnes, cur non nobis idem necessarium esse diceremus? oportet enim alicubi convenire. Ac licet Deus non mandârit, ut Templa, & certa Loca habeamus, in quibus conveniamus, eúmque colamus, non tamen etiam prohibuit. Templa igitur Christianis concessa sunt.

Quod de legis abrogatione obiiciunt, verum est: Sed non propterea lex Ceremonialis revocatur, si Templa aedificantur, in quibus à Fidelibus colatur Deus, & Ecclesiasticum Ministerium exerceatur. Neque enim revocatur lex Ceremonialis de Sabbathis sanctificandis, quia sanctificamus diem Dominicum & alios dies festos: Quia haec non instituta sunt in Ecclesia, ut simpliciter necessaria, sicut tunc temporis observatio legis Ceremonialis etiā necessaria erat: sed ut utilia, & ad ordinem in Ecclesia, & ad aedificationem: libera tamen per se, neq; ullius conscientiam obstringentia, habemus Tempora & Templa. Adde & Hieronymi responsionem in cap. 4. epistolae ad Galatas, Ecclesia Christi, *inquit*, non observat eosdem dies, & eadem tempora quae Iudaei, sed diversa: eoque etiam, dum haec observat, non facit contra Apostoli mandatum, dicentis, non esse observandos dies, menses & annos, nempe quos Iudaei: neque eâ conscientiâ, quâ Iudaei: sed alios dies & liberâ conscientiâ. *Hoc etiam de Templis, & aliis locis Deo ab Ecclesia dedicatis, dicendum est.*

Quod ad loca Prophetae Isa. 66. c. Solomonis, Stephani & aliorum attinet, nihil prorsus contra Templa faciunt, sed potius contra eos, qui Deum eiúsque Maiestatem, Potentiam & Gratiam Templis, ac Aedium sacratum & parietum septis includunt, adeóque certo loco alligant, quum illi omnia pateant, & hac ratione Mundus ipse & omne hoc totum illi quasi pro Templo sit.

Quod etiam afferunt ex Ioan. 4. & ex Apostolo, nihil aliud probat, quàm Dei cultum in novo Testamento non esse certis locis allegatum, quia Christianis ubiq; locorū sua Sacrificia offerre liceat. Et quod ad Christum attinet, voluit Samaritanam mulierem docere, venisse iam tēpus illud, quo abrogandus sit Leviticus Cultus cum Templo. Futurum enim brevi, ut vocentur Gentes ad verum Dei Cultum: & ita, ut Deus ubique locorum adoretur, idque purè & sincerè, absque tot talibúsque Ceremoniis, quot qualesque ad id usque tempus Iudaei in cultu suo habuerant: sed sicut Malachias praedixerat, fore, ut Deo offerretur Sacrificium mundum in omni loco. Neque etiam aliò respexit Paulus, quàm, cùm sublata sit illa Iudaica lex, quâ non licebat Iudaeis alibi, quàm in Templo Hierosolymitano offerre Sacrificia, velle se; ut Christiani ubique locorum, sua offerant Deo Sacrificia. Ex his igitur locis omnibus nihil potest aliud concludi de Templis, quàm Cultum Dei apud Christianos, non esse certis locis sicut neque certis temporibus, alligatam: ideoque licere nobis, sicut quovis tempore, ita etiam quovis loco, Deum colere, invocare, nostráque illi offerre Sacrificia: modò omnia ad aedificationem & ex fide fiant.

Me igitur Originem Templorum & rerum ad Templa pertinentium investigantem, in eadem cum nonnullis Gentilibus, Anabaptistis, aliisque Fanaticis esse sentētia nemo existimet: Scio enim certo debere inter Christianos esse loca, quocunque ea nomine appellare velis, ad res sacras tractandas, hoc est, ad audiendum Verbum Dei, ad orandum & ad Sacramenta celebranda. Et quia ab omnibus non omninò barbaris Gentibus Templa Sacrorum causa exstructa sunt, ut mox indicabitur, non repudiamus id nomen, neq; etiam abhorremus à Tēplis, vel à Gētilibus, vel etiam à Papistis exstructis, modò ab omni superstitione Idolorū aliorumq; abusuum sint expurgata, néne iis, & externo Cultui nimiùm tribuatur, posthabito veri Dei Cultu vero & spirituali, ne etiā Deum rectè ritéq; coli sine Templis existimetur. Nam etsi Christus & Apostoli interdum variis in locis praedicârunt verbum Dei, tamen in Templo quoque & Synagogis, quae erant eius temporis Ecclesia, docuerunt. Matth. 26. Christus inquit: Quotidiè apud vos sedebam docens in Templo, & me non tenuistis. *Et Ioh. 18.* Ego palam loquutus sum mūdo, ego semper docui in Synagoga, & in Templo, quo omnes Iudaei conveniunt. *Act. 3. Petrus & Ioannes simul ascendebant in Templū sub horam precationis 9. Act. 5. Angelus educens Apostolos de carcere, dicit eis:* Ite & stantes in Tēplo loquimini plebi omnia verba vitae huius ∴ qui cùm audissent, intraverunt diluculo in Templum, & docebant. *Act. 13. Paulus & Barnabas missi ad praedicandum, primùm intrant in Synagogam, & ibi praedicant. Pace etiam reddita Ecclesiae sub Constantino M. Templa certatim ad usus Sacros Christiani aedificare coeperunt, ut suo loco indicabitur. Unde D. August. quoque epist. 49. ad Deo gratias, Templa per se non damnat, sed vult ut uni & soli Deo serviāt.* Templum, *inquit*

Authorum sententia de Tēplis.

inquit, Sacrificia, & alia quæcunque ad hæc pertinentia, cùm exhibentur Deo, secundùm ejus inspirationem atque doctrinam, vera Religio est, cùm autem Dæmonibus, secundùm eorum impiam superbiam, noxia superstitio. Quapropter qui Christianas literas vtriusque Testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus Paganorum, quòd construant Templa, & instituant Sacerdotia, & faciant Sacrificia, sed quòd hæc Idolis & dæmonijs exhibeant.

Bellarmini calumnia.

Graui igitur injuriâ Bellarminus nostros afficit, eo quòd scribit Col. 2186. *nos negare Templa rectè ad orandum ædificari; contrarium enim docemus. Imò primam Bellarmini propositionem Col.* 2187. *totam concedimus: nempè*, rectè institui certa loca, in quibus verbum Dei, & Sacramenta populo ministrentur. *modò absit superstitio, & opinio quòd Deus illis locis alligetur: sed ordinis tantùm gratiâ & politiæ externæ loca ista sunt habenda, non tanquam diuini Cultus partes. Impudenter etiam ibidem calumniatur Iesuita Vualdenses ac Bhemos fratres, quasi Templa & loca ejusmodi ordinis gratiâ constituta, vna cum Anabaptistis oderint: nam ipso facto mendacij arguitur.*

Ibidem quoque Bellarminus in eo vehementer errat, quòd scribit. Templa ad Sacrificia vera, & propriè dicta, offerenda Deo, rectè & piè à Christianis exstrui. *Nam Christiani nullum verum & propriè dictum Sacrificium habent, nisi vnicum illud Christi, quo semetipsum in cruce obtulit semel, vt peccata fidelium tolleret: Hebr.* 9. *& quo consecrauit in perpetuum eos qui sanctificantur: Hebr.* 10. *Quod enim Preces, Eleemosyna, Gratiarum actio & similia interdum in verbo Dei* Sacrificiá *appellantur, impropriè fit, vt declaratur Hebraor. c.* 13.

Hinc etiam manifesta fit altera Pontificiorum & *Vbiquistarum calumnia, quâ nostros tanquam hostes Templorum damnant, eo quòd in Ciuilibus bellis Galliæ & Belgij Templa aliquot in locis à nostrorum militibus & plebe confracta fuerunt. Est enim hæc fallacia Accidentis. Et si valet hæc propositio, Quorum milites confringunt & destruunt in furore bellico Templa, ij hostes sunt Templorum eaque sublata omnino volunt: tunc seipsos vnà damnant quoque. Quàm flagitiosè & barbarè se gesserint Latini, captâ Constantinopoli: Pompey Columnæ Cardinalis copia, occupatâ Româ sub Clemente* 7. *exercitus item Caroli* 5. *Româ denuò captâ, in destruendis, confringendis & diripiendis Templis, vrbibus de prædandis, constuprandis virginibus, & Sacris omnibus profanandis; prolixè narrant Nicetas Chron. lib. de Isaaco & filio ejus Alexio: Antoninus par.* 3. *tit.* 19. *cap.* 2. §. 3. *Panuinius in vita Clementis* 7. *Iouius in vita Pompeij Columnæ & lib.* 24. *historiæ suæ.*

Quo tempore autem, quo authore quáue occasione ejusmodi sacrorum congressuum loca, & reliqua ad ea pertinentia, apud Iudæos, Gentes & Christianos exstrui cœperint, qualia item ea fuerint Apostolorum temporibus, & illos proximè consequutis, qualia deinde posterioribus seculis extiterint, & in quem non dissimulandum abusum ea res tandem degenerârit, ex probatis autoribus in sequentibus referemus.

CAPVT II.

De TABERNACVLO Iudæorum.

Q*Voniam post legem latam non licebat nisi in vno loco sacrificare, propter typum Christi, qui vno in loco oblatus est, ad peccatorum mundi expiationem, ideo etiam certus fuit locus populo Dei designatus, in quo ceu in Sacra quadam officina, Sacerdotes sacrificarent. Is autem locus erat initio quidem Tabernaculum Mosis, postea verò Templum Solomonis.*

Tabernaculum *siue* Tentorium *quod vocatur etiam in sacra Scriptura* Sanctuarium, *Exod.*25. Tabernaculum fœderis, *Exod.* 35. *Num* 4. Domus Dei in Silo, *Iudic.*20. 1. *Reg.* 1. Tabernaculum testimonij, *Exod.*29. Tectum fœderis, *Exod.*40. *primus omnium Moses in deserto ædificauit & exstruxit, die prima Mensis primi secundi anni exitus ex Ægypto, qui fuit post datam Abrahæ promissionem* 430. *& conditi mundi* 2455. *iussu & mandato Dei expresso, vt indicatur Exod.* 40. *quo tempore quoque Apollinis Delij Templum ab Eristhone Cecropis filio ædificatum. Vites etiam à Dionysio Deucalionis filio in Græcia inventa fuerunt, juxta Eusebium, Berosum & Funccium. Quia verò per annos* 40. *per desertum oberrabat populus cum Mose, non conveniebat eis fixum aliquod Templum, sed portatile. Et habuit quidem formam aliquam Templi, sed reuera Tabernaculum erat, & Tentorium, ex pellibus & lignis, cortinis & alijs, id genus rebus exstructum, è quibus etiam militaria Tabernacula & Tentoria exstrui solent. Quia enim Israëlitæ degebant in Tabernaculis, cùm essent viatores & milites, Deus quoque, vt esset hac in parte non absimilis suo populo (erat enim illius Dominus) voluit & sibi ædificari Tabernaculum, inque medio sui populi collocari, quod inhabitaret in medio sui populi existens. Quæ res typus*

Tabernaculi à quo & quando erectum.

fuit ejus, quod postea filius Dei sumptâ carne nostrâ con Tabernaculo, dicitur profecisse Ioan. 1. verbum caro factum est, & habitauit (ἐσκήνωσεν) inter nos, *quasi & ipse in tentorijs militaribus vnà cum alijs fidelibus, ceu militibus commorans.*

Tabernaculi structura & forma. *Ejus outem structura erot fermè huiusmodi. Principiò insigebantur terra foramina habentes Argenteas bases, pro osseribus in parietem compingendis erigendisque: singulis videlicet asseribus aut tabulis bases bina. Nam singula tabula habebont inferius duos dentes, quibus inserebantur basibus. Tabula in vtroque Taberneculi latere vicena, & od occidentem in capite decem eront, omnes obducta ouro, alta cubitos decem. Ha inquam erecta imponebantur aut insigebantur basibus: à tergo hobebont circulos out annulos oureos, per quos vectes ex ligno Sitim (putotur esse spina albo) inserebantur, vt asseres inter sese astricta sibi constarent, nec hiaret structuro siue paries, tabulauè aut antrorsum vel retrorsum inclinarent. Ab oriente claudebatur velo Sanctum. Porrò contexta erant cortina seu oulea decem opere phrygio, qua ansulis seu fibulis inter se conserebantur. Ha outem ceu contignotio aut loqueareum quoddam summitoti tabularum erectarum imponebantur: quibus rursus inducebatur tectum triplicatum, quorum supremum erat toxinum imbribus orcendis idoneum.*

Partes Tabernaculi. *Habebat autem Tabernaculum in longitudine cubitos* 30. *in latitudine* 10. *Id quod colligi potest ex mensuro asserum. Diuidebaturque in partes tres: prima appellabatur* Sanctum Sanctorum, *&* Adytum ædis, *vel* Oraculum Templi. *Secundo* Sanctum *longum cubitos viginti, vt illud decem. Tertia vocabatur* Atrium, *cujus longitudo erot centum, latitudo quinquaginto cubitorum. Inclusum hoc erat columnis quinquaginto tribus, defixis in aneas bases, & altas* 5. *cubitis, ex quibus dependebant tapetio reticulata ac perspicua: in ingressus suspensum erot ad columnas quatuor velum viginti cubitorum.*

Sonctum Sanctorum dirimebotur à Sancto per velum pretiosissimum in quatuor columnis argenteis suspensum: sed & Sanctum ab Atrio claudebatur velo secundo, & ipso pretioso, quod quinque ouro obductis columnis sustentabatur, quarum copito ourea, bases anea eront. In medio Atrij stabat erecta domus interior, ipsum inquam Tabernaculum, distinctum vt modo diximus. Hanc descriptionem Tobernaculi colligunt & petunt omnes ferè ex cap. 35. *&* 36. *Exod.*

Cur Tabernaculum hoc adificium dicatur. *Ex ea simul nominis ratio haud obscurè colligi posse videtur, cur nimirum* σκηνὴ *Gracè, Tabernaculum verò seu Tentorium Latinè locus hic sacer dicatur, à forma scilicet & similitudine quam hobuit cum Tabernaculis vel Tentorijs, qua in castris eriguntur aduersus solis tempestatisque injuriam, quaque modò huc modò illuc transferuntur. Apud Hebraos quoque dicuntur* אהלים *à tendendo, sicut Tentoria apud Latinos: nam* אהל *extendit vel expandit significat. Paulus ad Hebraos vocat* ἅγιον κοσμικὸν, Sanctum *vel* Sanctuarium terrenum, seculare, *vel* mundanum, *vt cœlesti & aterno opponat: non vtique Atrium exterius innuens, iuxto oliquos, quod promiscua plebi potebat: de eo enim nullus ibi Apostolo est sermo.*

Qua in singulis partibus Tabernaculi reposita. *In* Sanctum Sanctorum *nemo ingrediebotur, nisi semel in anno summus Pontifex. In ipso collocata erot* Arca fœderis *inter Cherubim, qua à nullo mortalium, nisi solo summo Sacerdote semel in anno incensum inferente cernebatur. In hac Arco recondita fuerunt Tabula lopidea, quibus decalogus inscriptus erat manu Dei, & nihil praterea aliud, vt Hieronymus clarè testatur in epistola od Eustoch. In eadem tamen aliqui asseruatum quoque fuisse volunt Manna, & Virgam Aoron. Mouentur illi Pauli loco qui Hebraeorum* 9. *cap. exstat, vbi Apostolus dicit*, Sanctum Sanctorum Arcam habet Fœderis vndique circumfertam auro: in qua στάμνος χρυσῆ, hoc est, vrna aurea habens Manna, & Virga Aaron quæ germinauit, & Tabulæ Fœderis. *In* 2. *autem lib. Paralip.* 5. *cap. dicitur, Non fuisse in Arca nisi duas Tabulas. Respondent aliqui, Regum temporibus nihil in Arco, nisi Tabulas tantùm fuisse, reliqua verò sequentibus imposita fuisse. Alij dicunt exclusiuam particulam* πλὴν, *qua exstat apud Septuaginta, in Hebrao non legi: cùm tamen expressè extet* רק *Rak. Quidam per synechdochen alio includi volunt. Lud. Lauoterus, socer meus, hunc locum ita intelligit, vt putet. Spiritum Sanctum innuere velle, nullo alia scripta, quàm duas Tabulas, in Arca fuisse. Cùm verò non legatur Dominum jussisse, vt Manna & Virga Aaron in Arca includerentur: è contro outem Aoron Exod.* 16. *ex mandoto Mosis* στάμνον χρυσοῦν, *cui immisit gomor plenum Mann, reposuit coram testimonio in custodiam: Similiter Moses legotur Num.*17. *Virgam Aaronis posuisse coram testimonio in custodiam: Ita ergo interpretantur alij verba Apostoli, non quod Manna & Virga intra Arcam ipsam fuerint, sed propè Arcam, ipsique adeò commodâ aliquâ ratione adjuncta.*

Seruabotur praterea in Sancto Sanctorum Thuribulum aureum, *idque ex authoritate Pauli Hebr.* 9. *Moses alioquin ejus non meminit. Eo Pontifex vsus videtur in Sancta Sanctorum ingrediens, & in adyto ad hunc vsum peculiarem seruabatur.*

Sanctum *quotidie patebat Sacerdotibus per*

vicet

vices Sacra facientibus. In ipso posita erat ante Velum Mensa aurea panibus propositionis instructa, in parte inquam aquilonari, quæ describitur Exod.25. ex adverso autem in latere meridionali conspiciebatur Candelabrum aureum, Exod. 26. In medio autem intra vtraque illa ante Velum & Arcam stabat Altare aureum Thymiamatis *vocatum quòd suffimenta Sacra in eo adolerentur: Exod.29. & 40.*

In Atrio *autem non procul à Velo secundo Sancti*, Ara Holocaustorum *stabat: ac inter Aram & Velum collocatum erat* Labrum, *è quo se abluebant Sacerdotes sacrificaturi. Ad hanc Aram omni ex parte populus, qui huc Sacrorum contemplandorum causâ conuenerat, prospectare poterat, vt Exod.c.26.27.36. 38. & 40. copiosius legitur: Vide etiam Naucler. vol.1. Gener.27.*

Apparatum seu structuram TABERNACVLI *Philo Hebræus ita describit interprete Francisco Zino Veronesi:* Octo & quadraginta, *inquit*, columnæ ex cedro non putrescente, magnis è plantis excisæ, profundo auro obuoluebantur, earumque singulis bases argenteæ binæ, & caput argenteum aptabatur. Quadraginta igitur in longitudinem ita disposuerat artifex, vt vtrinque viginti essent: in medio autem nullum relictum erat spatium, sed perpetuâ serie conjunctæ ita cohærebant, vt muri speciem præberent. Intrinsecus autem reliquas octo, sex quidem in medio loco, duas autem vtrinque in angulis, vnam dextrorsùm, alteram sinistrorsùm. Ad introitum verò quatuor alias ijs, quæ ex adverso positæ erant, similes, nisi quòd pro duabus basibus vnam habebant, post quas extrinsecùs aliæ quinque solis basibus differentes: erant enim ex ære. Quapropter omnes Tabernaculi columnæ præter duas illas, quæ non videbantur, erant quinque & quinquaginta perspicuæ, ab vnitate vsque ad decadem, perfectionis numerum absoluentes. Si quis autem velit illas quinque sejungere, quæ sub Dio collocatæ erant in Atrio, quod vestibulum vocauit, relinquentur quinquaginta: quo quidem numero sacratissimo continetur vis trianguli orthogonij, qui rerum omnium ortûs principium est. Expletur autem ex columnis, quæ intùs erant, quadraginta quidem in vtroque latere ita dispositis, vt vtrinque 20. essent, sex autem in medio, præter illas quæ juxta angulos occultabantur, & 4. ex adverso, super quibus Velum expandebatur. Mensura autem columnarum hæc est: Decem cubitorum longitudo, quinque autem cum dimidio latitudo, vt Tabernaculum omnibus partibus æquale videatur. Pulcherrimis verò & varijs Velis ex hyacintho, coccino, purpura & bysso contextis ipsum ornauit. Decem enim cortinas (sic vocantur in Sacra Scriptura) ex hisce, quæ modò dixit, generibus confecit. Harum singulis longitudo erat 28. cubitorum latitudo ad 4. cubitos extendebatur. Octo autem & viginti cubiti cortinarum ita distribuuntur, vt 10 fastigium tegant; (tanta enim est Tabernaculi latitudo) reliqui latera: novem vtrinque ita columnas operiant, vt vnius cubiti spatio distent à solo, ne pulchra sacraque textura laceretur. Quadraginta verò connumerantur ex decem cortinarum latitudine. Quorum triginta recipit longitudo, (tanta enim est & Tabernaculo) novem posterior pars: reliquum id, quod est juxta Vestibulum, vt totius operimenti vinculum sit. In Vestibulo autem Velum: sunt autem Vela cortinæ quodammodo, non solum quia fastigium & parietes tegunt, verùm etiam quia ex eisdem generibus, nempe hyacintho, purpurâ, coccino & bysso, Velum, & id, quod Operimentum dicitur, contexta sunt: hoc quidem intùs ad quatuor columnas, vt Adytum tegat: Illud autem foris juxta quinque, vt nullus eorum, qui non sunt initiati, ex speculo possit sancta perspicere. Porrò materiam, quam optimam judicavit ex innumerabilibus delegit, numero parem elementis, ex quibus constat vniversum, id est, terrâ, aquâ, aëre & igne, rationeque singulis respondentem. Byssus enim respondet terræ: purpura aquæ: hyacinthus aëri, quippe qui naturâ niger est: coccinum igni, quoniam vtrunque puniceum. Oportebat enim, vt qui mundi parenti ac principi Templum fabricabant, earum rerum similes caperent, quibus ipse mundum construxerat.

Hac igitur ratione Tabernaculum, vt sacrum Templum, exstructum est. In ejus autem ambitu delubrum ędificatum erat longitudinis centum cubitorum, latitudinis quinquaginta, quod columnas habebat 60. æquo quinque cubitorum intervallo distantes inter se, atque ita collocatas, vt per longitudinem 40. essent; per latitudinem 20. Vtrinque nimirum dimidia pars. Earum materia intrinsecùs erat ex cedro, extrinsecùs autem ex argento. Omnium bases æneæ, altitudo æqualis quinque cubitorum. Visum enim est aptum artifici, toto dimidio contrahere altitudinem Atrij, vt duplo sublimius Tabernaculum videretur. Tenues autem cortinę columnis per longitudinem & latitudinem cohærebant; Velis similes, vt nullus profanus introiret; At situs erat hujusmodi: In medio Tabernaculum

lum longum 30. cubitis,latum decem cum profunditate columnarum. Ab Atrio autem tribus partibus,æquis intervallis distabat, hoc est, ab vtroque latere, & à parte posteriore: interuallum autem erat 30. cubitorum. Contra Vestibulum verò majus erat intervallum, id est 50. cubitorum, & meritò quidem propter ingredientium multitudinem. Atque ita centum explebantur, cum 20. posterioris partis, & 30. Tabernaculi, cum his ingressuum quinquaginta conjungerentur. Vestibula enim Tabernaculi medium veluti terminum obtinebant, cùm quinquageni vtrinque essent tàm ab Oriente, vbi erant introitus, quàm ab Occidente,vbi longitudo Tabernaculi,& posterior ambitus. Sed & aliud pulcherrimum maximumque Vestibulum erat exædificatum in principio ingressus ad Atrium per quatuor columnas,in quibus Velum varium extendebatur, eodem pacto, ex eademque materia confectum, quà illa,quæ in Atrio erant, constabant. Simul etiam aderant sacra Vasa, Arca, Lucernæ, Mensa,Thuribulum,Altare. Atque Altare quidem ædificabatur sub Dio, è regione ingressus Tabernaculi, tanto distans intervallo,quanto Sacerdotibus opus erat ad facienda quotidiana Sacrificia. Arca verò in loco abdito, quò adiri non poterat, intra Vela, magnificè intùs & foris inaurata, cui quoddam veluti operculum imponebatur, quod in sacris libris dicitur Propitiatorium. Hujus longitudo latitudoque indicatur, sed nulla profunditas ad geometricæ superficiei similitudinem: quod quidem naturali notâ significat propriâ Dei potestatem: morali autem, propriam rursus Dei mentem,quę opinionem elatam ac tumidam modestiæ amore deprimere,scientiaque expurgare dignatur. In eo autem spatio, quod inter quatuor & quinque columnas intercedebat,& Antetemplum vocari potest, duobusque Velis vno intrinsecùs, altero extrinsecus tegebatur, tria reliqua ex Vasis,quæ ante diximus,ita collocabantur,vt Thuribulum locum medium obtineret: significaret autem terram & aquam, & quas gratias agere debeamus pro illis,quæ in vtraque genita sunt. Candelabrum autem ad austrum, per quod indicatur, lucentium stellarum motus: Sol enim & Luna,& reliquæ multùm à septentrione distantes, australes conversiones efficiunt. Quare sex radij ex medio ducti Candelabro,septenarium numerum reddunt: super omnibus autem lumina & lucernæ sunt septem,quæ septem illas Stellas,à naturalibus errantes,nuncupatas, indicant. Sol enim in medio constitutus, quartum locum tenet,& tam superioribus, quam inferioribus lucem affert æquè accommodatum, vt musicum planeque divinum instrumentum. Mensa verò ad Septentrionem locatur,vbi Panis & Sal. Boreas enim inde flat, qui ventorum omnium maximè ad gignendum conducit, &c. *Ita quidem Philo Iudaus: quibus etiam hac addit de Vase seu Labro aneo.* Extra vestibula,*inquit*,juxta introitus erat Vas æneum, quod artifex non ex rudi materia,vt fieri solet, conflauerat, sed ex Vasis ad alium vsum accuratè confectis, quæ studiosè prompteque contulerant mulieres, de pietate cum viris contendentes. Honestum enim Religionis certamen cum illis suscipere cogitauerant, &, quoad fieri poterat,operam dare, ne in eo ab ipsis vincerentur. Specula igitur, quibus ad se comendas & ornandas vti erant solitæ, nullius mandato, sed sponte sua, & continentiæ, casteque colendi matrimonij studio obtulerunt. Hæc artifex cum accepisset, conflanda existimauit, & nihil ex ijs conficiendum, nisi Labrum, quo Sacerdotes, in sacrum Templum ad constituta Sacrificia facienda ingressuri,pedibus & manibus abluendis vterentur: eoque signo commoniti, animi innocentiam præstarent, vitamque purè honestis officijs & actionibus instituerent, nec per asperam, seu vt verius dicam, inviam vitiorum, sed planam & publicam virtutis viam incederent.

Ad construendum Tabernaculum hoc, & ad reliquum Cultum Religionis, Israelita sponte suâ contulerunt quacunque habebant, aurum, argentum, gemmas, vestes, operam denique suam, tantâ alacritate, vt cùm offerendi finis non esset, operum prafecti Mosem admonere fuerint coacti, ediceret, Ne quis vltrò conferret aliquid. Impensa autem sunt in sacrum opus auri oblati Talenta 29. si li sacri 730. Argenti ex censu ciuium redacti Talenta centum, Sicli sacri 1775. De his Siclis facta sunt capita columnarum, qua & ipsa vestita sunt argento. Æris quoque oblata sunt Talenta septuaginta duo millia, & quadringenti supra Sicli, ex quibus fusa sunt bases in introitu Tabernaculi testimonij, & Altare aneum cum Craticula sua, omniaque Vasa qua ad vsum eius pertinebant. Exod. 35. & 38.

Tabernaculo perfecto & absoluto, quadam dona sunt oblata. Num. 7. Factum est autem in die quum compleuit Moses Tabernaculum,& erexit illud: vnxitque & sanctificauit cum omnibus Vasis suis, Altare similiter & omnia Vasa ejus: obtulerunt Principes Israel, & capita familiarum quæ

erant

erant per singulas tribus, præfecti eorum qui numerati fuerant, munera coram Domino, sex Plaustra tecta cum duodecim Bobus. Vnum Plaustrum obtulêre duo Duces, & vnum Bouem singuli: obtuleruntque ea in conspectu Tabernaculi. Ait autem Dominus ad Mosen: Suscipe ab eis, vt seruiant in Ministerio Tabernaculi, & trades ea Leuitis, juxta ordinem Ministerij sui. Itaque cum suscepisset Moses Plaustra & Boues, tradidit eos Leuitis. Duo Plaustra & quatuor boves dedit filijs Gerson, juxta id quod habebant necessarium: quatuor alia Plaustra & octo Boues dedit filijs Merari, secundum officia & Cultum suum, sub manu Ithamar filij Aaron Sacerdotis. Filijs autem Caath non dedit Plaustra & Boues, quia Sanctuario seruiunt, & onera proprijs portant humeris.

Item in dedicatione Tabernaculi, duodecim tribuunt Duces singuli obtulerunt Acetabulum argenteum pondo centum triginta Siclorũ, Phiala argentea habentia septuaginta Siclos juxta pódus Sanctuarij, vtrunq; plenũ simila cõspersa oleo in Sacrificium: & mortariorum ex decẽ Siclis aureis, plenum incẽso: Bouẽ de armento, & Arietẽ & Agnum anniculum in Holocaustum. Hircũq; pro peccato, & in Sacrificiũ pacificorũ Boues duos, Arietes quinq; Hircos quinque Agnos anniculos quinque. Num. 7.

Quomodo Deus Tabernaculum consecrarit.

Exod. 40. Postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes Tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud. Nec poterat Moses ingredi tectum Fœderis, nube operiẽte omnia, & Majestate Domini coruscãte: quia cuncta nubes operuerat. Si quando nubes Tabernaculũ deserebat, proficiscebãtur filij Israël per turmas suas: si pẽdebat desuper, manebant in eodem loco. Nubes quippe Domini incubabat per diẽ Tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israël per cunctas mansiones suas:

Ratio portandi Arcã, & reliqua instrumenta

Num. 9. A vespere autem super tentoriũ erat quasi species ignis vsque manè: sic fiebat iugiter: per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis.

De fine Tabernaculi.

Aaron & filij eius accuratè res Sanctuarij inuoluebant. Leuitæ verò portabant, neque fas erat Levitis attingere res quæ ad Sanctum Sanctorum pertinebant. Num. 4.

Fiebant autem ad Tabernaculum Preces & Sacrificia: Iudic. 20. *1. Reg.* 1.

Ingens autẽ Dei misericordia erat, quòd sese isti loco alligabat tali ratione, quòd vellet ibi esse præsens: vt certò statuerẽt Israëlitæ, Deũ sibi fauere, velle se tueri, & omnis generis bona corporis & animæ benignißimè largiri. Nõ enim solummodo verbo eos docuit & consolatus est, quòd velit eos ardentißimo amore cõplecti, fouere, gubernare, locupletare ingentibus bonis: sed insuper & istud externũ testimoniũ, incurrẽs etiã in oculos, adjungere voluit, vt isti populus quẽ in peculium sibi delegat, certißimè sciret Deũ sibi fauere, protecturũ se esse aduersus hostes, & omnia quæcunq; promisisset etiam impleturũ. Secundò, vt ibi quoties opus esset in vicino loco, consulerent Dominũ de omnibus rebus agendis: ne putarent Deum in abdito & lõgißimè remoto cæli loco degere, & res humanas, præsertim verò Ecclesiæ, parũ curare. Tertiò, ne pro libidine sua quisque Cultum Dei institueret: sed in hoc loco veluti in Dei cõspectu, Sacrificia peragerentur, ac preces fierent. Quartò, vt omnes tam propinquum Deum metuerent, ne ab eo deficerent, aut peccarent: sed scirent Deum cernere ista omnia, & malefacta seueriter punire, id quod experientia declarauit.

Stetit Tabernaculum hoc in Israële, cuius Moses iussu Dei author fuerat, annis 478. *Sub Solomone autem abrogatum est, & Templum, ex mandato Domini, augustißimum, in eius locum repositum: de quo nunc agemus.*

CAPVT III.

De TEMPLO Hierosolymitano.

Templũ Hierosolymitanũ à Solomone quãdò ædificatum.

D*Euictis enim & debellatis à Dauide hostibus, & pace per ipsum Israëli redditâ Solomon eius filius magnificentißimum, splẽdidißimũ atque pulcherrimum Templum Domino ædificauit, annis* 478. *ab initio erecti Tabernaculi in deserto à Mose, anno autẽ imperij Solomonici quarto jam incipiente* 3. *Regum.* 6. *ab ortu Adami primi hominis tribus millibus centum post annis, secundum Polyd. Vergilium lib.* 3. *ca.* 9. *alij tamen annum imperij Solom.* 11. *numerant. Hebraicè* Mikedasch, Sanctuariũ *vocatur: tum quòd ibi Sanctus Sãctorum Deus inhabitare diceretur, tũ quòd in illud ingredi nõ deberent, nisi Sancti, id est Populus Deo consecratus & sanctificatus: tum denique quòd non nisi ad vsus sanctos esset ædificatum, indeq; Deus suas Populo communicaret sanctitates sanctaq; sua dona. Iisdẽ de causis appellatũ etiam fuit* Domus sanctitatis ejus, *scilicet Iehouæ:* Domusq; Dei. *Item* Hechal, *quod* Palatium magnũ *significat. Fuit enim Tẽplum illud magnũ & sublime Palatiũ, Domusque Dei: fortasse à verbo quod significat* Posse, *vt sit Palatiũ quod magnâ potentiâ & sumptu factum est.*

Neque aliud vllũ magnificẽtiæ operis & impensarum regalium certius indiciũ fuerit, quàm quòd sacræ literæ testantur, plus ducentorũ millium hominũ opere, septimo demùm anno mense 8. *ad finem perductum absolutumq; esse. Habebat enim Rex in Tẽplo hoc ædificãdo hominũ* 30000. *quos in Libanũ denos millenos in mẽsem per vices mittebat, ita vt cùm in Libano singulos menses materiã pineam & cedrinam cecidisset, domi binos mẽses essent. Iis præerat Adoniramus. Vectorũ* 70000. *Lapicidarũ* 80000. *habebat: Operis*

Numerus operariorũ Templi.

præfi-

Templi Salomonici descriptio.

præfectos 3300. Latitudo Templi huius fuit vicenûm cubitorum, sexagenûm longitudo: altitudo fornice distincta centenûm & vicenûm. Inferioris structura materia erat ex candenti saxo. Amplitudo Vestibuli denûm cubitorum. Cellæ erant vicenæ pernio inter se vsu, & alia his supposita. Trabes erant Cedrinæ, Cedrina concameratio auro illita, vt parietes omnes. Sanctior locus à reliquo Templi corpore distinguebatur muro, in quo erant ianuæ sculptæ, Vela ductilia, variis mæandris & floribus intexta. Duo Cherubini ex puro auro, Pauimentum petalis aureis instructum. Ianuæ vicenûm cubitûm altitudine auro coruscantes. Ante Vestibulum erant duæ columnæ æneæ 18. cubitorum altitudine, ambituq́ duodenûm. Erat & Vas æneum tantæ magnitudinis, vt ab re nominatum sit Mare, quod Mare, quod vituli 12. diuersas mundi plagas terni singulas prospectantes circũstabant. Fuit Vas illud trium millium batorũ capax. Erant & alia figura quas longũ esset recensere. Altare fuit æneam denûm pedum altitudine, lõgitudine duplo maiore. Itẽ Mensa vna aurea, Phialæ & Pateræ aureæ decẽ millia. Argenteæ quadruplo maiore numero. Candelabra plurima ex auro & argento fabricata. Circa Templũ aula capacissima, in qua profanus populus consisteret. Rauistius ex lib. 3. Reg. cap. 6. & 7. item 2. Paralip. 3. cap. vt mirum non sit famam illius toto terrarum orbe increbuisse.

Summa verò sumptuum in Templum hoc collatorum fuit maxima: Solomon obtulerat auri Talenta centum millia, & argenti mille millia Talentorum: 1. Paralip. 22. Præterea gemmas omne genus plurimas, & ex selecto auro ophir: Talenta insuper ter mille, argenti defecati millia septem ad integendas parietes. Quæ verò Principes obtulerunt ab ipso prouocati, erant auri Talentorũ quinquaginta millia, & drachmarum centena millia. Argenti verò Talenta millena millia, præter ingentem copiam ferri, æris & chalybis.

Templũ Salomonicum quando & a quo destructum.

Augustissimum autem hoc Templum Solomonis Nabuchodonosor, sic merentibus peccatis Iudæorum, spoliauit & incendit, ac reliquam ciuitatis partem solo æquauit per Nabuzardan militiæ principem, abductis inde reliquiis Babylonem in seruitutem. Iosephus lib. 10. cap. 10. Antiquitatum ait, Templum hoc concrematum post annos 470. menses 6. & dies 10. ex quo ædificatum sit. Ab egressu verò populi ex Ægypto tunc annos fuisse *dicit* 1062. menses. 6. diesq; 10. *A Diluuio autem vsq́ ad vastationem Templi omne tempus fuisse annorum* 1957. mẽsium 6. dierum 10. Ab Adamo 3513. mens. 6. dierum 10. *Ita quidem ille.*

Templũ Hierosolymis. à quo & quando reparatum.

Funccius verò in Chron. numerat annos tantùm 423. Matth. Beroaldus 426. alij 430. nonnulli 440. Eusebius in Chronic. 442. Verùm interfecto Nabuchodonosoris filio Balthasare, & deletâ Babylonicâ Monarchiâ, Cyroq́ imperium tenente, Daniel regi persuasit, vt captiuis Iudæis libertatem edictis publicis restaurãdi Templum & vrbem concederet. Inchoatur igitur Cyri beneficio Templi exstructio anno eius secundo, Zorobabele nepote Regis Iechoniæ Duce: cùm annis 15. antè Templũ Delphicum secundâ vice incensum fuisset, Eusebio & Funccio testibus. Sed facessunt ædificantibus negotium, opusq; impediunt Samaritani, alijq; in vicinia populi, veriti, ne si eo loco rursus ciuitas ædificaretur, sibi de dignitate cõmodis plurimùm decederet, Religio etiam quam habebant præ Iudaica vilesceret. Cyro autem bellis variisq; negotiis implicito, ac demùm etiam à Schytis seu Massagetis occiso, defensare destituti, aliquãdiu opus intermittere coacti sunt Iudæi, præsertim Cambyse suapte malitiâ, & peruersis etiam instigatoribus accensa, edicta promulgante, ne ædificatio Templi continuaretur. Tandem sub Dario Hystaspe, opus Templi, publicâ authoritate regis, impensis etiam additis, consummatum est. Atqui à secundo anno Monarchiæ Cyri, quo prima Templi huius fundamenta à Iudæis iacta sunt, vsque ad Darij Histaspis imperij annum sextum, quo ædificium Templi perfectum absolutumque fuit, colliguntur anni 21.

Error Ioan. Carionis & aliorum.

Hîc verò prætereundũ non videtur, quod Ioãnes Carion in suo Chronico, aliiq; nonnulli Templi huius posterioris absolutionem annum 6. Darii Longimani referunt, intelligentes vtiq́ per Darium eum, de quo Esdr. 6. cap. scribitur, quòd anno imperii eius 6. Templum absolutum sit, non Histaspis filium, sicut nos Iosephum secuti, sed eũ qui Longimanus, ab ea quòd dextra eius longior quàm sinistra fuit, dictus est. Facilè autem erroris conuincũtur illi temporum diligenti supputatione, quom longius extrahũt, quàm Templi absaluti historia ferat. Constat enim ex Haggæo & Esdra, cuius rei paulò infra quoq́ mentionem faciemus, post absalutum posterius Templum adhuc superstites fuisse aliquos, qui Templum Solomonicum viderant. Si verò tempora à reditu ex Babylone vsq́ ad annum Longimani 6. supputes, quo illi demum absolutum fuisse Templum aiunt, colligentur anni non pauciores 80. Regnauit enim Cyrus post captam Babylonem annis 7. Cambyses 8. quibus menses 7. quoque includuntur quibus Magi regnârunt. Secutus est Darius Hystaspis filius, quem 36. annis regnâsse Historici referunt. Post hunc Xerxes annos 20. imperauit, quibus adnumerandi menses 7. Artabani, qui Xerxem occiderat. Successit tandem Longimanus, cuius anni priores 6. cum iis quos modò enumerauimus, conficient annos 80. His si annos 70. Captiuitatis addas, prouenient anni 150. quibus Iudæi Templo caruissent: quod vt absurdum est affirmare velle, ita nullis scripturæ sacræ aut historiarum fide dignarum testimoniis nititur: neq́ etiam illa tempore homines tam longæuos fuisse legimus, vt de priori Templo testimonium certum ferre potuerint. Neque enim hîc mihi Iudæorum fabulas quis-

quisquam obijciat, qui Mardochæum, cum Iechonia in exiliũ abductũ, Isaaci patriarchæ ætatem annis octodecim excessisse, & ducentis ferè annis vixisse aiunt. Nota est enim illorũ inscitia atque audacia, quâ quiduis cõminiscuntur & commenta sua pro Oraculis authenticis obtrudunt. Scimus etiã, quæ iam tunc fuerit conditio hominũ & quòd multis seculis anteà cessauerit prisca illa viridis longæuitas, quâ patres donauit Deus, vt creationis mundi historia & promissionum ipsius veritas atque fides testibus pluribus confirmaretur.

Templũ reparatum quale.

Fuit autem hoc templum à Iudæis post reditũ è Babylone ædificatum Solomonico nequaquam simile, etiam si ipsum quoque pulcherrimum fuerit. Refert enim Esdras, seniores quosdam ex Iudæis cùm instauratũ ab exilio intuiti essent Templum, plorare cœpisse, prioris Tẽpli memoriâ, quippe cui secundaria illa structura non responderet. Fractæ enim fuerant exilio opes Iudæorum, & remoram subinde Samaritani iniecerant. Fuit autem hoc posterius Templum priori non comparandum, non solùm quod ad externam formam attinet, sed etiam in alijs quibusdam. Thalmudistæ in duobus præcipuè rebus id ostendunt. Primò dicunt, Vasa ferè omnia, quę in primo Templo aurea fuerint, in secũdo facta fuisse ænea. *Deinde aiũt,* sanctitatis primi Templi indicia, in secundo defuisse. *Neque enim ignis, qui in primo Templo de cœlo descendens. Holocausta comburebat, in secundo vnquam descendere visus est. Nec gloria Dei, qui in primo Templo in Sancta Sanctorum inter Cherubim apparere solebat, in secundo vnquam apparuit. Nec Spiritus sanctus, qui in primo Templo ad loquendum cum prophetis sæpissimè veniebat, in secũdo venire solitus fuit. Quæ omnia in Thalmud probari videntur. Nam in libro Sanhedrim Hierosolymitano in cap. Ellu hen haggolin ait Rabbi Samuel:* Quinque res defuerunt in vltimo Templo, quę in primo fuerunt. Ex eo quod dictum est Haggæ cap. 1. Ascendite in montem, & afferte lignum, & ædificate domum, & contentabor in ea, & honorabor, dixit Deus: Veccabda id est, & honorabor vel honorabo, scilicet eam, diminutè scriptũ est, sine litera He finali, quę quinq; designat, ad significandum quinq; res, in quibus Sanctuarium vltimũ fuit à primo diminutũ: videlicet Ignem, Arcam, Vrim, Vethumim, id est, lumina & simplicitates, hoc est, Rationale judicij, oleum vnctionis, & Spiritum sanctum. *Glossa etiam Rabbi Solominis super verbo Veeccabda, sic dicit:* Deest hic litera He, quæ quinq; significat, ob quinq; res quę in secundo Templo defuerunt, videlicet Vrim Verhumin, Arca, Ignis, Diuinitas & Spiritus, *vt refert Pet. Galatinus lib. 4. contra Iudæos. Vide etiam Genebrardum in Chron.*

Posterius Templum quibus potissimũ in rebus priori inferius, nec comparandum.

Posteà verò Herodes cognomento Magnus anno regni sui 18. exclusiuè numerando, ad Templũ hoc conuersus, incredibili ipsum magnificentiâ, spatio 8. annorum ex fundamentis nouum priore destructo, erexit, additâ turri, quam in honorem Antonij appellauit Antoniam, porticibus etiam adiũctis vario opere visendis, sed & portis Templi magnitudine & artificio iam præstantibus, vt vnam ex illis vulgo speciosam *appellarent, & Porticum quandam propter operis elegãtiam primi conditoris nomine dignarentur, neq; enim aliter à Iudæis quàm* Solomonis porticus *est vocata. Exstat prolixa descriptio huius Templi, apud Iosephum lib. 15 cap. vltimo. Adscribam autem eam descriptionem quæ apud Iosippum abbreuiatorem Iosephi habetur. Is igitur,* Cogitauit, *inquit,* Herodes innouare domum Sanctuarij inijtque consilium cum Israëlitis, vt exstrueret eam juxta mensuram illius quam exstruxerat Solomon rex Israël. Nam reuersi ex captiuitate tempore Cyri, cœperunt ipsum exstruere juxta mensuram quam Cyrus præscripsit, & non vt antea fuerat. Et cùm omnis Israël audisset, quòd Rex vellet funditùs destruere Templum, non responderunt ei, timentes si destrueret ipsum, tardè reædificaret. Quod cùm illum non lateret, respondit eis, se non segniter acturum donec opus perficeret. Iussit propterea proferri aurum & argentum ex Ærario suo plurimum, quod daret cæsoribus optimorum lapidum, præsertim saxorum & marmoreorum, & artificibus lignorum, lapidum, auri, argenti, æris & ferri, qui facerent cuncta requisita ad tale opus, vt sic cũcta essent parata, & cum destrueretur Templum, absque mora iterum exstruerent. Demolitus est ergo Templum, & reædificauit ipsum atque consummauit longitudine C. cubitorum, latitudine C. cubitorum, altitudine C. cubitorum, omnia albo marmore, eratque altitudo lapidum CXX. cubitorum ex fundamento: XX. scilicet ingrediens terram, & C. supereminens: Latitudo vnius lapidis erat XII. cubitorum & crassities ejus VIII. cubitorum: eratque ęqualis mensura omnium lapidum. Porrò Ostia vestiuit auro mundo, cui inclusi erant lapides pretiosi, Vectes autem eorũ & Capitella erant argentea. Fecit & porticum, & à facie ejus duos argenteos parietes, opere ingenioso. Porrò retro Templum ad angulum occidentalem fecit Atrium, longitudine CL. cubitorum, latitudine C. cubitorum, strauitque ipsum lapidibus marmoreis puris. Sic in latere meridionali & aquilonari fecit Atrium longitudine CL. cubitorum, constituitq; in eo CL. columnas marmoreas albi coloris per quatuor ordines, XL. cubitorum erat longitudo vnius ordinis, & altitudo columnæ erat XL. cubitorum & crassities ejus trium cubitorum: habebantque singulæ columnæ mensurã vnam. Proinde Atrium australe & septentrionale erant vnius

mensuræ, nec differebant in columnis. In plaga verò orientali, extendebatur septingentis & viginti cubitis vsque ac torrentem Cedron. Non visum est tale Ædificium in vniuerso mundo & quicquid fecit Herodes in hoc Templo, fuit mirabile, nec auditū est de vllo Rege in toto mundo, quòd potuerit tale facere Ædificium. *Hæc Iosippus.*

Igitur Herodis opus fuit, quod Apostoli admirati Christo visendum commonstrârunt Matth. 24. Egesippus tamen libro 1. cap. 55. *indicare videtur, Templum hoc Hierosolymitanum non demolitum & aliud prorsus nouum ex fundamentis exstructum, sed tantùm exornatum & restauratum fuisse ab Herode:* Quintodecimo, *inquit*, sui regni anno, vt beatitudini suæ responderet, & gratiæ tanto rerum secundarum successu leuatus, ad pietatem intendit, & vt se gratum cœlestibus in se supra modum fluentibus beneficijs demonstraret, Templum ORNAVIT: omnem illum circa Templum loci ambitum circumuallauit muro, geminatisque spatijs inclusit immensū ædificandi sumptu, & exquisito decore. Indicio erant magnæ circa Sacrarium porticus, quas exstruxit ex fundamentis: nec minor tuendi quàm ornandi intentio. Siquidem Castrum Aquiloni communiuit subjacens, quod appellauit Antoniam, propter Antonij gratiam, nullo infestius superiorum palatiorum. Sed notandum, quod Egesippus, is cujus opus habemus de excidio Hierosolymitano, non is est, quem Apostolorum tempore vixisse historię testantur: sed alius aliquis, qui post Constantinum Imperatorem vixit, vt indicat Barræus prefatione in eos libros: Major ergo fides habenda hîc est Iosepho.

Explicatio loci Ioan. 2.

De hoc etiam Herodiano Templo D. Chrysostomus hom. 22. in Ioannem aliją́ nonnulli rectè mihi intelligere videntur verba illa Iudæorum quæ Ioan. 2. c. extant: Quadraginta & sex annis ædificatū est *(inquiunt)* Tēplū istud, & in trib. diebus eriges illud? *Nam si numerauerimus exclusiuè annos à 18. anno Imperij Herodis, quo Tēplum hoc renouare cœpit, Iosepho teste, quique fuit annus mūdi juxta Funccianā supputationē 3947. vsą́ ad annum mundi 3992. quo Christus à Ioanne baptizatus est, quoą; hoc, quæ ab Euangelista Ioanne hic referuntur, acciderunt, exibunt præcisè anni 46. At inquies, Opus Templi ab Herode fuisse inchoatum & absolutū non annis 46. sed 8. tantùm, si Iosepho credimus. Respondeo, verū quidem hoc esse: Scimus autem majora illa Ædificia, cujusmodi fuit Templi Herodiani etiā nō ita primo conatu absolui & perfici, quin subinde quadā ad ornatum potius & commoditatem, imò luxum quoque & ostentationem, quàm ad necessitatē pertinentia, addantur; id quod hodiè in Templorum cathedralium exstructione ita vulgare est, vt certi quoque redditus huic vsui assignentur. Sensus erga verborum istorum hic est, Iam anni 46. euoluti sunt, ex quo Templum hoc exstrui cœpit, & vix nunc demum absolutum est. Neque dubium est quòd si multi simul jam omnem suam operam in vnum conferrent, vix annis 46. tantum Ædificium absoluerent: Qua ergo isthæc tua est confidentia, quòd intra triduum te illud confecturum esse gloriaris? Hinc errare mihi videntur, qui verba hæc de Templo, post reditum mox ex Babylone exstructo, intelligunt. Primò enim constat, Templum hoc non ampliùs eo tempore stetisse, quo hæc à Iudæis dicta fuêre, sed aliud & quidem nouum ex ipsis fundamentis ædificatum ab Herode, hoc enim clarè testatur Iosephus lib. 15. Antiq. cap. vltimo. Cui ergò non verosimile videatur eos de hoc ipso quoque locutos? Deinde quoad vetus Templū, neque illud etiam totis annis continuis 46. fuit exstructum: sed cùm ejus fundamenta anno à reditu ex Babylone 2. magna cum alacritate & gaudio iecissent, mox vicinorum insidijs & comminationibus, ab opere incæpto cessârunt, vsque ad annum 2. Darij Hystaspis, quo ad opus redierunt, idque absoluerunt: quo toto temporis spatio, non plures quàm 21. anni elapsi sunt. Neque verò me latet Eusebij in Chronico, & recentiorum quorundam sententia, qui Cyri Monarchiæ annos 30. tribuunt: quo ipso multis sese erroribus implicant. Primò confundunt tempus deuicti Astyagis Medorum Regis, & expugnatæ Babylonia, & putant vno & eodem tempore hæc accidisse: sed errant. Regnauit quidem in vniuersum Cyrus annis 30. Deuicit autem Astyagem annis amplius 20. antequam cœpisset Babylonem, quod ex historijs facilè colligitur, & probatissimi quique authores testantur, ipsum annis tantum 7. post coptam Babylonem regnâsse. Deinde ex ipso quod dicunt, Cyrum post constitutam Persicam Monarchiam & dimissos Iudæos annos 30. imperâsse, tempus multò longiùs quàm debebant extendunt. Nam si Cyri annis 30. addis Cambysis 8. & Darij Hystaspis 6. erunt anni 44. Quod si iisdem annos 70. captiuitatis adnumeres, efficientur 114. At verisimile non est, sicut & paulo ante demonstrauimus, superstites aliquos, absoluto Templo, fuisse qui de Templi Solomonici, ante tot annos exusti, forma, situ, splendore & magnificentia testari potuerint: quando ista puelli pauculorum annorum minimè obseruant. Præterea juxta Eusebij supputationem ab anno incensi Templi; & captiuitatis Babylonicæ vsą́ ad annū quo prima ejus fūdamenta sunt iacta colliguntur tantùm 32. anni, quibus Iudæi in Babylone fuissēt: quod etiā Hermanus Contractus in suo Chron fol. 72. annotat. Et si maximè demus illis vera esse quæ dicunt, nihilominus tamen inde quod volunt non euincent: nam anni Cyri 30. Cambysis 8. & Darij Hystaspis 6. non 46. sed tantùm 44. annos cōficiunt.*

No

Nec est quod nobis authoritatẽ Eusebij hanc sententiã defendẽtis, objiciant: Nã Ioannes Funccius accuratus Historicus lib. 2. Cõment. in Chron. testatur, quòd is aliquib. in locis, præsertim verò in Persarũ regno, ab historia veritate, quoad temporũ rationẽ, discesserit: & doctissimus vir Iosephus Scaliger lib. 6. de emendatione temporũ plus indicij, quàm studij ac dilgentia in Eusebij historijs requirit. Eodem modo lapsus est quoque in computatione annorum quibus Romã Petrus Antiochiâ venit, ibique Ecclesiam rexit. Dicit enim Petrum Claudij Imp. 2. anno Romam venisse, tenuisseque Episcopatum Rom. annis 25. Vtrunque autem falsum est. Colligitur enim ex Paulo Hierosolymis fuisse Petrum etiam post octauum annum imperij Claudij. Nam ad Galat. 1. & 2. cap. à tempore vocationis suæ continuò se Damasco in Arabiam abiisse testatur. Magno autem eruditorum consensu asseritur, annum post Christi ascensionem fuisse conuersum Paulum. Sed & hoc certũ est annis tribus Damasci moratũ esse, cùm ex Arabia redisset. Deinde post annos quatuordecim rursum ascendit Hierosolymam cũ Barnabo, vbi Evangeliũ suum cũ præcipuis Apost. Iacobo, Ioanne & Petro quoq; contulisse se affirmat. Cum igitur annũ illũ post quẽ vocatus est tribus illis quib. ex Arabia rediẽs Damasci egit, adnumeramus, & 14. annis quib. in Syria Ciliciaq; prædicauit Christum addimus, numerus annorum 18. colligitur, quot anni computantur à morte Christi vsq; in octauum Claudij annũ: eò & aliquãto post etiã Petrus Hierosolymis fuit, nimirum ad annũ vsq; 20. juxta aliquos, ob ascẽsione Christi. Porrò si verum est quod idẽ Eusebius, Petrũ 7. annis Antiochenæ Ecclesiæ præfuisse, atq; inde Romã primùm venisse constabit eum Romæ non amplius annis decẽ commoratum esse. Nam anno 37 post ascensionẽ Christi cæsus Petrus vnanimi consensu authorum dicitur.

Adstipulatur nostræ sententiæ de Herodiano Templo Cæsar Baronius, qui Tomo 1. Annalium anno 31. inquit: Cùm hæc vidissent, atq; dixissent Iudæi: Quod signũ ostendis nobis quia hæc facis? respondit Iesus: Soluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Tunc illi: Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Pari cõsensione omnes interpretes in eam abierunt sententiam, vt de Templo quod sub Zerobabel est ædificatum, Iudæi intellexerint: quod licet aliquo interposito spatio, tamen tot annorum numero & paulo majori constat ædificatũ. Sed his mirum in modũ contradicere videntur quæ Iosephus testatur, Herodem vetus illud Templum sub Zerobabel erectum, fuisse demolitum à fundamẽtis, & nouum desuper ab eo ædificatũ, idemq; octo annis esse absolutũ: sunt hæc ejus verba: Sublatis deinde veteribus fundamentis & nouis repositis, desuper Templum exstruebat, &c. ostendit pluribus tã exteriores, quàm interiores Templi porticus, & tã quod foris in Atrio, quàm quod erat intrinsecus, ipsa penetralia, ac tandẽ (vt vno dicam verbo) integrũ ipsum Templum à fundamẽtis per Herodem esse excitatum. Quæ ergo causa vt Iudæi ab ædificatione sub Zerobabel facta deducere argumentum voluerint, cùm illud ampliùs non extaret? Vel quònam modo de Templo quod tunc exstabat, dicere potuerunt: Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, quod scilicet præ oculis erat: cum illud (teste Iosepho) annis octo & nonnihil supra exstruxisset Herodes? Certè adeò res in angusto posita esse videtur, vt dicere alterum de duobus sit opus: vel Iosephum mentitũ esse, vel Iudæos esse hallucinatos: quos quidẽ, cùm de rebus omnibus notis agerent, & eo argumento Christi verba redarguere vellent, nulla potest esse suspicio, tã nota atque patentia esse locutos mendacia, adeò, vt non à Christo tãtùm, vel à Discipulis ejus, sed à quouis è vulgo homine redargui erroris potuissẽt. In Iosepho ergo vacillat fides historica, atque eò magis, quòd suâ ipsius sententiâ redarguitur: quippe qui prius dixerit, cum de Templo ab Herode exstructo ageret, verus Templum integrum demolitum esse, & aliud nouiter constructum. Alibi autem, cûm agit de rebus Iudæorum sub Nerone gestis, porticum Orientalem, Solomonis maximum opus, adhuc integram permansisse testetur. & certò quidẽ: haberõr enim ejusdem mentio in Evãgelio, & in Actis Apostolorum. Sed non patitur ratio, vt illi de Templo Solomonis voluerint intelligere, quòd longè minori annorum numero est ædificatum, scilicet annis septem, vt testatur diuina Scriptura. Nos autem verius existimamus, Iudæos de Templo ab Herode restituto esse locutos, fuisseque veram eorum sententiam hoc sensu acceptam, vt cùm dixerunt: Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc: tempus respexerint à quo ab Herode cœptum est ædificari, ac inde vsque ad præsentem annum numerauerint annos quadraginta sex. Nam quantumlibet affirmet Iosephus Templum ipsum octo annis fuisse ab Herode absolutum, tamen ejusdem assertione certissimum est, perseuerâsse ipsam Templi structuram vsque ad tempus Neronis, operantibus in eo circiter octodecim millibus opificum. Sicque illos dicere voluisse, concludendum est: Hoc opus quod oculis cernitur, 46. annis absolutum est, & tu in tribus diebus excitabis illud?

De hoc quoque Herodiano Templo Iudæi, quos etiam nonnulli ex nostris sequuntur, Haggæi Prophetæ locum, qui cap. 2. exstat, intelligunt, vbi dicit, Major erit gloria Domus hujus poste- *Locus Haggæi cap. 2. explicatur.*

rioris, quàm prioris. Sed errant, non advertentes quid ibidem sequatur, nimirum, Et dabo pacem in loco isto: quæ verba nullo modo ad Templum Herodianum pertinent, in quo pax nulla vnquam fuit, si historijs credimus. Primò enim ab Herode ædificatum fuit, qui præcipuus Iudaicæ libertatis oppressor fuit. Deinde seditionum & cædium causas perpetuas miseræ genti præbuit. Pilatus enim, cùm ex Templi pecunijs aquæductum exstruere instituisset, Iudæos non sine conuitijs contradicentes ingenti clade mulctauit. Sub Claudio autem Iudæorum 20000. in die Azymorum per seditionem occisa esse, Orosius testatur. Ionatas verò Pontifex in ipso Templo à latronibus per Felicem Præsidem submissis cæsus est: & ab eo tempore illud latrocinijs assiduis infestatum fuisse Iosephus scribit. Cùm verò bellum illud fatale immineret, in Templo maximè eluxit Dei ira, cùm circa illud prodigia creberrima viserentur, & in illo postea omnium maxima clades populi fieret, adeoque ante ipsam Aram multi crudeliter trucidati occumberent. Ad Ecclesiam Christi ergo hæc Prophetæ verba referri debent, cujus gloria tantò major est, quàm vel Solomonici vel Herodiani Templi vnquam fuerit, quanto meliores sunt lapides viui, quibus credentibus renouatisque construitur, vt Augustinus ait lib. de Ciuit. Dei 18. cap. 48. adeoque Propheta Iudæos à typo ad rem ipsam, nempe Ecclesiam spectandam reuocare voluit: quod D. Augustinus modò citato loco perpulchrè perque diligenter exponit.

Baronius Tom. I. Annal. refert, circa Templum à Solomone extructum Cellas fuisse ter tricenas, siue nonaginta, alias alijs impositas: atque easdem Cellas in Templo post reditum à Babylone extitisse, probat ex Cap. 3. Esdræ. Sed hæc probatio non satis est firma: Neque enim ibi expressè dicitur, quod vult Baronius, quin ex historia contrarium potius elicere possumus. Nam testatur Iosephus lib. 15. cap. 14. Reges Persarum, Cyrum & Darium, quorum permissu surgebat ædificium illud, structuræ modum certum definijsse, nam ait: μέτρα τῆς δομήσεως ἔδοσαν: ac proinde defuisse illi in altitudine cubitos sexaginta vt prius æquaret. Sed coniecturas istas jam nihil moramur. Concedimus nos quoque, in domo secunda, illa quoque quam extruxit Herodes, cellas fuisse. τριστέγους, id est, trium contignationum: etsi an fuerint Cellæ nonaginta, vt olim non immeritò dubitatur. Iosephus lib. 5. de bello Iud. cap. 14. sic scribit: Περὶ δὲ τὰ πλευροὶ τοῦ κάτω ναοῦ δι' ἀλλήλων ἦσαν οἶκοι τρίστεγοι πολλοὶ καὶ παρ' ἑκάτερον εἰς αὐτοὺς ἀπὸ τῆς πύλης εἴσοδος τὸ δ' ὑπερῷον τούτους μὲν οὐκ εἶχε παρ' ὅσον ἦν καὶ στενότερον. Fortasse scribendum τοσούτους, tot cellas non habuit: non τούτους has cellas: Supereríoribus, inquit, cœnaculis non sunt tot cellæ adstructæ, quia illa pars angustior est, quàm inferiores. Ruffinus tamen aliter & cum vulgo sentit. Sic enim vertit: Circa latera inferioris Templi mulcta erant membra per via triplici tecto suspensa, & ad vtrunque latus ad ea introitus à porta patebat. Desuper autem pars eadem membra non habebat, quominus erat angustior (hoc est angusta.)

Incensum autem & vastatum est etiam Herodianum hoc Templum sub Tito Imperatore, ipso quidem reclamante & prohibente, structuræ, vt arbitror, admiratione capto, anno Christi 69. juxta alios 71. vel, secundum aliquos 72. vel etiam 73. Henricus Vuolphius, in Chronologia Ecclesiastica, quam magno judicio scripsisse videtur, anno Domini 71. concrematum fuisse Templum hoc ratione se deprehendisse scribit. Iosephus, inquit, & Egesippus tradunt eâ ipsâ die Tēplū incēsū esse, quâ fuit antea vastatū & in cineres missum à Chaldæis: & nominatim Iosephus exprimit diem 10. mensis λῴου, hoc est, quinti, qui Hebræis dicitur Ab, alibi enim mensem Nisam Zanticū vocant. Templum autē primum 9. & 10. diebus ejusdem quinti mensis à Babylonijs vastatum fuit, vnde nona dies, quâ primùm injectus est ignis, postea semper Lugubris & Iejunio deplorata fuit. Deinde Dion Nicæus in Vespasiano refert, Hierosolymā die Saturni Iudæis sacro sabbato scilicet, concidisse. Quod si verò in prædictis annis feriā decimi aut noni dierū quinti mensis quæras, in solo ex prædictis 71. anno feriā 7. deprohēdes. Fuit annus ille cōsūmatæ desolationis Vrbis, Tēpli & Gentis mundi 4028. æræ 3830. Domini 71. Noui Test. 37. Cycli 202. vndecimus annus intercalaris. Neomenia hujus anni fuit 3.2.258. Adde huic menses 11. vnū scilicet pro intercalari mense, & 10. vt prodeat Neomenia mēsis 11. invenies Neomeniā mensis Ab, 11. à Tisri, vel adjecto intercalari 12. quinti verò à Nisan 5.22.341. Si retineas feriā 5. (vt anni consueta forma fert: Nam translatio fit tantùm in capite anni, si sit annus ordinatus, vt hic est) habebis septimam in die decima, qua Iosephus Vrbem & Templum vastata & combusta tradit.

Templū Herodianum quando incensum.

Arsit igitur inuito Tito Templum, quod (vt Iosephus ait) sententia Dei dudum damnauerat, aderatque euolutis temporibus fatalis dies. Mirum autem, quod idem Iosephus asserit, eodem die sub Tito incensum, quo etiam antea Babylonij incendissent, hoc est, decimâ Augusti die non. 8. vt Funccius habet, quo tantum expugnari cœpit, Iosepho teste lib. 7. c. 9. de bello Iudaico.

Genebrardus in Chronograph. dicit, stetisse hoc Templū posterius annos 521. vbi etiā addit, errare Kimhi, qui in Haggai c. 2. tantùm 420. numeret, itemq; Rabbi Leui in Danielē, qui 437. & dimidiū. Beroaldus in Chro. habet annos 525. Funccius in sua Chronol. ab anno 6. Darij, quo Ædificium Tēpli absolutū fuit, vsq; ad ejus vastationē numerat annos 585. Iosephus autem lib. 7. de Bello Iudaico c. 10. hac de re ita scribit: À prima (inquit)

Templū posterius quandiu steterit.

structione

ſtructione Templi, quam Solomon rex inchoauerat, vſque ad hoc excidium, quod euenit ſecundo anno Principis Veſpaſiani, mille centum triginta colliguntur anni, menſes 7. ac dies 15. A poſteriore verò, quam ſecundo anno Cyri Regis Haggeus fecerat, vſque ad excidium, quod Veſpaſiano imperante ſuſtinuit ciuitas, anni ſexcenti triginta nouem, & dies 45. *Hac verò Ioſephi annorum ſupputatio ſibi minimè conſtat: ſi enim annos 470. quibus Solomonicum Templum à prima ſtructione ſtetit, vt ſupra ex Ioſepho indicauimus, cum 70. annis quibus Iudæi in Babylone fuerunt detenti, addas his 639. annis, quos hîc euolutos dicit Ioſephus ab initio poſterioris Templi, vſque ad eius excidium, faciunt annos 1179. non (vt Ioſephus colligit) 1130.*

Templū non amplius reparatum

Duo præterea hîc obſeruanda veniunt. Primum, quòd poſt hoc vltimum excidium Vrbis & Templi Hieroſolymitani, illud nemo amplius inſtaurare aut rurſus exſtruere potuerit: iuxta Seruatoris noſtri vaticinium, Non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem. *Cùm enim ſub Ælio Adriano Imperatore circa annos nati Chriſti 134. duce Barchochaba patrium ſolum occupare & inſtaurare conarentur Iudæi ad Betheram vicinum veteri Hieroſolymæ oppidum, miſerabiliter cæſi, & omnes ſimul è patrio ſolo migrare coacti ſunt. Inde verò Betheram Adrianus muro cinxit, vrbemque à ſeipſo Æliam nominauit, & porta, quâ Bethleem itur, ſuem marmoream poſuit, in Iudaïcæ Gentis & Religionis contemptum. Et hæc illa Hieroſolyma eſt, quam hodie ſtulti & ſuperſtitioſi homines per longa terrarum & marium itinera inuiſunt: cùm tamen veterem illam ab aliquo inſtauratam eſſe, nuſpiam legatur: & proinde quæ de locis Hieroſolymis ſacris dicuntur, nihil quàm putidiſſima Monachorum & hominum ſuperſtitioſorum commenta ſunt. Deinde cùm Conſtantio regnante apud Diocæſaream iterum rebellarent, à Gallo Cæſare horribili clade deleti vnà cum vrbe ſua perierunt, circa annos ſalutis 358. Cúmque denuò Templum Hieroſolymitanum ſub Conſtantino M. inſtaurare, temerario auſu, factio quædam Iudæorum, cæpiſſet, Imperator re cognita, eorum operâ diſiici curauit: & tum architectos & fabros, tum reliquam multitudinem, vt perduellionis reos ſeuerè caſtigauit. Infamiæ enim notam eis inuſſit, & aures præcidit, & corpora eorum mutilauit, eóſque tanquam fugitiua mancipia circumduxit ad ludibrium & terrorem alijs: quemadmodum Chryſoſtomus in Orat. de Iudæis teſtatur.*

Cùm primis tamen memorabile eſt, quòd mox vix nouem annis à Conſtantij & Galli tempore euolutis accidit, quando Iuliano Apoſtata, in Chriſti contumeliam ipſos excitante & ſumptus conferente: Templum magno conatu reparare auſi, vltricem Dei manum agnouerunt ex portentoſis & horrendis prodigijs quæ acciderunt, quæ Socrates Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 2. ca. 33. commemorat. Primò enim terræmotus veterum fundamentorum lapides, qui ab excidij tempore in terra adhuc reliqui fuerant, ejecit, adeoque vt Gregorius Nazianzenus in orat. 1. Infamatrice in Iulianum loquitur, euomuit, & non ſine vicinarum ædium detrimento diſſipauit. Deinde ignis cœlo delapſus, opificum inſtrumenta exuſſit & multos Chriſti diuinitatem inuitos fateri coëgit. Tertiò tellus quam interdiu aliquot millia effodiebant, noctu vel ſuccreuit iterum, vel in priſtinum locum reuerſa eſt. Quartò gypſi & calcis modios ad futuri Ædificij ſtructurā ingenti multitudine congeſtos, ſubitò exorti venti validiſſimi diſiecerunt. Quintò, illis nihilominus pergentibus, ignis ex fundamentis erumpens foſſores aliquos adusſit, reliquos verò diſſipauit. Sextò, porticus operi vicina noctu ab ipſo faſtigio corruens, multos ſub ea dormientes oppreſſit. Septimò lapides aliquot conjungi conglutinarique non potuerunt. Et ne ignorare poſſent, quo authore & quibus de cauſis iſta omnia fierent, eadem nocte & ſequenti die Crucis ſignum rutilo ſplendore coruſcans in cœlo apparuit, Iudæorum autem veſtibus cruces luridæ vel nigræ aſperſæ ſunt: vt nimirum Chriſtum ſibi infeſtum eſſe ſcirent, qui noſtræ ſalutis ergò à Iudæis in cruce morte affectus fuit: refert etiam Nicephorus lib. 10. cap. 1.

Delphicū Templū eodem temporē euerſum nec amplius reſtauratum.

Alterum quod hoc loco obſeruandum dixi, eſt, quòd eodem tempore in alia orbis terrarum parte Delphicum Templum, quod Ethnicis præcipuum fuit, non hominum manibus, ſed diuinitùs terræmotu & fulmine deletum eſt, cùm Iulianus Legatos eò miſiſſet de Perſici belli euentu rogatum, vt indicant Theodoretus lib. 3. cap. 11. Sozomenus lib. 5. cap. 19. 20. & 21. Sæpè antea direptum & aliquoties deletum eſt Delphinum hoc Templum, ſed rurſus exſtructum & ornatum, ſicut & Hieroſolymitanum. Primi narrantur Phlegyæ, qui fuerunt in Theſſalia Iapitæ, combuſſiſſe. Deinde partes aliquas Xerxis milites. Poſteà Phocenſes ipſi, & iterum Brenni exercitus incendit. Toties & reſtaurationes factæ ſunt. At poſt hanc euerſionem diuinitùs factam Iuliani tempore, nunquam deinde inſtauratum fuit. ſicut indicat Melanchthon in Chronic. libro tertio in Iuliano.

His duobus illuſtribus Miraculis eodem tempore editis, Deus teſtari voluit ſuam iram aduerſus Iudæos & Ethnicos, & ſimul ſignificare tempus adeſſe, quo Iudaiſmus & Ethniciſmus periret: filij autem ſui regnum ſurgere & creſcere debeat. Et ſanè conſtat ab hoc tempore confuſam illam Deorum multitudinem attenuatam, & ceu phthiſi quadam, quod futurum eſſe Sophonias cap. 2. prædixerat, paulatim conſumptam fuiſſe, adeò, vt ex triginta millibus Deorum (quos inter Gentes cultos fuiſſe, ex Varrone D. Auguſtinus annotauit) vix paucorum quorundam nomina reliqua manſerint. Conſtat præterea, ab hoc

tempore cessauisse etiam Oracula, quæ Ethnicæ Religionis præcipua Fulcra fuerunt, eò quòd his Deorum fictitiorum potestas, & eorundem nefarij Cultus confirmarentur apud rudes & imperitos homines, qui veri Dei cognitione destituti, imposturas satanicas non poterant agnoscere. Testantur certè sanctorum patrum libri Apologetici, Christianis inter alia crimina hoc ceu præcipuum ab hostibus obiectum fuisse, quòd neque Dij suam virtutem, vt prius exerant, neque per Oracula respondeant, ex quo Christus prædicari cœperit. Porphyrius Christiani nominis hostis acerrimus, in libro quem adversus Christianam religionem euomuit, fatetur per aduentum Domini Iesu Gentium Deos extinctos vel mutilatos esse, & oracula eorum cessâsse, sic scribens: Nunc verò mirantur homines quòd tam multis annis ciuitas peste vexetur, cùm & Æsculapius & alij Dij longè absint ab ea: post quam enim Iesus coli cœpit, nihil vtilitatis à Dijs consequi potuimus. *Idem in libro quem de responsis scripsit, defecisse dicit Apollinis Oraculum græco hexametro, quod latinè sic habet:*

Ablata est Pythij vox haud reuocabilis vlli,
Temporibus longis etenim jam cessit Apollo,
Clauibus occlusus silet: ergò ritè peractis,
Discedas patriâ, & redeas ad Limina sacris.

Plutarchus quoque in libro de Oraculis extinctis docet, Bœotiam (quondam propter Oraculorum multitudinem appellatam multivocam) *perdidisse omnia Oracula, præter vnum: nullum enim tunc in Bœotia Oraculum præterquam in Lebadia exstitit.*

CAPVT IV.

De SYNAGOGIS Iudæorum, *carumque Origine.*

Synagogarum causa.

TEmplum omnes Iudæi vnicum habuerunt, cuius locum Hierosolymis Deus constituerat. Erat hoc instar parochiæ, ad quam tota Gens in tribus Festis solennibus, Paschate, *nimirum,* Pentecoste, *&* Tabernaculorum *solennitate conueniebat, vt Fidei & Cultus vnitatem seruarent, nec alibi quàm illic licebat sacrificare. Cæterùm ne interea temporis Religionis exercitium negligeretur, & Legis diuinæ cognitio apud vulgus omnino intercideret, per omnes tribus in vrbibus & castellis, vicis, alijsque locis frequentioribus certæ domus cœtibus sacris destinatæ erant apud Iudæos, quas* Synagogas *appellabant, eò quòd in illis populus diebus Sabbati conveniret ad audiendum Legem, & ad Preces publicas. Quæ etiam causa fuit, quòd Leuitæ non certam aliquam terræ partem tenerent, sed in tribus omnes dispersi essent, vt omnibus instituendis sufficerent.*

Synagogarum initium.

Quando autem & à quo huiusmodi Synagogæ institutæ fuerint, nihil expressè in sacris literis exstat: credibile autem id factum post occupatam ab Israëlitis Terram sanctam, eamque in tribus diuisam, vel à Iosua, aut alio Duce seu Iudice, non enim credibile ipsos in vrbibus & vicis diu caruisse locis exercitio Religionis destinatis.

B.C. Betrami de Origine Synagogarum sententia.

In hac sententia videtur esse Bonauentura Cornelius Betramus in lib. de Politia Iudaica vbi capit. 15. inquit: In omnibus vrbibus, in quibus habitârunt Leuitæ, verisimile est eos consessum quendam habuisse, ad quem referrentur causæ Ecclesiasticæ: docuisse certè verum est, non solùm in illis vrbibus, sed & in alijs, in quibus & verisimile est fuisse loca quędam destinata Precibus solennibus, Cœtibus sacris, audiendo Dei Verbo & Sacrificijs quibusdam faciendis ex genere prosperitatum. Et fortasse hinc effluxerunt quæ posteà vocata sunt Excelsa (nisi malis ea ex Chananęorum reliquijs conservata.) Verisimile enim est loca illa fuisse in editiore civitatis situ, vel ad ciuitatem ipsam. Imò & ista videntur fuisse Synagogarum initia. *Hæc aliquomodo confirmantur ex Iud. 6. 11. 17. & 20. & 13. 19. & 1. Sam. 9. 12. & 16. & 2. & 10. 5. &c.*

C. Sigonij de Origine Synagogarum sententia.

De Origine autem Synagogarum in & extra Hierosolymorum vrbem, Carolus Sigonius Mutinen. hæc scribit lib. 2. capit. 8. de Repub. Hebræorum. Origo, *inquit*, Synagogarum non fuit vetusta, neque enim in historia Iudicum, aut Regum vlla earum memoria celebratur. Ego verò si quid in ejusmodi antiquitate concipienda conjecturis est concedendum, eas in Babylonico exilio primùm constructas putârim, vt qui Templo carerent, in quo aut orarent, aut docerent, locum aliquem similem Templo haberent, in quem ejusmodi officij gratiâ convenirent: atque hoc idem fecisse reliquos dispersionis Iudæos in Asia, Ægypto & Europa censuerim. Itaque in provincijs, vbi Templum non fuit, frequentissima Synagogarum erat consuetudo. Postquam autem Iudæi ex Babylonia, redierunt, ac Templum in vrbe Hierosolymorum restituerunt, simul etiam institutum jam Synagogarum vsum retinuerunt, vt Iudæi Hierosolymitani in Templo legem audirent, provinciales verò cùm ad vrbem veniebant, in Synagogis. In commentarijs certè Hebræorum scriptum est, vltimis temporibus in vrbe Hierosolyma 580. (*Genebradus in Chron. tantum 480. ex R. Menahem numerat*) Synagogas constitutas fuisse, quod Iudæi eò ex omnibus regionibus cōvenirent. Erant ergo Hierosolymis Syna-

Synagogę peregrinorum, Templum ciuium: In reliqua verò Iudæa & Galilæa, & in cæteris prouincijs, in quibus Iudæi post dispersionem versabantur, erant ipsorum etiam Incolatum, quibus Hierosolyma adire, non erat commodum. De Hierosolymitana vna Synagoga mentio fit, *Act.* 6. Surrexerunt quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrænensium & Alexandrinorum, ac eorum, qui erant è Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano. Hi enim omnes erant Iudæi, verùm in prouinciis habitantes, qui cùm Hierosolymam negotiorum suorum causa adibant, non ad Templum, sed ad Synagogam, quam ipsi sibi parauerant, conuenire, instituerant: *Item apud Ioan.* 18. Ego semper docui in Synagoga, & in Templo, quo omnes Iudæi conueniunt. De cæteris *Act.* 15. Moses à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur. Per Mosem autem intelligit libros ejus. *Et cap.* 9. Paulus petlit à Pontifice literas in Damascum ad Synagogas, vt si quos inuenisset hujus sectæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hierusalem: De Synagogis Galileæ, quas Christus, & Asiæ, quas Paulus adiuit, multa in Euangeliis & Actis testimonia extant. Hæ verò Synagogæ aliquando à priuatis hominibus & quidem etiam Gentilibus pii officij causa construebantur, vt illa Lucæ 7. in Capernaum à Centurione Rom. *Hac Sigonius.*

Quando autem in Templo & Synagogis conuenerunt, hic ordo seruari consueuit, qui apud Ambrosium in epistola ad Corinth. 14. *cap. descriptus habetur: nimirum, vt sedentes disputarent, seniores sederent in Cathedris, qua ordine erant disposita (erant hæ illa Cathedra, de quibus Dominus in Pharisæos ait:* Amant primas Cathedras in Synagogis) *cæteri minoris Ordinis in subselliis: nouissimi omnium in pauimento super mattas, quibus & dabatur dicendi locus, cùm eis quid reuelatum esset, quæ omnia maiores dijudicabant. Quem morem Paulus etiam conatus est inferre in Christi Ecclesiam, vt ipse docet in* 1.*Corinth.*14. *cap. Hinc intelligitur Locus Luc.* 2. Inuenerunt Iesum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem eos. *Et Luc.* 4. Intrauit die Sabbathi in Synagogam, & surrexit vt legeret, *&c.*

CAPVT. V.

De Authoribus, *&* prima Origine TEMPLORVM *apud* Gentes.

ROmani *& Græci, cæteræque minus barbaræ ac feræ nationes, maximam circa Deorum suorum Templa & Fana curam diligentiamque semper adhibuerunt. Eius rei causas Cicero libro* 2. *de Legibus his verbis commemorat:* Græci atque nostri, *inquit*, vt augerent pietatem in Deos, easdem illas vrbes quas nos incolere voluerunt. Affert enim hæc opinio Religionem vtilem ciuitatibus. Siquidem & illud benè dictum est à Pythagora doctissimo viro, tum maximè Pietatem & Religionem versari in animis, quum rebus diuinis operam daremus: & quod Thales, qui sapientissimus inter septem fuit, homines existimare oportere Deos omnia cernere, Deorum omnia esse plena: fore enim omnes castiores, veluti cùm infans esset maximè religiosus. Est enim quædam opinione species Deorum in oculis, non solùm in mentibus. Eandemque rationem Luci habent in agris. *Sed qui Primi Diis apud hos Templa struxerint, variè proditum inuenimus.* Cùm enim primum homines (*vt ait Tranquillus, & repetit Isidorus*) exutâ feritate, rationem vitæ habere cœpissent, seque ac Deos suos nosse: Cultum modicum ac sermonem necessarium commenti sibi, vtriusque magnificentiam ad Religionem Deorum suorum excogitauerunt. Igitur vt Templa illi domibus pulchriora, & Simulachra corporibus ampliora faciebant: ita eloquio etiam quasi augustiore honorandos Deos putauêre, laudesque eorum & verbis illustrioribus, & iucundioribus numeris extulêre. *Hactenus ex Tranquillo Isidorus.* 1. *Latini se rè omnes in Italia Ianum patrem primum Templa struxisse tradiderunt, ideoque veteri instituto in Sacrificiis Ianum Latini perpetuò præfari solebant.* 2. *Alij Faunum, & ab eo* Fana *appellata voluerunt, vt Probus scribit: Martianus verò à* Fana, *quæ &* Fatuella *dicebatur.* 3. *Quidam Iouem apud Cretenses primum Templa dicasse ferunt, atque ob id inter Deos primum ipsum locum fuisse sortitum.* 4. *Lactantius Cretensium antiquissimum Regem Melissæum tradit: quin etiam Seruius ex Salustio Cretensibus Religionem attribuit.* 5. *Phœnices Vsonem quempiam, primùm Simulachra igni & vento statuisse, & Templa posuisse prædicant.* 6. *Phoroneum alij, aut Meropem, vel Æacum Iouis filium tradunt, vt Varro in Admirandis ait, quod & Arnobius in sexto.* 7. *Sunt qui Dionysium, cùm Indos debellâsset, Templa struxisse, Religionumque Cultus inceptâsse prodant.* 8. *Alij Cecropem primum in Attica Opi Deæ statuisse putant.* 9. *Isidorus verò hunc ipsum Cecropem ait Iouem primum appellâsse apud Græcos, & Simulachra reperisse, Aras statuisse & Victimas immolâsse.* 10. *Alij nonnulli, vt aduersus Iulianum, Cæsarem scribit*

Gregorius Nazianzenus, Thraces volunt Ceremonias inuenisse: immolare verò, Chaldaos, vel vt alii dicunt, Cyprios. 11. *Nonnulli Arcades Ioui Templa primò construxisse affirmant.* 12. *Ægyptii Isin fernnt, qua fit legifera vocata, Ioui & Iunoni parentibus Templa & Sacerdotes instituisse aiunt.* 13. *Sunt qui Phryges dicant, qui Dea Phrygia Cybeli sacra & Templa dicarint, vt Lil. Gyraldus de Diis Gentium Syntagm.* 17. *refert.* 14. *Pausanias in Corinthiacis indicat, Templa in Gracia antiquissima haberi, Pythii Apollinis apud Samios, Minerua apud Phocenses in Ionia: antiquissimum verò omnium Thaatii Apollinis apud Træzenios, quod Pittheus maternus auus Thesei adificarit & exornarit.* 15. *In Aulide quoque Templum, aliquot ante Troianum bellum seculis, exadificatum fuisse Plinius memorat lib. 16. cap. 40.* 16. *Apollonius lib. 3. refert Deucalionem primum Deorum immortalium, Templa adificâsse, & ciuitates exstruxisse, inquiens.*

Ιαπετιονίδης ἀγαθὸς τέκε Δευκαλίωνα
Ὅς πρῶτος πόισε πόλιάς, καὶ ἱδ'ισατο νηὺς
Ἀθανάτοις, πρῶτος δ' ἐκαὶ ἀνθρώπων βασίλευσεν.

Qua de re quoque Polydorus Vergilius de Inuent. rerum lib. 3. cap. 9. ita scribit: Delubra Epimenidem Creteosem primùm ędificâsse, auctor est Diogenes Laërtius lib. 1. At Vitruuius Pythium architectum primum omnium Priene ædem Mineruæ fecisse tradit, Herodotus tamen lib. 2. & Strabo Geographię lib. 17. primos omnium Ægyptios Diis & Aras, & Simulachra, & Delubra statuisse, Sacrificiaque curâsse, Ritúsque eos deinde peregrinis commonstrâsse affirmant. Romæ, teste Liuio, Romulus Templum locauit Ioui Feretrio, quod primum omnium, *inquit Liuius*, Romæ sacratum fuit. *Idem auctar lib. 1. cap. 5. de rerum Inuent. ax Lactantii lib. 2. cap. 11. indicat*, Iouis temporibus primò Templa constitui, & nouos Deorum Cultus esse cœpisse: *cui ego quoque adstipulor, tunc enim Babylonica turris, qua prima in orbe fuit adificata, & Ioui Belo Iunonique à filio Nina diuini honores in statuis primò habiti.*

Sepulchra originem dederunt Templis apud Ethnicos.

Plerósque autem ex Sepulchris Templa apud Ethnicos ariginem sumpsisse arbitratas, in Sepulchralibus suis Gyraldus his verbis ostendit. Fuit vsque adeò (*inquit*) Sepulchrorum veteribus cura, vt non aliunde Templorum & sacrarum ædium originem deductam, diligentissimi scriptores tradant Eusebius & Lactantius. *Qua de re & Clemens Alexandrinus in Protreptico sic scriptum reliquit:* Superstitio (*ait*) Templa condere persuasit: quę enim prius hominum Sepulchra fuerunt, magnificentiùs condita Templorum appellatione vocata sunt. Nam apud Larissæam ciuitatem, in arce, in Templo Palladis, Acrisii Sepulchrum fuit, quod nunc Sacrarii loco celebratur. In arce quoque Atheniensi, vt est ab Antiocho in nono historiarum scriptum, Cecropis sepulchrum fuit: in Templo verò Palladis, quam Poliada Græci appellant, jacet Erichronius. Ismarus autem Eumolpi atque Dairæ filius, in Eleusine vnà cum Celei natabus sepultus est: *& reliqua, qua in hanc sententiam Clemens colligit, ac post eum Eusebius in Praparatione Euangelica, qua in Latinis codicibus non habentur, atque ideò ax Gracis repetenda sunt: eadem & in sexto Arnobius. Pertinet huc quoque Prudentii locus lib. 1. contra Symmachum, vbi ita canit:*

Et tot Templa Deûm Romæ, quot in vrbe Sepulchra
Heroum numerare licet, &c.

Quibus verbis innuere videtur, Romanos omnibus iis in locis Templa in vrbe exstruxisse, vbi Heroum corpora sepulta fuerint. Refert enim Valerius Maximus lib. 8. c. 16. Græciam summo consensu locum in quo Amphiaraus humatus sit, in formam conditionémque Templi redegisse, atque inde Oracula capi instituisse. *Et Cyrillus lib. 10. contra Iulianum multis exemplis ostendit*, celeberrima Gentium Templa fuisse olim Sepulchra aut Monumenta mortuorum.

Luci iuxta Templa fuere.

Non praetereundum hoc loco videtur, quod Nicolaus Gerbelius, vir diligentissimus, in sua Gracia scribit, in Olympia Templum fuisse nobile, atque ante Templum Lucum syluestribus consitum Oleastris, ex quibus victores connexis ramis coronati sint. *Habet hoc ax Strabonis libro 8. vbi etiam addit*, Neptuni Isthmii Templum Luco picearum circumdatum fuisse. *Sic atiam extra Crotonem Iunonis Lacinia Templum fuit, multâ Religione sacrum: iuxta illud Lucus proceris abietibus septus, lata in media pascua, vbi omnis generis pecus Dea Sacrum sine custode pascebatur, vt refert Sabellicus lib. 3. En. 5. Apud Træzenios Hyppolyta Thesei filio à Diomede fuit dicatus Lucus, & in eo Templum non absque Simulachro, & quidem vetusto, vt Cœlius refert Lect. Antiq. lib. 11. cap. 24. Erat atiam Roma Lucus Vesta, propè Statoris Templum à Palatii radice in viam nouam deuexus. Ex quo Luco ante vrbem captam exaudita vox est, vt muri & Porta reficerentur: futurum enim nisi provisum esset, vt Roma caperetur, Authore Cicerone de Divinat. Apud Ætnam quoque notissimum Sycilia montem, esse Vulcani Templum fertur multa honore. Circumiectum est Templo septum, sacra item visuntur arbores, nec non peruigil & inextinctus Ignis. Templum ac Lucum asseruare dicuntur canes, quibus mirum pracipuè insitum ingenium creditur. Quippe adeuntes, si castè modò ac piè, vtque*

addecet,

addecet, id agant, permulcent, atque adblandiuntur, illisque perinde ac beneuolis aggregantur, & planè familiaribus. Quod si manibus non puris, scelereque aliquo pollutior Templum inuisat, vel Lucum, irruunt mordicus, lacerant conuelluntque. Cæteros ex cœtu aliquo remeantes, lasciuiore intemperantioréue insectari modo, satis superque habent, vt refert Cælius lib. 23. c. 29. Ædes etiam Deæ Cybeles in Ida Luco circumdata fuit: sic enim describitur à Claudiano poëta, de Cerere loquente in primo de raptu Proserpinæ.

Sic ait, & fuluis serpentibus attigit Idam
Hîc ædes augusta Deæ, Templique colendi
Relligiosa silex, densis quam pinus obumbrat
Frondibus, & nulla Lucos agitante procella,
Stridula coniferis modulantur carmina ramis.
Terribiles intus thyasi, vesanaque mixto
Cõuentu delubra gemunt, vlulatibus Idæ
Bacchatur, timidas inclinant Gargara syluas.

Circa Dodonem quoque, ciuitatem Chaoniæ in Epiro, nemus fuit Ioui sacrum, querneum totum, vbi Iouis Dodonæi Templum fuisse narratur, & in eo Oraculum omnium quæ apud Græcos fuerunt vetustissimum. In hoc duas columbas consulentibus responsa dedisse quidam fabulantur, quarum altera Delphos, altera verò in Ammonis Iouis Templum volârit. Alii arbores ipsas vocales fuisse volunt, & consulentibus Oracula edere solitas. Strabo lib. 10. Tenus, *inquit,* vrbem non sanè magnam habet, verùm Neptuni Fanum ingens in Luco extra muros, spectatu dignum, in eo capacissima discumbentium conuiuarum Ædificata triclinia: illud signum est abundantem finitimorum multitudinem eò convenire solitam, qui vnà Neptuni Sacrificia celebrantes epularentur. *Vt non sine causa Gerbelius referat, perrarò in Græcia sine nemoribus Templa reperta fuisse.*

Idem tamen in aliis etiam Regionibus in vsu fuisse legimus: vt apparet ex illo loco Vergilii, qui lib. 1. Æneid. extat, vbi de Templo magnificentissimo Carthagini iuxta Lucum exstructo ita canit:

Lucus in vrbe fuit media lætissimus vmbra:
Quo primùm jactati vndis, & turbine Pœni
Effodere loco signum, quod regia Iuno
Monstrarat, caput acris equi: Sic nam forè bello
Egregiam, & facilem victu per secula gentem.
Hic Templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, &c. *Et mox:*
Hoc primùm in Luco noua res oblata, timorem
Leniit: hic primum Æneas sperare salutem
Ausus, & afflictis melius confidere rebus.
Namque sub ingenti lustrat dum singula Templo,
Reginam opperiens, &c.

In vrbe Bubasti Ægyptiorum Templum quoque fuit Bubastis hoc est Dianæ, omnium maximè memorabile, & aspectu iucundissimum. Illud ingens procerissimus arboribus manu consitis Lucus ambiebat. Ab eius ingressu via per forum Orientem versus, strata lapide erat, vtrinque arboribus manu consitis in cœlum euntibus, authore Herodoto lib. 2.

Similiter inter Tralles atque Nyssam Vicus fuit Nyssensium, non procul ab vrbe, Acharaca nomine, vbi Plutonium fuit, Luco sumptuoso circumdatum. Item Plutonis & Iunonis delubrum ac antrum Charonium, naturâ admirabile, quod Luco imminebat. Strabo lib. 14.

Antiochiæ Syriæ Suburbium fuit Daphne *cognominatum quod nemore multarum cupressorum cingebatur, aliisque plantis mixtim vnà cum cupressis exornabatur. Et tellus illa vtrinque à montibus benefragrantia & varia florum genera sub arboribus producebat. Tectum autem quoddam, imò magis vmbra loco illi vndique imminens propter densitatem ramorum ac foliorum non permittebat, vt solares radii terram attingerent. Fuit locus amœnissimus, copiâ ac venustate vndarum, temperaturaque aëris. Erat in eo Luco Daphnæi Apollinis Templum magnificè apretiosè exornatum elaboratumque, quod Seleucum Antiochi patrem exstruxisse ferunt. Sozomenus lib. 5. cap. 19.*

Eusebius etiam testatur, Templum Veneris in vertice montis Libani in fruticeto positum fuisse: lib. 3. de Vita Constantini.

Plinius quoque lib. 16. cap. 44. Natur. hist. Romæ in Exquiliis proximè Lucinæ ædem Lucum fuisse, in quo Lotos mira vetustatis fuerit: ad hanc arborem Vestalium virginum crinis deferebatur consecrandus, vnde etiam Capillata *dicta fuit. Ab hoc Luco Lucinam nomen suum habere ait idem. Varro tamen de Lingua Latina sic dictam putat, quòd partum in lucem proferat, vnde & à parturientibus inuocabatur. Ouidius in Fastis vtramque opinionem his carminibus attigit.*

Gratia Lucinæ dedit hæc tibi nomina Lucus,
Vel quia principium tu Dea lucis habes.

Ibidem non procul ab vrbe in nemore Aricino, Diana Nemorensis appellata, celebre quoque Tem-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Templum fuit; in hoc nemus Idibus Augusti ex vrbe facibus accensis; discurrebant: de quo sic ait Propertius:

Cùm videt accensis devotum currere tædis
In nemus, & Triviæ lumina ferre Deæ.

Luci Asyla.

Romæ quoque ædem Dii fidii Sp. Posthumius dedicavit in Luco Bellonæ, locatam ab vltimo regum Tarquinio, non tamen ab illo consecratam, authore Dionysio Halicarnass. lib. 9. Quocirca rectè Valla scripsit de Luco lib. 4. Lucos nequaquam cæduus est: quin potius manu consitus, religiosusque atque vel alicui Deo, vel alicujus hominis cineribus consecratus; ideóque aut circa delubra hominum, aut circa Sepulchra positus est.

Romæ denique Romulus Lucum Asylum fecit, teste Plutarcho in vitis: Livio lib. 1. & Dionysio lib. 2. Vnde & Ovidius lib. 3. Fast.

Romulus vt saxo Lucum circumdedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge tutus eris.

Et Vergilius lib. 8. Æneid. similiter inquit:

Hinc Lucum ingentem, quem Romulus acer asylum Rettulit, *&c.*

Dionysius libro 2. Antiquit. addit, Romulum in hoc Luco Templum erexisse: *sed cui Deorum aut geniorum, certum se non habere scribit.*

Quod si Ethnicorum narrationibus credere voluerimus, violatores horum sacrorum Lucorum suos vltores & vindices habuerunt, à quibus sunt miraculosè puniti. Valerius enim lib. 1. cap. 2. refert; quòd Æsculapius consecratum Templo suo Lucum apud Coos ex parte succisum dolens, inter ipsum nefarium ministerium devictis partibus Antonii, imperio Cæsaris morti destinatum Turulium, manifestis numinis sui viribus, in eum locum quem violaverat, traxerit, effeceritque, vt ibi potissimùm à militibus Cæsarianis occisus, eodem exitio, & eversis iam arboribus, pœnas lueret, & adhuc superantibus, impunitatem consimilis iniuriæ pareret, suamque venerationem, quam apud colentes maximam semper habuerat, Deus hoc modo multiplicârit. Refert etiam Lactantius de Origine erroris lib. 2. cap. 8. Suidas quoque commemorat, Anagyrasion quendam genium fuisse, sic à loco Atticæ Anagyro cognominatum; qui SENEM vicinum, quod Lucum suum incidisset, hunc ad modum vltus sit. Senis concubinæ insanum quendam amorem immisit in illius filium: quæ cum adolescentis animum pellicere non posset, eum vltrò apud patrem detulit, quòd sese de stupro non desineret interpellare. Pater persuasus à muliere, filium è tecto præcipitem dedit ac interemit. Deinde facti pœnitens, semetipsum laqueo præfocavit. Postremò sese mulier in puteum præcipitem dedit. Huius fabulæ citat authorem Hieronymum, in opere de Tragædiarum Scriptoribus. Agamemnon Aulide longius ab exercitu Græcorum progressus, conspectâ circa Lucum Dianæ capreâ, ignarus Religionis quæ in eo loco erat, eam iaculo transfigit: Non multò post irâ Dianæ exercitum lues invadit. Mulier quædam Deo plena, Dianam ob violatum Lucum suum & necatam capream, quâ maximè lætabatur, pœnas sceleris ab exercitu petere: nec lentiri posse priusquam author facinoris filiam natu maximam Victimam immolâsset, asserit, vt Dictys indicat lib. 1.

De Templorum Ethnicorum votione

Ve autem ad ipsa Ethnicorum Templa revertamur, solebant illa certis de causis plerunque voveri: cujus multa exempla passim in historijs inveniuntur.

Quando vero id propter quod vota erant, prosperè successerat, tum definiebantur, & certi illius Templi fines constituebantur: idque dicebatur Effari Templa, *Varrone teste, vel* Sistere Fana. *Sic enim Festus:* Sistere Fana, cùm in Vrbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorum Fanorum constituere. *Id verò ab Auguribus fieri solitum Varro docet.*

Vbi sic definita essent, tum condebantur: condita dedicabantur ab iis, qui ea vovissent: tandem ab Auguribus inaugurabantur, id est, suis auguriis sanctiora reddebantur: Hoc enim nisi fieret, Templa esse non poterant, teste apud Agellium Varrone: sed Ædes *tantùm dicebantur: vnde discrimen inter Templa & Ædes sacras facilè intelligitur.*

Circumstantiæ observatæ in Templorum votione.

In huiusmodi autem Templorum Votione, Definitione, Ædificatione, Dedicatione, Inauguratione, vel etiam Exauguratione, quando videlicet profana reddebantur, hæ circumstantiæ observabantur, nempe, quibus, à quibus, quo modo, quibus verbis, gestibus, ritibus atque ceremoniis ea fierent.

Templa voverunt Romani in bellis.

Romani in bellis atque prœliis plerùnque, cùm alia, tum inprimis Templa Diis suis voverunt: id quod primùm Romulum fecisse Dionysius Halicarnasseus libro 1. testatur: alii ad Numam hoc referunt: Tertullianus verò in Apologetico capite 25. post Numam demum & Simulachrorum & Templorum vsum in Rempublicam illam introductum esse voluit. Votionis huius illustre exemplum extat apud Livium Decade 1. libro 10. vbi Appius Consul & Imperator huiusmodi precationis formâ Bellonæ Templum vovet: Bellona, si hodiè nobis victoriam duis: ast ego Templum tibi voveo. *Romulus quoque, vt est apud eundem Livium victis prœlio Ceninensibus, Romæ designavit Templo Iovis fines, cognomenque addidit Deo, inquiens:* Iuppiter Feretri hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero, Templumque his regionibus, quas modò animo metatus sum, dedico, sedem opimis spoliis, quæ, Regibus,

Votionis forma.

Duci-

Ducibúsque hostium cæsis, me authore sequentes posteri fecent.

Templa vouerunt etiam domi.

Vouerunt etiam Templa non in bellis tantùm, sed domi quoque, cùm ob publicas causas nempe calamitates vel præsentes, vel imminentes, tum priuatas, vt ambitionem & alias. Sic enim Caligula, Suetonio authore, quoniam diuinos sibi vendicabat honores, vt Deus coli voluit, consistens sæpè inter fratres Deos medius, vt se adorandum adeuntibus exhiberet, & Templum etiam Numini suo proprium, & Sacerdotes, & excogitatissimas hostias instituit.

Templorū locus

Porrò non omnibus Diis promiscuè Romani omni loco ædificare Templa solebant. Aliis enim intra vrbem, quæ Vrbana *fuerunt dicta: aliis extra eam: aliis alibi Templa construebant. Sic Vulcani Templum Romulus extra vrbem condiderat, & Veneris ad Portum erat conditum: Mercurij in foro: Isidis & Serapidis in Emporio: Apollinis & Liberi secundum Theatrum: Herculis, in quibus ciuitatibus non sunt Gymnasia, neque amphitheatra, ad Circum: Æsculapii quoque Fanum Romani in insula Tiberina posuerunt: cuius rationes reddit Plutarchus Problem.94.* Cur, *inquit*, extra vrbem ædes Æsculapii posita est? an quòd foris salubriùs quàm in vrbe habitate crediderunt? Nam Græci quoque in excelsis ac puris locis Æsculapii Templa planè collocant. An quòd Deum ex Epidauro accersitum in vrbem commigrâsse opinantur? in Græcia enim non in vrbe, sed procul ab Epidauro Æsculapii Templum est. An quòd dum draco ex naui in insulam descendisset, & ex oculis euanuisset, ipsum eo in loco ædis ponendæ authorem ac præmonstratorem fuisse opinantur? *Hæc ille. Iidem Romam Cereris & Bellonæ Fana extra vrbem habuerunt. Non tam Vitruuii de constituendis Templis præcepta semper obseruabant. Nam & Veneris aliaque Templa, quæ supra nominauimus, apud Circum Rom. fuisse, multis testimoniis probari potest. Apud Ægyptios nullum oppidum intra muros suos aut Saturni aut Serapis Fanum recepit. Nam quia nunquam fas fuit Ægyptiis, pecudibus aut sanguine, sed precibus & thure solo placare Deos, his autem duobus hostia erant ex more mactanda, Fana eorum extra Pomærium locauerunt, vt & illi Sacrificii solenni sibi cruore colerentur: nec tamen vrbana Templa pecudum morte pollueerentur. Calsus etiam refert, propè Phigaliam Arcadiæ vrbem stadiis plus minus 30. montem fuisse Elainon nomine, ac in eo Cereri sacrum Antrum.*

Platonis lex de loco construendi Templa.

Plato libro 10. de Legibus, hanc fert legem de loco construendi Templa vel Sacella: Sacella nemo in priuatis ædibus habeto. Quum alicuius animum sacrificandi studium incesserit, ad publica sacrificaturus accedito.

Idem lib. 6. de loco Fanorum construendorum sic scribit: Vrbs tota locis sublimibus circumquaque construenda est, vt & munitior sit & mundior. Templa circa forum struantur. Iuxta hæc magistratuum Palatia, & Curiæ iuri dicundo attributæ, in quibus, velut augustissimis sanctissimisque locis, iura dentur & accipiantur: partim ipsis judicibus, veluti de rebus sacris judicaturis: partim verò veluti in ipsis Curiis Deorum sint sedes & delubra.

Situs Templorum.

Quod ad situm attinet, vt plurimùm Templa ad orientem Solem construi solita scribit Lucianus. Vitruuius item de Templorum & sacrarum Ædium situ, si plura cupis, multa egregia, huicque loco conuenientissima scribit lib. 1. 3. & 4. cuius inter alia hæc sunt verba: Ioui Fulguri, & Cœlo, & Soli, & Lunę, Ædificia sub Diuo, Hypethraque construuntur. Horum enim Deorum & species, & affectus in aperto Mundo atque lucenti præsentes videmus.

Forma Templorum.

Variis etiam formis Templa apud Ethnicos ædificata legimus. Nam Solis Ædem, Liberique patris rotundam veteres probârunt: Iouis verò Templa, quòd omnium rerum semina is Deus patefacere credebatur, tecto esse oportere perforato Varro dixit. Ædem Vestæ quam cum terra eandem putabant, rotundam ad pilæ similitudinem formabant. Cælitibus & Superis alta à terra Templa exstare volebant: Inferis Diis sub terra: Chthoniis & terrestribus media ponebant sæpius.

Vitruuius de formis Templorum.

Sed & de variis Templorum Ædiumque sacrarum formis Vitruuius loco supra citato sic scribit: Mineruæ, & Marti, & Herculi Ædes Doricæ fient. His Diis propter virtutem sine deliciis Ædificia constitui docet. Veneri, Floræ, Proserpinę, Fontium Nymphis, Corinthio genere constitutæ aptas videbuntur habere proprietates, quòd his Diis propter teneritatem graciliora & florida, foliisque & volutis opera facta, augere videbuntur justum decorem. Iunoni, Dianæ, Libero patri, cæterisque Diis, qui eâdem sunt similitudine, si Ædes Ionicę constituentur, habita erit ratio mediocritatis, quòd ab seuero more Doricorum, & à teneritate Corinthiorum temperabitur earum proprietatis institutio. *Ex quibus Vitruuii verbis intelligitur, formas Templorum apud Ethnicos Doricas, Ionicas, Corinthiacas, aliisue generibus constitutas fuisse.*

Polletus de formis Templorum.

Huc pertinet etiam, quòd Franciscus Polletus lib. 1. Histor. Rom. cap. 3. indicat. Templa veterum nostris non fuisse obsimilia. Constabant enim, *inquit*, Cellâ sanctiore: nos Chorum vocamus, quæ Cella sanctior à Basilica & porticibus distinguebatur pluteo, & quasi altero Proano; nos non malè Pulpitum vocamus, quòd in morem Pulpiti, aut Tabu-

lati

lati erectum sit: quidam ex vulgo Threnum vocant, fortasse quòd ibi Threni Ieremiæ Prophetæ recitentur, & aliæ homiliæ sacræ. Basilica verò, quam nos Nauem, aut Carioam vocamus, deambulationes, quæ vtrinque sunt, omnino Porticus sunt veterum, quæ sunt veluti fori in Carina. Cella sanctior solis rebus sacris destinabatur. Basilica verò, & Porticus, & Pronaon ferè vsibus prophanis exponebantur. Illic enim & nundinæ mercium & proxenetica contractuum, prologi nuptiarum colloquia transactiooum vt hodie apud nos, nimis impiè, exercebantur. *Hucusque Polletus.*

His adde, & certas Templorum partes dum exstruerentur, fuisse constitutas: quarum sinistra ab Oriente, dextra ab Occidente, antica ad Meridiem, postica ad Septentrionem dicebantur. Publius tamen Victor, cùm ait in libello. 14. Vrbis regionibus, ante Cellam, partem nimirum Templi sacratiorem, esse prodromon, post Templum opistodomon, *Templum in tres duntaxat partes diuidit, mediamque, vbi Dei est Cella, quam hodie Chorum dicunt, vocat: quæ antecedit* πρόδρομον, *quæ sequitur* ὀπισθόδομον. *Vide Adrianum Turnebum libro* 22. *cap.* 17.

Templorum restauratio

Vt autem in exstruendis & ædificandis, ita etiam in restaurandis & reficiendis Templis, summam curam, magnam Religionem, varias Ceremonias atque Ritus adhibuerunt. Eos vno quasi fasciculo Cornelius Tacitus complexus est, in lustratione areæ Templi Iouis, quod à Vespasiano tum restitutum fuerat. Vespasianus, *inquit*, curam restituendi Capitolii in L. Vestinum confert, equestris ordinis virum, sed authoritate famaque inter proceres excellentem. Ab eo contracti haruspices monuere, vt reliquiæ prioris delubri in paludes auueherentur, Templum iisdem vestigiis sisteretur, nolle Deos mutari veterem formam. Vndecimo Calend. Iulias, serenâ luce, spacium omne, quod Templo dicabatur, euinctum vittis coronisque, ingressi milites, quibus fausta nomina, felicibus ramis, deinde virgines Vestales cum pueris puellisque, patrinis matrinisque aquâ riuis & fontibus amnibusque hausta, perluere. Tum Heluidius Priscus Prætor, præeunte Plauto Eliano Pontifice, lustratâ Suouetaurilibus areâ, & super cespitem redditis extis, Iouem, Iunonem, Mineruam, Præsidesque Imperii Deos precatus; vti cœpta prosperarent, sedesque suas pietate hominum inchoatas, diuinâ ope attollerent, & vittas quibus ligatos lapis, ionexique funes erant, contigit. Simul cæteri Magistratus & Senatus, & Eques, & magna pars populi, studio lætitiaque connixi saxum ingens traxêre: passimque iniectæ fundamentis argenti, aurique stipes, & metallorum primitiæ nullis fornacibus victæ, sed vt gignuntur, &c. *Ex his Ethnicorum Ceremoniis ac Ritibus Christiani postea plurima in suam Religionem transtulerunt, vt suo loco videbitur.*

CAPVT. VI.

De Origine TEMPLORVM *apud* Christianos.

Apostoli quib. in locis suos cõuentus celebrârint.

CElebrârunt quidem Apostoli suo tempore συνάξεις, *hoc est, Conuentus Ecclesiasticos propter auditum verbi Dei, vsum Sacramentorum & preces communes, in Locis & Ædificiis certis; sed ea, pro illorum temporum conditione, non vbique fuerunt eadem. Nam Conuentus egerunt, cùm in Templo Hierosolymitano, Act.* 2. 5. 21. *cum in Synagoga Iudaeorum Act.* 9. 13. 18. *tùm etiam in priuatis fidelium ædibus, Act.* 1. 2. 4. 5. 10. 12. 20. 28. *Vbi Bellarmini impostura notanda est: probare enim volens Col.* 2188. *Fideles Apostolorum tempore & paulò post habuisse* Ecclesias, *hoc est*, Templa, *à priuatis ædibus distinctas, ex* 1. *Cor.* 11. *&* 14. *cap. & locis aliquot Patrum, vocem* ECCLESIÆ, *quæ apud eos reperitur pro* Templis *exstructis sumit, quum ibi pro solo Fidelium conuentu in priuatis ædibus collecto vsurpetur. Est igitur Æquiuocationis fallacia.*

Templa magnifica nulla Apostolorum ætate.

Alioquin de magnificè aliis in locis, præter Hierosolymitanum, exstructis Christianorum Templis, de eorum Ornamentis & Altaribus, de Dedicationibus & Consecrationibus Templorum, de nominibus, & differentiis eorum, nihil vsquam vel in scriptis Apostolorum, vel certis & probatis eorum temporum authoribus reperies: quæ omnia seculis iis, quæ Apostolorum ætatem sunt consequuta partim Iudaismi, partim Gentilismi superstitiosâ κακοζηλίᾳ inuenta & excogitata sunt.

Locus Philonis & Eusebii ex Essenis explicatur.

Refert quidem Philo in libro περὶ θεωρητικοῦ βίου, *præclaros Hebræorum viros, qui tempore Marci Euangelistæ, in Ægypto extra vrbes ad lacum Mariam in collibus solitariam egerint vitam, habuisse* οἰκήματα ἱερά, *quæ ipsi vocârint* Σεμνεῖα *&* Μοναστήρια, *in quibus soli manentes religiosæ vitæ operam dederint. Eusebius lib.* 2. *hist. Ecclesiast. cap.* 16. *&* 17. *Sozomenus lib.* 1. *cap.* 12. *Nicephorus lib.* 8. *cap.* 39.

Et Eusebius multis euincere conatur, loqui ibi Philonem de Christianis, seu de Iudæis nuper admodum ad fidem Christianam conuersis. Ioannes Quintinus quoque, idem vt probet, in explicatione Can. 5. *Concilii Gangren. multùm sudat & laborat, eam solùm ob causam, vt antiquissimam demonstret esse Originem Templorum apud Christianos, vt quæ iam tum cœperint ædificari, cùm cœperit Euangelium primùm prædicari.*

Verùm

Error Eusebii.

Verùm sunt causæ manifestæ quæ ipsos erroris conuincunt. Nam Philo nihil vspiam de Christianis scripsit: sed duos libros de ea secta Philosophorum edidit, quos Essæos vocat. Alter est περὶ πρακτικοῦ βίου ἐσσηνῶν, *qui erant* κοινόβιοι, *quem inscripsit hoc titulo,* ὅτι πᾶς σπουδαῖος ἐλεύθερος. *Alter liber est* περὶ θεωρητικοῦ βίου ἐσσηνῶν *qui erãt* μονάζοντες καὶ μονόβιοι. *In hoc libro* θεωρητικῷ *describit* τῶν μοναζόντων καὶ ἀσκούντων ἐσσηνῶν *Vitam, Studia & Mores. Tantum igitur abest, vt Christiani fuerint illi, de quibus Philo scribit, vt pertinaciores hostes non habuerint Christiani, quippe qui plurimis Ceremoniis Iudaicis pertinacissimè fuerunt addicti: ait enim Philo, eos* παρωνύμως; εἶναι τῆς ὁσιότητος. *Quare?* ἐπειδὴ, *inquit,* ἐν τοῖς μάλιστα θεραπευταὶ θεοῦ γεγόνασι. *Disertè ait cultores Dei patrio, hoc est, Syriaco Idiomate vocatos eos. Hæc ferè Iosephus Scaliger lib.6. De emendatione Temporum.*

Deinde Eusebii rationes, quas adducit Ioannes Quintinus, non certæ, sed coniecturæ tantum sunt: vt qui ea ex Philonis saltem relatione scripserit, non quòd ipse de iis aliquid compertum habuerit. Nec ipse etiam Philo affirmat hos Christianos fuisse, vt ex verbis Eusebij facilè colligitur.

Præterea, si quis authoritatem Eusebij, qui ista scripserit & affirmauerit, obijciat, respondet illi Scaliger supra citato loco, ac licet Eusebium historiæ plurimùm contulisse fateatur, plus tamen iudicij, quàm studij & diligentiæ in illo requirit, id quod aliquot locis ex Eusebio probat. Et quod hunc ipsum locum attinet, manifestè Eusebius sibiipsi in eo contradicit: quæ enim in Ecclesiastica Historia de Christianis vult intelligi, illa ipsa ad verbum ferè de Præparatione Euangelica lib.8.cap.4. de Essæis siue Essenis (celebri Iudæorum sectâ) narrat, quemadmodum & Polydorus Virg. lib.7 c. 1. de Inuentoribus rerum locum illum Philonis de iisdem intelligit. Quin ipse Hieronymus ad Eustochium de Custodienda virginitate, hæc Philonem de Essenis scripsisse quoque affirmat. Idem Eusebius quæ in Ecclesiastica Historia Σεμνεῖα & Μοναστήρια *vocat Religiosorum istorum Habitacula, ea de Præparatione Euang. Synagogas appellat.*

Adhæc nondum Christiani talia eo tempore exercitia habuerunt, qualia ab Eusebio ex Philone copiosè commemorantur: eius enim rei, imò illorum etiam Religiosorum, de quibus Philo, à vetustissimis vel Doctoribus vel Historicis, nulla prorsus fit mentio.

Epiphanii & Quintini error.

Quod autem Ioan. Quintinus dicit, Epiphanium quoque testari, contra Nazaræos, Philonem non de aliis, quàm Christianis ista scripsisse, qui tunc non Christiani, sed ex nomine Iesu Domini nostri Ιεσσαῖοι *vocati fuerint nihil est: nam Epiphanius, vt indicat Scaliger, errantem Eusebium sequutus est, & insuper, quia Eusebij mentem, malè assecutus fuit, deterius illo pronunciauit. Nam id genus hominum, quo de loquitur Philo,* θεραπευτὰς *vocat: Eusebius ita dictos suspicatur, quòd in nomine Iesu Christi Nazareni morbos curarent: Epiphanius ideò putat ab Eusebio dictos quasi (non* Ιεσσαίους*)* παρὰ τὸ ἰᾶσθαι, *à sanando, quasi* ἰατρούς. *Hinc fit catena non illius fati Chrysippei, sed errorum inuicem sese consequentium.*

Et vt maximè verum sit, Christianos illos fuisse, nihil tamen eorum exemplo probare possunt: Sozomenus enim & Nicephorus lib. 8. cap. 39. indicant, eos plus æquo Iudaicè conuersatos fuisse & Gentis suæ Ritus obseruâsse.

Templa Essenorũ qualia.

Denique Loca illa, in quibus sua Mysteria tractârunt, non fuisse Templa augusta & magnifica, sed simplices domos, inde apparet, quòd Philo ea nominat οἰκήματα ἱερά, *hoc est, Domos, Habitationes & Domicilia sacra, qualia veteribus Christianis Apostolorum ætate & aliquandiu post fuisse, in sequentibus demonstrabitur. Ab Hesychio quoque* Σεμνεῖον, *quo nomine illi Religiosi Viri sua Sacra Domicilia appellârunt,* ἱερὸς οἶκος *exponitur.*

Nam post Apostolorum tempora, euerso iam Templo Hierosolymitano, & deletâ Gente Iudæâ, Christianis non modò nulla magnifica Templa, sed ne mediocria quidem condere licebat, ob sæuitiam tyrannorum & rabiem vulgi.

Loca publicorum congressuum post tempora Apostolorum qualia.

Erant igitur tunc temporis loca illa publicorum congressuum humilia, latebris, speluncis & antris similiora, quàm magnificis Tẽplis, vt testatur Eusebius libro 9.c.10. Historiæ Ecclesiast. Et Tertullianus vetus author palàm affirmat, etiam suo tempore Christianis alia Templa non fuisse, quàm simplices Domos, quibus fideles congregarentur. Claruit autem Tertullianus sub Pertinace Imp circa annum D.195. Apud Minutium Felicem quoque Christianis Cæcilius obijcit, cur nullas Aras habeant, nulla Templa, nulla nota Simulacra, nunquam palàm loquantur, nunquam liberè congregentur? Item, cur Iudæi Deum coluerint in Templis, Christiani autem secus? Polydorus quoque Vergilius lib.5. de Inuent. rerum cap.6. testatur, tantum abfuisse vt circa hæc tempora aliquod Templum à Christianis publicè ædificaretur, vt etiam omnia essent occulta, & satella potius, atque eadem abdita & plerunque subterranea, quàm apertis in locis ac publicis fierent.

Christiani in primitiua Ecclesia in Cameteriis plerunque conuenerunt.

Quin testantur Historiæ, Christianos post Apostolorum tempora conuenisse vt plurimum tempore persecutionum in Cœmeteriis, hoc est, locis sepulturæ Martyrum destinatis, ibique conuentus Ecclesiasticos celebrâsse. Ita in persecutione sub Georgio Alexandriæ, cum aduersarij pietatis prævalentes, Templa obtinerent, in Cœmeteriis Christiani conuenire cogebantur ad orationem. Theodoretus lib. 2. c. 14. Quâ de re Onuphrius Panuinius in Appendice ad Platinam de Cœmeteriis, ita scribit. Quia, *inquit,* veteres primitiuæ Ecclesiæ patres solebant ad Sepul-

chra sanctorum Martyrum, quorum sacrosancta erat memoria, anniversario die passionis eorum conuenire, ampla, & capacia cœtibus publicis Orationum Loca Cœmeteriis adjacentia, etiam Cœmeteria vocârunt: Legimus veteres Rom. Pontifices inter Martyrum tumulos stationes, id est, omnes actus publicos pontificales celebrare consueuisse. Itaque hæc Cœmeteria erant Christianis veluti Templa, & Orationum Loca, in quibus Episcopi Synodos congregabant, Sacramenta administrabant, & verbum Dei concionabantur. Hinc illud scitu dignum, quòd quum Imperator quispiam persequutionem in Christianos instaurare constituisset, ante omnia eos à Cœmeteriis arcere solebat, ne in vnum conueniendi eis facultas esset. *Itaque legimus apud Euseb. lib. 7. c. 9.* Æmilianum juridicum Ægypti in Valeriani persequutione sic Dionysium Episcopum, Presbyteros & Clericos Alexandrinos, & alios Christianos, in Christi fide constantes alloquentem: Video vos & ingratos esse, & non sentire mansuetudinem Augustorum, quapropter Alexandriæ non eritis, sed in Libyam relegabo vos, & vobis aliisque non licebit amplius Synodos colligere, vel ad Cœmeteria (sicut vocant) ingredi. *Et Historia eiusdem. lib. 9. c. 2 legimus:* Galerium Maximinum aliquando conatum Cœmeteria Christianis rursus adimere, cum eos dissipare, atque pessundare vellet: Itaque (*inquit*) nihil non ad subuersionem nostram molitus, primum nobis libertatem in Cœmeteriis conueniendi prætextu quodam adimere conatur. Rursus cùm Imperator alius persecutionem in nos reprimere vellet, ante omnia jus conveniendi in Cœmeteria reddidit. Exstat Galieni Augusti edictũ, quo Christianis Cœmeteria sua restitui jussit, vt ad sua Sacra coire possent, quibus à patre suo Valer. Imp. paulo ante impiis edictis prohibiti fuerant: *meminit huius rei Euseb. lib. 6. c. 13. Ex his igitur liquet*, apud Christianos primitiuæ Ecclesiæ, Cœmeteria Loca Sacra fuisse, in quibus ad sua Sacra conuenire possent: *Panuinius ibidem.*

In Cœmeteriis fabricæ materiales.

In eiusmodi autem Cœmeteriis fabricas materiales, & Ædes aliquas, in quibus fideles conuenerint, fuisse, auctor est Damasus Papa, qui in Fabiani *Papa & Martyris vita ita ait:* Hic multas fabricas per Cœmeteria fieri præcepit. *Idem Damasus ait:* Liberium Papam de exilio reuersum, habitâsse in Cœmeterio Agnetit. *Panuinius ibid. Imò in Cœmeteriis Romæ existentibus Baptismum & Cœnam Dominicam celebrare, Vigilias decantare, Ordinationes & stationes, id est, omnes sacras Ceremonias habere, veteres solitos fuisse, Panuinius ibidem docet.*

Quocirca valdè sunt mirandi illi, qui primis Episcopis Romanis exstructiones Templorum in ipso quoque vrbe Roma, Tyrannorum alumna, attribuunt: veluti quòd aiunt, S. Sauianum etiam viuenti Petro Templum condidisse & consecrâsse: *quòd Anacletus præcipit*, vt singuli Episcopi quotannis Limina, hoc est, Templum D. Petri Romæ inuisant: *cùm tamen Cornelius Papa*, 140. *annis ad minimùm post mortuũ Anacletum, in Decretalibus suis scribat, se primùm corpus Petri eruisse, & Romæ in Apollinis Templo condidisse: quòd de Alexãdro I. qui Episcopatũ Rom. tenuit circa annũ D.* 114. *Durandus l. 7. c. 19. Ration. scribit*, quòd in honorem B. Petri Romæ Templũ fabricârit, & ad Vincula nominârit: *quod de Hygino Platina refert, ipsum instituisse*, ne Templa sine celebratione dedicarentur, néue augerentur diminuerenturq; sine arbitratu Metropolitani vel Episcopi: *vetuisse quoq*; ne tigna reliquáue materia ad ædificãda Templa congesta in profanos vsus conuerteretur, posse tamen ad structuram alterius Templi vel Cœnobii, concedenti Episcopo, transferri: *quòd in altera Clementis* 1. *epistola ad Iacobum huiusmodi decretum exstat:* Ecclesias facite per congrua loca, quæ diuinis precibus sacrare oportet.

Primi Episcopi Rom. Templa nulla Romæ condiderunt.

Quæ autem fides his & similibus sit adhibenda, Polydorus Vergilius lib. de Inuct. rerum 5. *c.* 6. *his verbis docet:* Post Euangelicum, *inquit*, dogma inter gentes diuulgatum, vbi loci prima Ædes Seruatori nostro dicata fuerit, pro certo ponere non ausim, ne diuinare potius, quàm veritati inhærere dicar: sed in re parum nota conjectare licet. A Christi statim ascensu in cœlum Iudæi cœperunt Christianos crudeliter persequi, deinde Nero princeps, deinde Domitianus, deinde alii, & postremò Diocletianus Maximianus acerbissimè afflictârunt. Quo ferè toto temporis interuallo, tantum aberat, vt aliquod Templũ à nostris Christianis publicè ædificaretur, vt etiam omnia essent occulta, & sacella potius, atq; eadem abdita, & plerunq; subterranea, quàm apertis atq; publicis, fierent. Est tamen cõsentaneum credere in remotis locis, quo non facilè peruaserat ille Tyrannorum furor, fana aliqua interim aut ędificata, aut quæ primùm dæmonum fuerant Christo dicata ab Apostolis fuisse, qui vbique Gentium omni tempore ad propagandam Religionem totis viribus incubuerant: quod aut in Æthiopia à Matthæo, aut in India citeriore à Bartholomæo, aut in Scythia ab Andrea, quorum prædicatione iis Gentibus Christianæ pietatis lux ab initio affulsit, factum esse & crediderim & dixerim. Non abhorret præterea à fide, aliquam Ædem fuisse principio à Iacobo Hierosolymis Deo dicatam, qui ibidem Cathedram primus locauit, primusque rem diuinam ritu

Polydori Vergilij locus, indicans in primitiua Ecclesia Templa nulla fuisse.

Digitized by Google

ritu Apostolico facere cœpit, auctore Eusebio. Nec mirum alicui esse debet, si talia ac hujusmodi benè multa alia minus literis prodita sint, quòd scriptorum inopia factum est. *Vbi notandum, quòd hac postrema nullis certis argumentis, sed tantum coniecturis nituntur. Idem author ibidem inquit:* Romæ non reperio, quod sciam, aliud antiquius Templum ædificatum, aut dicatum, vel ad vsum Sacrorum fuisse conuersum, quàm Thermas Nouati in vico Patritio, quas Pius 1. Pontifex Praxedis eximiæ sanctitatis fœminæ, rogatu, diuæ Prudentianæ eius sorori consecrauit: qui fuit annus circiter 150. ab eo qui humanæ salutis fuit primus. *Et mox:* Nec ita multo post Calixtus (circa annum D. 222.) jam sese Tyrannorum odio sensim remittēte, Ædem in Transtyberina Regione, Beatæ Virgini struxit, Cœmeteriūq; ex suo nomine condidit viâ Apiâ, vbi multorum Martyrū repositi erant cineres. *Hæc Polydorus. Qualis autem ea fuerit Ædes quam Calixtus Romæ exstruxit, idem memorato loco indicat, & Platina in vita Calixti his verbis:* Calixtum ædificâsse, *inquit*, Basilicam in Transtyberina Regione in honorem B. Virginis, Damasus scribit. Non tamen crediderim hanc illam esse, quam hodiè tam celebrem & amplam cernimus. Cùm ea tempestate ob crebras persequutiones occulta essent omnia, & sacella potius, atque eadem abdita, & plerunque subterranea, quàm apertis in locis fierent. Inuisi ego hæc loca cum amicis quibusdam Religionis causâ. Visuntur adhuc (*Romæ*) sacella, vbi priuatim Sacrificia fierent, quæ publicè quorundam Imperatorum edicto exhiberi Deo non poterant. *Hæc ille. Eadem quoq; refert Sabellicus Enne. 7. lib 6.*

Scilicet ergo licuit illis magnifica Templa exstruere, eaque auro & argento ornare. Omnibus enim notum esse arbitror ex omni triginta Episcoporum Roman. successione, quæ à Petro & Paulo vsque ad Syluestrum & Constantinum Imperatorem annorum minimùm trecentorum spatio deducitur, nullum fuisse, de quo supplicium sumptum non sit. Primus inter Cæsares fuit Persecutio Ecclesiæ sub Nerone. *Nero, qui publicis edictis, per prouincias, Christianos mandauit excrutiari, sicut Tertullianus scripsit in Apologetico. Occasio fuit, quòd Nero clam vrbem iussisset incendi, vt formam Troiani incendii videre posset: arsitque Roma 6. integros dies. Ea calamitas summam ei apud populum inuidiam conflauit, quam cùm beneficiis eluere non posset, finxit Christianos eius calamitatis esse authores, & statim horribiliter in eos furere cœperunt. Lanienam istam describit Tacitus lib. 15. Flauius Domitianus atro-* Domitiano. *cem quoque publicis edictis contra Christianos persecutionem promulgauit & exercuit, vt indicat Eusebius lib. 3. capite 19. & Eutropius libro*

9. Sub Traiano Imp. Senatus Rom. blasphemia Traiano *in Deos, & seditionis erga Imperatorem Christianis crimen intentabat. Ab Imperatore ergo ad omnes omnium prouinciarum præfectos publica decreta sunt missa, quæ quidem necessitatem persequendi cuilibet præsidi attulerunt, vt apparet ex Plinii 2. scripto. Romæ Doctores Euangelii, velut hospites & omnis politica dominationis ac mundanorum bonorum expertes, doctrinæ & orationi incumbebant, in eo, quo dabatur, tuguriolo, ac parati erant pro Christo ceruicem præbere. Rapitur ergo anno Traiani 4. Euaristus Rom. Episcopus ad supplicium. Ignatius Romam perducitur, ibique bestiis dilaniandus obiicitur. Eandem rabiem experti sunt Christiani non modò per Europam, sed maximam etiam Asiæ & Africæ partem. Nec mitiorem Traiano habue-* Adriano *runt fideles Adrianum Imp. qui in sæuitiâ illum penè superauit. Nam Alexandrum Roman. Episcopum, cum Hermete præfecto vrbis, liberis & aliis, numero 1250. in carcerem coniecit, & tandem in furno ardenti simul omnes cremauit. Aliis etiam in locis impunè permisit in Christianos sæuire, quibuscunque id libitum fuisset. Sub* Antonino Pio. *Antonino pio licet nullo edicto iugularentur, tamen passim erant inuisi, quòd omnium malorum causa ipsorum fidei imputaretur, & fœda horrendáque scelera de ipsis spargerentur. Quæ Romæ piorum fuerit conditio sub Antonino Vero,* Antonino Vero. *Iustinus, qui eo tempore ibi interfectus est, satis magno testimonio esse potest. In Gallia præfecti aliique persequutores, ipsis Imperatoribus immaniores, nouis subinde excogitatis criminibus, vulgus insanum alioqui & temerarium, si quid contra Christianos suscipiendum esset ad maiorem audaciam & sæuitiam armârunt, & nouis quasi furiis excitârunt. Narrant scripta de Martyribus Gallicis, Ethnicos instigâsse Christianorum seruos, & tormentis adegisse, vt de Christianis talia diuulgarent, qualia ab hominibus fieri posse, nefas sit credere. Hinc factum est, vt apud Lugdunum & Viennam, Christianis interdictum fuerit, ne balneas ingrederentur, ne prodirent in publicum, ne publico priuatóue loco conspicerentur, vt lib. 5. tradit Eusebius. Hac etiam causa fuit, vt illi quoque, qui moderatius hactenus cum Christianis egerant, licentius nunc & crudelius multò in eos sæuirent. Et vt Gallorum epistola testatur, quæ exstat apud Euseb. libro 5. capite 1. nihil tam atrocis supplicij & cruciatûs, ab immanissimis Tyrannis excogitari potuit, quo non Christiani dignissimi iudicati sint. Tantum verò abest, vt in Asia quicquam remiserint persecutiones, vt etiam maximas in ea fuisse Eusebius significet libro 5. cap. 15. Seuerus Imperator gra-* Seuero. *uissimam persecutionem in Christianos mouit, in qua non in corpora solùm sæuitum est, sed etiam in facultates earum, qui fidem confessi ad supplicium ducti sunt. Similem fortunam experti sunt sub Decio, & aliis Imperatoribus.* Decio, &c.

Cui ergo verisimile videri potest, Christianis, tantâ indignitate tractatis, & communi totius orbis ferè Ethnicorum odio contemptis, in tantis persecutionum procellis, licuisse Templa condere, & ædificare, cùm ne prodire quidem plerunque auderent, vt Eusebius indicat lib. 6. capite 31. & benignè agi secum tùm crederent, cùm, intermissis persecutionibus in Vrbibus & alibi per Prouincias tolerarentur. Multòque minus illis credendum est, qui primis illis Ecclesiæ Rom. Episcopis, Templorum exstructiones, agrorum possessiones, & nescio qua alia munera, per vrbem velut i suam, Christianis distributa affingunt, cùm propè incredibili fauitiâ non solùm vulgus, sed etiam ipsi Episcopi latebras & specus inhabitare compulsi sint, sicut etiam rectißimè monet doctissimus vir, omnisque antiquitatis & historiarum peritissimus D. Vadianus, in Epitome trium terræ partium, in Ionia.

Adrianus Imp. in Christi honorem Templa condidit. *Referunt quidem authores, Adrianum Imp. Christum inter Deos recipere voluisse, ob eamque causam & Templa sine Simulachris, in omnibus ciuitatibus, in honorem Christi, exstrui iussisse: quæ iccirco, quòd Simulachra non haberent,* Adriani Templa, *vsque ad Constantinum, dicta fuerint: Auentinus lib. 2. Annal. Verùm Imperatorem ea Christianis tradidisse, aut Christianos illa frequentâsse, non indicant. Hoc addunt,* Adrianum à proposito deterritum fuisse per Sacrificulos & Philosophos, qui in fatis esse dicerent, si hoc faceret, Deorum Religionem, cum Romani Imperii Majestate interituram, & omnes Christianos futuros, foreque vt cætera Templa omnia deserantur. *Quo sine dubio factum est, vt deinceps sub hoc Imperatore non mitius quàm sub reliquis, cum Christianis actum fuerit.*

Accedunt his omnibus apertissima Patrum testimonia, quibus probatur primos illos Christianos nulla Templa habuisse. Hoc enim probro illis ab Ethnicis objectum fuit. Sic enim libr. 4. contra Celsum Origenes: Obijcit, *inquit,* nobis Celsus, quòd non habeamus imagines, aut Aras, aut Templa. *Arnobius lib. 4. Contra Ethnicos ait:* Accusatis nos, quòd nec Templa habeamus, nec imagines, nec Aras. *Et Minutius Felix, qui claruit circa annos Christi* 211. Cur, *inquit, Cæcilius ad Octauium, de Christianis loquens,* nullas Aras habent, Templa nulla, nulla nota simulacra?

Hæc apertissima testimonia, vt eludat Baronius tom. 2. Annat. pag. 316. Derisio potius, inquit, erat illa, quàm calumnia Gentilium in Christianos insultantium, quòd nullum penes illos Templum esset. Quidnam verò illi per Templum intelligerent est diligentius inquirendum. Erant inprimis, qui putant, omnes sacras Deorum ædes, in quibus sacra facerent, Templa dicta fuisse. Imò quum quàm plurima essent Romæ multiplicium Deorum delubra, perpauca tamen eorum constat nominata fuisse Templa. Est de his testimonium apud Gellium lib. 14. c. 7. M. Varronis ad Pompeium, de officio Senatûs habendi Isagogicum conscribendis, in quo hæc atque alia scripta reliquit; Non omnes ædes sacras Templa esse, ac ne ædem quidem Vestæ Templum esse. Imò & Templa dici & quæ alii publico usui quàm diuino cultui inseruirent, idem Varro testatur lib. 6. de Lat. lingua, cùm ait: Curia Hostilia Templum est, & sanctum non est. Ex quibus Intelligas, inquit Baronius, nonnisi ingentes illas ædium moles, vastas illas amplissimasque publicorum ædificiorum structuras, atque angustiora delubra Templa ab illis vocitata. In quam planè sententiam hæc Arnobius in eos: Templa enim hæc quid sunt? Si humanam infirmitatem roges, nescio quid immane atque amplum. Et paulò post: Sint ergo hæc licèt aut ex molibus marmoreis structa, laquearibus aut reniteant aureis, splendeant hinc gemmæ, & sidereos evomant varia interstitione fulgores: terra sunt hæc omnia, *&c.* Certè quidem nec nos infitias imus, caruisse priscos illos Christianos ejusmodi Templis, inquit, Baronius, & ecclesiis Templorum instar erectis. *Respondeo primò, discrimen hoc nec semper, nec ab omnibus obseruatum fuisse, sed loca sacra, nunc Ædes, nunc Fana, nunc Delubra, nunc Templa sine discrimine appellâsse testimoniis probatorum Authorum probari potest. Liuius Dec. 1. libro 1. in genere omnia sacra loca Romæ Templa vocat, inquit enim,* Numam constituisse, quibus diebus ad quæ Templa sacra fierent. *Idem Auctor eodem loco Ædes, quas Romulus Iovi Feretrio & Statori vouit, Templa nominauit.* Romulus, *inquit,* simul cum dono designauit Templo Iovis fines. *Et mox:* Iupiter, Feretri hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero, Templúmque iis regionibus, quas modò animo metatus sum, dedico. *Item:* Hic ego tibi Templum Statori Ioui, quod monimentum sit posteris, tuâ præsenti ope seruatam vrbem esse, vouco. *Non autem verisimile est, in primordiis Vrbis Romæ, quando res Romana valde adhuc accisa & attenuata essent, Templa illa splendidißima & sumptuosißima fuisse: præsertim, cùm diu post ea amplificata esse idem eodem loco referat. Quirini Ædem vocat Dionysius* Templum; *de Lupercali enim loquens,* Ostenditur, *inquit,* secundum viam, quâ itur ad Circum, Templúmque ei proximum, in quo lupa præbens duobis pueris ubera. *Plinius verò eundem locum & delubrum & Ædem vocat.* Inter antiquissima, *inquit,* delubra habetur Quirini, hoc est, ipsius Romuli: Sacræ Myrti fuere duæ ante

ædem

ædem ipsam, &c. *Cornelius Tacitus Ædem Cæsaris Templum vocat, Appianus autem delubrum. Idem Tacitus in lustrationis descriptione Capitolij, id modò Delubrum, modò Templum vocat. Concordiæ Ædes nunc Templum nunc Ædes dicitur.*

Respondeo secundò, omnem locum sacrum ab auguribus inauguratum Templum nominatum esse: hoc enim nisi fieret, Templum esse non potuit, Varrone teste apud Agellium, sed Ædes tantum dicebatur.

Tertiò, non perpauca, vt vult Baronius, sed plurima Templa Romæ fuisse luculentissimis testimoniis probari potest. Prudentius lib.1. contra Symmachum: Et tot Templa Deûm Romæ, quot in vrbe sepulchra

Heroum numerare licet, &c.

Tertullianus in Apologetico cap.25.dicit, Numam Templorum vsum in Rempub. Romanam introduxisse. Liuius meminit Templi Iouis Feretrij & Statoris dec.1.lib.1. Bellonæ lib.10. Dec.1. Iunonis in Auentino Dec.1. lib. 5. Mineruæ: Iouis Opt. Max. siue Iouis Capitolini, quod vouit Tarquinius Priscus: meminit eius etiam Cicero. Suetonius mentionem facit Templi Pacis. Dionysius ἱερῶ, hoc est, Templi Asyli; itemque Vulcani: & Fortunæ virilis.

Quartò; *Plutarchus Ædem Vestæ, non Ædem, sed contra Baronium, Templum vocat.* Facto impetu, *inquit,* Sabinos, qui ex Capitolio descenderunt, ad Vestę (ἱερὸν) Templum fugârunt. *Sic etiam Templum Hierosolymitanum Euangelistæ ἱερὸν vocant. Horatius apertissimè inquit:*

Vidimus flavum Tiberium retortis
Littore Hetrusco violenter vndis,
Ire dejectum, monumenta regis,
Templáque Vestæ.

Quintò Origenes non tantum dicit, Ethnicos Christianis objecisse, quòd nulla Templa, sed etiam quòd nec Delubra &c. haberent. Nam lib. 8. contra Celsum inquit: Celsus & Aras, & simulacra, & Delubra nos ait defugere, quo minus fundentur: &c. *Sextò: Facilis fuisset Origenis, Arnobij & aliorum responsio ad hanc Ethnicorum responsionem, si vera Baronii sententia esset: Nempe, licet nulla sumptuosa Templa habeamus, tamen Ædes sacras habemus, & in iis Aras, vel Altaria pro incruento sacrificio, simulacra, imagines & similia. Item, vos ipsi quoque Romæ perpauca, imò vnum vel alterum saltem Templum habetis. Sed ita respondent, vt facile intelligi possit, eos nulla vel Templa, vel Ædes cultui divino propriè destinatas, illo tempore habuisse. Septimò. Non solùm in iis locis, quæ Templa, vt vult Baronius, sed etiam quæ ædes dicebantur. S. C. & conciones habitas fuisse; Cicero pro domo sua & pro Sextio testatur, itemque Lampridius de Æde concordiæ agens. In Æde Telluris Senatum habitum, in eáque armamentarium fuisse, Cicero in Philip. refert. & Appianus.*

Dissimulare tamen aut negare nec volo, nec debeo, in sæuissimis istis persequutionum procellis, post ducentesimum à Christo nato annum, tranquillitatem aliquam & serenitatem exortam fuisse subinde, & Deum Halcionia quædam Christianis concessisse, eoque factum, vt indies res eorum se melius habere cœperint, & major lux subinde affulserit ipsis sub Alexandro Seuero, Gorbiano, Philippo, & præsertim Gallieno, qui seu patris Valeriali fortunâ territus, seu moderatione, seu quacunque tandem causâ, pacem Ecclesiis omnibus vbique reddidit. Mediocriter etiam se Christiani habuerunt sub Fl. Claudio, Aureliano, M. Aurelio Probo. Istorum enim omnium Imperatorum gubernatio nihil videtur perturbationis aut persecutionis Christianis attulisse, sed tranquilla & quieta cum illis omnia fuisse: nec prius turbata esse, quàm annum imperij sui decimum nonum Diocletianus attigisset. Quo toto tempore in eminentia, felicitate & commoditate summa, res Christianorum fuerunt: quod testatur Eusebius lib.8.cap.1.suæ historiæ. Vide locum. *Templa à Christianis quando primò condita.*

Eodem igitur tempore Christiani Templa & Orationum Domus, majora magnificentioraque quàm hactenus illis licuerat condere primùm cœperunt, testante id Eusebio lib.8.cap.1.vbi ait: Quis numerosas illas aggregationes, & multitudines cœtuum per singulas ciuitates, insignesque concursus ad Oratoria describet? quorum gratiâ priscis Ædificijs non contenti, in singulis ciuitatibus spaciosas & amplas ex ipsis fundamentis construxerunt Ecclesias. Hæc autem progressu temporis proficientia, & quotidie in magnitudinem & amplitudinem crescentia, nulla potuit inuidia prohibere, neque malus aliquis Dæmon fascinare, nec homo quispiam insidijs impedire, quandiu diuina ac cœlestis dextera populum suum, adhuc dignum existentem, inuisebat & custodiebat. *Hæc Eusebius. Eadem refert lib. 7. capit. 2. Nicephorus.*

Diocletiano autem persecutionem aduersus Christianos mouente, promulgantur ab ipso edicta violentissima de euertendis funditùs, ac solo æquandis his ipsis Christianorum Templis, per vniuersum Romani Imperij orbem. Nec defuit edictis strenua executio per præfectos. Templa enim vndique ipso die Paschæ diruta, euersa & à culmine ad pauimentum vsque destructa deiectaque sunt, vt testatur Eusebius lib.8.cap.2. Eoque tempore exprobrârunt Christianis Gentiles, quòd Tēpla non haberent vt ex Origine constat contra Celsū lib.4. & Arnobio lib 2. Nec mitior fuit erga Christianos Galerius Maximinus Cōstantij Chlori in imperio collega. Morbo autem fœtido & desperato subitò correptus, de quo Euseb. lib.8. cap. 16. *Templa Christianorum destruūtur.* *Templa Christianorum reparantur.*

16. ad se rediens, conuocauit omnes quos secum habuit, mandans illis, vt persequi Christianos cessarent, Legesque & Edicta Imperialia de restaurandis eorum Templis affigerent & publicarent. Exstat Edictum Maximini Imp. pro Christianis apud Euseb lib. 9. cap. 10. Niceph. lib. 7. c. 3. Quo factum est, vt diuinum quoddam gaudium cunctos afflaret, videntes ea loca, quę paulò ante Tyrannorum fuerant impietate destructa, velut è longa & mortifera calamitate exsuscitari, ac Templa rursus ex fundamentis ad immensam celsitudinem erigi, multoque maiorem splendorem accipere, quàm habuerant antequam destruerentur. *Hac Eusebius lib. 10. cap. 2.*

Ex his omnibus jam apparet fallacia, argumentationis Baronij qui tom. 1. Annal. Sic colligit pag. 480. ex citatis Eusebij locis. Si longè ante Diocletiani tempora antiquitùs erecta Ecclesia sunt diruta, vt eadem amplioribus Spacijs aucta excitarentur: eademque sic restituta tandem sub Diocletiana sunt prostrata: quis non intelligit, ab ipsis primordijs exorientis Christiana religionis, ad ecclesiasticas obeundas functiones accommodatas fuisse erectas sacras ædes, quas Ecclesias nominamus?

Constantinus Imp. iubet Christianos Templa condere.

Constantino autem Magno ad Imperium promoto, tum demùm cœperunt vbiuis lacarum vel Gentilium Templa in Christianorum vsum conuertere, vel noua ex fundamentis magnificentissimè splendidissimeque exstruere & ædificare, idque iussu & mandato Constantini Imperatoris, qui in hac re nullis etiam pecuniis, nec ipsis imperialibus thesauris parci voluit. Decretum autem quod recitat Eusebius libro 2. de vita Constantini ita habet:

Decretū Constantini de restaurādis & ædificādis Templis

Victor Constantinus, Max. Aug. Eusebio Quàm ad hoc vsque temporis impiâ illâ sententiâ, tyrannidéque ministros Seruatoris persequente, cunctarum sint Ecclesiarum Ædificia vel propter incuriam labefactata, vel metu imminentis iniquitatis vendibilia ac vilia reddita, cognoui: & accuratè persuasus sum, frater dilectissimè. Iam verò libertate redditâ, ac dracone illo à Republicæ gubernatione maximi Dei prouidentiâ, nostróque ministerio expulso, cunctis arbitror manifestam esse factam diuinam potentiam, eosque, qui vel metu vel incredulitate in peccata quædam inciderunt, ac verum bonum jam cognouerunt, ad veram & rectam vitæ constitutionem accessuros. Quotquot igitur Ecclesiis vel ipse præes, „ vel alios suis quoque locis Episcopos, Pres„ byteros vel Diaconos præesse nosti, admo„ ne, vt diligentes sint circa Ecclesiarum „ structuras: ac vel existentes restaurent, aut ampliores reddant: vel vbi necessitas exigit, nouas ædificent. Petes verò & ipse, & alii per te à Præsidibus Magistratibusque prouincialibus ea quæ necessaria sunt. His enim scriptum est, vt omni promptitudine quæ à sanctitate tua debentur, administrent. *In eandem quoque sententiam Sozomenus lib. 1. cap. 8.* ex constitutione, *inquit*, Constantini Ecclesiæ Ædes, si quæ collapsæ aut destructæ fuissent, restaurabantur: ac si quę minus capaces & angustiores essent amplificabantur. Vbi verò nullæ prorsus erant, ex ipsis fundamentis splendidè exstruebantur. Ad quas res Imperator ex imperialibus thesauris pecunias suppeditabat. *Eadem commemorat Nicephorus libro 8. capite 27. Sozom, libro 1. capite 9. Tripart. hist. Hanc ob causam Otto Phrisingensis libro 4. capite 3. dicit*, sub Constantino Magno prima edicta data, vt Ecclesiæ ædificarentur: tunc primò quoque Catholicis hominibus permissum, vt Ecclesię eorum prædiis ditarentur.

Constantinus ipse ædificat Templa.

Neque verò solùm hoc aliis mandauit ac præcepit Constantinus, sed etiam summam operam Templis ædificandis condendísque ipsemet nauauit Imperator: eáque sanè in re egregium se architectum præstitit. Namque, vt Socrates indicat libro 2. Tripart. historia capite 18. celebratâ festiuitate publicâ vicennalium suorum, mox ad erigendas Ecclesias festinus accessit. Hocque faciebat cùm per singulas ciuitates, tùm verò maximè in ipsa vrbe Constantinopoli, in qua duas magnificentiss. ædificauit Eccles. quarum vnam nominat Irenen, alteram verò Apostolicam. Præterea in palatio Imperatorio Ædem construxit, in qua, si domi per negotia esse licebat, de Religione & Cultu diuino non solùm aulici, sed milites quoque edocerentur. *Refert etiam Eusebius libro 3. de vita Constantini. In bellicis quoque expeditionibus Tabernaculum maximum, ad Templi formam paratum, secum circumuexit, in quo publicos conuentus coëgit. Sozomenus libro 1. cap. 8. Idem Imperator Hierosolymis in loco Caluaria, vbi Sepulchrum Christi fuerat, magnificum illud Templum* SALVATORIS *regiis impensis ædificauit, vt Athanasius indicat Apologiâ 2. & Eusebius libro 3. de vita Constantini. Verum ergo non est, quod*

Error Socratis.

Socrates libro 1. cap. 17. Historia Ecclesiastica scribit, Helenam Imperatoris matrem preciosum Templum in loco Sepulchri Christi exstruxisse: *quamuis ipsemet fateatur, se hac & alia, qua ibi narrat, ex relatione aliorum scribere. Exstruxit ibidem & aliud Templum* Theophaniæ *dictum, aliud item* Assumptionis Christi in cœlos. *Euseb. libro 3. de vita Constantini. Quod si Damaso & Platina credere voluerimus, Roma quoque Constantinus Templum condidit in hortis Equitij, non longè à thermis Domitianis, quod titulum* Equitii *vsq. ad Damasi tempora habuit. Basilicam item*

Con-

Constantinianam (*quam Lateranensem vocant*) *adificauit*, *& vt in ficta Constantini Donatione legitur, in adificando* 12. *terra cophinos propriis humeris extulit*, *aequales numero* 12. *Apostolis: aliam item in Atrio Sessoriano*, *sub titulo* S. Crucis in Hierusalem, *eò quòd ibi partem aliquam S. Crucis ab Helena inuenta reposuit. Ita quidem Platina: Illud verò ridiculum: hoc autem manifestè falsum est: nam nec S. Crucem inuenit Helena, vt suo loco probabitur, nec Constantinus partem S. Crucis in hoc Templo Roma reposuit, si maximè inuenisset Helena, id quod ex Socrate apparet, qui cùm lib.* 1. *cap.* 17. *sua Historia Ecclesiastica inuentionem Crucis descripsisset, tandem hac subiungit:* Cru-

" cis portionem (*ait*) vnam thecâ argenteâ
" inclusam, ad memoriam illic (*Hierosolymis*)
" visere volentibus reliquit: alteram autem
" Imperatori misit, quam ille acceptam, cre-
" dens eam ciuitatem fore saluam, vbi portio
" Crucis asseruaretur, in sua ipsius statua con-
" didit, quæ Constantinopoli (*non Roma*) in
" foro, quod Constantini dicitur, in purpurea
ac magna Columna consistit. *Eiusdem farina est, quod Platina refert, eundem Imperatorem S. Petra Basilicam in Vaticano adificâsse haud longè à Templo Apollinis: ibidemque ejusdem Apostoli corpus constructâ ipsi cum reuerentia ex electro thecâ, vt in Constantini Donatione ficta legitur, splendidè ac mirificè collocâsse. Nam si verum est hoc, qui fit quòd Anacletus, qui proximus fuit à Petro, & plusquam ducentis annis Constantinum antecessit, statuit, vt singuli Episcopi quotannis Limina, hoc est, Templum B. Petri Roma inuisant. Idemque refert Constantinum duas alias Basilicas, vnam* D. Pauli, *alteram* S. Laurentij, *hanc extra muros, illam in vrbe exstruxisse: eiusdemque iussu Templum* S. Agnetis, *adificatum esse, rogatu Constantia eius filia: aliam denique via Lauicana inter duas lauros beatis Martyribus* Marcellino Presbytero *&* Petro exorcistæ, *Basilicam condidisse: nam vt mox indicabitur, piissimus Imperator, cuncta Templa in honorem Dei & Seruatoris nostri adificauit, Sanctis nulla dedicauit: veteres etiam in terra, & non in metallis aut gemmis condiderunt corpora Sanctorum: quod Constantinus quoque fecit, Nicephoro teste. Mater quoque Constantini duo Templa construxit, alterum in Bethlehem, in memoriam* partûs Virginis Mariæ: *alterum in memoriam* Ascensionis Christi *Domini, referente Eusebio lib.* 3. *de vita Constant.*

Error Platinæ.

Inter Ecclesias verò & Basilicas à Constantino M. in Oriente erectas, excellit cum primis Antiochena Basilica, dicta à majoribus ob sui mirificam in omnibus excellentiam, Domiaricum aureum. Ejus augustissimam structuram Eusebius his paucis lib. 3. *de vita Constantini cap.* 49. *& in Oratione de laudibus Constantini describit. Ciuitates, inquit, qua apud cateras Gentes videbantur, vel maximè propter splendorem excellere, templis egregijs magnificisque curauit exornandas: sicut ex pracipua Vrbe totius Orientis, qua nomen traxit ab Antiocho, constare poterit; in qua, tamque in ciuitate illis Gentis ac regionis primaria, Ecclesiam tum propter amplitudinem, tum propter pulchritudinem maximè eximiam Deo dicauit. Quippe vniuersum Templum longis porticibus extrinsecus adjectis circumdedit: Sanctuarium autem interius ad infinitam erexit altitudinem: quod quidem ad speciem Solij octangularis fabricatum, multis adiculis exedrisque vndique constructis, compluribus item tabulatis omni parte circumsepta fuit: Quam etiam per magna auri arisque copia & reliqua pretiosa materia ornamentis decorauit. Hac Eusebius: Qui & sumptuosissimum à Constantino erectum fuisse Nicodemia in bistrinia templum tradit.*

Refert etiam Epiphanius lib. 1. *tom.* 2. *contra hareses, Iosephum, non Antiquitatum Iudaicarum authorem illum, sed quendam alium à Tiberiade, à Constantino M. non solùm Comitum dignitatem assequutum, sed etiam potestatem nactum fuisse, adificandi Christo plurima Templa in ciuitatibus ac vicis Iudaorum, vbi nulli vnquam licuerit hactenus Ecclesias extruere, quòd neque Gracus, neque Samarita, neque Christianus inter ipsos fuisset: & exorsum quidem in Tiberiade, Adrianeum quoddam Templum maximum quidem, verùm imperfectum relictum, absoluisse, deinde verò in Diocasarea, qua & Sephurim appellatur, in Nazareth, Capernaum alijsque plurimis ciuitatibus strenuè hoc suum propositum exequutum fuisse.*

Atque hoc fuit apud Christianos initium, hacque origo magnificorum Templorum, Oratoriorum, Basilicarum, & quocunque tandem nomine appellare libeat.

Initium & progressus Templorum.

Ab hoc enim principio Pontifices maximi Roma quoque, haud irreligiosiores Constantino videri volentes, Templa vel Ethnicorum in Christianorum vsum conuerterunt, vel noua ex ipsis fundamentis exstruxerunt, vel vetustate aut aliâ calamitate collapsa instaurârunt, vel denique deformia & angusta splendidiora ac latiora reddiderunt. Sic Iouis Vltoris Templum, hodiè omnium totâ vrbe pulcherrimum & magnificentissimum, ex antiquis quidem relictum, sed à Pontificibus Rom. in Christianorum vsum conuersum & S. Mariæ Rotundæ, *Templum appellatum fuit. Habet porticum ingentem, valuas & trabes aneas: Altare summum ianua respondet, omnia intus marmorea sunt, Pauimentum, Altaria, Statua. Tectum est circulare. Testudo, per quam ad tectum, quod est plumbeum, ascenditur, gradus habet* 120. *& antequam ad eam perueniatur testudinem, sunt alij gradus* 30. *Ad foramen tecti, quod lumen*

Romæ Templa exstruuntur.

Templo prabet, per plumbeos gradus 40. duobus in locis ascensus est in ipso tecto, denique eo tota Roma conspicua est. Fabritius in Romanis Antiqnitatibus. Et adificationi quidem ac instaurationi Templorum, ita omnes studuerunt, vt rarissimè vnum saltem ex omnibus Episcopis Roman. à Syluestro 1. inuenias, qui non duo, tria vel plura etiom Templa Roma adificâri, si ijs, qua Platina aliique referunt, fidem aliquam habere voluerimus: Vt mirum non esset si Roma nulla priuata Ædes, sed tantummodo Templa conspicerentur. Adeoque se Pontifices Roman. magis architectos ac adiles Curules, quàm fidos Pastores & Doctores prastiterunt: cùm tamen hac de re nullum exemplum, multoque minus praceptum aliquod vel Christi vel Apostolorum exstet, quorum illi Vicarij & successores haberi voluerunt. Imò eam authoritatem sibi solis arrogare ausi sunt, vt nemini absque praceptione seu Papa & Apostolica sedis Basilicam vel Ecclesiam construere licuerit, ex decreto Nicolai Papa, ad Clerum & Plebem Viennensem circa annos 855. post natum Christum: vt habetur de Consecr. dist. 1. c. Ecclesia.

Aliquoque Episcopi Templa adificant.

Patricius quot Templa adificarit.

Secuti sunt hos etiam aliorum locorum Episcopi, quemadmodum ex historijs luculentissimè probari posset. Illud verò in primis memorabile est, quòd Patricius secundus in Hybernia Episcopus 365. Ecclesias adificâsse ac fundâsse dicitur, si verum est quod Henricus de Erdfordia refert, cuius alioqui non meminit Balaus de Scriptoribus Britannia Cent. 1. cap. 44. in vita Patricii. De Liborio etiam Cenomanensi Episcopo Surius ex manuscripto quodam codice refert tom. 4. de vitis Sanctorum, quòd septemdecim adificârit Ecclesias: vnam in Colmno, alteram in Syluiaco, tertiam in Roudatio, quartam in Campogenesto, quintam in Conedaco, sextam in Aciaco, septimam in Aloncianno, octauam in Sangnuo, nonam in Sabonario, decimam in Bona, vndecimam in Lucia, duodecimam in Lugduna, decimam tertiam in Marsone, quartamdecimam in Paliaco, quintam decimam in Magitto, sextam decimam in Nouiliaca, & septimam decimam in Comnis. Vixit circa annos Christi. 900.

Imperatores post Constantinum, imprimisque Iustinianus Templa adificant quoque.

Constantinum etiam Magnum imitati sunt sequentes ipsum Imperatores & principes, inter quos non postremus est Iustinianus Imperat. de quo Zonaras tom. 3. scribit, quòd adeò prapostero exstruendi Templa zelo ac studio flagrârit, vt & stipendia liberalium artium Magistris iam olim constituta, in omnibus vrbibus sustulerit, quo haberet, quos pro libidine sua in non necessarias Templorum adificationes sumptus & pecunias profunderet. Hac autem immodicâ & perversâ Religione ac liberalitate illud effecisse dicitur, vt literarum scholis vacantibus, barbaria simul & rusticitati plurimis in locis occasionem dederit. In vnica vrbe Constantinopoli certè iam antea Templis plurimis, iisdemque splendidissimis ornata, nobilissimum & incomparabile Sophiæ Templum exstruxit, & pretiosissimis lapillis, speciosissimis Columnis, aliisque κειμηλίοις ita ornauit, vt primas in toto orbe Christianum habuisse putetur. Exstat eius descriptio apud Evagrium lib. 4. cap. 31. Testudo, inquit, est Templum illud quinque adytuum, quatuor sublimata fornicibus, & vsque adeò exaltata, vt internè suspicientes visu ægerrimè ad hæmisphærium illius pertingant: supernè verò constituti, quamvis audaces, haud quaquam despicere & oculos ad ima demittere conantur. Fornices autem vacui ex pauimento vsque ad culmina tecti eriguntur. In dextro latere ad sinistram ordinatæ sunt illis Columnæ ex Lapide Thettalo structæ, & tabulata, quæ aliæ consimiles Columnæ exaltant, vnde despiciendi copia sacra videre volentibus datur, vnde etiam Imperatrix Festis diebus præsens ad Sacrificium mysteriorum accedit. Quæ verò ad Orientem & Occidentem versus exsistunt, sic dimittuntur, vt nihil tantæ magnitudinis admirationem impediat. Porticus autem dictorum tabulatorum internè Columnis & paruis Fornicibus sic tantum opus absoluunt, vt & structuræ hujus miraculum illustrius reddatur, & pedibus mensura longitudinis, latitudinis, sublimitatis, & fornicum quoque vacui & sublimitatis capi possit quæ sic habet. Longitudo è regione portæ vsque ad sacram Concham, in qua incruenta Victima sacrificatur, pedum est 106. latitudo verò in australi parte pedum 115. altitudo ab ipso centro hæmisphærij ad pauimentum vsque pedum 180. & cujusque Fornicis latitudo pedum * longitudo verò ab Oriente ad Occidentem pedum 66. latitudo verò, illustrationis eatum pedum 75. Sunt autem & ad Solis occasum adhuc duæ illustres porticus, & Atria subdialia venustissimè exstructa. Exstruxit idem Imperator plurima alia delubra, ad curam videlicet tam virorum quàm mulierum, tam paruulorum quàm senum, & eorum qui varijs morbis grauabantur. Euagrius lib. 4. cap. 30. Cumque in tumultu Constantinopolitano incendium multas sacras Ædes absumpsisset, & Ecclesiam magnam, quam ibi Constantinus exstrui fecerat, Iustinianus aliam maiorem & elegantiorem fecit. In eius Vestibulo Columnam ingentem cum equestri Statua sibi collocauit, in loco vbi prius Theodosii M. Statua argentea fuerat. Cuspinianus. Idem multi alii Iustiniani tempore fecerunt, quorum studium & operas circa exstructiones Templorum hac loca commemorare, nimis longum foret: rerum tantùm summas annotâsse sufficiat.

Authores autem primi Templorum per Gal-

lias,

Templa per Gallias, Germaniam, &c. qui primo ædificarint.

lias, Germaniam & alias Occidentis prouincias fuerunt Reges Francorum, Clodouaus, qui inter illos primus fuit Christianus: item Chlotarius & Childebertus: circiter annos Domini 545. deinde Dagobertus circa annum 630. inprimisque Carolus, cognomento Magnus, qui hoc potissimùm nomine commendatur, quòd per omnes Imperii sui fines splendidissima, magnificentissimaque Templa exstrui curarit: referuntque de ipso, quòd tot Monasteria & Templa exstruxerit, quot Latinorum Elementa sint, & cuilibet elementi vocem indiderit, ex quibus præcipuum longeque excellentissimum est Templum Deiparæ virginis *Romanâ amulatione, adhuc toti Europa venerabile ad Aquas Graneas, ex aduerso Palatina domus, cui & porticus & procerum ædes ita circumiecta, atque exstructa sunt, vt vndique pateant ex pratorio prospectanti. Columnæ marmoreæ Româ, Rauennaque deuecta eo sunt. Auentinus lib. 4. Anal. Cumque castrum Vuitekindi, non procul ab Osnaburga, hoste fugato, suo firmâsset præsidio, Ecclesiam ibi ædificauit in Saxonia primam. Episcopatus quoque fundauit* Mindensem, Bremensem, Halberstadensem, *qui post ea* Padelbornam *translatus est*, Vuerdensem, Mattisburgensem & Zycensem. *Cranzius in Metrop. lib. 1. cap. 2. & 3. Erdfordiens. cap. 68. Chronicon Saxoniæ. Volunt etiam Basilea & Vuormatia Episcopatus ab eo constitutos circa annum 803. Bonfinius insuper libro 7. Decad. 1. de Theodorico Ostgothorum in Italia rege, memorat, quòd ante hunc Carolum plurima nobilissima Templa passim exstruxerit. Et Luitprandus Longobardorum Rex Papiæ Templa plurima ædificauit. Bergomens. lib. 10. Idem Sacras Ædes, vbicunque in toto suo regno vetustate collapsas comperit, Pontificibus & Abbatibus, ad quorum curam pertinebant, vt restaurarentur imperauit, adhibens curam per legatos, vt imperata perficerent. Eginhardus in vita Caroli, & Vrspergen. in Chronico. Primusque regum omnium intra Palatium suum Oratorium construxit: vbi & Sacerdotes & Clericos multos instituit, qui die noctuque diuina exoluerent officia, Bergomensis lib. 10.*

Templa etiam extra vrbes in locis solitarijs ædificata

Neque tantùm intra, sed etiam extra vrbes in cacuminibus montium, imis vallibus, littoribus maris & fluminum, aliisque solitariis & syluestribus locis Templa ædificârunt post annos Christi 400. Simeoni Stilitæ Templum distans à Theopoli stadiis ad summum 30. in ipso montis vertice exstructum esse Euagrius indicat lib. 1. cap. 14.

Qua in re, sicut in aliis multis, imitati sunt gentiles, qui Fana suorum Deorum varijs in locis disposuerũt etiam. Sic enim Templum Veneris in vertice montis Libani, in fruticeto positum fuisse, Eusebius testatur lib. 3. de vita Constantini: vide supra plura exempla.

Et ex Hetruscorum disciplina veteres, vt puto, moniti, non Diis omnibus, omni loco Templa ponenda censuere. Nam vt supra quoque de hoc quædam monuimus, qui pacis, qui pudicitia, qui bonis artibus præessent Dij, eos intra mœnia collocandos putauêre: qui verò voluptatibus, rixis, incendiis, vt Venus, Mars, Vulcanus, eos excludere ex vrbibus solebant: tametsi hoc non ita ratum fuisse semper, ex historiis videmus. Vestam autem, Iouem & Mineruam, quos Deos tutores vrbium ait Plato, in ipsarum medio, & arcium locabant. Vitruuius: Ædibus, *inquit,* sacris, quorum Deorum maximè in tutela videtur ciuitas esse, vt Ioui, Iunoni & Mineruæ, in excelsissimo loco, vnde mœnium maxima pars conspiciatur, Areæ distribuantur. Neptunum ad maris littus statuebant, Ianum in excelsis montibus, quanquam & in foro. *Gyraldus de Diis Gentium Syntagmate* 17. Extra murum (*ait*) Veneris, Vulcani & Martis Fana ideò collacata fuêre apud Gentes, vti non insuescat in vrbe adolescentibus, seu matribus familiarum Venerea libido, Vulcanique vi è mœnibus, Religionibus & Sacrificijs euocata, à timore incendiorum Ædificia videantur liberari. Martis verò diuinitas cùm esset extra mœnia dedicata, non erat inter ciues armigera dissensio: sed ab hostibus ea defensa, à belli periculo conseruabat. Eadem ratione & Bellonæ ædes extra vrbem fuit, vbi Senatus dabatur fortibus ducibus, & qui strenuam operam nauâssent. Cereri item extra vrbem, loco quo non semper homines, nisi per Sacrificium necesse haberent adire, cum Religione castè sanctisque moribus is locus tueri deberet.

Hac ratione inquam, apud Christianos quoque cœperunt paulatim superstitiosa Templorum, in locis non necessarijs, vbi scilicet non habitauit frequentia hominum, exstructiones, subinde Religione ad deteriora vergente.

Ex priuatis ædibus Templa & Monasteria facta.

Consuetudo quoque increbuit post annos Domini 500. vt multi priuati homines ex suis domibus Templa vel Ecclesias post mortem voluerint exstrui: Ita Saba Abbas & Confessor paternam domum, quæ erat in Mutalasca, exstruxit in Templum, si verum est quod Cyrillus quidam Monachus apud Metaphrastem & L. Surium tom. 6. de vitis Sanctorum indicat. Gregorius M. affirmat hoc etiam de quodam Romano lib. 8. epist. 3. adeò inualuit superstitio. Ipse quoque Gregorius paternam domum in Cliuo Scauri positam non longè à Circo maximo, in Monasterium redegit. Platina.

Factum hoc etiam ab ipsis ad Ethnicorum imitationem. Timoleon enim ille Corinthius, qui Dionysij regnum euertit in Sicilia, paternam quoque domum in Templi vsum conuertit. Sabel. 4. cap. 2. In Metaponto Pythagoræ tanta fuit admiratio, vt ex domo ejus Templum fecerint: Iustinus

nus ex Trogi lib.20. Domitianus quoque Suetonio auctore, domum in qua natus fuit, in Templum Flauiæ Gentis conuertit.

Translationes Reliquiarum exstructionibus Templorum occasionem dederunt.

Translationes quoque Reliquiarum occasionem exstruendi Templa plurima dederunt. Effossis enim Reliquiis ex locis ignobilioribus & obscurioribus, & translatis in alium nobiliorem locum, ibique in terram reconditis, mox Templum quoque eodem loco exstructum est. Sic Sozomenus refert lib.5.cap.9. Zenonem quendam consobrinum trium Martyrum, ædificato Oratorio, Reliquias illorũ eò reposuisse. *Sic Ignatij ossa solidiora, sub Theodosio posteriore, Antiochiam delata, & in Templum, quod ibidem exstruxerunt, recondita sunt: Euagrius lib.1.cap.16. Iuo in Mauricij Imp. historia indicat,* Gregorium Turonensem S. Martini Confessoris incensam Basilicam à fundamentis instauràsse: & corpus ejusdem Confessoris, ac reliquias S. Iuliani ex territorio Arumnico Turonum delatas in illam Religionis causâ posuisse.

Templa etiã post Caroli M. tempora certatim ædificata magnificiora quàm antea.

Etsi igitur circa Magni Caroli tempora innumerabilia Templa per vniuersum orbem Christianum essent ædificata, cunctis mortalibus, non solum supremæ, sed etiam infimæ sortis, eam rem certatim adiuuantibus: non tamen illis contenti fuerunt, sed passim plura eaque magnificentiora subinde, siue necessitate coacti, quòd numerus Christianorum cresceret, siue superstitione, quod magis crediderim, excitati, exstruxerunt: quæ quidem in re interdum nullis quantumvis immodicis sumptibus ac laboribus pepercerunt. Vtque hoc præposterum, seu potius insanum hominum studium magis conspicuum fiat, ex plurimis quæ adduci possent, aliquot saltem exempla hîc referam.

Templũ Argentinense.

Templum Argentinenses magnificentissimum ædificare cœperunt anno salutis 1015. Turrim autem Campanariam magnificentiâ & arte in Europa facilè principem anno 1277. architecto Ebroino (aliàs Eruinio) cui successit anno Domini Ioannes Hilzius Coloniensis, qui ejus turris educendæ prouinciam suscepit: qui tamen in medio opere mortuus fuit: Tandem Sueuus quidam materiam jam paratam composuit, sic vt etiamnũm sit imperfecta licet, tamen 574. pedes altitudine excedat. Stumpfius in Chron.

Bergomense.

Bergomi Templum Misericordiæ in honorem beatiss. virginis Mariæ, in media ferè vrbe, iuxta cathedralem Basilicam incredibili propè tùm impensâ, tùm artis elegantiâ ex lapidibus quadratis & sectis ciues ejus loci ædificârunt circa annos Christi 1140. Bergomen. lib.2.

D. Marci Venetijs.

Templum D. Marci Venetijs non tam magnitudine & vastitate suâ, quàm ornatu incomparabile imprimisque angustum, exstruitur, authore Sebastiano Ziano Duce, qui Alexandrum 3. contra Fridericum Imper. protexit, architecto Constantinopolitano. Id si primùm ingrediaris, crucis figuram præferre videtur, cuius anguli in altissimas consurgunt testudines. Quarum fastigia, vt reliqua Templi facies, plumbeis tegulis operta, ad centum viginti stadia ex alto ad vrbem nauigantibus inter eminentissima vrbis ædificia occurrunt. Superbissimi ad id Fornices, mirâ inter se arte coëuntes, totam molem fulciunt. Quicquid operis est, à media Templi parte purissimo fulget auro mussiuo opere mirificè variatum. In ipso testudinum connexu Græcanici operis vetustissimæ imagines, mœsta quadam venerabilique præsentiâ, horrorem cum Religione mixtum spectantium animis inferunt. Marmoreæ vndique tabulæ, ad pauimentum vsque ipsum, varij marmoris occurrunt, tanto artificio sibi ad inuicem composita, vt eadem inter se similes videri possint. Sedilia circum ædem marmorea. Pauimentum vermiculo opere, marmoreis frustis distinctum. Columnæ complures Parij lapidis, vel Tapsici aut Numidici, cum duplici suggestu marmoreo. Cautum publico decreto fuerat, vt quicquid egregij operis Veneti ipsi nauigantes quocunque terrarum ambirent, idipsum Venetias deferrent. Vestibuli aurei fornices 300. & amplius fulciuntur Columnis, magnitudine & colorum varietate conspicuis: inter columina, & quicquid in Area ipsa operis est, cum ipso pauimento marmoreis tabulis pro tectorio retinet. Vestibuli partem superiorem equi 4. anei, diuerso statu varioque exornant. Templi supercilium senis sese pinnaculis explicat: quorum singula tabernaculi speciem surrecta, singulas habent ex candido lapide statuas, nudi genij: aliaque splendidissimi aspectûs simulachra, suo quæque statu operibus inserta, miro quodam modo, ipsam pinnarum exornant intercapedinem. Egnatius lib. 6.cap.5. Quam ob causam non immeritò Templum hoc authores quidam AVREAM ÆDEM *vocant.*

Præter hoc Templum Venetijs 62. diuorum spectantur Templa insignia: Virginum Vestalium 27. Monachorumque totidem Cœnobia præclara in primis ibidem exstant. Egnatius lib.1.cap.1.

Coloniense.

Refert etiam Tritthemius in Chron. Hirsaugien. Conradum Archiepiscopum Colonien. anno 1248. insigne illud Templum Colonien. maius construere cœpisse: etsi verò opus illud quotidiè laboribus artificum incrementa sumpserit, fueritque per annos 254. sine intermissione continuatum, tamen suâ adhuc ætate nondum fuisse absolutum, propter ingentem sui magnitudinem & excellentiam.

Florentinum.

Florentini quoque maximum & incomparabile Templum quadrato sculptoque mormore eximiè magnificeque infinitis sumptibus ædificare cœperunt anno Christi 1294. secundum Palmerium. Iacobus Zieglerus in Schondia sua, indicat, Nidrosiæ omnium Ecclesiarum metropoli per

Nordue-

Norduegiam, Islandiam & Gronlandiam, exstructum esse Templum, cui magnitudine & laborati lapidis artificio pars opus non sit in orbe Christiano. Crepidinem circum Altare, incendio corruptam, suo tempore reparatam scribit, in quam impensæ ad 7000. aureorum reputatæ fuerint: Vnde æstimationem præstantia totius Templi fieri jubet.

Vlmense.

Vlmenses etiam incomparabilem & magnificentissimam D. Virginis Mariæ Basilicam, vnà cum adiuncta memorabili & insigni turre, construxerunt, & in spatio III. annorum erexerunt, texerunt ac in vniuersum absoluerunt, (cujus prima fundamenta anno 1377. iacta fuerant) Arisque insuper vnâ & quinquagintâ elegantissimè decorârunt. Aiuntque vrbis ipsi etiam Senatores, novies centena Aureorum nummûm millia collocata esse in exædificationem & ornatum Parochialis huius Ecclesiæ, quâ ferè nulla est spaciosior, nulla augustior in Germania vniuersa imò neque vllum aliud sumptuosius Ædificium, exceptâ solâ turri & Basilicâ Argentinensi. Bruschius de Monast. Germ. fol. 129.

D. Virginis in Albaregali.

Stephanus quoque Vngariæ Rex in Alba regali basilicam D. Virgini sumptuosissimam ædificauit, in qua Reges inaugurantur & reconduntur: Magnificentiam eius describit Bonfinius lib. 1. Deca. 2. & Carolus 4. Imp. Pragense Templum D. Vuenceslai magnifico atque mirando opere exstruxit Cuspinianus.

Basilica Petri Romæ.

Romæ verò S. Petri Templum hodiè habet portas æneas: vnam antiquam alteram recentem cum varijs histarijs opus artificis Veneti, qui metas, obeliscos, moles, porticus arma Romanorum vetera in ijs expressis: & Eugenius 4. Orientalium populorum, qui ad se legatos miserant, facies, vestitus, & numerum effingenda curauit. Columnæ Ægyptiacæ per totum Templum 10. sed non vno in loco, quæ sunt vnà cum alijs è mole Adriani eò translatæ. Sunt autem ordines duo, in singulis prioribus decem, cæteris maiores, in posterioribus verò vndecim. Fabricius in Rom. Ant.

S. Pauli Templorum.

S. Pauli Templum longum est cubitis 140. latum 120. Habet ingentium columnarum ordines quatuor, in vno quouis 20. Vnus ordo ab altero distat. ped. 34. columna vna ab altera ped XIV. In pauimento tantum fragmentorum ex antiquis Epitaphijs, quantum in alio nullo Templo Romano. Sunt & aliæ columnæ circa Altare 14. porphyreticæ, & sex alterius lapidis. Habet in vniuersum 114. columnas. Fabritius ibidem.

Factum hoc à Christianis prauâ quadam æmulatione Ethnicorum, qui non minus insano studio, condendi magnificentissima sumptuosissimaque Templa Dijs suis, laborârunt. quippe quæ non modò non iustæ sed infinitæ ac immensæ latitudinis & altitudinis fuerunt, neque etiam ex vulgaribus lapidibus, cæmentis & lignis, sed ex marmoribus quoque & alijs pretiosis lapidibus exstruxerunt: eorumque laquearia exornârunt auro & gemmis, ita vt sydereos euomerent variatâ distinctione fulgores, sicut Arnobius refert lib. 6. contra Gentes. Sic Babylonij Templum ædificârunt duorum vndecunque stadiorum amplitudine, figurâ quadratâ. In huius Templi medio turrim exstruxerunt solidam, craßitudine simul & altitudine stadij: cui aliam rursus superimposuerunt turrim, & huic subinde aliam, ad octauam vsque, sic vt extremitas eius vix oculis notari potuerit: Herod. lib. 1.

Templũ Babylonicum.

In vrbe Bubasti Ægyptiorum Templum est Dianæ, omnium maximè memorabile Quo etsi alia sunt tum grandiora, tum sumptuosiora, nullum tamen aspectu iucundius est. Id ita se habet. Cætera præter aspectum insula est: enim ad ingressum vsque duo è Nilo fluenta currunt vicina, nec confluunt, hinc atque illinc præterfluentia, centum vtrunque pedum latitudinis, arboribus inumbrata. Eius Vestibulum decem passibus sublimè est, figurâ senûm cubitorum adornatum. In media vrbe situm, vndique circumeuntium oculis subjicitur. Nam cùm vrbs sit aggestu terræ sublimis, Templum pro speculo est. Illud materia figuris exsculpta ambit. Interius delubrum, ingenti procerißimis arboribus manu consitis Luco ambiente, in quo delubro statua est. Longitudo Templi quoquò versus vnius est stadij. Ab ejus ingressu via per forum orientem versus, quæ fert ad Mercurij Templum, tria circiter stadia longitudinis, & quatuor jugerum latitudinis, strata lapide est, vtrinque arboribus manu consitis in cælum euntibus: Herodotus lib. 2.

Templa Ægyptiorum.

Ac Ægyptijs moris fuit Templa construere, elaborata marmore antiquis manibus artificum surgentia, auro splendida, picturis molliaribus egregiè perornata, summâ colorum varietate distincta, omnique cultu nitidißima. Cælius lib. 16. cap. 5.

Templũ Ephesiæ Dianæ.

Iones inprimis Templa ædificârunt plurima, & qualia non facilè alibi reperire licuit. Maximeque Ephesiæ Dianæ Templum annis 220. à tota Asia, architecto Chersiphrone, exstructum, magnificentia vera admiratio ibi exstitit. vt quod omnia hominum opera magnitudine & splendore superârit. Pausanias in Messenicis. Huius Templi magnificentiam persequitur Plinius lib. 36. cap. 5 & 14. item lib. 7. cap. 37. ac lib. 16. cap. 40. In solo Palustri id fecerunt, ne terræ-motus sentiret, aut hiatus timeret. Rursus ne in Lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea substrauêre carbonibus, deinde velleribus lanæ. Vniuerso Templo longitudo fuit 425. pedum, latitudo 220. Columnæ 127. à singulis regibus factæ, 60. pedum altitudine, ex quibus 36. incredibili artificio & magnificè fuerunt cælatæ, cum aptis tanto artificio columnarum Epistyliis. Tantus fuit parietum & marmorum huius Templi Splendor, vt ingredien-

dientibus peregrinis dicerent Æditui: parcite oculis. Tectum eius è cedrinis trabibus factum, valuaque ex cupresso. Vide plura apud Plinium libro 36. capite 14. & Gyraldum Syntagmate 12. de Dijs Gentium, & Vitruuium libro decimo capi'e 6. Quidam Democritus, vt refert Diogenes, integrum librum, de magnificentia hujus Templi composuit. Scriptum reliquit Straba lib. 14. Ephesias cùm illud Templum, quod affabre & multo artificio à Chersiphrone exstructum fuerat, conflagrâsset, aliud non minus magnificum construxisse, refectis prioribus columnis, detractis mulieribus ornamentis aureis, multisque opibus & publicè & priuatim vndique in vnum collatis.

Templû Dianæ Magnesiæ.

Magnesia Diana Leucophryena Templum fuit, quod magnitudine omnia Asia Fana excellebat, prater Ephesium & Didymeum, ea tamen ipsa artificio & structura concinnitate longè prastabat, teste Strabone lib. 14.

Mineruæ Aleæ.

Tegea in Arcadia Minerua Alea Templum exstruxerunt, quòd cùm loci spotio, tum ornatu, reliqua omnia Peloponesi Templa superauit. Pausanias in Arcodicis. Huic proximè accessit ob lapidum pulchritudinem & Ædifi ij concinnitatem Apollinis Auxiliaris Ædes in Crotylio Arcadia monte adificata: eodem teste.

Apollinis.

Melesij, Dindymai Apollinis Templum à Xerxe deuastatum, vberioribus impensis restaurârunt, ita vt ob magnitudinem fastigio exstruendo nulla contignationes sufficerent, vt refert Alex. lib. 6. cap 2.

Iouis Capitolini.

In Iouis Capitolini adis fundamenta impendit Tarquinius Superbus Rom. rex quadraginta millia pondo argenti. At ejus, quod Domitianus exstruxit, vel maxima vnius priuati Romani repusata opes non suppeditârunt in deaurationem, in quam plus duodecim millia talentûm exhausto, vt Plutarchus in vita Publicola indicat.

Fessæ in Africa Templa 700.

Denique, Leo Afer, vbi agit de Templorum Mahumetanorum substructionibus, testatur, in vrbe Africa FESSA *Templa 700. contineri, quorum maximum milliarij vnius ambitum, & portas 31. habeat, vt refert Io. Bodinus Methodi histor. cap. 5.*

Quis ergo negauerit insanum hoc Christianorum studium exstruendi sumptuosissima, magnificentissima & immensi labore Templa Gentilismum & Mahometismum resipere?

De studio ædificandi magnificentissima & sumptuosissima Templa, sanctorum Patrum judicium.

Iudiciû S. Patrû de Templis inæstimabilibus opibus Ædificanti.

NOn injuriâ igitur displicuit praposterum hoc studium exstruendi magnifica & sumptuosa Templa plurimis, ijsque prastantissimis sanctissimisque viris apud veteres. Tertullianus initio statim libri contra Valentinianos, adificandorum Templorum modum formamque penè depingens, inquit, Nostræ columbæ domus, Simplex, etiam in æditis semper & apertis ad lucem. Amat enim figuram Spiritus sancti: Amat Orientê Christi figuram. *Quasi dicere vellet, Christianorum Templa simplicia esse debent, puta, sine omni luxu, & ambitioso aliquo ornatu sic vt majestatem pra se ferant magis, quàm venustatem vel luxuriam. Ita interpretatur hac verba Tertulliani Ioan. Quintinus in explicatione can. 5. Gongren. Concilii. Idem Pater in lib. de Idololatria,* Templorum & Ararum ædificationes sicut & statuas earumque ornatum, inter cultus idololatricos numerat. *Et Origines contra Celsum multis ostendit*, Templa ad verum Dei Cultum, & ad veram Dei Religionem nihil pertinere. *Ambrosius lib. 2. de Officiis cap.* 28. Melius fuerat, *inquit*, vt vasa viuentium seruares, quàm vasa metallorum: His non potest responsum referri. Quid enim diceres? timui ne Templo Domini ornatus deesset: responderet, aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur: Ornatus Sacramentorum redemptio captiuorum est. D. *quoque Hieronymus rerum alioqui externarum probator & admirator nimius, oblique luxum illum perstringens, alia quadam vt meliora magis approbat. Ad Demetriadem enim* Alij ædificent Ecclesias, *inquit*, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles aduehant, earumque deaurent capita, pretiosum ornatum non sententia, ebore argentoque valuas, & gemmis aurata distinguant Altaria. Non reprehendo, non abnuo. Vnusquisque in suo sensu abundet: meliusque hoc est facere, quàm repositis opibus incubare. Sed tibi aliud propositum est, Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his qui tecto indigent, & maximè in domesticis fidei, &c. *Ad quæ verba Erasmus hae annotat:* Videtur hîc, *inquit*, Hieronymus non perinde magnificare pietatem istorum, qui pecunias suas erogant, exstruendis & exornandis Ecclesijs. Nam & rem narrat odiosius: Cum enim addit, non sentiente ebore: significat ornatum esse superuacaneum. Et cùm adiecit denique: Non reprehendo, &c. cum stomacho loqui videtur, velut invitus approbans, neque conferens id factum, cum his quæ pia sunt, sed cum his quę scelerata: quidem laudare solet Digamiam pręferens illam publicis prostibulis, non conferens cum melioribus. Verùm aut non loquitur hic simpliciter de ijs, qui exstruunt Ædes sacras, sed qui ad Fastum exstruunt magis, quam ad pietatem: aut simpliciter verum est, præstare, opes in pauperes, hoc est, in viua Dei

Templa

Templa, quàm in non ſentientes ſtructuras effundere: etiamſi nunc multis ſecus videtur, præſertim magnatibus. *Idem ad Nepotianum de vita clericorum multò liberalius in hæc verba, inſit,* Multi ædificant parietes & columnas Eccleſiæ ſubſtruunt, marmora nitent, auro ſplendent laquearia, gemmis Altare diſtinguitur, & miniſtrorum Chriſti nulla electio eſt. *Et infrà:* Neq; verò aliquis mihi opponat diues in Iudæa Templum, Menſam, Lucernas, Thuribula, Patellas, Scyphos, Mortariola, & cętera ex auro fabrefacta: Tunc hæc probabantur à Domino quando Sacerdotes hoſtias immolabant & ſanguis pecudum erat redemptio peccatorũ: quãquam hæc omnia præceſſerint in figura: ſcripta ſunt autem propter nos in quos fines ſeculorum deuenerunt. Nunc verò cum paupertatem domus ſuæ pauper Dominus dedicârit, cogitemus crucem ejus, & diuitias lutũ putabimus. Quid miramur, quod Chriſtus vocat iniquum mammona? Quid ſuſpicimus & amamus, quod Petrus ſe non habere glorioſè teſtatur? *Idem in 7. ca. Ierem.* Præcepit, *ait,* & tunc populo Iudęorũ, & hodie nobis qui videmur in Eccleſia cõſtituti, ne fiduciam habeamus in Ædificiorũ ſplendore auratiſq; laquearibus & veſtitis parietibus marmorum cruſtis, & dicamus, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini. Illud enim Templum Domini eſt, in quo habitat vera fides, ſancta conuerſatio, omniumque virtutum chorus. *Et Haggeum Prophetam enarrans, de ornatu Templorum iuſto ac vero ita ſcribit.* Ego argentum, quo Domus Dei ornatur, exiſtimo eloquia ſcripturarum, de quibus dicitur, Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſepties. Et aurum quod in occulto ſanctorum ſenſu & in cordis verſatur arcano, & ſplendet vero lumine Dei: quod & Apoſtolum de ſanctis, qui ſuper fundamentum Chriſti ædificant, ſenſiſſe perſpicuum eſt, Argentum, aurum, lapides pretioſos. Vt in auro ſenſus occultus ſit, in argento ſermo decens, in lapide pretioſo opera Deo placentia. His metallis illuſtrior fit Eccleſia Saluatoris, quàm quondam Synagoga fuerat. His lapidibus viuis ædificatur Eccleſia ac Domus Chriſti & pax ei præbetur æterna. *Similiter in Epitaphio Paulæ, idem Pater, cùm multis commemoráſſet liberalitatem Paulæ & beneficium erga pauperes, ait tandem,* Nolebat (*Paula*) in his lapidibus pecuniam effundere, qui cum terra & ſeculo tranſituri ſunt: ſed in viuis lapidibus, qui voluuntur ſuper terram: & cętera quæ in hanc ſententiam ſequuntur. *Rurſum aliquando inferius,* lactent alij) *ait,* pecunias, & in corbonam Dei æra congeſta, funalibuſque aureis dona pendentia. *Ad quæ verba Eraſmus hæc annotat.* Offendet fortaſſis, *inquit,* nonnullos hic locus, quo D. Hieronymus videtur non ſatis tribuere his, qui ſacras Ædes ſuis ſumptibus vel exſtruunt vel exornant: cùm his temporibus pleriq; ſummam hanc eſſe pietatem exiſtiment: & ſint nonnulli principes, qui tot bella, tot cædes, tot ſacrilegia, tot totius vitæ facinora ſimul atque flagitia, probè compẽſata putent, ſi ſacram aliquam Ædiculam, vel alienis ſumptibus curârint exſtruendam vt ne quid dicam de Epiſcopis. Et audias paſſim, Sacerdotes tantum tribuentes donarijs Templo dicatis, vt inexpiabile Sacrilegium fore clamitent, ſi quis hinc aliquid in pauperum ſubſidium fame pereuntium detrahere conetur: atque id ſi fiat, Chriſtum ipſum, aut Virginem Mariam ſuis bonis ſpoliari vociferentur. Quaſi verò Chriſtus ejuſmodi gaudeat oſtentaculis, qui ipſe pauperrimus, opes iſtas calcandas eſſe docuit: aut ſanctiſſima Maria nugis ejuſmodi gaudeat, cùm viua ſemper neglexerit. Aut quaſi decorum ſit ea oſtentari in Templis Chriſtianorum, in quibus hæc docentur eſſe ſpernanda Chriſti diſcipulis. Non damnauit igitur Hieronymus elegantem Templorum ſtructurã, non reprehendit ornatum mundũ, ſed in his negat eſſe culmen virtutis: & præfert eleemoſynã, quæ in viua Dei Tẽpla, hoc eſt in Chriſti pauperes erogatur. *Hæc Eraſ.*

De Acacio Socrates li. 7. c. 21. refert, quòd cùm accuſaretur, quòd ſacra Vaſa vendidiſſet propter pauperes, reſponderit, Deus noſter neque diſcis, neque calicibus eget, quia non comedit neque bibit.

Hilarius in epiſt. contra Auxentium: Malè, *inquit,* parietũ vos amor cœpit, malè Eccleſiam Dei in tectis, ædificijſque veneramini.

Et Lectantius ait, Non Templa Deo, congeſtis in altitudinem ſaxis, ſtruenda ſunt, in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore, in quod ſe conferat cum adorat Deum. *Vnde illud,* *Lactantius.*

Non habitat Templis manuum molumine factis
Omnipotens, Ædes aurea verus homo.

Laudat etiam lib. 2. c. 4. Perſium. quòd ſcripſerit, non debere Vaſa aurea Templis inferri: Egregiè, *inquit,* ſapienterque ſenſit.

Chryſoſtomus quoque in Euangelium Matth. *Chryſoſtomus.* Vis, *inquit,* domum Dei ædificare? da fidelibus pauperibus, vnde viuant, & ædificâſti rationabilem Domũ Dei, &c. *Et paulò antè:* Non gaudent, *inquit,* Martyres, quãdo ex illis pecunijs honorantur, pro quibus plorant pauperes. *Quibus grauiſſimè eos reprehẽdit, qui charitatem negligunt ob ædificiorum ſtructuram.*

Ita quidem illi. Quid igitur, bone Deus, ſanctiſſimi Patres dixiſſent, ſi eam inſaniam vi-

dissent,quâ posterioribus seculis,condendis sumptuosissimis ac magnificentissimis Templis,mortales laborârunt?

Germani veteres qualia Templa habuerint.

Auentinus etiam de veteribus Germanis scribens, Majores, *inquit*, nostri Religiosissimi mortales,viua Dei Simulacra &Templa nos esse existimârunt, & pro vero habuerunt mentes nostras penetralia,pectora Sacraria, corda Aras esse Spiritus cœlestis:illa non auro,picturâ,aut pecuniâ, rebus nimirum profanis,ac quibus vera Sacra pollui solent: sed justitiâ,modestiâ,benignitate & liberalitate in pauperes,pietateque excoluerunt. Certique in hac vita nequaquam se habitare: sed peregrinari duntaxat, non sumptuosas aut magnificas Ædes, nec sibi, nec superis construxerunt:peranguſtis delubris & domibus, quæ injuriam Cœli arcerent, contentos fuisse,compertum habeo. Nihil pompæ datum est;pietatem magnificè coluerunt. Nihil voluptati oculorum indulsere, paupertatis amatores, non luxus aut diuitiarum admiratores.*lib.3.fol.*266.

Vualfridus cõtra sumptuosa Templa.

Valafridus Abbas,& multorum Monachorum pater,vt eum Tritthemius vocat.floruit Ludouici Pij tempore circa 840.*Domini annum:& cùm alia,tùm de Officijs ac ritibus Ecclesiasticis scripsit:in cuius libri cap.*14.*de exstructione Templorum agens, dicit,* videndum esse, vt ex justè partis exstruátur,idq;moderatè:*& multis inculcat,*lõgè satius esse pauperibus subuenire, quàm parietes Templorum ornare. *Citat quoque exemplum Gregorij, quem dicit*, non in Templorum exstructione & exornatiône, vt alios Papas,laborâsse,sed in doctrina & eleemosynis.*Catalogus testium veritatis fol.* 30.

S.Bernhardus.

S.Bernhardus etiam in Apologia ad Guilelmum Abbatem S. Theodorici damnat immensas oratorium altitudines, immoderatas longitudines,superuacuas latitudines & sumptuosas depolitiones. Omitto,*inquit,* Oratoriorũ immensas altitudines, immoderatas longitudines, superuacuas latitudines,sumptuosas depolitiones,curiosas depictiones, quę dum orantium in se retorquent aspectum, impediunt & affectum, & mihi quodam modo repræsentant antiquum ritum Iudæorum. Sed esto,fiant hæc ad honorem Dei. Illud autem interrogo Monachus Monachos, quod in Gentilibus Gentilis arguebat. Dicite, ait ille,Pontifices,in Sacro quid facit aurum?Ego autem dico,Dicite pauperes:Non enim attendo versum, sed sensum. Dicite inquam pauperes,si tamen pauperes, in Sancto quid facit aurum?*& Paulò post*: Quorum quæso in his devotionem excitare intendimus? Quem inquam ex his fructum requirimus? Stultorum admirationem, an simplicium oblectationem? An quoniam commixti sumus inter gentes,fortè didicimus opera eorum,& seruimus adhuc sculptilibus eorum? Et vt apertè loquar, An hoc totum facit auaritia, quæ est Idolorum seruitus, & non requirimus fructum, sed datum? Si quæris, Quomodo? miro inquam modo. Tali quadam arte spargitur æs, vt multiplicetur: expenditur vt augeatur, & effusio copiam parit. Ipso quoque visu sumptuosarum; sed mirandarum vanitatum, accenduntur homines magis ad offerendum, quàm ad adorandum. Sic opes opibus hauriuntur; sic pecunia pecuniam trahit: quia nescio quo pacto vbi amplius divitiarum cernitur, ibi offertur libentius. Ostenditur pulcherrima forma Sancti vel Sanctę alicujus, & eò creditur sanctior, quo coloratior. Currunt homines ad osculandum,invitantur ad donandum,& magis mirantur pulchra, quàm venerantur Sacra. Ponuntur dehinc in Ecclesia gemmatæ non coronæ,sed rotæ,circumseptæ lampadibus,sed non minus fulgentes insertis lapidibus. Cernimus & pro candelabris arbores quasdam erectas, multo æris pondere, miro artificis opere fabricatas, nec magis coruscantes superpositis lucernis, quàm suis gemmis.Quid putas in his omnibus, quæritur? pœnitentium compunctio,an intuentium admiratio?O vanitas vanitatum:sed non vanior quàm insanior.Fulget Ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget. Suos lapides induit auro,& suos filios nudos deserit. De sumptibus egenorum seruitur oculis divitum. Inveniunt curiosi quo delectentur, & non inveniunt miseri quo sustententur.*Et mox*: Quid facit illa ridicula monstrositas: mira quædam deformis formositas, ac formosa deformitas? Quid ibi immundę simię,quid feri leones,quid monstrosi centauri, quid semihomines,quid maculosę tigrides,quid milites pugnantes,quid venatores tubicinantes? Videas sub vno capite multa corpora,& rursus in vno corpore capita multa. Cernitur in quadrupede cauda serpentis, illis in pisce caput quadrupedis. Ibi bestia præfert equum, capram trahens retro dimidiam, hic cornutum animal equum gestat posterius.Tam multa denique tamque mira diversarum formarum vbique varietas apparet, vt magis legere libeat in marmoribus,quam in codicibus, totumque diem occupare singula ista mirando, quàm in lege Dei meditando. Proh Deum,si non pudet ineptiarum,cur vel non piget expensarum?

Petrus quoque de Aliaco Cameracen. de multitudine Templorum conqueritur in libro de Reformatione Ecclesiæ,quem Concilio Constantiensi obtulit. Petrus de Aliaco Cardinali.

*Ethnicus ille M.T.Cicero lib.*1.*Offic. præclarè admodum monet,* Cavendum si ipse ædifices, ne

ne extra modum sumptu & magnificentiâ prodeas. *Quanto magis hoc cauendum in Religione & Cultu Dei, qui nullo externo splendore, sed fideli & purâ mente delectatur. Addit ibidem Cicero:* L. Luculli summam virtutem quis? at quàm multi villarum magnificentiam imitati sunt? *Eadem ratione & nos possemus dicere; exstruuntur Deo & sanctis Templa magnifica, & sumptu omnem fidem excedentia: quotusquisque autem est qui Deo ejusque verbo obediat; quique Sanctorum doctrinam & egregias virtutes imitetur?*

Rationes contra sumptuosissima Templa *His perspicuis Sanctorum Patrum testimonijs, aliorumque grauissimis iudicijs contra sumptuosa & magnifica Templa, accedunt iam vltimo loco* Rationes *etiam ponderis non exigui.* Prima *est, Christus ipse pauper esse voluit,* 2. *Corinth.* 8. *vt omnem superfluitatem nos abijcere & tollere doceret, qualis reuera sunt sumptuosissima illa Templa, eorumque ornatus.* Secunda, *magnificentia illa Templorum est vel otiosa & inutilis, vel duntaxat ambitionis & auaritiæ augendæ flabellum.* Tertia, *Externus ille Templorum splendor impedit deuotionem, & à spiritualibus cogitationibus auertit oculos & mentes intuentium.* Quarta, *præstat viua Dei Templa ornare & iuuare, quàm tantos sumptus in mortua & lapidea illa conferre.* Quinta, *non damnabuntur in extremo iudicio, qui Templa non sumptuosè & magnificè ædificant: sed qui Christi pauperes non aluerint.*

BELLARMINI responsiones ad Patrum testimonia contra sumptuosissima TEMPLA, earundemque refutatio.

HÆc *verò argumenta & rationes nostrorum contra sumptuosa & magnifica Christianorum Templa refutare conatur Bellarminus à Col.* 2217. *vsque ad Col.* 2222. *Tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 6. *de Cultu Sanctorum. Ac* PRIMO *ad locum Ierem.* 7. *c. respondet*, argui eo loco à Propheta Iudæos, propter fiduciam quam collocabãt, in Templo Solomonico, & putabant propter Templum apud se esse Deum, & se diligi à Deo, nec ventura ea mala quæ à Prophetis prædicebantur, &c. *Respondeo, hanc ipsam fiduciam à Pontificijs collocari hodiè quoque in suis Templis magnificis & sumptuosè exornatis. Putant enim propter ædificationem magnificorum Templorum eorumq́; ornamenta se diligi à Deo: preces quoque suas ibi facilius à Deo exaudiri, quàm alibi. Persuasum etiam habent, his magnificis Templis atq; ornamentis deuotionem maiorem in animis hominum excitari, maiestatem Sacramentorum & reuerentiam, quæ rebus diuinis debetur, conseruari, &c. Hanc ergo confidentiam Propheta in Pontificijs hodiè quoque arguit: & firmum propterea nostrorum argumentum manet.*

SECVNDO, *Ad verba Hieronymi ad Nepotianum respondet Iesuita*, reprehendere ibi Hieronymum eos, qui majorem curam habeant Templi materialis, quàm spiritualis: id est, qui Ædificia mirabiliter ornant, non autem curant, an ad sacra Ministeria eligantur idonei vel non idonei. *Respondeo, Hoc ipsũ quoque faciunt Papistæ, qui in ædificandis & exornandis Templis, Cœnobijs, Sacellis sunt occupatissimi, qui verò aut quales præficiantur Ecclesijs nihil prorsus curant. Rectè ergo de illis quoque dicitur, Ædificant parietes, & columnas Ecclesiæ substruunt: marmora nitent: auro splendent laquearia: gemmis Altare distinguitur: & ministrorum Christi nulla electio est. Dum igitur, quod negare non possunt, anteponant Pontificij curam fabricæ materialis electioni ministrorum, & Ædificio spirituali; videntur factis prorsus affines esse superstitioni eorum, contra quos hæc scripsit suo tempore Hieronymus.*

TERTIO, *Ad verba Ambrosij, quibus pauperes Templorum ornatui præfert, & hunc spernendum esse docet, clarè inquiens*, Sacramenta aurum non quærunt: *respondet*, Sacramenta non aurum requirere de necessitate, sed de decentia: *Respondeo generalia hæc esse Ambrosij verba, ita vt velit, neque de necessitate, neque decentia in Sacramentis aurum vel argentum adhiberi, quòd ea Deus sub Euangelio nequaquam exigat.*

QVARTO, *ad verba Acacij Episcopi*, Deus noster neq; discis, neque calicibus eget, quia neq; comedit, neque bibit, *respondet Bellarminus*, tunc rectè Vasa Ecclesiæ vendita fuisse, quoniam ijs Ecclesia abundabat: deinde, his verbis significare eũ voluisse, Vasa illa aurea Deo nullã vtilitatem adferre, sed haberi in Ecclesia ad honorẽ Dei & nostrã vtilitatem. *Respondetur, Acacij argumentum generale esse, Deus enim nunquam edit aut bibit, nullo igitur, vnquã tempore ijs indiget. Sic etiam Exuperius Tolosanus vasa suæ Ecclesiæ, & quidem tunc pauca, pro redemptione captiuorum vendidit tamen, vt postea corpus Domini in canistro vimineo ad ægrotos deferret. Deinde, si ornamenta Templorum in Ecclesijs & Sacramentis administrandis esse deberent, præstaret juxta Theophylacti sententiam in* 14. *c. Marci, ea in Dei honorem retineri, quàm in hominum vsum impendi. Non enim Solomonici Templi aurea Vasa vnquam ob redemptionem captiuorum ablata & vendita fuisse leguntur. De Ezechia quidẽ legitur* 2. *Reg.* 18. *eum aurum ex Templi postibus ademisse, quod addiderat, vt populum subleuaret, sed hoc nihil ad Vasa sacra pertinet. Ornatum igitur à Deo non mandatum sustulit, à Deo autem præscriptum reliquit: quod pro nobis facit.*

QVINTO, *ad Hilarij locum, vbi irridet eos, qui parietum Templi splendore & ornatu capiuntur, respondet Bellarminus*, nõ esse ad proposi-

tum: non enim agere illum de ornatu Templorum, sed eos reprehendere, qui in Templo hæreticum Episcopum, id est, Auxentiū audiebant, eò quòd existimarent ibi tantùm veram esse Ecclesiam, & verum Episcopum, vbi erat Templum Deo sacrum. *Respondeo, Hilarium magnificentiam Templorum & sumptuosum eorum ornatum improbâsse, verba ejus clarè testantur, quòd reprehendit enim eos, quos parietum amor cœpit, & Ecclesiam Dei in tectis ædificijsq; suo tempore venerati sunt, & malè hoc ab eis fieri dicit. Intelligunt igitur omnes, refutari quoque ipsius testimonio Bellarminum, qui ornatum illum tantopere nobis commendat.*

SEXTO, *ad Lactantij testimonium respondet*, eum probare voluisse, ineptè à Gentilibus offerri munera Dijs non sentientibus: ideoque reprehendi etiam Christianos, qui putent Deum rebus istis corporalibus delectari. *Respondeo, hanc vnam ob causam à Papistis tam magnifica erigi Templa, & splendidissimè ornari, quòd putent, Deum hoc genere Cultus delectari quàm maximè. Ista igitur reprehensio Lactantij istis quoque competit.*

SEPTIMO, *vult Bellarminus*. Bernhardi reprehensionem ad solos Cluniacēses Monachos pertinere, & ad eorum Templa restringendam esse. *Respondeo, Bernhardi argumenta sunt generalia, quòd hoc pacto curiositas, avaritia & ambitio hominum alatur, fancatur & augeatur. Deinde, rationes, quas ex eo loco Bernhardi sumit Iesuita, ad omnes in genere Monachos & eorum Templa pertinent, vt est Paupertas, Mundi abnegatio, Humilitas & Pauperum cura: quæ veris Monachus omnibus, imò cunctis etiam Christianis competunt. Nec enim Deus secundum carnem amplius, sed in Spiritu & veritate colitur, qua duo externis rebus opponuntur.*

OCTAVO, *ad Chrysostomi locum respondet Bellarminus simpliciter per inficiationem*, non damnare ibi Chrysostomū Templorum ornamenta. *Respondeo, verba Chrysostomi clara & perspicua sunt. Deinde*, opponit Chrysostomo Theophylactum. *Sed magis probanda est magistri sententia, quam discipuli hoc in loco. Tertiò, vult Iesuita*, in solo casu pauperum extremæ necessitatis hunc Templorum ornatum prætermittendum: extra illum verò casum vult ornamenta Templorum pauperibus semper præferenda. *Respondeo, verbis Christi, Sabbatum & Templum propter hominem, & non homo propter Sabbatum & Templum factus est. Ergo homines semper magnificis Templis, eorumque ornamentis præferendi sunt.*

NONO, *ad primam nostrorum rationem respondet Iesuita*, Christum fuisse pauperem & vilia amâsse ante mortem: post eam verò cùm gloriosus regnet in cœlo, conuenire illi domum magnificam & splēdidissimam. *Respondetur, ne nunc quidem Christum à nobis coli & agnosci velle secundum carnem, 2. Cor. 4. quales sunt isti sumptus & ornatus: sed secundum Spiritum, & quâ Deus & homo est, Rom. 1. Phil. 3. Ad secundam respondet*, nō esse ociosa ista. Templorum ornamenta, excitare enim deuotionem. *Idem etiam ad Tertiā rationem respondet. Respondeo, falsum hoc esse S. Bernhardus testatur in epistola ad Guilielmum Abbatem: Ibi enim reprehendens magnifica Templa & sumptuosissimū ornatum eorum, inter alia dicit*: Ea, dum orantium in se retorquent aspectum, impediunt affectum, & mihi quodammodo repræsentant antiquum ritum Iudæorum. *Item:* Quorum quæso in his deuotionem excitare intendimus? *Rursus:* Tam multa tamque mira diuersarum formarum vbique varietas apparet, vt magis legere libeat in marmoribus, quàm in codicibus: totumque diem occupare fingula ista mirando, quàm in lege Dei meditādo. *Ad id verò quod nostri obijciunt*, hęc ornamenta explendę auaritiæ & ambitioni potius, quàm pietati inseruire, *nihil respondet Iesuita: Nam res ipsa hoc verū esse docet: attestatur idetiam Iustinianus: nam in Nouellis Cōstit. 67. reprehendit*, quòd suo tempore non amore Dei, aut Sanctorum studio, sed magis ambitione, comparandi scilicet nominis gratiâ Tēpla & Sacella exstruantur. *De auaritia autē, & spe lucri ex huiusmodi Ædificijs splendidis capiendi & acquirendi, S. Bernhardus ita scribit ad Guilielmum Abbatē de magnificis Templorum structuris agens:* Tali arte spargitur æs, vt multiplicetur: expenditur, vt augeatur, & effusio copiam parit. Ipso quoque visu sumptuosarum, sed mirandarum vanitatum, accenduntur homines magis ad offerendum, quàm ad ornandum. Sic opes opibus hauriuntur: sic pecunia pecuniā trahit: quia nescio quo pacto vbi amplius diuitiarum cernitur, ibi libentius offertur. Ostenditur pulcherrima forma Sancti vel Sanctæ alicuius, & eò creditur sanctior, quò coloratior. Currunt homines ad osculandum, inuitantur ad donandum, & magis mirantur pulchra, quàm venerantur Sacra, &c. *Ad quartam respondet*, Etsi egeant pauperes, ornari tamē palatia, instrui conuiuia, haberi apparatum famulorum, equorum & curruū, licere igitur etiā magnifica Tēpla ędificare & exornare, non obstante paupertum egestate & multitudine. *Respondetur, Allegare inconueniens & absurdum nō est argumentum soluere. Neque enim rectè faciunt Principes ingentes sumptus in palatia, conuiuia & similia profundentes, esurientibus interim pauperibus. Præstaret enim etiam hunc luxum intermittere, quàm sinere vt verè pauperes fame enecētur. Ad quintā rationem quod attinet*, negat Iesuita, hoc de Tēplis sumptuosis ædificandis & exornādis præceptum in verbis Christi non contineri: quia continetur & hoc, Alienum

Alienum non rapies, etsi verbis disertè non expressum sit. *Respondetur, mandatum de alieno non rapiendo expressè contineri verbis illis Christi Matth. 25. quia de nostro erga proximum officio loquuntur, quod alienum rapere apertissimè prohibet, ipso Christo teste Mar. 10. c. Quod autem Templa magnifica ædificari & splendidè exornari debeant, verbis illis non præcipitur, quia de prima tabula præceptis nihil ibi agit Christus. Vide plura infra de Ornamentis Templorum.*

Templorum vsus non damnatur. *Neque verò hæc dicuntur à me quasi aut vsus Templorum damnādus, qui longè optimus est imò necessarius ad conciones, preces ac supplicationes publicas, ad ministeria Sacramentorum: multò minus semel omnia Templa sola æquāda: sed abusus & luxus Templorum improbandus & oppugnandus est. Religio enim & necessitas paucis, & rebus in mundo minimè preciosis contenta est.*

Qualia Christianorum Templa esse debeant. *Talia igitur Templa haberi debent quæ ad vsus, in quos illa exstruuntur, non solum nihil impedimenti, sed etiam aliquid emolumenti afferre possint. Ratio huius est manifesta ab vsu mediorū ducta, quæ ad aliquem finem ordinata sunt. Debent enim media finem promouere, tantum abest vt impedire debeant. Proinde media eò laudabiliora sunt, quò etiam ad finem consequendū magis conducunt. Hoc est verissimum in genere. Speciatim verò hoc spectandum est in ædium ædificatione: vt scilicet nihil ædificetur: nihil fiat, quod non aliquo modo faciat ad vsus, propter quos ædes ædificātur. Obseruauit hoc Deus in fabrica totius Mundi, in quo nihil est, quod non aliquem vsum afferat homini, tum ad vitam hanc honestè, commodè & suauiter transigendam: tum ad Deum, qui vltimus finis est glorificandum. In Templo etiam Solomonis ne vas quidem vllum fuit quod non suos haberet vsus honestos ad eum finem propter quem fabricatum fuit, assequēdum & promouendum. Vsus autem nostrorum Templorum est, vt ibi congregentur homines ad Deum laudandum & inuocandum: ad verbum Dei audiendum: ad Sacramenta administranda, & fidem ac charitatem fouendam. Hinc igitur constat, primùm quidem, debere Templa esse pro populi frequentia, ampla, vt omnes capi possint: benèque & firmè exstructa, vt tutò sub illis esse possit cœtus hominum: ac si fieri possit, ex optimis lapidibus, ne facilè exposita sint incendijs, néue etiam ab hostibus caeteri facilè possint. Deinque talis debet esse structura Templorum Christianorum, quæ sponsam Christi, quæ est Ecclesia, deceat, vtilisque sit ad honestum Deo Cultum præstandum. Videmus in sacris literis quantâ diligentiâ, quantoque artificio Deus voluerit Templum sibi per Salomonem ædificari: videmus apud Haggæum, quantum conqueratur Deus, quòd populus, suas quisque domos diligenter & accuratè ædificet: Domus autem Domini negligatur, nec vt debebat, prior instauretur. Nouimus typos, & quid sibi Dominus voluerit inprimis illâ diligenti, quam poscebat, Templi sui exstructione. Interim non obscurè etiam significauit, honestum esse, vt diligentiores simus & liberaliores in sacris Templis illi honestè ædificandis, quàm in nostris. Nam Templa non minus verè sunt, quàm dicuntur,* Dominus Dei, *vbi habitat sua verbo, suis Sacramentis, præsentiâ sui Spiritus, suisque donis & gratiæ communicatione. Sunt item domus totius Ecclesiæ communes, cùm reliquæ sint cuiusque priuatæ & propriæ. Decet igitur, honestumque est, vt externa etiā Templa, Domusque Dei præferantur priuatis cuiusque ædibus sintque cum honestate decentia & magnifica: ne ex honestis Templis insana fiant Ethnicorū Palatia. Seruetur itaque illud Poëtæ,* NE quid NIMIS.

Christianos TEMPLIS non alligatos esse debere.

CHristiani non ita superstitiosè Templis alligati esse debent, quin persecutione aut alio aliquo casu interueniente, interdum relictis illis publicis, in priuata aliqua loca cōuenire eis liceat. In Veteri quidem Testamento Religio & Cultus Dei externus in primis, que Sacrificia Tabernaculo, & postea Templo Hierosolymitano ceu loco certo, ita erant alligata, vt extra Templi illius septa immolare & sacrificare nefas esset: sicut est videre Leuit. 17. & Deut. 13. et. Quod adeò diligenter obseruârunt, vt etiam Templa Idololatriæ occupata & prophanata, non noua tamen Sacrificijs quæsierint loca. Nec alia quoque de causa Iudaicus populus Babylonicâ captiuitate per annos 70. detentus, non sacrificâsse legitur. Etsi enim Deus per Ezechielem Prophetam Iudæis jam jam abducendis in Babylonem polliceatur, licet nullum ibi lapideum Templum habitaturi sint, in quo conuenire & sacrificare queant, se tamen affuturum illis eorumque Preces exauditurum, si vel in priuatis ædibus vel alibi aliquot ex ipsis congregentur: ita enim doctissimus Lavaterus verba illa interpretatur, Ero eis in Sanctuarium paruum, *Ezech. 11. nulla tamen prorsus tota illa temporis spatio Sacrificia obtulisse dicuntur.*

Continebat hæc res mysterium seu typum Christi Domini, qui non nisi semel, & vno quidem loco, in monte nimirum Moria, vbi quondam Abraham filium suum Isaac immolare voluit, cuique Templum fuit impositum, afferendus erat ad expiationem peccatorū totius mūdi. Relaxata igitur hæc est Ceremonia aduentu Domini, ipseque locum Cultus & Religionis liberum fecit suis fidelibus in Noua Testamento: quod futurū esse ipsemet quoque Samaritidi mulierculæ declarauit, quando ei dixit. Venit hora & nunc est, quando veri adoratores, non in monte hoc, nec Hierosolymis, adorabunt Patrē, sed Spiritu & veritate, Nam & pater tales quærit qui adorent ipsū. Spiritus est Deus, & eos qui adorant ipsum, Spiritu & veritate oportet adorare. *Item,* vbicunque duo vel tres fuerint cōgregati in no-

mine meo, ibi sum in medio eorum. *In eandem quoque sententiam D. Paulus* 1.*Tim*.2. *ait*, Volo viros orare in omni loco. *Praeterea cùm Christi communicatione simus Templa Dei, quod Paulus non vno in loco testatur, maximè ad Corinthios priore, vbi dicit:* Templum Dei estis vos, *&c. sequitur, vt vbicunque simus, modò à Christo non praecidamur, orare possimus, hac plenâ fiduciâ, quâ nos in Templo Dei esse minimè dubitemus. Nec frustra etiam Deus Templũ Hierosolymitanũ excindi funditus passus est, qui paulò antea velum Templi disciderat. Hac ergo noui Testamenti praerogatiuâ & libertate non solum verbis, sed etiam exemplo vti docuit Christus Dominus. Etenim cùm inter Iudaeos Servator concionaretur, quoties se occasio & commoditas obtulit, illos in Templo & Synagogis ad eam rem destinatis docere maluit. Si defuit illa oportunitas, non dedignatus est pro re nata, Ludum Academiamque coelestis sua doctrina, modò in montibus & solitudinibus, modò in vicis publicis, aut priuatis adibus aperire. Neque tum in Templo Hierosolymitano, sed priuatis in aedibus, cùm Eucharistiae Sacramentum instituit, diuersabatur. Nam ipsa loci opportunitas, in quo suam habebat collectam Ecclesiam, cui primùm hac sua Mysteria committere statuerat, ad noui Sacramenti institutionem magis congruebat, quod veteri erat successurum, cui tum ipse finem imposuit. Praeceptoris exemplum Discipulos imitatos esse testatur passim tota Lucae historia, quae Acta Apostolorum inscribitur. Conuenerat enim Ecclesiola illa centum viginti hominum, quae Spiritus sancti aduentum expectabat, non in Templum Hierosolymitanum, id enim per tyrannidem Pontificum, Sacerdotum, Scribarum & Pharisaeorum, rabiemque vulgi tum non licebat, sed in Coenaculum priuatarum aedium, in quo Sacros suos habebat Conuentus, in quibus & Matthias Apostolus creatus est & Iudae substitutus: deinde qui Christo nomen dederant, solitos domatim frangere panes, eadem testatur historia. Praeterea quoties eodem in libro legimus Apostolos, modò in Templo: modò in publicis vicis atque vijs, modò in Synagogis, modò in priuatis aedibus, modò intus in vrbe, modò foris, suos habuisse hominum Conuentus, & in ijs Sacra peregisse? Hac libertate sub Ethnicis Imperatoribus vsos quoque legimus fideles ante Constantinum Magnum, qui in priuatis aedibus, coemeterijs, non rarò etiam in desertis, solitudinibus & similibus locis, ad Religionis & Cultus diuini exercitium conuenerunt. Sic Victor lib.*1.*refert*, quòd fideles in Aphrica tempore persequutionis Vuandalicae, tum Ecclesijs tum Ministris orbati, vbicunque potuerint, Res Sacras tractârint. *Et lib.*3.*idem indicat*, propter Arrianorum furores, nonnullos in priuatis aedibus conuenisse. *Socrates lib.*6.*cap.*18.*& Sozomenus lib.*8.*cap.*21.*referunt*, Orthodoxos Constantinopoli ob injustam Chrysostomi damnationem, à publicis congressuum locis recessisse, & priuatim conuenisse: primùm quidem in quodam publico lauacro, quod Constantinianum vocatum fuit, ibique paschales ferias celebrârunt magnâ hominum frequentiâ. Inde verò pulsi extra vrbem, in quodam loco, vbi olim ludi publici exhiberi solebant, conuenêre. Sed & inde ejecti, varijs in locis conuentus instituerunt, *Paulò post sub Arsacio Chrysostomi successore, quidam in extremis ciuitatis recessibus & porticibus ad audiendum verbum Dei coibant, verùm & ibi magnâ vi prohibiti sunt, vt Sozomenus indicat lib.*8. *cap.*27.

*Quin ex sequentibus Patrum testimonijs colligitur, omnino sine Templis & Altaribus religionem Christianam & veram Ecclesiam consistere posse. Arnobius lib.*6. *adversus Gentes mox sub initium Gentes affatur: In hac consuestis parte crimen nobis maximum impietatis affingere, quòd neque AEdes sacras venerationis ad officia construamus, &c. Non Altaria fabricemus, non aras &c. quae quidem nos cessamus non ideo vel exaedificare vel facere, tanquam impias geramus & scelerosas mentes &c. Et, Nunquid delubris aut Templorum eum (nempe rerum caput ac dominum summùmque ipsum regem) constructionibus honoramus?*

Minucius Felix in Octavio. Putatis autem nos occultare quod colimus, si delubra & aras non habemus? Et mox: Templum quod ei exstruam, cùm totus hic mundus eius opere fabricatus eum capere non possit? Et cùm homo laxiùs maneam, intra vnam aediculam vim tantae Majestatis includam? Nonne melius in nostra dedicandus est mente? in nostro imo consecrandus est pectore?

Hilarius libro aduersus Arianos & Auxentium ait: Apostolos intra Coenacula secretaque coetus sacros egisse. Ibidem paulò ante ait: Malè vos parietum amor coepit: Malè vos Ecclesiam Dei in tectis aedificijsque veneramini, malè sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est, in his Antichristum esse sessurum?

*Hieronymus Comment. in Psalm.*133.*Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate. Ecclesia ibi est, vbi fides vera est. Caeterùm ante annos quindecim aut viginti, parietes omnes Ecclesiarum hîc haeretici possidebant, omnes has Ecclesias, (sic nominat hoc loco Templa seu aedificia Oratorium) Ecclesia autem vera ibi erat, vbi fides erat.*

Chrysostomus homiliâ 46. *in Matthaeum in opere imperfecto: Nos apud illos reliquimus fundamenta parietum, illi apud nos reliquerunt fundamenta Scripturarum. Et ibidem paulò ante, Qui spirituales Christiani fuerunt, relictâ corporali Ecclesiâ, quam perfidi occupauerant violentiâ, exierunt ab illis.*

Bellarmini argumenta *pro* sanctitate Templorum, & quod in ijs Deus homines magis quàm alibi exaudiat, eorumdemque confutatio.

NÆc propter eos annotanda putaui, primò qui inde calumniandi occasionem hodie arripuerunt. Faciebant idem olim Christiani nominis hostes, qui horrenda scelera & nephanda in cœtibus illis clancularijs seu priuatis designari dicebant. Sed vt veteres sua innocentia defendebat apud Dei tribunal: ita nostros ipsa necessitas excusat, & potius accusari merentur, qui suâ immani tyrannide pios cogunt ad clancularia & occulta fidei suæ exercitia confugere, impunè interim per omne genus scelerũ ac libidinum grassantibus ijs qui & Deum, & Religionem, & omnem vitæ honestatem iampridem adnegârunt. Non tamen illis patrocinamur, qui occultos cœtus agunt, cùm in illis locis viuant, vbi libera Verbi Dei prædicatio permittitur, & Sacramentorum vsus iuxta Christi institutionem exercetur. Nam, vt Paulus ait, debent omnia in Ecclesia decenter & cum ordine fieri. *Minimè ergò à Templis publicis discedendum est, neque clancularijs cœtibus, vbi nulla vrget necessitas, locus dari debet, ne vel schismata excitentur, vel occasio detur aduersarijs, quâ totum Religionis negotium suspectum reddant.*

Secundò, *propter Pontificios & Iesuitas hæc etiam dicuntur. Nam Bellarminus tomo* 1. *col.* 2192. *Deum Templis alligat, quasi nos ibi solùm audiat: & sanctitatem, quæ nos, nostrasque Preces Deo commendat, Templis tribuit, ideoque præcisè, non solùm publicas, sed etiam priuatas Preces in Templis concipiendas aliquot argumentis probare contendit.*

PRIMO, Solomon, *inquit*, affirmat 3. Reg. 8. & 2. Paral. 6. Templum factum esse, vt sit locus Orationis, & petit à Deo, vt quicunque ibi orauerit, exaudiatur: & Deus apparens Solomoni pollicetur ita futurum, vt ille petierat. Deinde 1. Reg. 1. Anna oratura Dominum ad Tabernaculum accedit, vbi erat Arca, ibique orans exaudita est. 2. Reg. 7. Dauid similiter precaturus perrexit ad Tabernaculum, & coram Arca Domini orare cœpit: 1. Paral. 21. cap. voluit Dauid ire ad Tabernaculum Domini in Gabaon, vt oraret pro auertenda peste à populo: sed non præualuit nimio timore perterritus, ideò in Hierusalem exstruxit Altare, Luc. 6. Anna Prophetissa, non discedebat de Templo, jejuniis, & obsecrationibus seruiens nocte ac die, Luc. 18. Publicanus in Templo orans justificatur, Act. 3. Petrus & Ioannes ascendebant in Templum ad horam Orationis nonam, Actorum. 8. Eunuchus Reginæ Æthiopum venerat adorare in Hierusalem. *Respondeo* primò, *Nos non reijcere fidelium priuatas quoque Preces in Templis: Apostolus enim nos jubet*, 1. *Timoth.* 2. in omni loco orare: *sed superstitionem tantùm reijcimus, quâ Preces in Templis propter locum sanctiores & efficatiores, quàm aliis in locis, habentur.* Secundò, *Templum Hierosolymitanum typus fuit corporis Christi, juxta Apostolum. Durante igitur hoc Templo, Iudæi ad id alligati fuerunt cùm in multis aliis, tum etiam in precibus, vt docerentur hac legali Ceremoniâ, preces eorum propter venturum Messiam & Mediatorem, si in ipso & per ipsum fiant, à Deo patre exaudiri. Destructo autem illo typico Templo, & sublatâ vmbrâ, tollitur quoque legalis illa Ceremonia, nec enim Templa nostra sunt typi & figura, vt Iudaicum illud, sed tempus iam illud est, quo in omni loco orare licet.* Tertiò, *exempla illa omnia quæ Iesuita adducit, ad publicas, non priuatas Preces pertinent: proindéque fallaciam committit ab Ignoratione Elenchi: mutat enim statum causæ & migrat de genere ad aliud genus.*

SECVNDVM *argumentum petit ab authoritate Patrum, qui Templa* Domos Orationis, εὐκτήρια & Oratoria *appellant. Respondeo* primò, *voces* ORATORII, εὐκτηρίου, & Orationis Domus *à Patribus tribui Templis, non propter priuatas, sed publicas præcipuè preces, quæ ibi ad Deum funduntur. Chrysostomi locus, quem citat Iesuita, non probat, preces propter Templa à Deo exaudiri, sed propter fidem & deuotionem, quæ excitatur in animis in cœtu fidelium. Basilij locus docet, non magis in precibus, quàm in quouis alio bono opere, loci, velut reliquarum quoque circumstantiarum, rationem haberi debere. Respondeo* Secundò, *Patres neque in iis locis, quæ citat Iesuita, neque in aliis præcipere, vt qui precari vult præcisè ad Templa veniat, vt vult Bellarminus.*

TERTIO, *quinque Rationibus probat Iesuita, fidelium Orationes priuatas, quæ fiunt in Templis, Deo gratiores esse propter hæc ipsa loca.* Prima *est*, Deus habitat in Templis magis quàm alibi. Ergo cùm in Templis sacratior, & commendatior sit præsentia Domini, ibi certè magis orare expediet, quàm alibi. *Antecedens probat ex* 1. *Corinth.* 3. *cap.* Nescitis quia estis Templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis? *Et* 1. *Corinth.* 6. Membra vestra Templum sunt Spiritus sancti, quem habetis in vobis: glorificate, & portate Deum in corpore vestro. *Et* 2. *Corinth.* 6. Vos estis Templum Dei viui, sicut dicit Dominus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo. *Respondetur, ludere Iesuitam ab ignoratione Elenchi: Quod enim scribit Apostolus de viuis & spiritualibus Templis, hoc transfert ille ad lapidea & inanima Templa. Corda quidem & corpora fidelium sunt*

Templa Dei, in quibus Spiritus Sanctus habitat: Lignea autem vel lapidea Templa Spiritum Dei nequaquam capiunt. Idem ergò de diuersis generibus colligit Iesuita: perinde enim est ac si dicas, Templa ratione prædita esse, quia homo qui Templum Dei est, sit λογικός.

Apostolus autem, *excipit Bellarminus*, accipit similitudinem à veris Templis: quia enim Templum est Domus Dei, in qua ipse peculiari modo inhabitat; ideò ipse vt ostenderet, in nobis esse Deum peculiari modo, corpora nostra Templum Dei appellauit. *Respondet Isaias capite 66. & ex eo Stephanus Act. 7. cap. non esse eandem lapideorum & viuorum seu rationalium Templorum rationem: neque eodem modo Deum habitare in vtrisque Templis.*

At, *inquit Iesuita*, Augustinus libro 2. ad Simplicianum quæst. 4. dicit, Dauidem orâsse ante Arcam, quia ibi sacratior, & commendatior præsentia Domini erat. Ergo in Templis magis orare expediet, quàm alibi. *Negatur consequentia. Nam quæ de Tabernaculo, Templo Solomonico & Arca dicuntur, ad nostra Templa referri nequaquam debent: habuerunt enim peculiares promissiones propter typum, & præsentiæ Dei symbola ab ipso Deo constituta, quæ nostra Templa non habent.*

Secunda *ratio est*, Quòd Deus promisit Templo Solomonico, promisit etiam Templis Christianorum: Sed promisit 3. Reg. 9. c. se in Templo Solomonico exaudire velle orantes. Ergo. *Negatur maior iis de causis quas modò exposuimus. Et Pontificiorum dedicationes Templorum, in quibus petunt, vt aures Dei in Templis semper sint apertæ, magicæ sunt & superstitiosæ nullum habentes vel mandatum Dei, vel comparationem cum precibus & dedicatione Solomonis, vt vult Iesuita.*

Tertia *ratio*, Oratio res est nobilissima, Ergo debetur ei locus nobilissimus, nempe Templum. *Respondeo, vt preces sunt res nobilissimæ, non propter rem vllam externam sed propter fidem & humilitatem ex qua fiunt: Ita Deus non respicit nobilitatem & magnificentiam locorum in quibus oramus, vt Isa. 66. c. videtur, sed potius cor & fidem precantis. Est ergo fallacia à non causa vt causa.*

Quarta *ratio est*, In Templis omnia sunt accommodata ad excitandam deuotionem, quæ orationi maximè necessaria est: nam Altaria, Cruces, Imagines, Reliquiæ; ipsi etiam parietes Deo dicati mouent ad pietatem: nec alibi hæc reperiuntur. *Respondeo vt supra, falsam causam excitandæ deuotioni à Iesuita hoc loco adduci. Nam potius deuotionem impediunt, & à vera fide in precibus auocant homines ad superstitionem & Idololatriam. Testem habeo meæ sententiæ Theodoretum, qui Serm. 7. de Sacrificiis, Scom. 7. ad Græcos infideles, apertissimè testatur*, Satanam Imagines & similia Templorum Ornamenta curâsse fieri in vsum eorum, qui literarum sint expertes, vt iis ad SVPERSTITIONEM incitarentur. *Cumque Gentes olim idem prorsus, quod Iesuita, de suis Simulachris assererent, Athanasius hoc perquam fabulosè & non rationabiliter ab iis dici testatur. Denique si hic modus excitandæ deuotioni est optimus & hominibus vtilissimus, infelix fuerit Apostolica & primitiua Ecclesia, quæ nullas Imagines, Cruces, Reliquias & similia habuit.*

Quinta *Bellarmini ratio est*, In Templis ordinariè est præsentia Mediatoris Christi corporaliter in Eucharistia: Ergo ibi quoque orandum est potius quàm alibi. *Ludit hoc loco Iesuita Petitione principij: nam id pro argumento sumit, de quo est controuersia. Negatur enim Christum corporaliter esse in pane Eucharistiæ. Imò nihil extra verum & legitimum vsum rationem Sacramenti habet.*

Ad locum autem Matth. 6. c. quo nostri contrariam sententiam probare volunt, vbi Christus dicit, Tu quum precaris abi in cubiculum tuum, & clauso ostio tuo precare Patrem tuum, &c. *respondet Bellarminus*, Illa verba non posse simpliciter de cubiculo materiali intelligi, alioquin Christus contradiceret Paulo, qui ait, Volo viros orare in omni loco: & Dominus ipse legitur frequenter orâsse in montibus, in cubiculo nûquam. *Respondeo, non quidem hunc locum à nostris proferri, quasi Dominus simpliciter cubiculum tantùm & conclauia ad Preces requirat, & alibi orare non liceat. Sed volunt, Deum ad priuatas preces semotum & priuatum locum requirere, ad vitandam ambitionem. Ad publicas autem Preces quod attinet, quæ in Templis fiunt, quasque nostri minimè reiiciunt, volunt his verbis nihil aliud significari, quàm fugiendam modis omnibus ostentationem, quod Pontificii minimè faciunt, ideoque publica loca ad suas Preces tantum requirunt, vt ab hominibus videri & audiri possint.*

Responsio Iesuitæ, ad locum Ioannis 4. c. Venit hora, & nunc est, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem, &c. *varia & incerta est. Nam quid Spiritus & Veritas sibi velint, in dubio relinquit, quum diuersas interpretationes de iis afferat. Alii enim Spiritum opponunt corpori: alii Errori. Veritatem alii Ritibus Samaritanorum, alii Ceremoniis legalibus. Eadem autem responsio falsa est: restringit enim totum Cultum, quem Deus à Christianis exigit, ad spiritualem, internum & cordis Cultum. Externum autem Dei Cultum fidelibus Noui Testamenti nullum relinquit, quum tamen Pontificiorum Cultus tantùm in externis Ceremoniis totus consistat: Et Iudæis nullum prorsùs internum Cultum tribuit, quæ*

etiam Serueti fuit blasphemia. Verba autem Domini, & occasio, quâ hac ad Samaritanam mulierem loquutus est, apertissimè significant, omnem externum Cultum Dei, certum locum requirentem, situmque in externis Ceremoniis in nouo Fœdere abolendum esse.

Eadem responsio dari potest ad solutionem Bellarmini ad locum Pauli 1. *Timoth.*2.*e.* Volo viros omni in loco orare. *Nam solutio ista Iesuita incerta est, quam profert col.* 2196. *Deinde, vtcunque ille verba Apostoli conuellere conetur, apertissimè tamen indicant, Preces, non pracisè in Templis, sed in quouis loco fieri posse. Redit enim Apostolus ibi ad Preces, vnde paulò ante fuerat digressus, & vult dicere; Quòd antè iussi conuenire in cœtum, atque in hoc profundere Preces, non est quòd inde quis colligat, Preces nullibi quàm in conuentibus efficaces esse: Imò volo orare viros in omni loco, vbicunque res postulat. Hinc etiam Chrysostomus homil.* 79. *ad populum Antiochenum inquit:* Vbicunque sis potes Altare tuum constituere. Nihil enim locus prohibet, nec impedit tempus. *Item:* Licet & forum petentem & ambulantem orare. Licet & in officina sedentem, & consuentem pelles, animam Deo dicare. Licet & seruo, & ementi, & ascendenti, & descendenti, & adstanti coquo, cùm ad Ecclesiam ire non poterit, orationem facere. Non enim locum Deus veretur. *Rursus:* Siue sis extra Ecclesiam, ora. Non est quætendus locus, sed loci principium. Hieremias erat in cœno, & Deum exorauit. Iob erat in stercore, & Deum habuit propitium. Ionas in ventre ceti, & facilem habuit. Licet in balneo sis, ora: vbicunque sis, ora. Templum tu ipse es, ne locum quæras. Si mentem mundam habeas ab immundis motibus, licet in foro sis, siue in via, siue in mari, siue in diuersorio, siue in officina positus, siue sis vbicunque, Deo poteris inuocato petitionem obtinere.

Rursus Chrysostomus ad verba Pauli, Volo orare viros in omni loco, *&c. hac annotat.* Num Domino suo contraria imperat? absit, imò illius dictis per omnia concors esse deprehenditur. Quo nam autem modo? Tunc demum apertius innotescet, cùm prius explicauerimus quid sit, Intra in cubiculum tuum. Nam profectò plenum absurditatis erit, si istud simpliciter acceperimus, quasi non liceat omnibus in locis, atque in Ecclesia ipsa orare, &c. *Item* Non igitur vnius loci orationem angustiis clausit, verùm id solùm imperauit, fugiendam stultissimam vanitatem, orandumque omnibus in locis Patrem ex intimo cordis affectu. At verò Paulus, vt Iudaicæ obseruationis in orando dementiam confutaret, ait: In omni loco volo viros orare. Id nempe Iudæis fas seruare non erat: neque enim licebat, nisi vno in loco ad Deum accedere, atque litare hostias, & cætera obsequia legis inferre, atque ad ipsum locum vndique ex toto orbe concurrere necesse erat, omnemque expiationis ritum in Templo perficere. Contrariam igitur aduersâ fronte obseruantiam infert, atque ea necessitate nos liberans, non, inquit, ejusmodi nostra sunt, cujus Iudaïca esse noscuntur. Nam quemadmodum pro omnibus orationes fieri jubet: ita & omnibus in locis orare optimum est, vt jam hujusmodi obseruatio non in locis sit, verùm in ipso orationis affectu. Vbique igitur ora, inquit, vbique puras attolle manus: hoc enim est, quod in quæstione versatur. *Hactenus Chrysostomus: qua omnia cum Bellarmini expositione manifestè pugnant. Vult enim loqui hic Apostolum tantùm de publica oratione, & proinde per* omnem locum *intelligere illum, in quo ad orandum publicè conuenitur, nempe Templum. Chrysostomus autem non tantùm pro Ecclesiis, sed pro quocunque loco accipit.*

*Ad locum Actor.*7. Deum non habitare in manufactis Templis, sed cœlum & terram implere: *ex quo nostri colligunt, Deum igitur vbique ex aquo adorari & inuocari posse: Respondet Iesuita:* Deum quidem vbique esse aliquo modo, sed non omnibus modis. *Respondeo, quocunque modo vbique sit Deus, valere nostrorum argumentum, & exaudire Preces vbicunque simus, quia ille vbiq. est, siue aliquo modo, siue omnibus modis.*

CAPVT. VII.

ECCLESIAS *seu* TEMPLA *&* MONASTERIA non esse ædificanda & erigenda absque speciali Principis aut Secularis Potestatis licentia.

Notum est Imperatoris Constantini decretum, quod fecit ipse de Instaurandis Templis; quod & alij postea eius exemplo fecêre Imperii Successores: qui cùm ciuitatem aliquam Imperatoriâ Auctoritate innouarent, non modò ciuilibus formis, sed etiam priuilegiis & juribus Ecclesiasticis eam decorârunt: qua ideo & ipsis auferre licebat, & hac de re, quacunque vellent, pro arbitrio statuere atque decernere: vt notat Balsamon ad Can. 17. *Concilii Chalcedonensis. Si enim, inquit, eis permittitur, ea qua voluerint de Regionum finibus ordinare pro innouatis à se vrbibus, multò magis vt mihi videtur. Episcopatus Metropolium honore donabunt, eorum qui praerunt promotiones designabunt, & alia quadam pro eâ quam habent Potestate jubebunt. Huc etiam referri potest Nouella Iustiniani* 67. *de non adificandis nouis Eccle-*

siis

ſiis aut Monaſteriis: vt intelligatur, rerum quoque Sacratum curam ad Principem pertinere, ejuſque Authoritati competere, vt de iis leges ferat, jubeat & vetet. Cui quidem maximè convenit quod habetur in tit. Digeſt. de Colleg. & Corp. Nimirum: extraordinarium crimen eſſe in eos, qui illicitum Collegium, vel quodcunque tale Corpus, celebrant, id eſt, ſine Auctoritate Principis & Senatus, quorum vel mandatis vel ſenatus conſultis hujuſmodi Collegia & Corpora diſſoluuntur. Qua de re Tertullianus: in ſacroſancta & Principum mandata coitionibus oppoſita delinquimus. Quod ſi & exemplis rem confirmari oporteat, non deſunt quæ ſubiiciamus: & in cætera primum occurrit inſigne illud de Templo Pantheon celeberrimi nominis Romæ, quondam in Deorum Gentilium cultum erecto, quòd cùm Boniſacius IV. in ſacrum uſum vellet conuertere, priùs illi à Phoca tum Imperatore impetrandum fuit: cuius rei Author eſt Beda in homiliis Æſtiualibus de Sanctis, Tomo 7 his verbis: legimus, inquit, in Eccleſiaſticis hiſtoriis, quòd Sanctus Boniſacius, qui quartus à Beato Gregorio Romanæ Vrbis Epiſcopatum tenebat, ſuis precibus à Phocâ Cæſare impetrâret donari Eccleſiæ Chriſti Templum Romæ, quod ab antiquis Pantheon antea vocabatur: quia hoc quaſi ſimulachrum omnium videretur eſſe Deorum, in quo, eliminatâ omni ſpurcitiâ, fecit Eccleſiam S. Dei genitricis atque omnium Martyrum Chriſti: ut exclusâ multitudine Dæmonum, multitudo ibi Sanctorum à fidelibus in memoria haberetur, & & plebs univerſa in capite Calendarum Novembrium, ſicut in Die Natalis Domini, ad Eccleſiam in honore omnium Sanctorum conſecratam conveniret. Et in ejuſdem rei fidem ſic Mantuanus.

Pantheon hoc Templum Phocâ donante recepit
Romulidûm Paſtor Bonifacius, atque fugatis
Inde ſimul cum Matre Deis, ſolenniter omnes
Tranſtulit ad ſuperos, &c.

Non abſimile illud, quod Aimoinus refert de Baſilicâ S. Vincentij, quæ nunc S. Germani à pratis dicitur, per Childebertum Regem juxta civitatis Pariſinæ muros ædificatâ, & eius pragmatico munitâ, cuius hæc verba ſunt. Ego Childebertus Rex, unâ cum conſenſu & voluntate Francorum & Neuſtraſiorum, & exhortatione S. Germani Pariſiorum Vrbis Pontificis, vel conſenſu Epiſcoporum, cœpi conſtruere Templum in Vrbe Pariſiaca prope muros ciuitatis, in terra quæ aſpicit ad fiſcum Iſcacienſem, in loco qui appellatur Lacotitia. Antea enim in eodem loco Iſidis colebatur Simulachrum, & in eius idolo divini Numinis nomen aſſumebatur: vt Annalium, à Iacobo du Breul. ſancti Germani Monacho, & aliis probatis Authoribus ſcriptorum, monumentis proditum eſt: ex quibus etiam multa proferre poſſumus, quibus luculentiſſimè probetur, Solos & Primos per Gallias, Germaniam, & alias Occidentis Provincias, Templorum Authores fuiſſe Reges Francorum Chriſtianiſſimos, & inter illos Clodovæum, qui primus Chriſtiani nomen adeptus, Ædem Sacram D. Genovefæ, quæ etiamnum Pariſiis extat, conſtruxiſſe, & in honorem B. Petri & Pauli Apoſtolorum conſecrâſſe; Cæteros ejus Succeſſores pari pietate in ædificâtionem & fundationem Templorum multa erogâſſe: Denique per univerſam Galliam nulla Monaſteria, Religioſas domos, aut alia venerabilia loca, nulla etiam corpora & univerſitates, niſi vel ſolius Principis libertate, vel ſaltem ipſius veniâ & approbatione, conſtructa reperiri, nec nunc quidem ulla conſtrui poſſe, niſi Regio Diplomate, priùs impetrato, & accedente præterea ſupremæ Curiæ Sacrâ vice iudicantis Sacroſancto. His Authoritatis & exemplis motus Anno 1506. Illuſtriſſimus Dux & Senatus Venetorum, legem tulit, de non ædificandis novis Eccleſiis aut Monaſteriis: & ne cuiquam ſive ſæculari ſive Eccleſiaſtico in urbe Venetiarum & omnibus iuriſdictionis Venetorum locis, religioſas domus vel Hoſpitalia & ſimilia loca, ſine Ducis & Reipubl. ſpeciali licentia fundare vel erigere liceat, ſub pœna exilij ac perpetuò carceris & publicatione fundi venditioniſque ædificij.

CAPVT VIII.

De Nominibus locorum, quæ à CHRISTIANIS ad conuentus publicos celebrandos ſic ſunt exſtructa.

R*Ectè quidem & prudenter dixit ille,* εἰς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα, *id eſt,* ad benè docendum primò expendere oportet nomina: *ego verò in hac noſtra tractatione magis rationi conuenire putaui, ſi primò de origine & authore Templorum agerem, & tùm demùm nomina, quibus appellata ſunt, referrem, ne contra naturam agere viderer, nomina rerum, antequam res exſtiterunt, recenſendo: priore igitur abſoluto, de poſteriore nunc quoque agemus.*

Locum illum, in quo mox poſt Chriſti Aſcenſionem conuenerunt Apoſtoli Lucas Actor. 1. vocat ὑπερῷον. *Latini verterunt* Cœnaculum, 1 Cœnaculum.
quo vocabulo intelligitur locus qui ad cœnandum ſit idoneus. Vnde Varro ait, ſicut penarium, vbi penus, vbi cubabant, cubiculum, ita vbi cœnabant, cœnaculum dicitur. *Ego ſimpliciter cum Euſtathio, hoc præſertim loco, intelligendum puto per* ὑπερῷον, *locum in ſupremo ædium faſtigio, ad quem ſcalis ſiue cochleis aſcenditur. Feſtus quoque teſtatur,* ſupremam ædium partem totam Cœnaculum tandem appellatam fuiſſe, ad quod ſcalis aſcenderetur.

retur. Eiusmodi loca ædium superiora Romæ (de Hierosolymis nil certi affirmare possum) ditiores inquilinis plerunque ac pauperioribus locârunt, imam sibi reseruabant: qua de re vide plura apud Stukium in Antiquitat. Conuiuial. libro 2. capite 14. Hinc ergo non solùm tenuem Apostolorum conditionem & summam paupertatem colligere, sed & videre licet, quàm tenui ædificio & omni magnificentiâ carenti Apostolica simplicitas contenta fuerit. Successoribus ipsorum (vt videri volunt) nulla vel ambitiosissima Priami regia, aut Babyloniorum structura sufficit hodiè.

2. Domus & Ædes. *Tertullianus, qui vicinus fuit Apostolorum temporibus, loca publicorum congressuum sua ætate dicit fuisse simplices,* Domos & Ædes in edito sitas: *initio libri contra Valentinianos. Dicitur autem* Domus, *propriè ædificium ad habitandum factum: impropriè verò pro quocunque habitaculo: vnde & Templa & auium nidi Domus dicuntur. Rectè verò & propriè Tertullianus eiusmodi loca* Domos *appellat, ea enim inhabitârunt certæ familiæ: simul tamen eò quoque fideles conuenerunt, quòd in persequutionibus illis publicè non licebat: hodiè autem impropriè sic vocarentur.*

Etsi verò Christiani primitiuæ Ecclesiæ per Ædis *vocabulum nil aliud quàm domum simpliciter intellexerint, id tamen nomen suis quoque Templis posterioribus seculis indiderunt, ad Ethnicorum imitationem, qui sua etiam Fana seu Templa ita appellârunt, ab* Edo, *vt Seruius annotat, quòd in ea Sacrificantes edere consueuerint. Nam quædam sunt nomina, quæ initio diphtongum recipiunt, quamuis à verbo monophtongo deriuentur. Varro libro 4. de lingua Latina ab aditu fieri putat, quòd scilicet plano pede adierint. Festus, quòd in edito poni soleret Ædes dici putat.*

3. Ecclesia. *Eusebius lib. 7. cap. 15. cœtuum locos* Ecclesias *vocat: quo loco indicat, Cæsareæ Palestinæ Christianum quendam Marinum nomine, Religionis accusatum, & à tribunali ad trium horarum deliberationem dimissum, deductum esse ad Ecclesiam, & in ipsum Sanctuarium, à Theotecno eius loci Episcopo, atque ab eo ad Martyrium fortiter subeundum confirmatum: Factum sub Valeriano & Gallieno Impp. circa annum D. 260. Fuit hic loquendi mos imprimis vsitatus seculo 5. à nato Christo; vt nimirum* Ecclesiæ *nomen pro ipso etiam Templo vsurparent. Ita enim Eucherius lib. 2. in Genes. cap. 16. ait.* Ecclesiam ædificatam esse eo in loco, vbi olim Abraham angelos hospitio susceperit. *Sic etiam loquitur Sidonius epist. ad Hesperium: Saluianus quoque non abhorret ab hac loquendi formula, sed quasi corrigens dicit:* Itaque Ecclesias, vel potius Templa, & Dei minoris reuerentiæ quidem habent, *&c. libro 4. de Prouid. Dei. Ipse etiam Augustinus, libro quæst. in Levitic. tit. 59. Hoc ait, quotidianus vsus loquendi obtinuit, vt in Ecclesiam prodire, ad Ecclesiam confugere, non dicatur, nisi ad ipsum locum parietesque prodierit & confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur. Idem:* Quotidiè, *inquit,* Ecclesiam ingredientes, memoriam gloriosissimi Martyris Stephani frequentabant *&c. lib. de Ciuit. Dei 22. cap. 8.*

Fit autem hoc impropriè & figuratè per Metonymiam, quâ contentum pro continente ponitur. Est enim Ecclesia *vox Græca, sed recepta à Latinis, significatque cœtum, communionem vel concionem, Germanicè* Ein Gemeint *populum inquam conuocatum ad audiendum de Reipubl. negotiis. Vnde Thucididi & Xenophonti* ἐκκλησίαν συλλέγειν καὶ ποιεῖν, *idem significat quod Latinis,* Concionem aduocare *seu* cogere: *& Aristophani in Achar.* μὴ ποιεῖν ἐκκλησίαν *idem est quod Ciceroni,* Non dare *seu* habere Concionem, kein gemeind halten. *Apud eundem Aristophanem legitur* ἐκκλησία δ' οὐχὶ διὰ τοῦτο γίνεται, Concio nónne propter hunc habebitur? *Ita D: Lucas quoque hoc vocabulo vsus legitur Act. 19. vbi dicit,* ἦν ἡ ἐκκλησία συγκεχυμένη, erat Concio confusa.

Translata est hæc vox ab hoc ciuili vsu ad Sacrum, visumque est Spiritui sancto appellare hoc nomine cœtum fidelium vniuersum ad vitam æternam euocatum. In qua significatione interdum καθολικῆς *appellatio additur. Nonnunquam verò particulares cœtus, in quos vniuersalis ille distribuitur,* ἐκκλησίας *nomine intelliguntur: vt cùm Ecclesiam Romanam, Corinthiacam &c. appellamus: adeò quidem, vt etiam restringatur aliquando ad quampiam familiam, quæ Christum profitetur: sic enim Paulus Rom. 16.* τὴν κατ' οἶκον ἐκκλησίαν. *1. Cor. 16.* σὺν τῇ κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίᾳ.

Quod si igitur hæc vox pro externo ædificio; hoc est, Templo aut quocunque nomine appellare libeat, vbi nimirum cœtus fidelium congregantur, accipiatur, μετωνυμικῶς, *id fieri intelligis. Quo sensu etiam à prophanis authoribus aliquando vsurpatur. Ita enim Mercurius apud Lucianum conqueritur;* Σαίρειν τὸ συμπόσιον δεῖ καὶ διαστρώσαντα τὴν ἐκκλησίαν, Ecclesiam, *id est,* locum in quo Dij conueniunt *seu* congregantur. *Demosthenes quoque* τῇ βουλῇ *assignat* βουλευτήριον, *& populo* ἐκκλησίαν, *pro loco & ipse (vt opinor) in quo populus conuenire solet, accipiens in Orat. pro Corona, vbi dicit:* Οἱ μὲν πρυτάνεις τὴν βουλὴν ἐκάλουν εἰς τὸ βουλευτήριον, ὑμεῖς δ' εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐπορεύεσθε. *Similiter* Concio *Latinis etiam sæpè dicitur locus in quo congregatur Concio, id est, populus in concionem euocatus.* In Dial. Mercurij & Maiæ

Vsitatissimum etiam fuit in primitiua Ecclesia hæc loca εὐκτήρια *seu* προσευκτήρια, *id est* Oratoria *appellare, à primaria actione, quæ in iis peragebatur: vt est videre apud Euseb. libro* 4. Oratorium.

8. c.

Digitized by Google

8.c.2. Socrat. lib.5.c.7. Sozom. lib. 1. c. 8. & August. dist. 42. c. vltimo. Chrysostomus quoque Orationis Domos appellat, Hom.9. in 3. c. Act.

5. Dominica. Vocârunt etiam Dominica, seu κυριακα, vt est videre in edicto Maximini, quod pro Christianis iam iam moriturus edidit, apud Euseb. lib.9.c.10. & in narratione eius Historia quæ exstrt apud Ruffinum lib.1.c.3. à Domino scilicet Iesu Christo, cui consecrabantur: & quòd in his Domino Iesu Christo seruiretur, ísque inuocaretur, eiusque Verbum prædicaretur, & Sacramenta administrarentur: sicut etiam dies solennis, quo conuenire solet Ecclesia, dies Dominicus appellatur. In locum autem Eusebij Beatus Rhenanus hæc annotat. Primi illi Christiani, ait, Templa in honorem Christi Domini erecta, Dominica appellabant, in quibus Precum, sacrarum Lectionum, Eucharistiæque causâ conveniebatur. Erat autem apud veteres Domini vocabulum paulò frequentius quàm Christi, juxta consuetudinem Apostolicam & solennem Euangelicæ historiæ modum. Proinde quia Dominum semper habebant in ore, etiam ipsa loca in quibus propter Dominum coibant, appellârunt Dominica. Vnde Germani etiamnum Episcopalia Templa, quæ certè primaria sunt, & reliquis antiquiora, Dom vocant, & illorum canonicos, Domherren/ quasi dicas Dominicales, siue Dominicanos Dominos: Sicut & Templarijs olim à Templo datum nomen. Exstat adhuc in Tribonis inter Elcebum pagum, qui Slettstadio originem ac nomen dedit, & Argentoratum, propè Mollesheimium, Sacellum quoddam vetustissimum, etiam Gentilium Romanorum monumentis spectabile, quod vernacula simplicitas Domphieter appellat, hoc est, Dominicum Petri. Hæc Rhenanus.

6. Kirch vnde. Eadem ratione Germani quoque sua lingua locum publicorum fidelium congressuum seu cœtuum, vocant Kirch à Græco voce Κυριακὴ, quæ Dominicam significat, scilicet Ædem seu Domum. Quamuis sæpè etiam hoc vocabulum pro ipso Dei populo & cœtu credentium vsurpetur.

7. Martyria. Martyrij vocabulum, quo loca quædam cœtuum publicorum appellari consueuerunt, Constantini tempore, vsurpari cœpit. Sic Templum Hierosolymis, circa annum Imperij Constantini 30. in loco Cranij ædificatum, Martyrium magnum dicebatur: vt Sozomenus tradit lib.2.c.26. eam ob causam, quod Iesus Seruator noster eo in loco supplicium Crucis passus fuisset. Progressu temporis illa tantùm Templa sic appellabantur, in quibus erant Sepulchra & Monumenta Martyrum: aut etiam quæ in Martyrum honorem fuerunt ædificata: Nam Martyrio propriè significabant initio ipsas passiones & supplicia Martyrum, quibus fidem Christi testimonio sui sanguinis confirmârant. Postea pro Monumentis & Sepulchris Martyrum: tandem etiam pro Templis, quæ in eorum memoriam exstruebantur, accipi cœperunt.

Hic obiter notandum, Martyrium & Confessionem non idem esse, vt nonnulli putant, decepti errore interpretis Gangrensis Concilij prioris editionis, vim Latinæ vocis non assecuti. Quod enim Can. 20. dicti Concilij legitur, τὰς Συνάξεις μαρτύρων, hoc est, Martyrum conuentus, Interpres Confessiones Martyrum transtulit, pro Ecclesiis Martyrum. Non autem Latini basilicam confessionis nomine intelligunt, vt falsò ex hac interpretatione aliqui sunt arbitrati, sed magis hac significatio ea vox dicta reperitur, ut locus ille sub Altari positus intelligeretur, vbi Martyrum corpora condita essent, idque inde, quòd Apocal. 6.cap. legitur, vidi subtus Altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium quod habebant.

Basilicæ quoque appellatio post Constantini M. tempora frequens esse cœpit apud Nazianzenum, Ambrosium & alios Basilica autem principiò dicta fuit domus ampla & spatiosa, causarum cognitioni destinata, dicta ab eo, quòd principes eò ad ius dicendum conuenirent: aut, quòd Græci τοῦ βασιλέως appellatione etiam judicem intelligerent, astipulante etiam Hesiodo, qui δωροφάγους appellat βασιλῆας, hoc est, donivoros judices, Budæo interprete. Plin. Epist. Descenderam, inquit, in Basilicam Iuliam, auditurus quibus proximâ comperendinatione respondere debebam. Erat autem Basilica ambulationibus amplissimis instructa, ad quam multi tota ex vrbe, alij causas agendi, alii consultandi, alii aliud agendi gratiâ confluebant. Vnde venustum inprimis illud est Ciceronis ad Attic. libro 2. Basilicam habeo, non villam, frequentiâ Formianorum. Postea etiam Basilicæ apud Ethnicos ædificata fuerunt in vsum negociatorum, eaque in locis calidissimis, foróque proximis: vt haberent mercatores, quo se hybernis mensibus, subitò ingruente tempestate possent recipere. Vide Vitruuium lib.5. Perottus Sipontinus ait, Basilicam fuisse locum amplum, vbi à diuitibus expectati fuerint salutatores, & conuiuia facta maxima, & saltationes & ludos. Secundum hunc Basilica esset pars domus splendidior, qualem plerique hodiè in diuersis linguis recepto vocabulo, Sallam appellant siue corruptè à Basilico nomine, siue à salutatione. 8. Basilica.

Hujusmodi locorum nomen post annum D. 300. translatum est ad ædes sacras. Vnde Isidorus ait, Basilicæ prius vocabantur Regum habitacula, vnde & nomen habent: Nunc autem divina Templa ideò Basilicæ nominantur, quia ibi regi omnium Deo sacrificia & cultus offeruntur. Secundum Sipontini quoque interpretationem Templa sic vocantur, quia ibi Deus salutatur, ibi conuiuia, ludi atque tripudia spiritualia celebrantur. Vel quia loca huius-

huiusmodi ampla & spaciosa, quin & magnificentissimè exstructa erant, factum est vt nomen hoc Templis, à Constantino M. aliisque Imperatoribus ad eundem modum ædificatis, inditum fuerit.

Damasi & Platinæ error. *Hinc iam cernere licet falsissimum esse illud, quod Platina ex Damaso indicat, Calixtum sub Heliogabalo, monstro illo hominis, Basilicam in Transtyberina Regione, in honorem B. virginis Mariæ ædificâsse. Quasi verò credendum sit, licuisse illis, in tam sæuis persecutionibus, eiusmodi regalia Templa condere, quo tempore occulta erant omnia, & sacella potius, atque eadem abdita, & plerunque subterranea: sicut ipse quoque Platina fatetur.*

9. *Domus Dei.* *Meminit etiam locorum in quæ conuenerunt prisci fideles Epistola Concilij Antiocheni contra Paulum Samosatenum, &* Domus Dei *vocat: apud Euseb. lib. 7. cap. 30.*

10. *Conuenticula.* *Huc facit illud quoque quod in edicto Maximiani & Constantij Cæsarũ pro Christianis edito scriptum legimus,* Erga hos indulgentiam nostram credimus porrigendam, vt rursum sint Christiani, & Conuenticula in quibus orare consueuerunt exstruant & reædificent. *En* Conuenticula *vocant Cæsares non Templa, non Palatia, non Basilicas, Christianorum Oratoria, quòd essent humiles Ædiculæ, & angusta vel obscura loca à Conuentibus sic dicta, qui fiebant in illis locis ab initio, audiendi verbum Dei, & inuocandi Deum causâ.*

11. *Templa* Templorum *quoque non infrequens est appellatio apud Augustinum. Significat autem* Templum *propriè locum vel in cœlo notatum ab augure, vel in terra: à tuendo vel conspiciendo dictum quòd ex omni parte, vel quòd ex eo omnis pars aspici possit, teste Donato. Primò autem cœlum ipsum dictum est Templum, quia ipsum primò tuemur. Ennius,* Contremuit Templum magnum Iouis altitonantis. *In terris autem dictum est Templum, quod quibusdam conceptis verbis ab augure finiebatur, vnde tueri quamcunque cœli partem commodè posset. Ab hoc Templo non solùm Ædes sacræ, sed & alia loca septa, & vnum tantum introitum habentia, dici Templa cœpere. Quippe Curia Hostilia Templum erat, licet sacra non esset. Cicero pro Domo sua.* Curia est sedes ac Templum publici consilii. *Idem pro Milone,* Curia est Templum sanctitatis: *Idem è contra pro Æde sacra vsurpat Act. 6. in Verrem,* Herculis, *inquit,* Templum est apud Agrigentinos non longè à foro, sanè sanctum apud illos & religiosum. *Ita Ver. Æneid. 6.* Teucros vocat alta in Templa Sacerdos. *Ouid. de Arte. 1.* Nec fuge Niligenæ Memphitica Templa Iuuencæ. *Ibid.* Facto de marmore Templo. *Ioan. Quintinus in Explicatione can. 5. Concil. Gangren.* Templa, *inquit,* dicuntur quasi Tecta ad contemplationem diuini numinis ampla, *vt ait Isidor. c. 4. lib. 15. Etym. Ductus hoc etymo putauit Archidiacon. Templa propriè vocari maiores Ecclesias, vbi sub vnius amplitudine tecti populus adunaretur.*

Hanc igitur loquendi formam mutuati sunt Christiani à Gentilibus, & ad suas quoque Ædes sacras transtulerunt. Et propriè sunt Templa *Ædes sacræ, eleganter exstructæ, & in sublime supra alias ædes eleuatæ, vt ab omnibus omni ex parte vrbis conspici possint. Nam tale erat etiam Tabernaculum, & postea Solomonis Templum: & apud Gentiles ipsorum Templa.*

Chrysostomus loca publicorum congressuum simpliciter vocat, Sedem, *&* Doctrinæ Sedem, *Hom. 1. in 1 cap. Ioannis.* 12. *Sedes Doctrinæ.*

Eusebius lib. 2. cap. 17. ex Philone locum illum in quo conuenerunt Religiosi illi, qui in Ægypto haud procul ab Alexandria ad Lacum Mariam habitârunt, siue illi Esseni, siue ex Iudæis conuersi Christiani fuerint, Σεμνεῖον *appellat,* ὅτι ἐν αὐτῷ μονούμενοι τὰ τοῦ σεμνοῦ βίου μυστήρια τελοῦνται *hoc est,* quòd in eo soli manentes Religiosæ & Sanctæ vitæ Mysteriis operantur, *inquit Philo.* Σεμνὸς *enim idem est quòd Latinis* Venerabilis, Venerandus, Reuerendus, Augustus, Sanctus, Majestate præditus: *vnde* Σεμνεῖον *locus sacer seu sanctus. Traditur autem apud Schytas* σεμνεῖον *fuisse locum, in quo sua Mysteria peregerint. Sed postea dictum fuit de quouis loco in quem viri* σεμνοὶ *congregarentur, qualis etiam fuit is cuius Philo meminit. Vide Suidam, item Budæum pag. 319. Ab* Hesychio σεμνεῖον *exponitur* ἱερὸς οἶκος. 13. *Σεμνεῖον.*

Eundem locum idem ibidem vocat Μοναστήριον, Monasterium, ἐν ἑκάστῃ, *inquit,* οἰκία ἐστὶν οἴκημα ἱερὸν, ὃ καλεῖται σεμνεῖον καὶ μοναστήριον. *Est locus vbi homines solitarii degunt, quod &* claustrum *à recentioribus appellatur, quòd eo claudantur, qui solitariam vitam degunt. Sunt qui solitudinem interpretentur. Sed id vocabulum multo latius apud Latinos patere constat. Cùm contra* μοναστήριον *ad eorum, qui Monachi dicti sunt, domicilium restringatur. Ab hoc Græco vocabulo Germanicum illud* Münster *descendit, quo non cœnobitarum seu Monachorum Claustra & Latibula intelligimus, sed Ecclesias maiores, quæ Collegia & Scholas habent adiunctas, vnde &* Collegiatę Ecclesiæ *dicuntur. Ita verò (vt opinor) appellantur, quòd Basilius, Augustinus & similes Episcopi suis Ecclesiis quoque coniuncta habuerunt Collegia, hoc est Scholas seu cœtus studiosorum, quæ illi Monasteria nuncupârunt, quòd qui in iis habitarent, quasi à mundo separati spiritualibus & diuinis studiis ac meditationibus vacarent.* 14. *Μοναστήριον.* Münster

Atque hæc de nominibus locorum sacrorum quorum cognitio non parùm prodest ad huius loci, quem tractamus de Templis, cognitionem, & ad historiarum intelligentiam.

De Titulis, Parœciis, & Diaconiis ROMÆ.

Tituli Romæ quid.

R*Oma quoque præter ſupra dicta nomina,* Tituli, Parœciæ, & Diaconię *appellabantur: de quibus Panuinius in Appendice ad Platinam hæc ſcribit.* TITVLI ſunt, *inquit*, Sacræ Ædes, Templa, vel (vt hodiè dicitur) Eccleſiæ ſiue Sacra Loca in Dei, & Sanctorum memoriam erecta, & per vrbis Regiones à Romanis Pontificibus antiquitùs diſtincta, in quibus animarum cura à Presbyteris in eiſdem commorantibus habebatur. Quibus qui præerant Presbyteri Cardinales appellabantur, id eſt, Principales, ſimilitudine à 4. venis Cardinalibus, hoc eſt, Principalibus deducta. Cùm enim in vnoquoque Titulo plures eſſent clerici qui ſacramenta populis exhiberent, vel exhibentibus præſtò eſſent, vt Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri: is, qui omnibus his præerat, Presbyter à cæteris Clericis illius Tituli dicebatur Cardinalis, quòd omnibus dignior, principaliórue eſſet in eo Titulo commorantibus, cæteroſque Clericos regeret, vel gubernaret in Titulo ſibi commiſſo viventes.

Vnde autem huiuſmodi loca ſacra Tituli dicebantur? Inde nimirum, quòd qui illi Presbyter adſcriberetur, ab eo nomen titulumque acciperet, ut eius loci Presbyter diceretur. De hoc Baronius in ſuis notat. ad Martyrol. Rom. hæc refert: Titulus idem eſt quod Memoria, ſeu Eccleſia; ſic dictus, quòd in loco vbi Eccleſia erat erigenda crux poneretur in Titulum: Sic lib. ult. de Pagan. C. Theodoſ. & l. decernimus, C. de Epiſc. & Cleric. Nouell. 117. c. 7. ex Iulian. & Conſtitut. 4. c. 1. Author. coll. 5. tit. 17. Vt nullus fabric. c. nemo Eccleſiam, de Conſec. diſt. 1. ex Concil. Aurelian. & in capitularibus Franc. lib. 5. c. 239. Ordo Roman. de divin. offic. c. de ædif. Eccleſ. pag. 107. Et mox: Romæ autem obtinuit vetus loquendi uſus, vt non omnis Eccleſia, martyrûmve memoria, Titulus diceretur, ſed tantùm inſigniores Eccleſiæ, quibus præficerentur Presbyteri Cardinales.

Titulos Romæ quis inſtituerit iuxta Panuinium & alios Pontificios.

Inſtitutum hoc Euariſti Epiſcopi Roman. eſt, ſi Epiſtolis decretalibus, Damaſo, Platinæ, Sabellico Ennead. 7. libro 4. & Panuinio credimus. Vixit Euariſtus circa annum Chriſti 105. ſub Vlpio Traiano Imperatore. Is enim, ne Presbyterorum adminiſtratio in promiſcuo eſſet, Titulos, vel (vt nunc dicimus) Parœcias in vrbe Roma, ipſis Presbyteris diuiſit, vt ſinguli à ſe inuicem ſecreti, in ſua vrbis Regione, Titulo vel Parœciâ, confuſionis tollendæ causâ, diuina Myſteria, populum erudientes, Sacramenta Dei omnibus ad ſe venientibus Fidelibus exhiberent, ſingulóſque Presbyteros in vnoquoque Titulo. Non longè poſt Hyginus Rom. Pontifex circa annum D. 142. ſub Antonino Pio, plures in vnoquoque Titulo cùm Clericos, tùm Presbyteros eſſe voluit. Poſt Hygini tempora in Presbyterorum Romanorum Titulis nullam mutationem factam, Panuinius indicat, vſque ad Dionyſii Papæ Pontificatum. Nam, *inquit*, ſub Annum Chriſti 260. cùm jam Religio Chriſtiana mirū in modum in vrbe creuiſſet, denuò Titulos, vel Parœcias in vrbe Roma, cùm eas ampliâſſet, Presbyt. diuiſit, ipſaſque quiſque ſuis finibus, limitibuſque conſtitutis, Presbyterum quoque Eccleſiæ Romanæ curæ, Cœmeteria adjunxit: quæ cùm plura eſſent, ea inter Presbyteros diſtribuit gubernanda, vt Martyrum Sepulturis conſultum eſſet. Verùm non longè poſt circa annum Chriſti 305. Marcellus Romanus Epiſcopus titulos urbis Romæ, ab Euariſto antiquitùs, & primò Presbyteris datos, numero limitauit, decreto ſtatuens, 15. in vrbe Roma quaſi Diœceſes eſſe ad Baptiſmatis commoditatem, eorumque opportunitatem, qui ad fidem ex gentibus quotidiè veniebant, quin vt & Martyrum Sepulchris conſuleretur, *vt etiam aucta eſt ex Damaſo Bibliothecarius.* Titulos autem Romanos, ſiue Parœcias, ceſſantibus perſecutionibus, adauxêre, Presbyteroſque plures in ſingulis conſtituêre: Syluester, qui Titulum Equitii: Marcus, qui Titulum S. Marci: Iulius qui Titulum S. Mariæ Tranſtyberim: Damaſus, qui Titulum S. Laurentii: Innocentius, qui Titulum Veſtinæ fecerunt, & reliqui Pontifices Romani. Cùm enim primò infinita Gentilium multitudo, mox vrbs, & Italia omnis fidem Chriſti ſuſcepiſſet, non ſufficientibus 15. Titulis, nec his, qui in eis reſidebant, Presbyteris, tùm ad neceſſitatem, tùm ad vrbis, & Romanę Eccleſiæ Ornamentum, & Majeſtatem, & Titulorum & Presbyterorum in vnoquoque numerus auctus eſt: factique ſunt Tituli 28. quem numerum nunquam exceſſiſſe vſque ad noſtra tempora ſatis conſtat. Qui omnes, cùm Eccleſiæ eſſent, vel Templa diuis dicata, nomen ſortiti ſunt, vel à Sanctis quibus dedicati erant, vt S. Chryſogoni, S. Ciciliæ, S. Anaſtaſię, S. Marci, & ſimilium: vel ab eis hominibus, qui ipſos erexerunt, vt Calixti, Damaſi, Equitii, Paſtoris, Veſtinæ, Eudoxiæ, Lucinæ, Tigridæ, Pammachii, & ſimilium: Porrò autem 28. Titulorum numerum circa Innocentii I. vel Zoſimi Papæ tempora expletum fuiſſe, multis conjecturis & rationibus ductus crediderim: Neque enim facilè poſt Zoſimum

Papam

Papam inveniri potest, aliquem Romanum pontificum Titulum quendam nouum addidisse, sed eos, vel mutâsse, vel restituisse, aut tantùm exornâsse.

Paræcia siue Parochia. Paroecia *siue* Parochia, *idem est, quod Titulus, scilicet sacra Ædes vbi animarum cura à Presbyteris ageretur: qui Parochi dicti sunt, id est, curati. Paræcia autem dicitur accolatus, siue accolarum conuentus, sacraque vicinia: nam* παρὰ *iuxta,* οἶκος *domus, vbi scilicet sunt domus contigua: Augustinus lib.* 14. *de Ciuitate Dei,* Presbyter fuit quidam nomine restitutus in paroecia Calamensis Ecclesiæ. *Et* Paroeci *sunt accolæ. Quare qui sacram Ædem aliquam accolunt, Paræci dicti sunt, eiusdem scilicet fani consortes: Latinè* Curia, *&* Curiales *&* Curiones *dici possent. Qui parochiam vocant eam vocem à Parocho deducunt,* ἀπὸ τοῦ παρέχειν *hoc est, à prabendo. Erant enim Parochi, qui legatis Romam publicè venientibus, cæterisque alicuius dignitatis hospitibus salem & ligna præparabant, vt exponit Acron super illud Horatij* 1.*Serm. Satyra* 5. Tum Parochi, qui debent ligna salemque. *Hi Latino vocabulo* Copiarij *dicti sunt, vt auctor est Porphyrius quòd omnium rerum necessariam copiam regum populorumque legatis suppeditabant. Nam quamuis Horatius, loco iam citato, salis tantùm & lignorum meminerit, tamen, vt ibidem animaduertit Acron, sub illarum specierum appellatione, omnia hospitibus necessaria, voluit intelligi: A Parocho* Parochia *dicitur, quibus singulis Sacerdotes sui destinati sunt. Panuin. ibid.*

Diaconiæ Romæ quid. Diaconiæ à Diaconis *dicta sunt. Erant hæ publicæ pauperum hospitales domus, quæ Oratoria & Sacella adiuncta habebant, in quibus à patre Diaconiæ, siue Diacono egenis necessaria administrabantur. Nam Diaconi inopia laborantium, viduarum & pupillorum ministri erant, hisque domibus hospitalibus præerant: Antiquitùs in Roman. Ecclesia per singulas vrbis Regiones Diaconi distincti erant, Diaconique regionarii vel talis & talis Regionis appellabantur: Panuinius vt supra.*

Diaconias Romæ quis iuxta Pontificios instituerit. *Instituti huius authorem faciunt Fabianum, qui Episcopatum Romanum tenuit circa annum Domini* 244. *de quo referunt,* quòd septem in vrbe Diaconos per septem Regiones constituerit, vt omnibus horis sacris Ministeriis inuigilarent. Septem item Hypodiaconos, qui notariis septem perpetuò adessent. *Platina. Caranza. Idem quoque instituit Gaius circa annum Domini* 285. *Platina Vincent. in Spec. hist. libro duodecimo capite* 36.

Post eorum præcipue vsu exolescente, & hospitalibus domibus ipsorum negligentiâ dirutis ipsorum Sacella, vel Ædiculæ superfuerunt, quæ Diaconiæ *nomen retinuerunt, à quibus* Diaconi Cardinales *vrbis Romæ postea denominationem habuerunt: sic, Diaconus Cardinalis S.S. Cosmæ & Damiani, vel S. Theodori.*

Panuinij error. *Hæc quidem omnia Panuinius ex Epistolis Decretalibus, Platina & aliis suspectis authoribus de Titulis, Paræciis & Diaconiis ab Euaristo,* Hygino, *Fabiano & aliis Romæ institutis, refert, eam solùm ob causam vt Cardinalium Originem antiquissimam esse demonstret. Diligens autem temporum illorum consideratio facilè illum falsitatis arguet. Etsi enim Traianus Imper. sub quo Euaristus Episcopatum Romanum tenuit, ciuiliter bonus ac laudatus Princeps fuerit, & ob iustitiam humanitatemque admodum clarus, tamen quod ad Christi Ecclesiam attinet, talem se præstitit, vt tertius inter acerrimos hostes Christi & cruentissimos persecutores Ecclesiæ Dei à Nerone atque Domitiano connumeretur. Secundo enim imperii sui anno horribilem mouit persecutionem, quæ non modò per Europam, sed etiam Asiæ & Africæ maximam partem sese extendit. Imperatore autem bellum in Oriente gerente, decretum contra Christianos Senatus Rom. fecerat, quasi essent hostes Deorum immortalium, Reipubl. & Religionis Romanæ. Eandem sæuitiam ac tyrannidem sub Antonini Pij regni initium experti sunt Christiani, quando Hyginus Romanus Episcopus fuit.*

Cùm igitur tam immani crudelitate sub his Imperatoribus in Christianos sæuitum sit, nullo modo adduci possum, vt credam, licuisse tum Euaristo & Hygino per vrbem Romam, veluti suam, Titulos, *Paræcias & Diaconias, hoc est, Templa, sacras Ædes, Ecclesias & Hospitales domos exstruere, Presbyteris assignare, & nescio quæ alia munera distribuere. Longè vero similius videtur, Romæ doctores aliósque fideles potius doctrinæ & orationi incubuisse, in eo, quod datum fuerit, tuguriolo, ac paratos pro Christo ceruicem præbere, quàm vt iurisdictionem aliquam seu dominium sibi vendicare vel in animum induxerint: Absque dubio enim Romani Imperatores Christianæ Religioni minus Romæ, quæ ipsorum sedes fuit, quàm alibi vspiam, locum aliquem dare voluerunt: tantum abest vt paterentur Christianos eam inter sese tanquam suam partiri ac distribuere.*

Accedit eodem, quod pius Papa circa annos Christi 145. *mentionem quidem facit in priore sua decretali Epistola Tituli, quem Euprepiæ pauperibus assignârit: sed quod ibidem addit, se in hoc Tituli Missas celebrare, certissimo argumento est, hanc & alias epistolas decretales primorum Episcoporum Roman. supposititias esse, quum eo tempore Missæ nomen incognitum fuerit, vt ostendimus part.* 1. *Historiæ Sacram. pag.* 177.

Neque tamen negauerim Titulos, Paræcias & Diaconias Romæ fuisse, aut etiamnùm esse, sed eas à primis illis Romanis Episcopis in

sæuissimis tyrannorum persecutionibus institutas, illud verò pernego.

Templorum apud Ethnicos nomina.

Ethnici quoque loca in quibus ad sacra sua tractanda conuenerunt, non modò Basilicas, Templa, Ædes sacras & similibus nominibus, vt Christiani, sed præterea etiam FANA appellârunt, quòd (vt inquit Varro) Pontifices in Sacrando fati sint. Hinc profanum est, quod ante Fanum, id est, coniunctum Fano: Hinc etiam profanatum, quòd in Sacrario pollutum. Liuius libro decimo, Dec. 1. In quo ea pugna (inquit) Iouis Statoris Ædem votam, vt Romulus antè vouerat: sed Fanum tantum, id est, locus Templo effatus, jam sacratus fuerat. Et Festus à fando Fana deducit, quòd Pontifex in dedicatione Templi certa verba præfari solebat. Vel à Fauno dicuntur, qui (authore Probo Grammatico) primus Fana condidit, & Oraculi author fuit. Martianus tamen Capella à Fatuis, quæ & Fantuæ & Fanæ dicuntur Latinorum Diis syluestribus, Fana dicta putat, qui in dormientibus responsa dare solebant. Hinc Fanatici, quos Græci ἐνθέυς aut θεοφορυμένυς vocant, quòd non sua sponte, sed diuino numine ferri credantur, dicti sunt idcirco, quòd in Fanis, h. e. in Templis Sacerdotes Oraculum edituri huiusmodi furore corripiebantur, vt eleganter depingit Vergilius ab initio libri sexti Æneidos vbi de Sibylla ita canit:

Ventum erat ad limen, cùm virgo, poscere Fata
Tempus, ait, Deus ecce Deus. Cui talia Fanti,
Ante fores subitò, non vultus, non color vnus,
Non comptæ mansere comæ, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando Iam propiore Dei.

Idem etiam videre licet apud Lucanum Pharsalic. lib. 5. & Liuium. lib. 8. de bello Maced. Sunt tamen qui hoc nomen non per F. sed ph. scribant, ἀπὸ τῦ φανερῦ, quod significat manifestum, quòd è phano aperta darentur responsa.

Delubra.

Quin & DELVBRA etiam aliquandò Ethnici sua Templa vocârunt. Vergilius, Nos delubra Deûm, miseri quibus vltimus esset Illa dies, festa velamus fronde per vrbem. Scribit Varro libro 8. Diuinarum, Delubrum alios existimare, in quo præter Ædem sit Area assumpta Deûm causa, vt fuit in Circo Flaminco Iouis Statoris: alios, in quo loco Dei Simulachrum sit positum & dedicatum: vbi etiam adjecit, sicut locum in quo figerent Candelam, Candelabrum appellatum: ita in quo Deum ponerent nominatum Delubrum. Hæc ex Varrone Macrobius Saturnal. libro 3. capite 4. Seruius tamen, à diluendo Delubrum dictum putat, libro 2. Æneid. vbi ait: Delubrum dicitur, quod vno tecto plura amplectitur numina, quia vno tecto diluitur: vt est Capitolium, in quo est Iupiter, Iuno, Minerua. Alij dicunt Delubrum esse locum ante Aras seu Templum, vbi aqua currit à diluendo: apud Gentes enim, sicut etiam apud Christianos, ante Sacrificia manus Sacrificuli abluebant.

Sacrarium.

Dicta sunt etiam Templa apud Ethnicos SACRARIA. Vergilius, Et diri Sacraria Ditis. & Suetonius de Augusto inquit: Natus est ad capita bubula, vbi nunc Sacrarium habet, aliquanto post quàm excessit constitutum. Seruius tamen ait, Sacrarium propriè locum esse in Templo, in quo Sacra reponantur: sicut Donarium, in quo oblata ponuntur. Vnde à Cicerone etiam pro Milone Sacrarium Bonæ Deæ nominatur. Et Seneca lib. 5. Quæst. ait. Arcana illa rerum naturę sacra non promiscuè & omnibus patent: reducta & in interiori sunt clausa Sacrario. Vsurpatum tamen est etiam aliquoties à Cicerone pro Larario in priuatis ædibus. In Verrem, Erat apud Heium Sacrarium cum magna dignitate in ædibus. In Catilinam, Aquilla illa argentea, cui Catilina Sacrarium scelerum domi tuæ fecerat. Rursus ibid. Cui domi tuæ sacrarium scelerum tuorum constitutum fuerat. Et ad Memmium libro. 13. Epist. C. Auiano Euandro qui habitat in tuo Sacrario.

Sacellum

Vocantur & Sacella forma diminutiua, vt notum est. Verg. Faciles nymphæ risêre Sacello.

Tesca.

Tesca etiam apud gentiles fuere loca quædam agrestia alicuius Dei. Actius: Lemnia quis es mortalis, qui in deserta & Tesca te apportes loca: Sic dicta, quòd Mysteria ibi fiant, aut tuentur: vnde prius Tuesca, post Tesca, facta, vt Varro ait. Tesqua nunc ferme dicuntur. Tesqua tamen Festus ait, loca esse augurio designata. Cicero aspera ait esse & difficilia, vt indicat Gyraldus de Diis gentium Syntag. 17.

Bidental.

Et Bidental vocârunt Ethnici, quoddam Templum, quòd in eo bidentibus hostiis sacrificaretur, Festo authore. Meminit Horatius de arte poetica, Minxerit in patrios cineres, an triste Bidental Mouerit incestus.

Et Persius, Euitandumque Bidental.

Ita verò constitutum Bidental traditur. Locum fulmine tactum acri studio procurabant gentiles, Sacerdotemque adhibebant, & fulminis festigia seu reliquias dispersas colligebant: Sacrisque ibi peracta Ara construebatur, in qua de bidente rem diuinam faciebant, & locus Bidental vocabatur, quod violâsse piaculum fuit,

refe-

referente Gyraldo Syntag.17. de Diis gentium.

Ἱερὸν. Νεώς. Ναός.

Græci Templum ἱερὸν *&* Νεὼν *appellârunt, sed &* Ναὸν *: de quo Clinias ait*, quòd aliquando ἔνναιον diceretur, διὰ τὸ ἐνναίειν ἐν αὐτοῖς τοὺς θεούς *: hoc est*, quòd in ipso Dij habitârint. *ibid.*

Σηκὸς. Τέμενος.

Notat & Pollux Templum à Græcis dici Σηκὸς *&* Τέμενος, *aliisque nominibus.*

Lararia.

Habuerunt gentes & Lararia, *hoc est, Ædiculas, in quibus Lares & Dii priuatim colerentur, quorum mentio fit ab Helio Lampridio in Alexandro. Lararium tamen non videtur satis antiquum: in ædium enim descriptione à Vitruuio non reponitur. Fuère inter literatos, qui existimârunt salutatoria cubicula appellari à Plinio Lararia: atque dua habuisse veteres Lararia, in quorum altero Deos immortales, diis immortalibus progenitos: in altero diuos, qui ex hominibus in Deorum numerum relati fuissent, venerarentur: quos vtrosque Deos, prout ferebat occasio, in his Larariis & salutabant, & floribus thuréque, & cætero thymiamate, interdum quoque Victimis, aliisque rebus sibi suisque propitios faciebant.*

CAPVT. IX.

In cuius honorem TEMPLA *Ecclesiæ Primitiuæ* fuerint erecta & dedicata, & in quem non dissimulandum abusum postmodum ea res abierit, ac MARTYRIIS occasionem dederit.

Templa in primitiua Ecclesia in honorem Dei erecta.

CVm veteres illi qui mox post Apostolorum tempora vixerunt, loca illa, in qua conuenerunt ad audiendum verbum Dei, ad orandum, & ad Sacramenta percipienda, vulgo nominârint Dominica, *quasi* Domini domum, *facile inde apparet cui eiusmodi loca erecta seu condita & dedicata consecrataque fuerint, nimirum nulli sancto mortuo, sed* CHRISTO *filio Dei* DOMINO *& Seruatori nostro.*

Neque etiam inuenies in probatis historiis primis illis trecentis post natum Christum annis loca illa publicorum conuentuum Sancti alicuius nomine appellata esse: quæ res quoque argumento poterit, quòd neque in eorum honorem vlla eiusmodi loca exstructa & condita fuerint. Simeon quidem Metaphrastes in vita Gregorii Martyris Armeniæ apud Laurent. Surium tom. 5. de Vitis Sanctorum, nugatur, sed sine omni authore, vt & multa alia ibidem, sub Teridate rege Armeniæ circa Constantini M. tempora, Deo eiusque Martyribus Templa sacra exædificata fuisse. Et quòd sub Maximiano Imperat. Episcopi 15. ciuitatem Rosaphorum ingressi, insigne Templum Sergio & Baccha Martyribus exstruxerint, ibidem. De Adriano autem Imperatore referunt, cùm Christum inter Deos recipere voluisset, quòd hinc inde in vrbibus Templa exstrui iusserit, quæ Christo Domino dicârit. Auentinus libro secundo, Annal. fol. 153.

Constantinus M. Deo non Sanctis Templa exstruxit.

Ipse quoque Constantinus primus Imperator Christianus plurima eáque elegantissima Templa exstruxit, aliisque id facere permisit, sed DEO, *non* SANCTIS, *vt Sozomenus testatur libro secunda capite tertio. Ita Hierosalymis in loco Caluariæ, vbi Sepulchrum Christi fuerat, magnificum illud Templum, quod* Saluatori *dedicauit, regiis impensis plurimis Constantinus ædificauit. Athanas. Apolog. 2. & Euseb. libro tertio de vita Constantini. Appellatur quidem hoc Templum ab Eusebio libro quarto, de vita Constantini,* Martyrium, *& à Sozomeno libro 2. capite 26.* Martyrium magnum, *non sanè eam ob causam, quòd in honorem Sanctorum Martyrum ædificatum esset, sed quòd ea in loca fuisset exstructum, vbi Christus Dominus passus fuisset, eique dedicatum, qui fidelis & verus Martyr est; sic enim Eusebius eum appellat libro quinto capite secundo.*

Templũ Hierosolymis in loco Sepulchri Christi à Constãtino ædificatum; cur Martyrium appelletur.

Ædificauit idem Imperator in eadem vrbe Templum Theophaniæ Seruatoris; *aliud item in memoriam* Assumptionis *eiusdem in Cœlas. Eusebius lib. 3. de vita Constantini. Et Socrates tradit, in histor. Ecclesiast. lib. 1. capite 16. eundem in vrbe regia Constantinopoli duas primùm Ecclesias amplas & planè regias ædificâsse, quarum alteram appellârit* Irenen, *à pace, quam annunciat Euangelium: alteram verò* Apostolorum, *ob memoriam, adeóque ob doctrinam Apostolorum, quæ ibi tradebatur: easque Christo filio Dei consecrâsse. Antiochiæ etiam Amplissimum & pulcherrimum Templum, Constantinum ædificâsse & Deo dicâsse. Eusebius tradit lib. 3. in vita eius cap. 49. Idque Veteres* DOMINICVM AVREVM *appellârunt, tum quod auro & argento decoratum esset; tum quòd in honorem Domini Iesu Christi exstructum ab eo fuisset. Romæ quoque magnificum illud Palatium* Lateranense *ingentibus sumptibus ædificauit, & Christo sacrauit, vt Nicephorus testatur lib. 7. cap. 49. Exstruxit idem plures Ecclesias hinc inde per omnes vrbes & prouincias, id quod Theodoretus lib 1. histor. pluribus indicat, verùm omnes Christo Domino non Sanctis eius statuit. Vnde Eusebius lib. quarto de vita Constantini cùm Apostolorum Templi mentionem fecisset, hæc addit:* Omnia hęc consecrauit Imperator; vt memoriam Apostolorum Seruatoris passim apud omnes perennem redderet. *Idem Eusebius in Oratione de laudibus Constantini M. Mundum, inquit, vniuersum sacrosanctis Templis, augustisque Ecclesiarum ædificiis adornandum in singulis vrbibus, pagis, regionibusque omnibus, atque adeò in desertis barbarorum locis, ædes sacras & Templa* VNI *omnium* DEO, *atque vniuersarum re-*

rum DOMINO *dedicanda consecrandáque curauit. Vnde etiam Templa quæ ei consecrata erant, Domini nomen obtinuerunt: quod nomen non ex hominibus, sed ex ipso omnium* DOMINO *impositum fuit. & propterea* DOMINICA *appellata sunt. Cúmque Helena Constantini mater duo pulcherrima Templa ædificâsset, alterum in memoriam* partûs Virginis Mariæ, *alterum verò in memoriam* Ascensionis Christi, *ne quis putaret prius in honorem B. Mariæ exstructum, Eusebius clarè dicit in hunc modum de Helena*: Deo, quem adorauit, duo Templa consecrauit. *Et mox:* Duo hæc sempiterna memoria digna veneranda ac pulcherrima Sacraria in duobus mysticis antris Helena Augusti pij Imperatoris pia mater Deo Seruatori suo piæ mentis indicia fundavit. *libro 3. de vita Constantini. Nicephorus quidem libro 8. cap. 26. indicat Constantinum M. Constantinopolim vrbem* τῇ θεοτόκῳ *hoc est, Dei genitrici, scilicet Mariæ Virgini dedicâsse. Vnde quidem Dedicationes Templorum in honorem Diuorum probare, & eius Idololatriæ originem eò referre volunt. Cæterùm obseruatu dignissimum est, quod interpres Nicephori Ioannes Langus, & ipse Pontificius ac Regius Consiliarius, ad eum locum annotat,* Θεοτόκος, *inquit*, Græcis Dei Genetrix dicitur, quod nomen in solam Dei Matrem Mariam cadit: θεότοκος autem accentu mutato, Deo genitus, qui vnus est Dominus noster Iesus Christus. Huic vrbem Constantinopolitanam recens exstructam Constantinus dicauit & commendauit: id quod non solùm Eusebius ante Nicephorum diu attestatur libro 3. de vita Constantini, inquiens, Constantinum vrbem suam Deo consecrâsse: sed ille ipse Nicephorus hoc ipsum disertè fatetur libro 7. capite 49. Vtrunque nomen iisdem compositum literis, sed accentu diuerso prolatum & scriptum in Nominandi casu, Datiuum habet casum θεοτόκῳ: Quapropter hic pro Dei Genetrice, etiam verti posset, Deo nato Christo, vt locus hic cum superiore concordet. Sed librarius in Græco exemplari τῇ θεοτόκῳ scripsit, cùm fortasse τῷ θεοτόκῳ scribere debuerit: Potest etiam esse authoris memoriæ lapsus.

Nicephori error.

Eiusdem pretij est, quod Nicephorus libro 7. capite 50. nugatur, Constantinum duas Ecclesias Archangelo Michaeli exstruxisse, eo in loco qui Sosthenium appelletur, propterea quòd ibi Michael apparuerit in somnis Constantino illic cubanti, & dixerit: Ego sum Michael Archidux Domini Sebaoth virtutum, Christianorum fidei tutor: qui tibi contra impios Tyrannos belligeranti auxiliaria arma contuli. *Hæc verò cùm Eusebius aliique probati authores, qui Constantini tempore vixerunt, ignorent, ad superstitiones confirmandas à posterioribus excogitata omninò credendum.*

Athanasius quoque in libro de Passione imaginis Domini scribit, Iudæos Berytti conuersos, synagogam maximam CHRISTO Saluatori, per antistitem eius loci, consecrari curâsse: Atque ex eo tempore morem hunc per diuersas orbis terræ nationes & prouincias inoleuisse, vt Basilicas plurimas Christianæ Religionis, Pontifices in honorem Saluatoris mundi condiderint & dedicârint.

Basilius Magnus Epistola 141. ad Cæsarienses: Audiamus autem eum, qui raptus est vsque ad tertium cœlum, quid dicit? Templum Sancti in vobis Spiritus estis. Omne verò Templum, Dei Templum est. Si autem Templum sumus Spiritus Sancti, Deus est Spiritus Sanctus. Dicitur porrò & Templum Solomonis, verum vt ejus qui construxit. Si verò sic sumus Templum Spiritus Sancti, Deus est Spiritus Sanctus: Deus enim est quia omnia construxit. Si verò velut ejus qui adoratur & habitat in nobis: Confitebimur ipsum esse Deum: Dominum enim Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies. Notandum quod Basilius dicit: Omne Templum est, siue quod Deus ipse fecit, quale Templum Dei est homo fidelis, siue quod homines Deo construxerunt, quale erat Templum Solomonis. Vtrovis modo Spiritus Sanctus Templum habere dicatur, sequetur inde Deum esse.

Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto capit. 13. Eodem sensu ait: DEVS *Templum habet, creatura Templum non habet verum, Spiritus autem habet Templum qui habitat in nobis. Et colligit inde, Spiritum Sanctum esse Deum.*

Innocentius III. Papa Romanus de Myster. Missæ lib. 3. cap. 11. Duæ sunt, inquit, species seruitutis: Vna, quæ debetur soli Deo Creatori, & dicitur λατρεία: *& altera quæ creaturis impenditur, & dicitur* δουλεία *vtramque speciem determinat Dominus, dicens: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Ad latriam pertinent Templa, Altaria, Sacerdotia, Sacrificia, & huiusmodi quæ sunt Soli Deo exhibenda, &c. ne fortè si secus agatur, non Theosebia, sed Idololatria cõmittatur. Hinc enim Deus in lege præcepit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, id est, Soli Deo seruitutem adorationis impendes.*

Durauit hic mos Augustini adhuc ætate, qui floruit circa annum D. 400. Nam in libro contra Maximum Arianorum Episcopum clarè inquit: Nonne si Templum alicui Sancto Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus anathematizaremur à veritate Christi & Ecclesiæ Dei? Quoniam creaturæ exhiberemus eam seruitutem,

Augustini ætate adhuc quoque Templa soli Deo dicata.

tem, quæ vni tantùm debetur Deo. *Obserua quàm constanter neget & perneget, suâ ætate adhuc vlla Templa in honorem vel angeli excellentissimi, nedum alicuius Sancti exstructa esse, eam solùm ob causam, ne Idololatriæ damnarentur, neue eum honorem, qui soli Deo debetur, creaturæ tribuerent. Ergo quotquot hodiè hoc faciunt, damnandi, imò ab Ecclesia Dei anathematizandi sunt. Et libro 3. contra Cresconium capit. 56. ait*, DEO Omnipotenti parietes suo tempore consecratos esse. *Rursus libro 8. de Ciuit. Dei capit. 27. manifestissimè inquit:* Nec tamen nos Martyribus Templa, Sacerdotia sacra & Sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum tanquam Sanctorum hominum Dei qui vsque ad mortem suorum corporum pro veritate certârunt, vt innotesceret vera Religio, falsis Religionibus victis atque convictis. *Quibus verbis Augustinus clarissimè Sacrificia, atque ideò & Aras & Templa Diuis non communicat. Et in Psalmum 94:* Templa (*inquit*) Sacrificia, instituti Sacerdotes, hæc omnia non nisi VNI MAGNO DEO debentur. *Ex quibus haud obscurè colligi posse arbitror, quicunque hominibus quamtunvis sanctissimis, Templa erigant & construant, Deos illos facere. Prohibet autem disertè Dominus in lege sua*, Ne habeamus Deos alienos: *prohibet igitur simul etiam, ne hominibus vllis Templa erigamus. Vnde etiam in Epistola 49. ad Deogratias, Templa per se non damnat, sed vult vt in vnius Dei honorem ædificentur, illique vni & soli seruiant.*

Idem Pater in eandem sententiam lib. 22. cap. 10. de Ciuitate Dei ait, Gentes Dijs suis & Templa ædificauerunt, & statuerunt Aras, & Sacerdotes instituerunt, & Sacrificia fecerunt. Nos autem Martyribus nostris non Templa, sicut Dijs, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus. *Eadem refert in libro de vera religione, capite vltimo, vbi sic scribit*: Nec angelis Templa construimus. Nolunt enim sic honorari à nobis, quia nos ipsos, cum boni sumus, Templa summi Dei esse noverunt. *Cùm ergò supra dixerit Augustinus, fideles suâ ætate Sanctis nulla Templa adificare, jam verò affirmet ipsos Martyribus Memorias & Martyria fabricare, colligitur inde, Memorias seu Martyria non Templa vel Sacella, sed Sepulchra vel Monumenta Martyrum ab initio fuisse tantùm. Quòd si ergo verum maximè est quod Platina scribit*, Fabianum primum in Cœmeteriis pro dignitate Martyrium ædificâsse, *id tamen non de Templo aliquo in honorem Sanctorum quorundam exstructo intelligendum puto, id enim ea tempora non permiserunt Christianis, sed de Memorijs seu Monumentis Martyrum, quæ ille splendidius, quàm hactenus factum fuerat, exornauit.*

Martyria quid à vocibus Martyrium Fabiani quid fuerit.

Et lib. 1. de Symb. ad Catechumenos capit. 5. Templum habet Deus: Nam & Solomon Rex & Propheta jussus est ædificare Templum Deo: si ædificaret Templum Soli, aut Lunæ, aut Stellæ, alicui, aut alicui Angelo, nónne damnaret illum Deus? qui ergo Templum ædificauit Deo, ostendit se colere Deum.

Prosper quoque Aquitanicus testatur, propè Carthaginem convenisse magnam Sacerdotum multitudinem in festo Paschatis, ad consecrandum Templum Deo cœlesti. *Parte 3. de promissione & prædestinatione Dei promiss. 28.*

Etsi igitur iam tum Augusti ætate & aliquandiu ante eam, variæ denominationes Templorum fuerint, veluti quòd Alexandriæ Templa fuerunt, dicta Dionisij *&* Theonæ, *Euseb. libro tertio, capite sexto, & libro quarto, capite nono: Constantinopoli magnificum illud & celebre Oratorium* Anastasiæ. *de quo Socrates libro quinto, capite septimo: Alia item ibidem Apostolorum,* Pauli, Pacis, Sophiæ: *Hierosolymis quoque* Stephani *Templum, exstructum eo in loco, vbi Stephanus lapidibus oppressus dicitur: Ephesi item Templum* Ioannis Evangelistæ *nomen referens, & Chalcedoni* Euphemiæ *Martyris,* &c. *ex Augustino tamen colligitur, non idcircò in honorem Sanctorum illorum Templa hæc fuisse vel exstructa, vel consecrata: quorum nominibus appellata sunt: sed differentiæ solùm gratiâ, vel à Personis in Ecclesia illustribus, vel ab Historia & euentu aliquo memorabili denominationes eiusmodi sumptas esse: quod Sozomenus de Anastasia Templo clarè testatur libro septimo, capite quinto, vbi inquit:* Nominârunt Ecclesiam eam Anastasiam, ob eam causam, sicuti opinor, quòd prolapsum ac velut per potentiam heterodoxorum enecatum Nicæni Concilij dogma, tum ibi Constantinopoli resurrexerat, & per doctrinam Gregorij revixerat. Vel, sicut quosdam audiui; qui se vera dicere affirmabant, propterea, quòd dum plebs esset in ea Ecclesia, mulier quædam prægnans è sublimi porticu delapsa ac mortuo, factis super illa communibus precibus revixerat, & vnà cum infante, quem gestabat, seruata fuerat: Miraculi hujus diuinitùs editi causâ hanc appellationem sortitus est ille locus.

Templa Sanctorū nominibus appellata, sed non in honorem eorum ædificanda.

Sic multi quoque non superstitione aliqua, sed bona animi intentione, vt Religionem Christianam propagarent, magnam curam & diligentiam adhibuerant, vt Gentes superstitioni & idololatriæ deditas, ad verum Christi cultum sensim traducerent, eas aliquando vel solâ nominis Templorum Ethnicorum similitudine allicere conati sunt. Vnde Herculis ædem Romæ D. A-

lexio deduxârunt, quoniam Hercules ex eo, quòd defensor hominum habebatur, ut ais Varro, vel quòd mala arceret, ἀλεξίκακος dictus est. Ita Pantheon Omnibus Sanctis consecrârunt: Carmenta fanum D. Catharina: Romuli & Remi fratrum pariter duobus fratribus Cosma & Damiano. Romuli praterea, cuius origo incerto ferebatur, veluti à Dea missi, D. Theodoro, quod Dei donum significat.

Ratio ob quam Templa soli Deo erigenda & dedicanda.

Ratio huius Catholica doctrina sumitur à fine, nempe à Cultu, ejusque partibus, cuius Cultus causâ Templa instituta sunt. In nullorum autem hominum & creaturarum, sed Dei Opt. Max. Cultum Templa exstrui iussa sunt. Non hominum certè, sed Dei verbum in Templis pradicatur, & pradicari debet. Non qua ab hominibus, sed qua à Christo instituta sunt Sacramenta in ijsdem administrari & percipi debent. Nemo hominum aut Angelorum: sed solus Deus, & Christus Deus & homo, Mediatorque inter Deum & homines in Templis inuocandus est. Soli Deo & Christo in Templis offerenda sunt Sacrificia Ecclesia etiam qua in Templis conuenit, Christi, veri Dei & hominis corpus est. Si ergo illi consecranda sunt Templa, cuius etiam Cultus in ijs exercendus est manifestissimè colligitur, nemini esse consecranda, quàm soli Deo & Christo.

Martyria quando cœperint.

Caterùm paulò ante Iustiniani Imperatoris atatem quidam cœperunt Martyria, *hoc est, Diuis exstruere Templa, cùm ob antiquo, ut paucula Ecclesia, ita non multi quoque Ecclesiarum Ministri fuerint: id quod tam ex Iustiniani Imperatoris, quàm ex Ruffini historici patet testimonijs: Ille enim ad Epiphanium Constantinopolitanum vrbis Episcopum, in Nouellis Constitut.* 3. Et sanè, *inquit*, reuerendiss. Clericorum Sacrosanctæ majoris Ecclesiæ regiæ vrbis nostræ mensura certis finibus descripta & in arctum admodum contracta erat, quo tempore sola adhuc erat Sacrosancta major Ecclesia. Postquam verò & veneranda Domus sanctæ & gloriosæ Virginis Deique Genetricis Mariæ in vicinia Sacrosanctæ majoris Ecclesiæ regiæ vrbis nostræ mensura certis finibus descripta & in arctum admodum contracta erat, quo tempore sola adhuc erat Sacrosancta major Ecclesia. Postquam verò & veneranda Domus sanctæ & gloriosæ Virginis Deiq; Genetricis Mariæ in vicinia Sacrosáctæ majoris Ecclesiæ posita ab ipsa piæ memoriæ Verina cœpit extrui, item religiosa Domus S. Martyris Theodori à Sphratio gloriosæ memoriæ consecrata, & veneranda Domus S. Irenes Sacrosanctæ majori Ecclesiæ copulata fuit, redigere plane numerum ad veterem formam impossibile est. *Regnauit hic Iustinianus circa annum D. 500. Ruffinus verò Ecclesiastica hist. lib. 2. cap. 27. & 28. Sozomenus quoque lib. 7. cap. 24. videntur originem horum Martyriorum, hoc est, Templorum in Martyrum honorem exstructorum, ad atatem Theodosij M. recycere Vide loco.*

Si verò statum seu conditionem eorum temporum diligenter consideremus, mirum non erit huiusmodi Cultus idololatricos ac tetras superstitiones circa Iustiniani atatem cœpisse. Nulli erant amplius excellentes Doctores, quales florentissima illa tempora sub Constantinis, Iouiniano, Valentinianis, Gratiano, Theodosijs, Honorijs, Arcadio & Martiano habuerunt. Non potuit igitur non negligi, obscurari & adulterari vera & salutaris verbi Dei doctrina. Ex quo fonte horribiles & perniciosa in Ecclesia tenebra exorta sunt: in primis autem venerationes immodica, imò prorsus idololatrica Sanctorum mortuorum passim in Ecclesijs veluti diluuio quodam inundarunt.

Clodoueus per Gallias Sanctis multa Templa erexit.

Circa ejusdem Iustiniani tempora cùm Galliarum Rex Clodoueus per conjugem suam Regis Burgundia filiam ad fidem Christianam conuersus esset, & à S. Remigio Episcopo baptizatus, per vniuersum regnum suum, quod erat maximum, plurima capit sanctis Templa primò adificare, inter qua primarium ferè fuit Argentinense, *quod Virgini Maria exstruxit & consecrauit. Referunt hac M. Dresserus in libello de Festis: Schopperus in Chronico Germania: & Sebast. Frank.*

Vnde apparet Regis huius animo inhasisse etiam post conuersionem, Reliquias aliquas, ut fieri solet, Gentilismi: quemadmodum enim Ethnici plurima Fana exstruxerunt, eaque varijs Dijs dicârunt, ita quoque Christiani postea suis Sanctis Templa adificârunt, ipsisque dicârunt & consecrârunt.

Templa Sanctis multa sub Dagoberto quoque in Gallijs adificata.

Tandem verò regnante Dagoberto Magno, circa annos Christi 630. plurima alia Templa passim & Cœnobia, juxta superiorum temporum consuetudinem, Sanctis exstructa & consecrata sunt: M. Dresserus & Schopperus. Ita etiam Notgerus Leodiensis Episcopus in vita Remacli Episcopi apud Surium tomo 5. de vitis Sanctorum: Clotarij, *inquit*, & Dagoberti temporibus vsque adeò Christianismus excreuit, vt penè nulla hodiè aut rara intra limites regni ipsorum Ecclesia inveniatur, quæ non alicujus ejus tempestatis sancti patrocinijs illustretur. *Ioannes Tilius etiam in suo Chronico de Regibus Francorum sic scribit ad annum 639.* Dagobertus ædem D. Dionysij à fundamentis erexit, ex alijs vndiquaque corradens, easque spolians, quò hanc vnam ditaret: nec quisquam ante eum invenitur, qui patrimonij redditus annuos Templis, tam magnificè profuseque donârit, *&c.*

Balaus Centuria 1. *de Script. Briton. testatur*, Britannos ante Christi 600. Ecclesias

suas

Templa quando in Britannia Sanctis primùm exstructa

suas Patri Deo, atque ejus filio Christo Servatori dedicatas habuisse: sed deinceps Statuis ac mortuis Sanctis sua Templa consecrâsse. *Eo enim tempore Antechristus, qui post Constantini magni tempora quasi in alvum Ecclesiæ receptus fuit, quique Gregorio magno sedem Rom. tenente, vitam & incrementa accepit, & quasi ad tempus partûs deductus est, Phoca Imper. ope & auxilio in lucem editus & regnum suum auspicatus fuit, ideoque etiam juxta Prophetarum & Apostolorum Oracula, vera doctrinæ lux exstincta est. studium interruptam veritatem tradendi refrixit, & Cultuum humanorum amor immodicè crevit.*

*Solebant autem Templis, contra primitivæ Ecclesiæ morem, eorum nomina, in quorum honorem exstructa fuerant, imponere, vel Sal*uatoris*: vel* Angelorum : *vel* Sanctorum, Apostolorum; *vel* Martyrum *quoque. Hinc sunt Michaëlis, Raphoëlis, Mariæ, Petri, Pauli, Ioannis, Stephani, Dionysij & aliorum cognomina. Perinde vt antiquiores Saxones nemora & sylvas Deorum suorum nominibus appellârunt, vt Mutius testatur lib. 12. Arnobius etiam lib. 6. contra Gentes indicat, Ethnicos dicere fuisse solitos ad eundem planè modum,* Templum hoc est Iunonis, hoc Veneris: Apollo hîc habitat, in hoc manet Hercules, in illo Summanus, *&c.*

Templis Christiani in plurimorum Sanctorum, Ethnici in vnius tantùm honorem ædificârunt.

In eo solùm discrimen aliquod fuit, quòd Christiani vnum idemque Templum pluribus persæpè Sanctis, Ethnici verò vni tantùm alicui Deo plerunque dedicârunt, ejusque nomine appellârunt. Vnde M. Marcellus dedicaturus, Ædem, quam Honori & Virtuti bello Gallico vouerat, Pontificum jussu id facere prohibitus fuit, negantium vnum Templum duobus Numinibus rectè dedicari : quia si prodigium aliquod incidisset, haud sciri posset, vtri numinum rem divinam fieri oporteret : neque duobus, nisi certis Dijs (vt Polluci & Castori, Apollini & Dianæ, Veneri & Adoni, Cybele & Ati, quæ numina societatem quandam inter se habere putabant) vna hostia mactaretur: Et Marcellus quidem Pontificum authoritate motus, alteram priori Ædi adjecit, hancque Virtuti, illam Honori dedicauit, *vt referunt Livius libr. 7. de bello Punico. Valer. Maximus lib. 1. cap. 10. Sabellicus lib. 4. Enne. 5.*

Hæc res igitur in Christi Ecclesia cœpit, vt diximus, circa annum demùm 500. à noto in carne Christo, & progressu temporis in fœdum ac non dissimulandum abusum abijt, cùm nullum Templum, imò nullum quantumuis exiguum Sacellum reperiatur hodiè, quod non in honorem alicujus Sancti, vel opinione saltem talis, exstructum & dedicatum sit.

Tanta est autem hujus erroris atrocitas, vt non solùm à doctis, sed etiam plebeis hominibus graviter fuit notata. Vetus enim, sed vera est narratio, de rustico quodam, qui quum in Hercynia sylva majorem ætatis suæ partem consumpsisset, venit aliquando in vicinam vrbem, & sciscitatus est à civibus, quisnam esset ipsorum Deus? qui responderant: Deus pater Domini nostri Iesu Christi, quem pater nobis proposuit Salvatorem, Redemptorem & Mediatorem. Rusticus pergit per civitatem & obvios quosque interrogat, cujus hoc est Templum? quis hîc colitur, quem homines illic invocant? Cumque omnes vrbis vicos perreptâsset, semper responsum est de Sanctis, quòd nimirum hoc Templum esset D. Petri, illud Pauli, hoc Michaëlis, &c. Rusticus igitur vrbe egressus, cœpit exclamare: Quàm hoc est mirabile? Pater Domini nostri Iesu Christi, est, Deus hujus civitatis, & tamen in tota civitate ne vnum quidem Templum habet, sed omnia loca sunt occupata patrocinijs, cultibus & invocationibus Sanctorum.

Bellarmini argumenta *pro* exstructione & dedicatione TEMPLORVM *in* honorem SANCTORVM, & eorum refutatio.

C*Ontra hæc verò Bellarminus col. 2198. talem propositionem exstruit,* Sacræ Domus non solùm Deo, sed etiam Sanctis rectè ædificantur & dedicantur: *Probat hoc.*

Primò, ab authoritate trium Conciliorum, quæ basilicarum Martyrum faciant mentionem. *Respondeo, quod ad Gangrensem Synodum attinet, hoc falsum esse. Nam Can. 20. Basilicarum Martyrum nulla prorsus fit mentio, sed tantùm* συνάξεων τῶν μαρτυρων καὶ τῶν μνήμων αὐτῶν, *h. e. congregationum Martyrum & Memoriarum illorum. Sic enim habet Græcus Canon:* εἴ τις αἰτιᾶτο, ὑπερηφάνῳ διαθέσει κεχρημένος, καὶ βδελυσσόμενος τὰς συνάξεις τῶν μαρτύρων, εἰ τὰς ἐν αὐταῖς γινομένας λειτουργίας, καὶ τὰς μνήμας αὐτῶν ἀνάθεμα ἔστω. *Quæ verba sic rectè vertit Gentianus Heruetus.* Si quis arrogantia vtens, & Martyrum congregationes abhorrens, & Sacra quæ in eis celebrantur, & eorum Memorias accuset; sit anathema. *Malè autem Gratianus dist. 30. cap. 9. vnde Iesuita fallaciam suam exstruxit;* Si quis per superbiam, tanquam perfectum se existimans, conuentus, qui per Loca & Basilicas sanctorum Martyrum fiunt, accusauerit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, Memoriasque sanctorum contemnendas esse putaverit, anathema sit. *Quæ autem & quales fuerint illæ congregationes & Memoriæ Martyrum, de quibus verus Canon Græcus loquitur,*

Congregationes & Memoriæ Martyrū quid.

ex

ex veteri historia constat: nempe, non Templa seu Basilica Martyrum, sed tantùm Conventus & congregationes ad Sepulchra Martyrum, in quibus prædicabatur verbum Dei, celebrabatur Cœna Domini, distribuebantur Eleemosinæ, fiebant Preces, & Certamina Martyrū recitabantur, non sine preconio virtutum, quæ in viuentibus eluxerunt. Meminit huius ritus Dionysius in sua Hierarchia lib. 3. & Smyrnenses in sua Epistola, ex qua etiam apertissimè intelligitur, Cultum Sanctorum, quem Iesuita propositione suâ confirmat, ab his Memorijs longissimè abfuisse. Vide librum nostrum de Origine Festorum Christianorum pag. 10. *& seq. Item partem primam hist. Sacramentariæ pag.* 145. *& seq.*

Quod ad Carthaginense 5. *Concilium attinet, non vetat illud, ne Ædes vlli Martyri ædificetur, nisi ibi sit aut corpus,* &c. *vt Iesuita fingit: Sed Can.* 14. *ejus sic habet:* placuit vt Altaria, quæ passim per agros, aut vias, tanquam Memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut Reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest evertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, vt qui rectè sapiunt, nullâ ibi superstitione deuincti teneantur. Et omninò nulla Memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi Corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ sint, vt vbi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissimâ origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum vbique constituuntur Altaria, omnimodè reprobentur. *Vbi Altarium tantùm, quæ hincinde per agros & vias eriguntur, non Ædium sacrarum vel Templorum, vt fingit Iesuita, fit mentio.*

In Cabillonensi Synodo Basilicarum Martyrum nulla fit mentio, vt mentitur Iesuita, sed simpliciter Basilicarum. Et vt maximè earum sic mentio fieret, non multum iuuaret Iesuitam. Concedimus enim eo tempore Templa in memoriam Sanctorum exstructa esse: celebrata est namque Synodus hæc, circa annos Christi 655. *quando omnis generis superstitiones in Christi Ecclesiam irrepere cœperunt: Vnde etiam Episcopi in hac Synodo congregati Vincentis martyris intercessionem implorârunt, vt longæuitatem Clodoueo Regi suo suffragio mererentur.*

Secundò Bellarminus suam propositionem probare conatur. Authoritate patrum, qui Basilicarum de nominibus Martyrum appellatarum mentionem faciant. *Respondeo primò, plerosque Patres, ijs locis, quæ citat Iesuita, Templorum, non Basilicarum mentionem facere. Columna autem* 2201. *distinguit Iesuita inter Templa & Basilicas, necesse synonyma concedit: sed dicit,* sacram Ædem rectè dici Templum, quatenus erigatur ad Sacrificia: eandem verò rectè dici Basilicam, quatenus erigatur ad ornatum alicujus Sancti sepulchri. *Hinc secundo respondeo, Templa illa à Patribus citatis Martyrum nominibus appellata, non in honorem & ad Cultum Sanctorum, sed memoriam saltem eorum ædificata esse: vt constat etiam ex Damasceni lib.* 4. *Orthod. fidei cap.* 16. *Euseb. libro quarto de vita Constantini, Cyrilli Cateche.* 16. *Chrysostom. homil.* 28. *&* 66. *ad populum Antioch. Augustinus libro* 20. *contra Faustum capite* 21. *disertè inquit:* Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum constituimus Altaria. *Vide ex Augustino plura testimonia paulò supra.*

Tertiò, quod Templa & Basilicas Martyrum nominibus appellatas esse ex Patribus illis intelligitur, id, vt supra quoque indicauimus, differentiæ saltem causâ factum est, non propter Cultum aliquem Martyrum, vt hac ratione vnum Templum ab altero distingueretur, quemadmodum vnius eiusdemque vrbis fora, plateæ & vici varijs distinguuntur appellationibus. Sic etiam Socrates testatur lib. 1. *c.* 18. Constantinum M. Drepanem vicum ciuitatem effecisse matri suæ agnominem: & in Palæstina Constantiam ædificâsse, propter sororis Constantiæ nomen; non quidem ad Cultum earum, sed differentię causa cum alijs vrbibus. *Committit igitur sic Iesuita fallaciam quoque ab ignoratione Elenchi, sibi per quàm familiarem, quia quod vnam ob causam, & quidem laudabilem factum est olim, ille transfert ad aliam causam: dum vult Templa Martyrum nominibus olim appellata, non propter distinctionem, sed quòd ad Cultum Martyrum ædificata essent.*

Tertiam rationem, quâ Bellarminus suam probare vult propositionem, sumit à Simili. Si Templum ad servandam Dei Arcam à Solomone fuit ędificatum: Templa etiam à nobis ędificari debent ad servandas Martyrum reliquias, quę majori, quàm Arca veteris Testamenti honore & cultu dignę sunt. *Negatur antecedens & consequens. Neque enim propter Arcam simpliciter, quatenus res fuit lignea & exanguis, Solomonicum Templum ædificatum fuit: sed quia Dei nomine appellaretur, essetque certissimum, visibile, & infallibile signum & Sacramentum præcipuum Præsentiæ Dei, tum etiam Spiritualis illius & salutaris Dei fœderis cum veteri suo populo initi. Eadem arca erat quoque typus Filij Dei & promissi Messiæ Iesu Christi, quatenus ille est æterna Dei sapientia, & omnes omnis cognitionis ac sapientiæ thesauri in eo habitant. Nam tabulæ duæ legis, id est, vera Dei sapientia, in hac Arca recondita*

condita erant. Deinde, non sequitur: Templum Solomonicum propter Arcam ædificatum est: Ergo etiam Templa Christianorum propter Sanctorum Reliquias erigenda sunt, vt ibi colantur. *Nam ex ijs quæ modo dicta sunt, facile intelligi potest, nullam esse prorsus similitudinem, vt verò Iesuita vult, inter Arcam Veteris Testamenti, & Sanctorum Reliquias. De dissimilibus enim non est idem iudicium.*

Nostrorum argumentorum defensio. *Ad nostrorum autem argumenta, quæ paulò supra ex Augustino præcipuè adduximus, quibus probat Pater ille,* Idololatriam esse, Templa Martyribus alijsque Sanctis ædificare: *duas sibi contradicentes solutiones affert, & vtranque tanquam veras probat, contra regulam contradictionis immotam,* Impossibile est duas contradictorias simul veras esse. *Et qui hanc regulam negat, omnes certas notitias delet, & rerum vniuersitatem confundit: quod hic & alibi facit Bellarminus. In prima solutione docet,* Templa exstrui rectè ad solam Martyrum memoriam conseruandam *: In altera verò,* rectè exstrui non ad solam memoriam, sed etiam ad Cultum religiosum sanctis exhibendum. *Harum alteram, ex lege contradictionis falsam esse necesse est. Et certè posterior falsissima est. Dicit enim,* Non Templa, sed Basilicas tantùm exstrui Martyribus *: & vt facilius obtineat quòd vult,* ingens discrimen inter Templum & Basilicam constituit *: & fatetur colum.* 2201. Idololatriam esse, si quis Templa, vt Templa Martyribus ædificet. *Hæc autem distinctio testimonijs Patrum Græcorum & Latinorum refellitur, qui promiscuè Templa etiam Basilicas Martyrum vocant: Et est hoc ipsum videre in catalogo testimoniorum Patrum, quæ colum.* 2198. *&* 2199. *citat. Refellitur etiam ab historia Ecclesiastica, in qua scribitur, Templum illud magnificentissimum, quod Constant. M. Hierosolymis in memoriam Passionis Christi exstruxit,* Constantinianum & Basilicam *appellatum fuisse. Refellitur quoque ab Isidoro, qui* Templum & Basilicam idem apud Christianos esse *affirmat lib.15.c.4. Etymol. Refellitur etiam à Gelasio de Consecrat. dist.1.cap.3.& 6. & à Bracarensi Concilio 2.cap.6. Refellitur etiam à seipso; nam in propositione sua dicit,* Ædes sacras; quæ nil sunt quàm Templa, non solùm Deo, sed etiam Sanctis rectè ædificari & dedicari.

CAPVT X.

Causæ multitudinis TEMPLORVM apud Christianos.

Templorum multitudinis QVòd igitur *passim post Constantini M. tempora, imprimisque post annos Christi* 500. *&* 600. *toto orbe Christiano innumerabilia exstructa sunt Templa, causa, seu origo & fons eius rei fuit quòd neglectâ doctrinâ de iustificatione per solam Christi obedientiam, deque vera Dei inuocatione in nomine Iesu Christi, Cultibus externis & venerationibus Sanctorum nimiùm tribuerent, & salutem per opera seu merita quædam humana quærerent: hoc est, quòd opinarentur, se exstructione & ædificatione Templorum Deo, Angelis, Sanctis & Martyribus præstare Cultum. Sic enim Vincentius ait in Spec. hist. libro 25. cap. 25.* Qui Ecclesiam seu Templum ædificat, regnum Dei sibi sibi præparat. *Causa meriti humani opinio & veneratio Sanctorum.*

1. *Probant ea quæ diximus primò, quòd in locis omnibus vbi vel integra corpora Sanctorum sepulta, vel saltem Reliquiæ corporum aliquæ asseruatæ & conditæ fuerunt, Templa exstruxerunt: Sic enim Templum eximiæ cùm pulchritudinis tum magnitudinis exstructum esse eo in loco, vbi S. Ioannes Euangelista sepultus dicitur, Metaphrastes in vita eius indicat apud Surium tomo 6. de viris Sanctorum. Vt Sepulchra Sanctorum mortuorum non minus apud Christianos Templorum causa præcipua fuerint, quàm heroum & clarorum præstantiumque virorum apud Gentes.*

2. *Secundò, quod Templa in honorem, vt superiori capite indicauimus, non Dei, sed Angelorum, item diuorum diuarumque ædificârunt, eorumque nomina ipsis indiderunt. Sic Basilius Orientis Imperator, vt se Deo conciliaret, quia Michaëlem Imp. occiderat, in multis locis Constantinopoli Templa erexit, in honorem S. Archangeli Michaëlis, qui Archistrategos Græcis dicitur, mirabili & pretioso opere, sicuti ex Zonara Cuspinianus refert.*

3. *Tertiò, quod in periculis constituti superstitiosi homines, Templa Sanctis vouerunt si ipsorum ope & auxilio liberentur. Sic Narsetes Eunuchus in Gothos exercitum ductans, Sacella duo, si res bellicæ ex sententia cederent, Venetis vouit, & votis, partâ victoriâ, dicauit, alterum Theodoro, alterum verò Geminiano & Menæ cœlitibus: Egnatius lib.1.c.1. Blondus lib.7. Decad.1. Veneti in magno incendio D. Iacobo ædem vouerunt, si ignis extingueretur. Egnat. lib.6.c.5. Rutlingenses cùm anno 1242. graui obsidione ab Henrico 7. Imp premerentur B. Virgini Sacellum vouerunt, si liberarentur, vt in Chron. Ducum Bauariæ indicatur.*

Hoc etiam Ethnici in more habuerunt: Romulus enim Sabino bello, quod circa Capitolium & Palatinum montem gestum est, cùm turpem suorum fugam quodam prælio sistere non posset, Statori Ioui *ædem voto nuncupauit, si fugientibus suis metum ademisset, vt referunt Liuius lib.1. Dec.1. & Plutarchus in vita Romuli. P. Sempronius Primogenitæ Fortunæ S. ædiculam secundo bello Punico vouit, & voti reus dedicauit: Alex. lib.1.c.53. M. Marcellus quoque ædificauit Honori &*

& Virtuti Templa, quæ bello Gallico vouerat. Sabell. lib. 4. Enn. 5. & Valer. l. 1. c. 1.

In obsidione etiam vrbium, cùm Deos earum tutelares euocarent, vouerunt illis Templa ludosque Imperatores, si vrbes eas desererent, & ad se transirent, vt ex lib. 5. Rerum reconditarum Sammonici Sereni Macrobius refert. C. Marius item & Catulus consul pugnaturi cum Cimbris, sublatis in cælum manibus, hic quidem diem illum Fortunæ celebraturum se dixit, ille verò solemnia Sacrificia vouit, si victoria potirentur, vt refert Plutarchus in vita Marij.

Sæpè quoq; Christiani ex magis periculis liberati, Templa in Diuorum Diuarumque honorem ædificârunt, etiamsi nullum præcessisset votū, quorum ope & patrocinio se liberatos superstitiosi homines crediderūt. Isaacus enim Comnenus ædem S. Teclæ erexit in regia Constantinopolitana: quòd eo die, quo memoria illius celebratur, periculum quercus corruentis, patrocinio Teclæ effugisset, Zonarâ teste. Et Francorum Reges Chlottarius & Childibertus D. Vincentio magnifico apparatu ædem, ob deuictos Gothos posuerunt, circa annos Domini 542. Sabellico authore Enne. 8. lib. 3. Henricus etiam 1. Rex Franc. cùm Eudonem Campaniæ, & Balduinum Flandriæ Comites, arcibus ac oppidulis quibusdam felici bellorum euentu exuisset, vt grates Deo sanctisque persolueret D. Martini Templum Parisijs exstruxit. Gaguinus libro 5. Geysa quoque Vngarorum Rex prælio superato Salomone, Templum D. Virgini pro victoria erexerit.

Factum hoc etiam ad eum omnino modum, quo Ethnici quoque gratos sese huiusmodi Cultibus erga Dos suos Deasque exhibuerunt. Sosostris namque Ægyptiorum Rex victo orbe, rediens, in singulis Ægypti vrbibus ei Deo Templum construxit, quem ibi præcipuè colerent: teste Diodoro libro 1. capite 4. Hypermnestra absoluta in iudicio ædem Dianæ Suadelæ Argis exstruxit. Theseus cùm è Creta, interfecto Asterione Minois filio, rediisset, Trezænæ in foro Dianæ Sospitæ Templum condidit: Pausanias in Corinthiacis. Diomedes etiam apud Arginos Sacellum exstrùxit Palladis ὀξυδερκοῦς, quòd ei apud Ilium bellanti tenebras caliginemque ab oculis detersisset: Cælius libro 14. cap. vltimo. Vlysses cùm equas perdidisset, & queritando totam peragrâsset Græciam, postremò eo in loco, quo eas reperit, Dianæ Templum, quam Eurippen cognominant, addito equestris Neptuni signo, erexisse dicitur, vt refert Pausanias in Arcadicis. Hyperassienses Dianæ agresti Templum dedicant, ob hostes Sicyonios propulsatos. Phalysius Æsculapio ob restitutionem visus Templum ædificauit. Colias ædes Veneris, à quodam Attico adolescente condita: qui captus à Tyrrhenis, cùm vinctus apud illos seruiret, adamatus ab herili filia, & solutus domumque reuersus, hanc pro salute Veneri gratiam retulit, fano in littore, vnde raptus fuerat, exstructo: Suidas. Helpis Samius Dionysio hianti, seruatus à leone, Templum quoque exstruxit. Ad Plateas Græcorum copia, Mardonium ducem cum Persarum 30000. occidione deleuerunt, & Eleutherio, id est, Liberatori Ioui Templum construxerunt: Strabo libro 9. Apud Athenienses, Apollini Alexicaco, quasi Auerruncum dicas, exstructum est Templum pulcherrimum, quòd pestilentiæ morbum auertisset: Pausanias in Arcadicis. Themistocles cùm in somnis admonitus insidias euasisset, Magnesiæ Templum Dindimeæ condidit, Plutarcho authore in vita eius. Rediculi Templum extra portam Capenam post bellum secundum Punicum construxerunt Romani, eò quòd propitij Dij Hannibalem ab expugnanda vrbe auertissent: Alexander ab Alexand. libro 1. cap. 4. Sicyonij à luporum feritate liberati, Templum erexerunt Apollini Lycæo: Pausanias in Corinth. Iidemque à sæuissima liberati peste Suadelæ ædem dicârunt: ibidem. M. Octauius Herennius contra piratas fortissimè pugnans, victor euasit. Huic, cùm in somnijs Hercules eum docuisset, quòd suâ operâ esset seruatus, imperato à magistratu loco, Ædem sacrauit, & signum, Victoremque incisis literis appellauit, vt refert Macrobius libro 3. cap. 6. Saturnalium, & Masurius Albinus Memorabilium libro 1. Eteocles Orchomeniorum rex opulentissimus & potentissimus Gratiarum Templum primus exstruxit, vt vel quàm gratus ipse esset, vel quantum alios erga Deos gratos esse vellet, ostenderet, vt indicat Strabo lib. 9.

Ob eandem causam non rarò etiam Gentiles ex spolijs & manubijs ex hostibus captis Templa Sacellaque exstruxerunt Dijs suis. Elei enim Templum & signum Ioui Olympico de manubijs dicârunt, Pisæis alijsque finitimis populis, qui ab ipsis defecerant, bello superatis, ac Pisa ipsâ direptâ, Pausanias libro 5. Cumque de Veientibus Caruilius Consul triumphâsset, arisque grauis trecenta nonoginta millia in ærarium detulisset, de reliquo, quod ex manubijs & omni præda exactum fuit, Fortis Fortunæ ædem, propè illam, quæ à Seruio Tullio dicata fuerat, faciendum locâsse, T. Liuius authore est. Gelon Syracusanus Cereri & Proserpinæ Templa ex manubijs spolijsque Carthaginensium ingenti magnificentiâ miroque artificio exstruxit, Diodoro teste lib. 11. cap. 1. Exstructa Templa ædificata ab

Id quod etiam Christiani ab ipsis didicerunt: author est enim Ritius libro secundo de regibus Hispaniæ, Alphonsum Castum, Hispaniarum regem, ex Maurorum manubijs, quorum millia septuaginta in acie ceciderat, duas erexisse Ecclesias, Orientenēsem & Asturinensem. Ex præda quoque Giulæ deuicti, qui Stephanum Vngariæ regem & ex sorore nepotem Religionis ergò bello lacessiuerat, magnificum Albæ Templū constructum fuit, Bonfinio teste libro primo, De-

cad.

cad.2. Cumque sæpius igni conflagrâsset, publica enata est opinio, eam ob causam id fieri, quòd ex præda, quam Giulas per fas nefásque corraserat, ædificatum esset, eodem authore. Vtinam hæc pietas & Religio inter mortales hodiè adhuc floreret. Sed diuersum cernimus. Quando enim nostri illis ex bellis reuertuntur domum, Sacella ædificant, Aras exstruunt, aut aliâs in vsus sacros conuertunt, qui Religiosissimi inter illos sunt, partem aliquam earum opum, quas ex cæde innocentium hominum, imò verè Christi fidelium per fas & nefas acquisiuerunt & rapuerunt, eáque ratione Deorum suorum gratiam & fauorem promereri conantur. Nec est qui vel verbulo hanc illorum hypocrisin taxet. Rectissimè verò Vualafridus abbas ille monet, curandum, vt ex iustè partis Templa exstruantur. Cumque sanctissimi patres statuerint, melius esse egenis & pauperibus facultatibus opibusque subuenire, quàm Templa ædificare, quid dicturos putas, si hodiè viderent ex pauperum & fidelium bonis direptis multos Ecclesias construere?

Quartò, quòd sanctis Templa exstruxerunt, vt eorum intercessionem apud Deum hac ratione promererentur. In Modæcia enim Theodelinga Longobardorum Regina Agilulfi vxor, cùm Adoaldum filium peperisset, Templum Ioannis Baptistæ, pro se & omnibus Longobardis construxit, VT PRO SE APVD CHRISTVM INTERCEDERET: *ex quo etiam tempore demùm Longobardi D. Ioannem inuocare cœperunt, vt referunt Paulus Diaconus lib. 4. cap. 7. de gestis Longob. & Sabellicus lib. 5. Enne. 8.*

Miracula etiam aliqua quæ Sanctos edidisse fabulantur, causa multitudinis Templorum fuerunt: qua de re sequenti capite agam.

His rebus factum est, vt omnibus post Constantinum M. seculis; ad hoc præsens vsque Templorum numerus creuerit, nec vllus vnquam finis & modus condendorum Templorum fuerit.

CAPVT XI.

MIRACVLA falsa pro ædificatione TEMPLORVM in honorem cùm Dei, tum Sanctorum: vbi primò de *Miraculis*, quæ pro confirmatione multorum Errorum & Superstitionum fiunt in genere.

An ea doctrina pro vera habenda sit quæ miraculis probatur.

QVIA *negari non potest, quin multa in Papatu signa & Miracula fiant, quæritur, an ea doctrina statim pro vera suscipienda sit, quam videamus multis & magnis Miraculis comprobari? Id verò negamus: & ratio est, quòd Deus permittit interdum etiam per falsos Doctores, perque malos & impios homines edi Miracula. Exod. 7. Magi & malefici apud Pharaonem suis artibus signa ediderunt. Matth. 7. inducit Christus quosdam dicentes in die judicij,* Nónne Domine in nomine tuo dæmonia ejecimus? nónne in nomine tuo multas virtutes edidimus? *Quibus tamen dicetur,* Nunquam noui vos, discedite à me qui facitis iniquitatem, *Matth. 24. ait Dominus:* Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & signa magna dabunt, ita vt in errorem inducantur, si fieri possit, electi. *A Paulo 2. Thess. 2. Antichristi aduentus describitur secundum operationem Satanæ, cum signis & prodigiis mendacibus. Vnde & Cyrillus lib. 7. cap. 13. in Euangelium Iohannis,* Miracula, *inquit,* nihil adijciunt sanctitatis homini, cùm malis & reprobis id etiam competat, dicente Domino apud Matth. Multi dicent mihi in die illa, Domine, &c. *Ergo vt possimus vera Miracula, quibus credendum, à falsis discernere, oportet definire, quænam sint Miracula vera, externa scilicet quædam opera & facta in admiratione apud homines habita, & talia reuera, qualia apparent diuinâ virtute, & ad declarandam doctrinam fidei, vel promissionum diuinarum, vel potentiæ Dei veritatem & certitudinem, & ad Dei gloriam edita. Hæc definitio ex causis collecta est, atque ex ea intelligi potest; quomodo vera Miracula à falsis sint distinguenda. Vera habent Deum authorem, cuius vi atque virtute fiunt præter naturæ ordinem, nec ibi est aliqua impostura: in eum quoque finem eduntur, vt Deum ritè colamus, eiusque verbo missis erroribus, & vitiis, fidem habeamus. Falsorum author est Satanas, qui illa vel per se ipsum, vel per impostores, tanquam organa edit, idque varijs modis. Primò enim fiunt, in quibus res verè tales sunt quales apparent, quo pacto & Magi Pharaonis creduntur Serpentes veros, aliáque id genus produxisse. Ita non negamus in Papatu multa verè fieri, vt quòd Sanguis è crustulis Sacramenti verè effluxerit, quòd Idola verè loquuta sint, quòd multi in peregrinationibus ad Sanctorum mortuorum statuas verè à morbis liberati fuerint, &c. minimè tamen vera Miracula dicenda sunt, cùm reliquæ causæ, quas in veris & propriè dictis Miraculis spectari oportet, desiderentur: inprimisque cùm abducant à Deo ad Idola, & à veritate Religionis ad superstitiones. Secundò, fiunt Miracula à Spiritibus & hominibus malis, in quibus res quoque verè fiunt & conspiciuntur, sed adhibitis tantùm rebus quibusdã naturalibus: lapidibus siquidem, herbis, oleo & id genus aliis occulta quædam vis inest, quâ res inusitata perfici possũt, diaboli autem & magi illarũ virium naturalium insignem habent experientiam: Cæteri interea qui hunc usum rerum naturalium ignorant, existimant magna fieri Miracula, cùm nihil sint minus. Vide Euseb. de præparat. Euang. lib. 4. c. 1. Tertiò fiunt miracula, in quibus res quædam sensibus apparent, sed tamen*

Miracula vera quæ.

Miracula falsa.

non sunt veræ res, sed tantum falluntur & ludificantur sensus hominum, vt existiment se res videre & sentire quas tamen nequaquam vident sentiuntque. Itaque ne hæc quidem Miracula vera censeri debent, quandoquidem rerum deest veritas, ac sensus decipiuntur. Vbi enim præstigiæ adhibentur, & ludificantur hominum oculi, vt id se videre arbitrentur, quod tamen reuera ita non est, tunc Miraculi dignitas amittitur. His tribus Miraculorum falsorũ generibus illud quoque addo, quòd sæpè aliqua pro Miraculis habentur, quæ nihil aliud quàm imposturæ, doli, & fraudes Monachorum, Sacrificulorum & similium sunt. Exempli gratia flere & loqui interdũ putãtur Imagines seu Statuæ, cùm oleum à Sacrificis infusum statuæ ad exteriora penetret, & pro lachrymis habeatur, aut ijdem per arundines imaginibus admotas quæ volunt loquantur: sæpè etiam creditum fuit animas ex Purgatorio rediysse & in Cæmeteriis oberrâsse, cùm, rei veritate deprehensâ, impostura Sacerdotis alicuius fuerit ad emungendum argento homines nefariè excogitata: vt non iniuria Nicolaus Lyra in 14. cap. Danielis hac de re conqueratur, dicens: In Ecclesia Dei populus sæpè decipitur à Sacerdotibus, fictis Miraculis, lucri causa. *Huiusmodi Miraculum refert Papon. in Comment. Senatusc. lib. 1. tit. 1. Senatusc. 5. & 6.* Erat, *inquit*, Lutetiæ in officina pictoris cujusdam vetus tabula, atque in ea picta Imago Mariæ Virginis. quam pro specimine suæ artis vulgo proponere pictor solebat. Eam emit cujusdam pagi Curio: duo foramina ad oculos imaginis perforat, ijsque quo tempore lachrimant vites, viridium palmitum resectos ramos ita solerter accommodat, vt effigies plorare videretur. Quid multa? tantam vndique peregrinantium frequentiam, tantam donorum copiam conciuit, vt Miraculi quoq; inter alios pictor famâ commotus, eò cum vxore viseret. Sed ea res dolum aperuit. Nam illi tabellâ agnitâ, quæ tot annos in sua officina jacuerat, fabulam omnem diuulgârunt. Itaque Curiæ judicio Curio capitis damnatus est, tabella confracta.

Flere & loqui videntur sæpè Imagines & statuæ

Huius generis plurima apud Gentes quoque accidisse legimus. Cùm enim sub Constantino & Theodosio statuæ euerterentur, reppererunt aut mortuorum corporum ossa, atque arida crania, incantatore peruersitate imposita: aut panniculos, fædâ abominatione sordidos: aut fœni & stipularum fasciculos, vt testatur Euseb. lib. 3. de vita Constantini. Per statuas etiam incantatores suas exercuisse fraudes, idem indicat libro 9. Eccl. hist. c. 3. vbi de Theotecno refert, quòd incantationibus suis effecerit, vt statua quædam Iouis mirabilia edere visa sit. Ex adytis quoque per cuniculos in statuas prorepsisse, indeque responsa dedisse, author est Theodoretus lib. 5. cap. 22. Et in Sermone qui D. Chrysostomo à Metaphraste apud Surium Tom. 4. de Vitis Sanctorum adscribitur, sed falsò de SS. Petro Apostolo & Helia Propheta, ita legitur: Attende quæso quod dicturus sum: vidi enim ipse, quod dicam. In Idolorum Altaribus foramina quædam sunt ex inferiore Altaris parte, & fouea quædam obscura: descendunt autem erroris artifices in foueam illam, & ex foraminibus, quæ diximus, ignem sufflant ad Sacrificium conficiendum, ita vt multi decepti, cœlestem esse ignem illum existimârint. *Ruffinus Ecclesiast. hist. 2. cap. 23. refert, in Templo Serapis apud Alexandriam quædam ad stuporem admirationemque videntium, dolis & arte compasita fuisse, ad fallendos homines.* Fenestra enim perexigua ab ortu Solis ita aptata fuerat, vt die qua fuerat institutum simulachrum Solis ad salutandum introferri, diligenter temporibus obseruatis, ingrediente simulachro radius Solis per eandem fenestram directus, os & labra Serapis illustraret, ita vt inspectante populo, osculo salutatus Serapis videretur à Sole. Erat & aliud fraudis genus hujusmodi. Natura lapidis Magnetis hujus virtutis esse perhibetur, vt ad se rapiat & trahat ferrum. Signum autem Solis ad hoc ipsum ex ferro subtilissimo manu artificis fuerat fabrefactum, vt lapis desuper in laquearibus fixus, cùm temperatè sub ipso radio ad libram fuisset positum simulachrum, & vi naturali ad se raperet ferrum, assurrexisse populo simulachrum, & in aëre pendere videretur. Et ne hoc lapsu propero proderetur, ministri fallaciæ *Surrexit*, ajebant, *Sol, vt valedicens Serapi discedat ad propria.* Sed & multa alia decipiendi causa à veteribus sic fuerant constructa: quæ quùm proderentur in lucem, mirabantur sanè Ethnici, *Ruffino teste*, se tot seculis istis tam nefariis ac pudendis fraudibus irretitos fuisse. *His autem similia multa in Papatu perpetrata esse, & adhuc perpetrari nemini dubium esse debet. Illud dolendum, miseros mortales, in tanta luce Euangelij, dolos & fraudes istas nolle animaduertere.*

Vbi nec illud prætereundum videtur, quòd multa Miracula, à Monachis etiam, inertissimo superstitiosissimoque hominum genere, conficta sint, vt quæstum inde vberiorem facere queant, cùm tamen nihil vnquam simile acciderit. Ac fictitiis hisce Miraculis vt aliquam facerẽt fidem, finxerunt insuper, se vel in cælum, vel in infernum, vel in Limbum patrum, vel in Purgatorium raptos hæc & illa vidisse: vel reuelationes sibi in somnis factas, aut apparitiones miraculosas Christi, Mariæ &c. & nescio quæ alia edita: quum nihil mirus vnquam factum fuerit. Quæ in re Ethnicorum imposturas egregiè imitantur: eorũ enim

nim Principes tum acuendis sæpè militum animis Miracula & Oracula cœlestia multa ad eundem planè modum confinxerunt, tum vt populo obsequentiore vterentur. In vulgus etiam adebant nonnunquam, se vel libros Sybillinos inspexisse, vel Delphos ad Oraculum Apollinis sciscitatum misisse, aut egregia auspicia esse. Itaque populus, cùm ea verè à Diis ipsis denunciari crederet, libentissimè iussu magistratuum & imperiis Ducum obsequebatur, nec secus ac si Dij ipsi imperâssent: Imperatores verò & impostura artifices ipsi soli norant quantum istis commentis tribuendum esset. Ita Iulius Proculus à patribus subornatus, authore Lactantio, cùm Romulum in Deorum numerum referre conarentur, nunciauit plebi, se vidisse Romulum humano habitu augustiorem, eumque mandâsse ad populum, sibi delubrum fieret, se Deum esse, & Quirinum vocari. Huiusmodi multa in Papatu facta esse nemo negare potest. Ea verò res in causa fuit, vt authores posterioribus seculis, eiusmodi rumores & fabulas ab aliis excogitatas & confictas, ex Monachorum libris aliisq; apocryphis hauserint, & historiis superiorum temporum sine omni iudicio inseruerint. Huius generis miraculosas narrationes apud Zonaram, Nicephorum, Paulum Diaconum, & Vincentium in primis, aliósque posteriores historicos plurimas reperias, quibus haud facilè sine suspicione falsitatis fidem adhibeas. Vbi tutissimum semper fuerit, ex doctrina veritate de Miraculis iudicium facere, non de doctrina ex Miraculis: quod consilium Dominus ipse Deut. 13. cap. dedit nobis. Et Chrisostomus. Oratione quinta aduersus Iudæos docet, Miracula credendum non esse aduersus Sacram Scripturam. Nec illud omittendum videtur, quod in diligenti authorum lectione obseruaui, à nullo fide digno authore veteri eiusmodi falsa & mandacia signa, ad confirmandum cultum Deorum alienorum, variásque superstitiones excogitata, referri, qualia post Gregorij Magni demùm tempora, cùm omnis generis superstitiones cateruatim in Ecclesiam irreperent, referuntur.

His ita in genere præmissis, deinceps in fine cuiusque loci referemus, quæ signa seu Miracula falsa Pontificij, pro confirmatione omnis generis errorum & superstitionum, proferant, iisque non minus quàm sacræ scripturæ innitendum contendant.

MIRACVLA falsa pro Ædificatione TEMPLORVM.

GRegorius Turonensis de Gloria Confessorum cap. 11. narrat, Presbytero cuidam obuiam factum S. Martinum, ejusque pedem debilem in nomine Christi sanâsse. Hunc Presbyterum iussum à puero Martini comite, exstruere Templum in eo ipso loco, quo S. Martinus steterat, quum eius pedem restitueret, in quo paralytici & cœci sanitatem recuperârint.

Genouepha virgo Parisiensis Catulacensem vicum, vbi D. Dionysius interfectus fuerat, reuerenter frequentauit: cui Basilicam quoque vouit. Sacerdotum collegia supplex adiit, vt ex collata pecunia Ædem illi facerent. Illi verò modò paupertatem, modò calcis inopiam causantur. Contra illa: Egredimini (ait) quæso ad pontem vrbis, & quæcunque audieritis, renunciate mihi. Egressi, dum in foro stant attenti, si quid acciperent, ecce subulci duo aduenientes colloquuntur. Alter, Dum suis (inquit) vagantis vestigium opertus legerem, maximam fornacem calcis inueni. Ego quoque itidem in sylua, inquit alter. Hæc Sacerdotes virgini referentes, præ gaudio in lachrymas effunditur. Eaque vbi ciuibus significata sunt, magnifica è collata pecunia Ædes erecta, Dionisióque dicata est. Sed ne quidem prodigia in ædificanda Basilica defuêre. Nam cùm fortè potus fabris lignariis deficeret, cadum accepit memorata virgo: quem vbi exorato numine, crucis signo expiauit, mox operariis plenum propinauit, parique exuberantiâ semper redintegratus, eorum sitim ad consummatum vsque opus expleuit. Bonfinius libro quinto, Decade prima.

Primi Venetæ vrbis conditores, quos Patauinos fuisse dicunt, cùm casas quasdam exstruxissent, nec adhuc Templum alicui numini dicâssent, repentè ignis ex architecti domo noctu erumpens, continuato incendio 24. domos absumpsit, vento & materiâ passim flammas alentibus. Tum multitudo Templum D. Iacobo vouit. Ignis continuò cessauit, & Ædes ex voto erecta est. Egnatius libro 6. capite 5. Narrat quoque Palmerius, Petrum, Raphaëlem, Iesum Christum, Mariam, Ioannem Baptistam, Iustinam, & duodecim Apostolos, diuerso tempore Magno Oppitergensi Episcopo reuelâsse, vbi Venetiis vellent sibi Templa exstrui. Quæ tamen fabula adeò insulsa est, vt ipsemet Sabellicus Enne. octauo, libro sexto, eam à Dandulo, qui de Origine Venetiam scripsit, improbari affirmet.

Garganus quidam ciuis Sipontinus, armentalem Taurum, qui à grege aberrârat, quæritans, inuentum tandem ad speluncam natiuam, in viuo cauatam saxo, irâ percitus sagittâ petiit. Ea vbi tergum tauri attigit, retrò flexa è vestigio in Garganum versa est. Ea re in Religionem versâ, Garganus Laurentio Sacerdoti totam aperuit. Is indicto trium dierum ieiunio, Michaelem Archangelum in somnis vidit, affirmantem, suâ operâ taurum indicem, Basilicæ exstitisse, quam inhabitari vellet, & ab hominibus coli. Specus igitur consecratur, & augustissimum

ibidem Templum exstruitur, quod plurimi mortales quotannis accedere solent. Pont. lib.2. belli Neapolitani.

Sub Childeberto Monarcha Francorum, Archangelus Michoël apparens Autberto Abrincatensi Episcopo, monuit eum semel & iterum, ut in loco maris, qui propter eminentiam sui Tumba *vocatur, fundaret Ecclesiam in memoriam sui, volentis talem venerationem exhiberi sibi in pelogo, qualis exhiberetur sibi in monte Gargano. Interim Taurus à Leone furtim raptus in illo loco religatur. Vnde Episcopus tertiò admonitus, ut in illo loco fundamenta iaceret, ubi Taurum religatum inueniret, & sicut eam terram pedibus protriuisse videret, sic Ecclesia ambitum duceret: Ecclesiam in honore Sancti Michaëlis constituit. Et ex hoc tempore, sicut in monte Gargano, ita etiam illo in loco, quod modò dicitur, in periculo Maris veneratio Archangeli cœpit frequentari. Sigebertus Anno Domini Septingentesimo Nonagesimo nono.*

Sanctus Dionysius à Carolo rogatus, ut veniam delictorum impetraret omnibus in Hispania mortuis, accepit hoc responsum à Cacodæmone: quòd omnibus illis qui nummos contulissent ad Templi sui ædificationem, venia sit impetrata. Vincent.lib.24 c.22.

Sic Geysam Vngarorum Regem, dum Christianæ Religionis doctrinam suos subditos docere cogitat, & antiquatis maiorum Ceremoniis, noua puritatis ritus exstructis Templis instituere meditatur, Deus per cœlestem ex alio interpretem insomnis eum consolatur, omnem solicitudinem deponere. ac bono animo esse iubet: neque enim tali curâ eum vexari oportere, ut sacella dicet, sacro-sanctos introducat antistites, Schyticamque gentem à prophana Religione vindicet, quando sanguine pollutas manus habeat. Neque vllo modo fas esse, infectas humano cruore manus, pias Ædes erigere, & orthodoxa Fidei fundamenta iacere, quæ pias tantùm & nullo facinore contaminatas exposcant: sanctissimum ex eo filium proditurum pollicetur, qui ad hæc à diuina benignitate sit prædestinatus. Bonfinius lib.1. Decad.2. Et Ioannes Dubrauius Olmucensis Episcopus in Boëmica historia refert, Regem Daniæ per quietem admonitum, ut Martyris Vuenceslai in Boemia à fratre obtruncati, memoriam sibi colendam susciperet: idque Templo in Dania D. Vuinceslao dedicato fecisse. Author quoque vitæ Gummari, qui vixit Pipini Caroli Martelli Patris tempore, nugatur, apparuisse Gummaro Angelum ac dixisse ei: Haud procul abest locus, circumfluente amne conclusus, arboribusque consitus. Ex eo arbores extirpabis & Oratorium ibi condes: *apud Surium Tom.5. de Vitis Sanctorum.*

Ladislaus Vngarorum Rex, in Bihoriensi agro inter venandum cœlesti admonitus nuncio, dicitur, ut ad Chrisium amnem D. Virgini Basilicam exstrueret, eique dicaret: locum enim illum magnæ matri gratissimum futurum. Isque sine mora magnificentissimā ibi Ædem ædificat: si verum est quod Bonfinius refert lib.4. Decad. 2.

Cùm Henricus VII. *Thuringiæ Landgrauius, Rutlingam anno 1247. obsideret, ciues vouent, se B. Virgini Sacellum constructuros, si liberarentur: mox illa apparuisse & hostes abegisse dicitur in Chron. de ducibus Bauoriæ.*

Neque verò hæc tantùm apud Christianos, verùm etiam apud Ethnicos huius generis multa acciderunt. *Miracula pro Templorum extructione apud Ethnicos*

Refert Plinius lib. 36. capite 14. ædificationi Ephesini Templi Ctesiphonem quendam præfuisse architectum. Is cùm anxius esset quomodo in limine ipso epistylion molem maximam attollere posset, & manum sibi inferre cogitaret, nocturno tempore in quiete vidit præsentem Deam cui Templum fiebat, hortantem ne hoc faceret, se enim composuisse lapidem, atque ita postero die apparuit. Cui non dissimile illud est, quod Ruffinus lib.1. cap. 10. ex Bacurij regis Iberorum relatione narrat: tempore Constantini Magni gentem illam, per fœminam quandam captiuam ad Christianam Religionem conuersam, Templum ædificare cœpisse: & structis muris, cùm jam columnæ duæ essent impositæ, ac tertia foret eleuanda, non potuisse eam loco moueri. Sed fœminam illam oratione suâ impetrâsse, vt columna illa, quam tot machinæ & homines mouere non poterant, altero die esset erecta, & super basim libratè suspensa, nec tamen superposita, & ipsis hominibus spectantibus sensim super basim suam, summa cum libratione consideret. *Eadem referunt ex Ruffino Socrates lib.1.cap. 20. & Sozomenus lib. 2.capite 6. Theodoretus verò lib.1.capite 23.etiam ipse Iberorum conuersionem commemorat, horum verò, quæ circa columnam hanc miraculosè euenerint, non meminit: fortè quòd haud vera esse cognouerit, aut saltem iudicârit.*

Tarquinius Ioui Opt. Max. Templum, quod postea Capitolium *vocârunt, exstructurus, ne quid inauspicatò fieret, primò augures de loco consuluit: sed cum ab his designatus locus aliorum iam pridem Deorum Sacella haberet ac præoccupatus esset, Sacrificiis quibusdam eos inuitare cogebatur, ut Ioui cederent. Terminus autem Deus & Iuuentus nequaquam id facere voluerũt, reliquis cedentibus, sicut referunt Plutarchus, Dionysius, Lactantius in primo & Augustinus in 4. de Ciuit. Dei.*

In Epidauro, Peloponesi Ciuitate, Templum erat ægrotantium multitudine vndiquaq; refertũ, pendentibusq; tabellis, in quibus sanati morbi ac languores erant inscripti. Hoc etiam fiebat in Coa Insula & Tricea, ut Strabo lib.8. testatur.

Refert etiam Natalis Comes Mythol. lib. 4. c.11.

cap. 11. Tetrapoli vrbe, *quæ ab Ionibus & Caribus habitabatur*, similiter Templum fuisse, multitudine ægrotantium & varijs morbis laborantium plenum, & parietes pictis tabellis tectos vbique, in quibus scripti fuerint morbi & nomina eorum, qui ibi sanati fuissent.

Commodè huc etiam referri potest, quod de Magno Alexandro Sabellicus refert libro 9. *Exemplorum cap.* 5. *nimirum*, quòd vrbem in Ægypto conditurus Alexander, anceps consilij, vbi loci etiam potissimùm ędificaret, intempestâ nocte dormienti senex astiterit, venerabili specie, qui Homericum illud cecinerit,

Præterea vndinoso quædam iacet Insula Ponto,
Quam Pharon appellant, Ægyptia littora contra.

quod Oraculum Macedo secutus, Alexandriam, vbi hodie visitur, auspicatissimè condidit.

CAPVT XII.

Superstitiones aliæ circa TEMPLORVM ædificia exortæ.

Templis sanctitas & vis diuina ascripta. Templa visitantibus Indulgentias quis primo concesserit.

NEque verò solùm Superstitio multitudinis Templorum verissima causa exstitit, sed etiam quandam sanctitatem & vim diuinam iisdem ascribere docuit. Hoc primùm fecit superstitionum patronus Gregorius Magnus, qui indulgentias certis temporibus Templa visitantibus primus concessit; *Balæo teste Cent.* 1. *Script. Britanniæ cap.* 68. *Quæ res multarum superstitionum & errorum posterioribus seculis origo & causa fuit, vt infra capite de Peregrinationibus ad Templa & alia loca sacra, indicabitur. Primò autem ob auditum verbi Dei, preces publicas & Sacramentorum vsum tantùm fuerunt exstructa Templa.*

Processiones ad Templa in Sabbatis quis instituerit.

Gregorium hunc mox secutus Honorius 1. *constituit*, vt omni Sabbato fieret Processio solennis à Templo Apollinaris ad S. Petri vsque: *vnde* CIRCVITIONES *in Encaenijs originem in Ecclesia habere videntur: Funkius & Balæus in Honorio.*

Circuitionum in Encænijs origo. In Templorum fundamentis iaciendis Superstitiones.

Eadem superstitionis magistrâ in designando loco & fundamentis jaciendis Templorum varios ritus excogitârunt. Etsi enim de ritibus in jaciendis fundamentis, & ponendo primario lapide Templorum, vsurpatis Constantino M. & sequentibus aliquot seculis apud probatos authores nihil omninò inuenias: tamen progressu temporis, cunctis in deterius in Ecclesia ruentibus, Ritus & Ceremoniæ multæ eæque variæ obseruari hac quoq; in re cœperunt. Nam de Consecrat. dist. 1. *Cap. Nemo ex Aurelianensis Synodi decreto, præcipitur*, ne quis Ecclesiam ædificet, antequam Episcopatus ciuitatis veniat, & ibidem crucem figat, publiceque atrium designet: *Hanc constitutionem paulò aliter recitat Durandus lib.* 1. *c.* 1. *Diuinorum officiorum.* De consecratione, *inquit*, distinctione prima, capite Nemo: jubetur in ædificatione alicujus Ecclesiæ seu Templi parato fundamenti loco, Episcopus vel Sacerdos Episcopi nomine & de ejus licentia ibi aquam aspergere benedictam, ad abigendas ibi dæmonum phantasias, & primarium lapidem, cui impressa sit crux, in fundamento ponere. *Vbi nemo est, qui non animaduertat, quæ Durelianensis Synodi decretò Durandus assuat & affingat. Non igitur hæ: vbique & ab omnibus, sed alij interdum ritus obseruati fuerunt. Vlmenses enim anno Christi* 1377. *cùm Parochiale Templum in ciuitatem transferrent, empto iusto spacio, eoq; pulchrè æquato & repurgato, fundamenta futuri Templi maximi strenuè fodere cœperunt. In qua primus lapis ab vrbis clero S.P.Q. singulari reuerentiâ & pompâ positus est vltimâ Iunij anno quem suprà dixi. Lapidem funibus demissum, in ipsis fundamentorum fossis excepit Ludouicus Crato Consul, cum quibusdam nobilibus Ciuitatis: demittebant verò eundem Ioannes Ehingerus cognomento Habsastus, & Conradus Besserer præcipui ciuitatis Capitanei, alijque senatores & patritij. Posito primò saxo in fundamenta, obtulit illicò super idem, tanquam in Aram, centum aureos Rhenenses Crato Consul: cuius Exemplum & cæteri non tantum Nobiles & Senatores, sed & plebej ciues omnes imitati, singuli sua Symbola in auro & argentò (non enim obulis & denariolis rem actam aliquis existimet) quisque tamen pro suarum facultatum modulo, ad nouam Basilicam exstruendam liberaliter conferebat, vt Bruschius indicat de Monasterijs Germaniæ. Sic Ioannes Palatinus Rheni & Bauariæ Dux, fundator Cœnobij Gratiæmontis circa annos* 1436. *primum eius Monasterij lapidem ponens, aureum annulum in fundamenta conjecit, vitrumque vini plenum apposuit, primoque lapidi inclusit, eodem authore.*

Didicerunt Christiani hos ritus ab Ethnicis: Nam de ijs Alex. ab Alexandro lib. 6. *c.* 14. *testatur*, si Templi ambitus & area deligenda cōsecrandaque essent, id hoc modo fieri solitum, vt serenâ luce, omnem aream & spatiū vittis coronisque cuincerent. Mox milites & Vestales Virgines, cum pueris puellisque patrimis & matrimis, ex quatuor fontibus aquam spargerent, boueque & tauro aream lustrarent. Prætorque præsides Deos precatus, & magistratus vnà, Sacerdotesque & senatus, cum equitibus & populo, saxum ingens fundamentis injicerent, passimque auri & argenti stipes, & metallorum primitias, nullis fornacibus euictas, aggregarent; in eoque præcipuè cauebatur, ne saxum, aurúmue in aliud opus destinatum, apponeretur.

CAPVT XIII.

TEMPLA, etiam ea, quæ olim Idololatriæ seruierant, reuerenter colenda, nec vllis profanis aut propriis vsibus destinanda, sed in publicos & pios vsus Conuentuum Sacrorum à CHRISTIANIS repurgata, conuertenda.

AVgustinus, secundo Tomo, Epistolâ 154. Scripta ad honorabilem virum Publicolam: Cùm Templa, Idola, Luci, & si quid huiusmodi data potestate, euertuntur, quamuis manifestum est cùm id agimus, non ea nos honorare sed potius detestari, ideo tamen in vsus nostros priuatos duntaxat & proprios non debemus inde aliquid vsurpare, ut appareat nos pietate ista destruere, non auaritia. Cùm ergo in vsus communes non proprios ac priuatos, vel in honorem Veri Dei conuertuntur, hoc de illis fit, quod de ipsis hominibus, cum ex sacrilegis & impijs in veram religionem mutantur. Hoc Deus intelligitur docuisse illis testimonijs, quæ ipse proposuisti, cùm de Luco alienorum Deorum jussit ligna ad holocaustum adhiberi. Et de Hiericho, vt omne aurum, argentum & æramentum inferretur in Thesauros Domini.

Alexander Severus Imperator, cùm Christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra Popinarij dicerent sibi eum deberi, rescripsit melius esse, vt quomodocunque illic Deus colatur, quàm Popinarijs dedatur: vt refert Ælius Lampridius in Alexandro Seuero.

CAPVT XIV.

TEMPLA reuerenter colenda, nec vllis profanis vsibus destinanda.

I*N Synodo Carthaginen. 4. anno 418. juxta Marianum Scotum habita, sancitur*, vt Templorum pauimenta energumeni verrant. *In Antisiodorensi Synodo can. 9. decernitur*, ne in Ecclesijs chori secularium, vel cantica Puellarum exerceantur, nec etiam conuiuia præparentur.

In Templa iumenta non inducenda.

In Concilio vniuersali 6. Constantinopolit. cap. 88. sancitur, Ne quis jumentum in Templum indicat: qui secus fecerit, si sit Laicus, excommunicari, si Clericus deponi jubetur: *Excipiuntur tamen* iter faciétes, & carentes domunculâ aut diuersorio. *Hoc decretum hodie non obseruatur, cùm passim in omnibus Pontificiorum Templis, asinus ligneus, qui in Palmarum die per vicos atque plateas trahitur, locum habeat.*

In Templis merces non vendendas.

In eadem Synodo præcipitur, Ne quis mercimonia vendat intra Templorum ambitum. *O legem prodigiosè euersam hodie. Constat etenim, si quod verum est liberè dicendū est, cuncta in Papatu Templa domus negotiationis esse, contra præceptum Christi, qui ait:* Ne facite domum patris mei domum ἐμπορίου, *hoc est*, mercatus seu negotiationis. *Quæ verba Iudæis dixit, qui Templum Hierosolymitanum negotiatione suâ fœdissimè polluerant. Apud illos Templum has ob causas exstructum præcipuè fuerat, vt supra quoque indicauimus: Primò, vt ad id vnum, ceu publicam totius gentis Parochiam, collectus populus in Fidei Religionisque vnanimi consensu retineretur, nec ad varias & diuersas Religiones deflecteret. Deinde, vt in illo doctrina verbi Dei proponeretur: cui etiam coniungerentur sacrificia omnis generis, quæ maxima ex parte Cristum Iesum, verum illum Dei agnum, figurabant. Tertiò, vt illic fierent preces publicæ, quas Deus se exauditurum promiserat propter Christum venturum. Corruperat autem & turpissimè fœdauerat hæc omnia Sacerdotum auaritia, qui populi superstitione abusi, satisfactionem pro peccatis & eorundem remissionem, non in promisso Seruatore, sed in externis ceremonijs monstrabant: quem errorem jam olim Prophetarum temporibus cœpisse ex concionibus illorum intelligitur. Magis tamen postea auctus est, quando sub Romanis præsidibus Sacerdotium venale factum, & annua Pontificum vices excogitata fuerunt. Qui enim illud magno pretio redimebant, omnem quoque quæstus occasionem auidè aucupabantur. Introducta ergo sunt hominum traditiones in eum finem, vt neglectis veræ pietatis officijs, victimæ tantùm & oblationes quotidiè fierent. Deinde, quia Iudæi ex diuersis & longinquis regionibus ad majora festa veniebant, & qui peregrini erant, victimas Hierosolymis emere consueuerant, vt hinc quoque pars ad Sacerdotes rediret, in ipso Templi Atrio pecudes & quæcunque alia ad sacrificandum necessaria erant, vænum exponebantur: néue monetæ diuersitas quæstum impediret, numularij instituti fuerunt, qui omnis generis monetam cum lucro commutarent. Denique, vt in celeberrimo aliquo emporio, ita hîc omnia ad quæstum instituta erant. Quòd si hæc cum Pontificiorum Templis conferas, eandem omnino, imò fœdiorum rerum faciem videbimus. Si enim, vt D. Augustinus sensit, boues vendunt, qui ex ministerio ecclesiastico quæstum & honorem priuatum captant: si columbas vendunt, qui Spiritus sancti in columbæ specie super Christum delapsi, donis negotiantur: si oues vendunt, qui vt suo quæstui consulant, miseros mortales per superstitionum præcipitia & ambages ad inferos dejiciunt ac deducunt, Satanæque mancipia faciunt: fatendum profectò erit, hodiè etiam in Templis oues, boues & columbas vænales exponi, & propterea ex sacrorum conventuum locis, mercatus ac nundinarum loca effici. Negari siquidem non potest,* rasuram

Templa domus negotiationis apud Christianos.

Digitized by Google

rasuram & vnctionem sacerdotalem, nisi interueniente pecuniâ, non dari: neminem etiam sine pretio ad pinguioris alicujus conditionis administrationem admitti. Eâ verò adeptâ: tum demùm veri negociatores seu mercatores efficiuntur: atque etiam ex ijs, quæ tamen ipsorum juris non sunt, quæstum aliquem facere satagunt: terram enim, quam Deus omnibus hominibus concessit, vendunt, dum funera pro pretij numerati ratione vel hoc vel illo loco sepeliunt: aquam etiam, quam consecrârunt: aërem, quando nolarum sonitum diuendunt: ignem, dum sua incensa, seu fumos potius viuis pariter & mortuis obtrudunt. Ex ciborum quoque discrimine pecunias corradunt, dum illorum vsum, nisi pecuniâ data, non concedunt. Sacramentorum etiam numerum idcirco auxerunt, vt quæstum vberiorem inde facere possint. Imò in cœlum vsque suam negotiationem extendunt, cùm peccatorum remissionem & Spiritus sancti χαρίσματα precio vendant. Et suas indulgentias ante renascentis Euangelij lucem, sine omni pudore, publicè in Templis passim vænales exposuerunt. Quin Purgatorij terriculamentis hæreditates interceperunt, & jam pridem territoria, oppida, arces, imò integra regna in suam potestatem hoc aucupio redegerunt. Et hæc negotiatio cùm in plerisque Ecclesijs per vniuersum orbem Christianum, tùm verò maximè Romæ exercetur. VRBANVS SEXTVS *omnibus qui ad bellum, Galliæ Regi inferendum, qui Antipapæ Clementis partes fouebat, nummos benignè suppeditarent, tantam vim Indulgentiarum largitus est, vt totum Purgatorium exhaurire velle visus fuerit. Quippe omnibus licebat patres, auos, proauos, filios, nepotes & quoslibet propinquos inde soluere, dummodo æs multum in capita penderent. Idem sanctè promittebat, se curaturum, vt eorum animæ, qui eo bello caderent, aut pecunijs collatis eo anno decederent, rectâ in Paradisum deducerentur, néue illis necesse esset deflectere à recta via vt per Purgatorium aut Limbos transirent. Et his quidem promulgatis in Angliam, quo legatos suos miserat, bullis tantùm pecuniæ conferendæ certamen iniectum fuit hominibus, vt breui vicies quinquies centena millia Francorum conflata sint. Mira refert Theodoricus à Nyem de Bonifacij IX. Pontificis mercatura seu negociatione, quam in Templo Dei sedens in spiritualibus exercuit, vt nimirum mercando vel vendendo beneficia Ecclesiastica, maximas sibi parauerit opes. Inter alia ait,* Hoc eo tempore omni timore Dei & verecundiâ hominum posthabitâ, in tam frequenti erat vsu, quòd Cardinales pro majori parte affirmabant, hoc licitè fieri, cùm Papa in talibus peccare non posset. Et quoniam omnes empturi vel promouendi ad Curiam venientes, pecunijs sufficientibus cum sacco non erant instructi, vsura sub Bonifacio in Curia tantùm inualuit, quòd amplius non reputabatur peccatum; imò vsuræ exigebantur aliquando publicè coram Bonifacii judicibus. Omnia beneficia in Ecclesijs vrbis vacantia vendidit: & si non potuit habere pecuniam, res alias in commutationem accepit, vt porcos, equos, frumentum, oues & boues, nil penitùs refutando. Postremò ad profundum iniquitatis descendens, nullam penitùs supplicationem etiam pro quovis paupere vel alio signare voluit, nisi pro singulis supplicationibus quas signauit, ante signaturam, singulos florenos auri à suis mediatoribus deputatis recepisset. Nec credo, *inquit Nyem*, quòd vnquam adeò inuerecundus & ingeniosus quæstor pecuniarum repertus fuerit, pro vt erat Pontifex Bonifacius. Dum coram eo Missa celebraretur in publico, omni pudore posito, nunc illum, nunc alium de Secretariis suis, infra Missarum solennia, ad se vocari fecit, semper in id attentus, an aliquas apportarent pecunias. Nec vnquam vel irâ, vel vllâ aliâ vexabatur molestiâ, in tantùm, quin, si videret pecunias sibi afferri, lætaretur. Nonnulli qui heri vt scurræ aut histriones seu discoli per vicos & tabernas, aliaque loca suspecta per vrbem discurrerant, cras, mediante pecuniâ, facti Episcopi aut Prælati, Sacra tractabant. Nec potuit adeò quid injustum aut absurdum postulari, quod non concederetur, interueniente Simoniaco pacto, & solutâ pecuniâ. *Hæc omnia Theodoricus à Nyem qui fuit auritus & oculatus horum omnium testis, vixit enim in Curia Romana & apud Vrbanum annis circiter triginta. Longum esset commemorare hoc loco, quanta vis auri quotannis ex omnibus totius orbis regnis & prouincijs Romam tanquam in immensam voraginem, pro Inuestituris Abbatum & Episcoporum, pro Gratijs, vt vocant, expectatiuis, pro Pallio, pro Indulgentijs & similibus, fuerit deportata, & adhuc hodiè deportetur, licet nonnullæ prouinciæ serò tandem sapere cœperint. Illud tamen silentio præterire non possum, quod Henricus à Token, qui in Basiliensi Concilio Magdeburgensis Archiepiscopi legatus fuit, in Sylua locorum Communium refert,* Archiepiscopum Lugdunensem in eo Concilio narrâsse anno Domini 1436. quòd tempore Martini Papæ ad Curiam Romanam ex sola Francia venerint nouem miliones auri computati ab Episcopis & Prælaturis, absque ijs quæ computari non potuerint de paruis Clericis, qui quotidiè absque numero currant ad curiam Romanam, deferentes secum sæpius totam suam substantiam: *Archiepisc. quoque Turonensis in eodem Concilio dixit*, quòd suo tempore intra 14. annos tres miliones auri Romam venerint, à prælatis & prælaturis, de quibus potuerit fieri computatio.

Romanæ nundinæ

tatio. Nec esse dubium, *inquit à Token*, quin omnibus certis & accidentarijs, Papa sæpè singulis annis decem miliones coronatorum vndiquaque corraserit, præsertim cùm Indulgentiæ majori in pretio adhuc fuerint. *Hoc etiam inde colligi potest, quòd Ioannes XXII. Papa tantùm 19. annis sedit, & tamen moriens viginti quinque miliones coronatorum in thesauris reliquit. Est autem Milion decies centum millia. Omitto eos, qui summum Pontificatum largitionibus adepti sunt. Ex quorum numero etiam Ioannes XVIII. fuit, qui, corrupto pecuniâ Crescentio Romano Consule, per factionem Pontificatum occupauit. Tantam enim vim pecuniarum Constantinopoli secum Romam detulit, vt prudentes quoque & constantes suis largitionibus ad quauis impellere posset. Cominaus refert*, Alexandrum VI. pecuniâ corrupisse Cardinalium suffragia, *adeoque pecuniâ Pontificatus apicem emisse: cui concinit hoc Iouiani Pontani epigramma:*

Vendidit Alexander Sacramenta, Altaria, Christum:
Emerat ille prius, vendere jure potest:

Volateranus de eodem testatur, quòd ad acquirendam pecuniam noua officiorum collegia excogitârit. *De hac negotiatione Romanistarum quidam his rhythmis lusit olim:*

Roma capit singulos, & res singulorum:
Romanorum curia nôn est nisi forum.
Ibi sunt venalia iura senatorum:
Et soluit contraria copia nummorum.
In hoc Consistorio si quis causam tegat
Suam vel alterius, hic imprimis legat:
Nisi det pecuniam, Roma totum negat:
Qui plus dat pecuniæ, melius allegat.
Romani Capitulum habent in decretis.
Vt petentes audiant manibus repletis.
Dabis aut non dabitur, petunt quando petis.
Quâ mensurâ seminas, cadem tu metis.
Munus & petitio currunt passu pari,
Opereris munere, si vis operari.
Tullium nec timeas, si velis causari:
Munus eloquentiâ gaudet singulari:
Nummus in hac Curia non est qui non vacet.
Crux placet, rotunditas placet, totum placet.
Et cùm ita placeat, Romanis placet,
Vbi nummus loquitur, & lex omnis tacet.
Cùm ad Papam veneris, habe pro constanti:
Non est bonus pauperi, solus fauet danti.
Etsi munus præstitum non sit aliquanti,
Respondet hic tibi sic, non est mihi tanti.
Papa quærit, Chartula quærit, Bulla quærit,
Porta quærit, Cardinal quærit, Cursor quærit,
Sed si dares omnibus, at vni deerit:
Totum mare salsum est, tota causa perit, *&c.*

Et verissimè Mantuanus quoque cecinit:

Vænalia Romæ
Templa, Sacerdotes, Altaria, Sacra, Coronæ,
Ignes, Thura, Preces: Cœlum est vænale, Deusque.

Nemo igitur negare poterit, contra Constantinop. 6. Concilij decretum, in Templis negociationem nefariè exerceri, adeoque domum Dei domum mercâtus factam esse. Praclarè enim Hieronymus ad Paulinum inquit: Quem senseris tibi aut semper, aut crebrò de nummis loquentem, institorem (*id est, negotiatorem*) habeto.

Cumque in multis Ecclesijs iuramenta & homagia præstita fuissent, id tamen in Gallicanis Ecclesijs non licuit: in Arelatensi enim Synodo cap. 23. ita præcipitur: Placita publica & secularia, neque in atrijs Ecclesiarum, neque in ipsis Ecclesijs seu Basilicis fiant. *Idem in Turonensi synodo sancitur cap. 39.* *In Templis intramenta & homagia non præstanda.*

In Salegunstadiensi Synodo anno Domini 1023. c. 9. præcipitur, vt nulla colloquia in atrio Ecclesiæ, multo minus intus in ipsa Ecclesia habeantur. *In Templis nulla colloquia habenda.*

In Templis & Cœmiterijs causas sanguinem concernentes tractari vetat Lucius 3. sub anathematis pœna, circa annum Domini 1183. Cùm, *inquit*, Ecclesia Dei, secundum Euangelicam veritatem, domus orationis esse debeat, non spelunca latronum aut sanguinis forum: seculares judices causas, vbi de sanguinis effusione & corporali pœna agitur, in Ecclesijs vel Cœmiterijs agitare sub interminatione anathematis prohibemus. Absurdum enim est & crudele, ibi judicium sanguinis exercere, vbi est tutela refugij constituta. *lib. 3. tit. 49. capite 5. Cum Ecclesia. Et rectè quidem. Absurdum autem & crudele Gregorio VII. visum non fuit, quando optimum Imperatorem* *In Templis causas concernentes sanguinem non tractandas.*

Hen-

Henricum IV. in S. Mariæ Templo Romæ interficere voluit, quodam promissâ pecuniâ ad hoc conducto, vt supra trabes Templi lapides magnos collocaret, & ita aptaret, vt de alto super caput orantis Imperatoris demitteret, ipsumque contereret, vt Cardinalis Benno testatur. Absurdum etiam & crudele ipsis non fuit visum, Henricum VII. Imperatorem in Templo hostiâ veneno infectâ nefariè necare: quod scelus à Bernhardino quodam Monacho Dominicano commissum fuit. Absurdum denique illis nunquam visum fuit, nec adhuc hodiè videtur, vnctos Domini, hoc est, Imperatores, Reges ac Principes Christianos, sed libidini Pontificum Romanorum aduersantes, in Templis fulmine excommunicationis ferire, nec tortoribus seu carnificibus sed ipsis Satanæ tradere, & æternis supplicijs addicere.

Anno Domini 1144. *Vintoniensis Episcopus in Anglia Synodum celebrauit, in qua inter alia decretum fuit*, Ne quis Ecclesiam seu Templum & Cœmiterium violans, ab alio quàm ab ipso Papa absolui possit: & hoc fiebat incensis candelis, & pulsatis campanis: *Matth. Parisius: Vuilhelmus Neubrigen. lib.* 1. *c.* 10. *In concilio Lateranensi sub Innocentio III. habito anno* 1215. *cap.* 19. *præcipitur*, Ne Ecclesiæ mundanis suppellectilibus exponantur.

In Decretis Iuonis libro 2. *exstat decretum Iulij Papæ*, vt qui Ecclesiam incenderit 15. annos pœniteat, & eam sedulò restituat. *Verùm non exstat in Iulij Decretis quæ vulgo prostant.*

Ostiarij Templorum. *Ob has causas etiam vetus Ecclesia peculiarem ordinem sacrum instituit, ad Templorum venerationem conseruandam, quem* Ostiariorum Ordinem *vocârunt. Horum officium erat* primùm, *vt Templorum pauimenta, parietes & singula quæque in Templis pura & munda conseruarentur, curare:* deinde *aperire & claudere ostia Templorum, vnde & nomen acceperunt:* tertiò, *quandò sacra publicè peragebantur, cauere, ne vel indigni sese admiscerent sacro cœtui, vel quispiam aliquid non consentaneum cum Religione Christiana in cœtu sacro faceret:* quartò, *post prædicatam doctrinam Euangelij, priusquam Dominica Cœna administrari inciperet, Catechumenos & pœnitentiam agentes, jussos per Diaconum egredi, è Templo educere, foresque occludere: ac post omnia Sacra peracta, dimissumque populum, claudere Templum, ne cuipiam in illud pateret accessus. Vide Chrysostomum in Matth. Homil.* 18. *&* 24. *Item in* 2. *Corinth. Homil.* 18.

CAPVT. XV.

De ASYLORVM Origine.

Asylum quid, & *ASylum locus est sacer & inuiolabilis, ad quem confugientes sine summo piaculo fas non est rapere & auellere. Dictum Asylum ab* α *priuato, & verbo* συλάω, *quod est, rapio, prædor, & sacrilegio polluo.* Vnde sic dicatur. *Seruius tamen Grammaticus dictum putat, quasi* ἄσυρον, *à verbo* σύρω *quod significat traho. Hinc per lambdacismum factum putat* Asylum *pro* Asyrum. *Vtcunque nomen deriuetur, non multum est laborandum: Attamen id non præteribo, hinc nomen effici* ἀσυλία, *quod ius exprimit, quo fruuntur ad Aras, Statuas & Templa confugientes. Vnde iactatur illud,* εἰς Θησεῖον καταφεύγοντες ἀσυλίας εἶχον, *hoc est, qui ad Thesei Templum confugiebant, ius veniæ habebant. Ædes verò & Simulachrum vocabant* ἄσυλον. *Pollux dicit*, Præcones vel Caduceatores fuisse ἀσύλους, *id est*, tutos, ita vt vbicunque essent inuiolati seruarentur.

Originem autem & initium Asylorum ad tempora nepotum Herculis referunt, eosque authores eorum faciunt. Cùm enim Hercules migrâsset è terris, nepotes eius, auctore Seruio in 8. *Æneid. timentes insidias eorum, quos auus afflixisset, Athenis primi omnium Asylum, hoc est, Templum Misericordiæ exstruxerunt, curâruntque decretum fieri, vt qui eò confugissent, inde non possent abduci & auelli: quod Statius etiam affirmat* 12. *Thebaidos, his verbis:* Asylorū Origo.

Fama est defessos acie post busta paterni
Numinis Herculeos sedem fundâsse nepotes.
Sic sacrâsse loco commune animantibus ægris
Confugium.

Meminit etiam Plutarchus in vita Thesei. Seruius. Polydorus Vergilius lib. 3. *c.* 12. *de Inuentione rerum. Ludouicus Viues in cap.* 34. *lib.* 1. *de Ciuit. Dei Augustini.*

Gilbertus Cognatus Narrationum lib. 4. *Asylorum Originem ad Nymrothum referre videtur, sic enim inquit:* Nimroth gigas Babylonicus, filio suo primogenito amisso, ad lenimen sui desiderij Statuam posuit, & erexit auream in Templo & in Palatio, quam tanquam Deo colere cœpit: & ad eam confugientes homicidæ, latrones, & capitalis supplicii rei, statim veniâ codicillati donabantur.

Alexander ab Alex. libro 3. *cap.* 20. primum Cadmum, dum Thebas conderet, Asylum aperuisse *dicit*, ad quod confugientes sine discrimine serui aut liberi ab omni pœna tuti erant.

Hos diu post imitati sunt Romulus & Remus, qui asylum struxerunt inter arcem & Capitolium, loco Intermontio *nominato, omnesque receperunt, neque seruum dominis, nec creditoribus nexum, nec magistratibus dederunt homicidam: sed inuiolatum locum ex Oraculo Apollinis præstare se, asseruerunt, vt sic multitudo* Asylorū Romæ origo.

eorum

Digitized by Google

eorum hominum, qui alibi ob facinora sua tuti non erant, eò conflueret, spe impunitatis ad nouam vrbem condendam incolendamque: Liuius lib.1.ab vrbe condita: Dionysius lib.2. Plutarchus in Romulo. Ouidius quoque hoc attestatur lib.3. Fast.hoc modo:

Romulus vt saxo Lucum circumdedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge tutus eris.

Vergilius etiam in 8.ait:

Hinc Lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Rettulit.

Postea verò Cæsar Augustus, cùm hoc damnosum existimaret, & nihil aliud esse, quàm multis malefaciendi causam exhibere, irritum fecit, Strabone teste; Suetonius etiam de Tiberio loquens: Aboleuit,inquit, & vim, moremque Asylorum,quæ usquam erant.

Cui verò Diuo Diuaque Templum hoc à Romulo pro Asylo erectum fuerit, non constat: etiam Dionysius ignorare se id dicit: Sunt qui arbitrentur, dicatum fuisse Veioui: Celebrabatur tamen Asyli lucus 4. Non. Feb. teste Ouid.lib.2.Fastor. Lud.Viues vt supra. Fuit & aliud Asylum, auctore Strabone in 8.Geog.non procul Troecene,in Insula nomine Calauria,Neptuno dicatum.Tum aliud in Ægypto,ad Canopicum Nili ostium,Herculi consecratum,de quo Herodotus lib.2. meminit: Erat, *inquit*, & in eo littore, quod nunc quoque est Herculis Templum, ad quod si quis cujuscunque hominis seruus confugiēs capiat sacras notas, sese Deo tradens, eum nefas est tangere: Quæ sanctio ad meam vsque ætatem prorsus immota perseuerauit. *Fuit etiam in ipsa Ægypto,sicut commemorat Strabo lib.17.& vltimo Geog. Osiris Asylum,& in Syria Apollinis. Hac Polydorus loco supra citato, & Lud.Viues. Liuius lib. 5. de bello Macedonico scribit*, Templum Apollinis Delij fuisse asylum, atque sacra Templa à Græcis vocari Asyla. *Et Romæ postea decretum fuit,vt Imperatorum Statuæ essent ἄσυλοι: Philostratus de Tiberio.*

Asylorũ in Anglia origo. *Dunuallus Molmutius Brytannorum 23. Rex, primus in suo regno Templa Deorum Asylorum loco constituit, anno mundi circiter 3535. & ante Seruatorem natum 425. vt indicat Baleus de Script.Bryt.Cent.1.cap.13.*

Asylorũ in Israele origo. *Apud Israëlitas Asylorum author, sed jussu Dei,exstitit Moses: Is in suis legibus,pluribus locis,ciuitatum refugij mentionem fecit: veluti Exod.21.Num.25.Deut.19.vbi constituuntur ab eo tres Refugij ciuitates cis Iordanem,& totidem vltra Iordanem,vt in omni Israële tantùm sex Refugij ciuitates fuerint. Tamen Deut.19.tria alia addi jubet,quando terram illorum amplificauerit Dominus.In his ciuitatibus tutus erat,quicunque eò confugiens imprudenter se cædem commisisse probare poterat: non tamen egredi licebat ei, sed illic vsque ad mortem summi Pontificis manere cogebatur, tunc demum in patriam reuerti licebat.Quòd si extra fines Asyli egressus fuisset,eum vindex inuentum impunè occidere poterat. Si verò prudenter cædem fecisse conuictus esset,sub judice pœnas morte luebat.*

Immunitas autem hac Templorum deinde, à Iudæis & Ethnicis exemplo sumpto, ad Templa Christianorum, Abbatias & Monasteria translata est.

Asylorũ apud Christianos origo. *Sigebertus, Marianus Scotus, Platina, Cranzius libro 2. cap. 1. Metrop. institutum hoc apud Christianos ad Bonifacium referunt, qui Pontificatum Roman. tenuit circa annum Christi 623.* Is, *inquiunt*, primus Pontificum jussit Aras & Ecclesias esse reis Asyla, ita vt fugiens aliquis, quouis crimine patrato, ad sacras Ædes, violenter inde non abstrahatur. *Vide etiam Balæum in vita huius Bonifacij.*

Reperio autem vsum Asylorum apud Christianos antiquiorem esse, & ante Bonifacium hunc, non solùm à Pontificibus, sed Imperatoribus quoque & Concilijs institutum fuisse, quod etiam fatetur Genebrardus in Chronogra. sua fol. 672.

Petrus namque de Natalibus lib.2.c.22.Catalogi Sanctorum indicat,Syluestrum 1. Constantini Magni tempore decreuisse, vt si quis mortis reus ad Ecclesiam confugeret, judicium mortis euadat.

Fuisse etiam in vsu inter Christianos Asyla Basilij Magni & Valentis Imperatoris tempore, ex narratione eius Historia patet, quæ exstat in Nazianzeni oratione quam in funere Basilij habuit, vbi sic ait: Accidit vt Præfectus Valentis Imperatoris assessorem haberet, qui nobilem quandam fœminam miserè deperiebat, cupiebatque illam vxorem ducere. At ea recusabat, præfectus assessori studebat: vnde vis mulieri afflictæ parabatur, quare illa confugit ad Ecclesiam: Basilius autem protexit eam jure Asyli, quod Templis & Altaribus concessum fuerat.

Asyla à Iudicibus sancita. *Auxerunt numerum Asylorum Imperatores post ea tempora, qui priuilegia fanorum gentilium sacris Christianorum Ædibus contulerunt. Testantur hoc Theodosius & Valentianus A. A. in Constitut. ad Antiochum præfectum pratorij & Coss. vbi hac ratione vtuntur:* Cùm illi qui idola adorabant, & in maxima veneratione in ea vanitate versabantur, Aras certis Sacerdotibus commiserint, & Templa quasi terris eminentiora constituerint, quanto magis decet nos, nostram Religionem colere, *&c. Item,* Aram salutis in nostris quoque statutis vetustas constituit, & qui vestigia nostrarum ima-

imaginum consequuntur, nimis aduersæ fortunæ liberati & securi redduntur. Cùm igitur Statuas tangere propter imperialem venerationem supplicibus tantùm auxilij præstet, quantum oportet præsidij ad sacratissimas Aras confugientibus præstare?

Honorius quoque & Theodosius legibus cauerunt, vt qui aliquos ab Aris & Templis vi abstraxissent, crimen læsæ Majestatis incurrerent: *vt habetur in Cod. lib. 2. De his qui ad Ecclesias confugiunt l. Fideli.*

Socrates etiam libro quinto, capite sexto, sua historia narrat, Eutropium quendam, ex proceribus Arcadij Imperatoris, cupiuisse admodum se vlcisci de ijs qui ad Ecclesiam profugerant: cumque id per legem ei non liceret, ab Imperatore legem extorsit. quâ Templis jus Asyli abrogaretur. Sed paulò post contigit, vt ille ipse Eutropius cum quibusdam familiaribus Cæsaris indignationem incurrerit: quare ne caperetur ad Ecclesiam confugit, quod tamen ei nihil profuit. *In hunc virum præsentem Chrysostomus grauiter concionando inuectus est, dicens*, Ecclesiam illum defendere non posse, qui priuilegium libertatis abstulisset ei. *Augustinus epist.* 187. *Bonifacio Comiti, qui Africam Romanorum nomine administrabat, cùm vi rapuisset quendam ex Templo, scribit*, se vehementer mirari, quòd hominem inde abstraxisset, mandatque vt incolumem quamprimum restituat, ni excommunicationis pœnam incurrere velit.

In Synodo Arausicana circa annum Domini 440. *celebrata, cap.* 5. *sancitur*, vt confugientibus ad Ecclesiam, loci sancti reuerentiâ & intercessione liceat esse tutis. *Dist.* 87. *cap. Eos qui ad Ecclesiam.*

Asylorũ abusus. *Etsi verò consuetudo hæc ab initio tollerabilis fuerit, tamen progressu temporis in non dissimulandum abusum transijt, quo scilicet Templa & Ecclesiæ Christianorum speluncæ & latibula furum, latronum, parricidarum, fugitiuorum, & quorumcunque flagitiosissimorum hominum factæ sunt, vtpote quibus ibi licuit esse tutis & securis: quam rem fortasse Bonifacius ille V. suo decreto confirmauit & approbauit.*

In Concilio enim Aurelianen. 1. *anno Domini* 512. *Celebrato, capite primo sancitur*, si homicida, adulter, fur, ad Ecclesiam confugerit, vt inde eum abstrahere non liceat. 17. *quæst.* 4. *Id constituimus. Idem etiam præcipitur in Aurelianen. Synodo* 4. *anno* 550. *habita, cap.* 21. *quo sancitur non tantùm*, vt hoc jus ab Episcopis Ecclesijs conseruetur, sed illos etiam excommunicari vult, qui facere id neglexerint.

In Ilerdensi Sydodo sub Symmacho Papa habita circa annum Domini 508. *cap.* 8. *ita statuitur:* Nullus clericorum seruum vel discipulum suum ad Ecclesiam confugientem extrahere audeat, vel flagellare præsumat. Quod si fecerit donec dignè pœniteat, à loco, cui honorem non dederit, segregetur. 17. *quæstion.* 4. *nullus Clericorum.*

In Toletana Synodo 12. *anno Christi* 681. *celebrata, capite decimo decernitur*, vt nullus eos qui ad Ecclesiam fugiunt intra triginta passus ab ea auellat aut capiat. *capite decimo septimo, quæst.* 4. *Diffiniuit sanctum Concilium.*

In Concilio Maguntino anno 813. *habito, capite* 39. *ita sancitur:* Reum confugientem ad Ecclesiam, nemo abstrahere audeat, nec inde donare ad pœnam vel ad mortem, vt honor Dei & Sanctorum ejus conseruetur, sed Rectores Ecclesiarum, pacem & vitam ac membra ejus obtinere studeant: tamen legitimè componat quod iniquè fecit.

Vrbanus in Synodo Claromont. constituit, vt qui ad Ecclesiam vel Crucem confugerent, datâ membrorum impunitate, justitiæ tradantur. *Vincent. specul. histor. libro vigesimo sexto, capite nonagesimo primo. Factum anno* 1065.

Quia verò Iustinianus Imperat. hanc licentiam seu immunitatem Asylorum tam amplam & latam Rebuspub. plurimùm obesse vidit, ideò eam limitauit & contraxit, sicut in Authent. videre licet, tit. de mandatis Principum. §. Quod si delinquentes. Vbi excipit homicidas, adulteros, fures & virginum raptores. *Nam præfecto suo scribit*, vt omninò tales puniat, nec eos patiatur vllis Asylorum priuilegijs frui. *Verba Iustiniani in Constit. hæc sunt:* ἐκτὸς ἀσυλίας τόπος μοιχοῖς, καὶ παρθένων ἅρπαξι, καὶ φωροῖ, καὶ ἀνδροφόνοις. *Asylorũ immunitas limitata.*

Carolum quoque Magnum constituisse, Auentinus libro quarto, Annal. refert, vt fures, homicidæ, & hujusmodi crimina committentes, si ad Asylum Templúmue fugâ elapsi forent, repeterentur, atque vi eriperentur.

Idem fecerunt ante Iustinianum & Carolum Ethnici quoque Imperatores. Nam juxtà Ephesinum Templum Asylum erat libertatis inuiolatæ ad stadij spacium ab Alexandro Magno extensum: Mithridates paululum plus addidit. Marcus Antonius etiam vrbis partem comprehendit. Quod Augustus tamen damnosum esse ratus, quoniam impunitate propositâ, multorum libido ad scelus inuitaretur, irritum fecit, vt refert ex Strabone Vadianus in Epime trium partium terræ in Ionia. Et Alex. ab

Alex.

Alexand. libro tertio capite vigeſimo. Experiuntur id hodiè Romani, apud quos tot ſunt Aſyla, quot Cardinalium Ædes, in quibus ſeruati fures atque ſicarij, vrbem alioqui pacatam & nobilem, veluti latronum ſpeluncam efficiunt. Tiberius quoque Caſar, referente Suetonio & Tacito, pertæſus tantæ Aſylorum libertatis, priuilegia omnibus abrogauit.

Aſylorũ immunitas à Põtificibus Romanis amplificata.

Imperatoria verò ha leges firma alioquin & authentica eneruata, obſcurata, imò penè abolita ſunt iure Pontificio, ipſorumque decretalibus. INNOCENTIVS *enim* III. *Papa circa annum Chriſti* 1205. *ad Regem Scotorum in hanc ſententiam ſcripſit:* Nemo ab Eccleſia rapiatur, quantumvis GRAVIA commiſerit. *Deinde ſanxit*, vt, qui ſe ad Eccleſias receperint, ſi poſtea liberentur, non poſſint amplius pœnâ corporis multari ejus criminis causâ, ſed tantùm quibuſdam alijs pœnis ciuilibus. Prius verò quàm præfecti Eccleſiæ illos reddant, cautionem à Magiſtratu accipiant, vt illos non occidant. *Exſtat in Decret. de Immunitate Eccleſia, cap. Inter alia.*

Exceptiones Rom. Pontificũ

Ne tamen viderentur nimis frena ſceleribus laxare, tres caſus exceperunt Pontifices Max. Primùm *defendere nolunt latrones publicos, qui vias obſident.* Deinde *nocturnos graſſatores, qui vaſtant agros* Tertiò *illos, qui vel in Eccleſia, vel in Cœmiterio enormia ſcelera committunt, freti ea ſpe, quòd ibi futuri ſint illæſi. Tales enim ab Eccleſia non proteguntur, cùm in Eccleſiam grauiter peccent. Habentur hac in Decret. de Immunit. Eccleſia L. Immunitatem.*

De Seruis etiam ſtatuerunt, ſi confugerint ad Eccleſiam, & armati fuerint, non eſſe recipiendos. *Id etiam habetur in C. De ijs qui confugiunt ad Eccleſiam. l. Si ſeruus.* At ſi eò ſe conferant iuuenes, & apud Eccleſiam quærant Aduocatos, recipiuntur: domini eorum conuocantur, qui datâ cautione impunitatis, eos recuperant.

Catera verò quantumuis grauia ſcelera, vt Homicidia, Raptus virginum, Adulteria, Furta, &c. *defendunt, quemadmodum in Decretis habetur 36. quaſtione* 1. *Canone de Raptoribus.*

Praſtant quoque illam immunitatem non tantùm Chriſtianis, verùm etiam Iudais, modò non ſimulent: Ethnicis item, nec non excommunicatis & hareticis. Diſtinguunt tamen adhuc modum: Si hæreticus propter alia crimina in periculum veniet, defenditur: Sin verò propter ipſam hæreſim, Aſylo non fruitur.

Epiſcopi & ades

Praterea non tantùm Eccleſia hac libertas conceſſa eſt, verùm etiam domui Epiſcopi etſi coniuncta non ſit Eccleſia. Quod habetur in Decret. 17. quaſtione. quarto, Can. Id conſtituimus.

Ipſi quoque Epiſcopi Aſyla ſunt facti ſceleratiſsimis quibuſque: ad imitationem Ethnicorum, apud quos, ſi Sacerdos Iouis pro foribus Templi ſtaret, qui veniſſent, ſeque pedibus eius aduoluerent, immunes erant: ſi vincti eſſent, illicò ſoluebantur, vt Plutarchus refert in problematis. Eadem ferè conſuetudo introducitur in Triburienſi Synodo capite 46. vbi ita pracipitur: Si cujus vxor conſtuprata fuerit, & propterea maritus etiam capitali ſententiâ delere machinatus fuerit, ipſa verò vrgentis mortis periculo ad Epiſcopos confugerit, & auxilium quæſierit, operoſiore ſi poteſt, epiſcopus labore deſudet ne occidatur, ſi vitam ei obtinere poſſit, reddat: ſin autem, omninò non reddat. Maritus verò quandiu ipſa viuat, nullo modò alteram ducat.

Tantundem etiam priuilegij concedunt ſuo Deo panaceo, cùm vel in pompa, vel ad agrotos circumfertur: Nam tunc Sacrifico ſi ſe aliquis adiungat, Aſylum habet.

Qui autem degunt in Aſylo, & libertatem aſſequuti ſunt, ibi poſſunt cum aduerſarijs agere. Quod ſi obarati ſunt, & fiſco debeant, Pontificij ſtatuunt, eo caſu licere judicibus hominem illum citare pro foribus Eccleſiæ. Si ſatis fecerit, benè res habet: ſin minus, procedunt ad bonorum poſſeſſionem, quæ deinde vendunt ac diſtrahunt, quoad omne debitum diluatur. Sin verò non fiſco, ſed aliis debeant, induciæ 30. dierum illis dantur, quibus è Templo exire liceat, & patronum quærere. Quod ſi contra illos pronunciatur, coguntur vel ſtare iudicato, vel ad Aſylum redire.

Aſylorũ immunitas nimia damnatur.

Auguſtinus autem de Concordia Euangeliſtarum libro primo capite duodecimo, factum Romuli & Remi, cujus ſuprà mentionem fecimus, eo nomine damnat: quòd, vt augerent vrbem quam condiderant, impunitatem ſceleratiſſimis hominibus dederint, eoſque aduerſus patriam ſuam armârint, cuius leges timebânt, ac inde pro mercede fugæ impunitatem adipiſcebantur. *Quid optimus pater dicturus fuiſſet, ſi ius pontificium de libertate Aſylorum legiſſet?*

Vnde non immeritò decreta illa Pontificum abolenda, vel ſaltem limitanda & coërcenda viſa ſunt Patribus in Colonienſ. Concilio congregatis ſub Rodolpho 1. *Imperatore, qui ita decreuerunt.* Quia nonnulli homicidia, mutilationes membrorum, & alia maleficia perpetrant, quæ non eſſent perpetraturi, niſi quia ſperant, quòd ab Eccleſijs, ad quas confugiunt, ſe tueri poſſint, & impunitatem ſuorum exceſſuum obtinere: vt confugientes huiuſ-

Digitized by Google

huiusmodi ad Ecclesias inde sine speciali licentia non abstrahantur, sed strictè custodiantur ibidem; ne inde effugiant, donec factum, vel ejus qualitas cognoscatur: quo facto reus, vel ad veniam, vel ad pœnam, pro vt facti qualitas exegerit, pertrahatur, *cap*. 13.

Eandem licentiam nimiam, & præposteram clementiam grauiter quoque reprehendit Polydor. Vergilius libro tertio de Inuent. rerum capite duodecimo. Sunt hodiè, *inquit*, in orbe nostro Christiano, præsertim apud Anglos passim Asyla, quæ non modò insidias timentibus, sed quibusvis sontibus etiam Majestatis reis patent: quod facit, vt manifestè appareat, nos id institutum non à Mose, qui illis duntaxat, qui nolentes hominem occidissent, Asylum posuit, sed à Romulo esse mutuatos. Quæ nempe res haud dubiè in causa est, cur benè multi à maleficijs minus abstineant manus. Quid, quòd Templa nostra vbique gentium istiusmodi sceleratis hominibus instar asylorum sunt? Et id contrà quàm Moses etiam instituerit, qui in Exod. capite vigesimo primo, ita sanxit: Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari meo auelles eum, vt moriatur. *His longè diuersa sanxerunt Pontifices Romani.*

MIRACVLVM falsum pro Asylorum confirmatione.

MAuri cuiusdam seruus, cùm perpetrato scelere aufugisset, in Templum Lupi Tricassinorum Episcopi, à Domino suo est deprehensus. Cùm autem irâ commotus herus in hæc prorumperet verba: En tu Lupe, non auferes mihi seruum meum; nec manu tuâ eum proteges: mox lingua eius ligatur, ac mugire instar vaccæ incipit, & die tertiâ post moritur, *si verum est quod Gregorius Turonensis refert. Huiusmodi Miracula etiam apud Ethnicos inueniuntur. Quum enim Athenensium Magistratus in eos sæuiissent, qui cum Cydone in arcem Mineruæ confugerant, & ipsi, & omnes eorum posteri violatæ Religionis Mineruæ pœnas dederunt. Sic Lacedæmonij quum violâssent, eos, qui supplices in Templum Neptuni confugerant, tam ingentibus, tamque crebris terræmontibus Sparta concussa est, vt nulla propè domus expers tantæ ruinæ fuerit.*

DE ORIGINE ET PROGRESSV
rerum quæ in TEMPLIS continentur.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De Origine Presbyterii *seu* Chori & Gremii TEMPLORVM.

Presbyterium. Gremium. Chorus.

DIXI *hactenus de Origine Templorum in genere: nunc de Origine partium eorundem, & rerum quæ in ijs continentur, quæque illis sunt adiuncta agam.*

Habent Templa pleraque omnia duas præcipuas & à se invicem distinctas partes, Presbyterium *videlicet seu* Chorum *&* Gremium, *vt vocant.*

Presbyterium *appellant locum in Templis Presbyteris & omni Clero destinatum:* Gremium *verò, in quo stant aut sedent laici vtriusque sexus: quem locum Græci* ναὸν. *Latini* Templum *seu* Nauem *appellârunt.* Presbyterium *postea nominârunt* Chorum, *à Corona: olim enim in modum Coronæ in eo stabant circum Aras, & ibi Psalmos continebant concorditer: quod postea Flauianus & Theodorus immutârunt, alternatim psallere constituentes. Durand. Rat. lib. 1. cap. 1. vel per Metonymiam contentum pro continente accipitur: significat enim* Chorus *propriè multitudinem canentium aut saltantium, Seruio auctore. D. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 22. cap. 8. hunc appellat locum* Exedram: *inquit enim:* Quod cùm ex Dominico Paschæ die tertio fieret in gradibus Exedræ, in qua de superiore loquebar loco, *&c. sic enim videtur Lud. Viui suis in hunc locum annotationibus. Dicta est autem* Exedra *à sedium frequentia, & sedendi commoditate, quòd huiusmodi loca circumquaque suas habeant sedes. Erant in Græcia crebræ in Gymnasiis, præsertim vbi Philosophi disputabant. Vitruuius lib. 5.* Constituantur, *inquit,* exedræ spaciosæ, habentes sedes, in quibus Philosophi, Rhetoresque, ac reliqui, qui studijs delectantur, sedentes disputare possint. *Græci hanc partem etiam appellârunt* βῆμα *&* ἱεράτειον, *hoc est,* Sacrarium *siue* Sanctuarium, *quæ diuisa erat à reliquo Templo gradibus, cancellis, & velis siue aulæis, neque eò penetrabant alij quàm Sacerdotes, cum suis Ministris clericis.*

Exedra quid.

Porticus Templorum.

His duabus partibus accessit progressu temporis tertia, Porticus *videlicet ante ingressum in Templum: Eam Græci* Πρόναον, *Latini* Vestibulum *dixerunt, in qua manserunt pœnitentes.*

Presbyterium *autem seu* Chorus *ab initio non vbique in extrema, sed aliquibus in locis in media Templi parte steiit, sicut & Altare, quod Choro assignatur, quemadmodum, cùm ad Altaria ventum fuerit, multis comprobatur. Leonardus Rauvvolff in descriptione peregrinationis suæ in terram sanctam lib. 3. cap. 11. refert*, Hierosolymis hodie adhuc Chorum, quem Græci occupent, in media parte Templi montis Caluariæ situm esse. *In alijs tamen Templis* Chorus *prima seu extrema pars fuit.*

Facta est hæc distinctio ad imitationem Hierosolymitani Templi, quod partes tres præcipuas habuit. Prima appellabatur Sanctum Sanctorum, *&* Adytum *Ædis, vel Oraculum Templi. Secunda* Sanctum. *Tertia* Atrium. *In Sanctum Sanctorum nulli hominum licebat ingredi, nisi semel in anno summo Pontifici tantùm. Sanctum verò solis Sacerdotibus patebat per vices Sacra facientibus, seu ministrantibus. In Atrio colligebatur populus, qui ad Aram holocaustorum omni ex parte prospectare poterat, cùm contemplandorum sacrorum gratiâ aduenisset.*

Chorus Orientem versus apud Christianos quare.

In eo solùm discrimen fuit, quòd apud Iudæos Templorum pars prior, quæ ipsis Sanctum Sanctorum *dicebatur, stabat Occidentem versus, quòd illi expectarent adhuc Messiam: deinde ne Ethnicos imitari viderentur, qui Orientem versus adorabant. Quia verò venit nobis bened. Etus ille*

ille Rex Israël, ideò Christiani priorem Templorum locum versus Orientem ædificare progressu temporis cœperunt. De Antiochenis autem Syris Socrates in hist. Ecclesiast. indicat, quòd ipsorum Ecclesia inuersum habeat situm : lib. 5. cap. 22.

Vualafridus Abbas, qui circa annum Domini 840. *floruit in lib. de officijs ac ritibus Ecclesiast. capite quarto, cùm de Ecclesiarum seu Templorum forma disseruisset, ac testatus esset, maiorem nunc partem Ecclesiarum ita fabricari, vt qui in eis orent, Orientem respiciant; addit,* veteres non admodum solitos fuisse, in quam partem vel Templa, yel Altaria fuissent conuersa, quod vbique Deum esse scirent: sed recentiores tantùm ad Orientem conuertisse. *Et rectè quidem; Nam etsi veteres ad Orientem ex consuetudine precati sint, sine omni scriptura, vt est videre dist.* 11. *cap.* 5. *non tamen communiter ab initio caput Templorum suorum precisè versus Orientem exstruxerunt. Error igitur ex consequente est, quòd Bellarminus, Durandus & alij ex Pontificijs contendunt,* anteriorem partem Templorum suorum Orientem versus spectare debere, quasi majori cum sanctitate Deus ad hanc mundi partem adoretur, & nos propterea facilius exaudiat. *Hanc Orienti tribuere præ cæteris mundi partibus sanctitatem, superstitiosum est. Vnde etiam Augustinus libro* 2. *de Serm. Domini in monte, rationem reddens, cur Christiani ad Orientem orent, aliam istius consuetudinis causam indicat:* Cùm, *inquit*, ad Orationes stamus, ad Orientem conuertimur, vnde cœlum surgit: non tanquam ibi sit Deus, & quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui vbique præsens est, non locorum spacijs, se majestate potentiæ: sed vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem se conuertere, id est, ad Dominum, cùm ipsum corpus eius, quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est ad corpus cœleste conuertitur. *Hæc Augustinus. Ista autem admonitio fieri potest, ad quamcunque cœli plagam homo se inter orandum conuertat.*

Rationes Bellarmini pro prima parte Templorum versus Orientem

Rationes autem, quas Bellarminus ex Durandi. lib. 1. *capite primo, numero* 8. *& lib.* 5. *capite* 2. *numer.* 57. *in cap.* 3. *libri* 3. *de Cultu sanctorum transcripsit sunt quinque. Prima est,* quia paradisus versus Orientem erat: ergo versus Orientem precandum est, & Templorum caput eò spectare debet. *Respondetur esse fallaciam à non consequente. Nam in Diluuio Deus ipse paradisum deleuit: quo ipso significare voluit, vbique locorum nos Deum piè inuocare posse, quod etiam apertissimis verbis Paulus docet.* 1. *Timoth. secundo capite alioquin Paradisum reliquisset, si versus illum nos præcisè orare voluisset.*

Secunda, Quia cœlum ab Oriente surgere & moueri incipit. *Respond. Sphæra planetarum, ac proinde etiam Solis, cui Christus comparatur Psal. octuagesimo quarto, Isa.* 60. *Malach.* 4. *ab Occidente in Orientem motu proprio mouentur. Quod si ergo iuxta cœlorum & Astrorum motum orandum est, non versus Orientem, sed Occidentem potius conuerti peccantes debent.*

Tertia, Christus quem adoramus, est Oriens: sic enim vocatur Zachar. 6. *Respond. Hæc ratio sumitur ex falsa interpretatione verborum Prophetæ. Ex falso autem nil nisi falsum sequitur. Neque enim à Propheta vocatur* Oriens, *sed* Germen: *sicut idem Zacharias Christum etiam vocat Germen. cap.* 3. *eoque seipsum interpretatur. Quod si ergo locus hic Prophetæ ad rem præsentem aliquid facit, versus Germen & herbas crescentes orandum erit, quia Christus sic appellatur.*

Quarta ratio Iesuitæ est: quia Dominus ipse moriens in cruce, Occidentem respiciebat, ideò ad Orientem nobis orandum est, vt quasi in faciem crucifixi intueamur. Et quia ipse ascendit in cœlum versus Orientem, Psalm. sexagesimo septimo, propterea in precibus ad Orientem respiciendum, vt quasi eum ascendentem votis ac precibus deducamus. Denique quia ipse ab Oriente venturus creditur ad iudicium, Matthæi vigesimo quarto, ad Orientem precandum, vt quasi venturum iudicem expectemus. *Respondetur ad primum, Christum in monte Caluariæ pendentem in cruce Hierusalem intuitum esse, ideoque Orientem, non Occidentem versus spectâsse. Ergo qui inter precandum quasi in faciem crucifixi spectare vult, versus Occidentem, non Orientem faciem obuertet. Verum autem esse quod dicimus, descriptio Hierosolymorum exactissimè fideliss:méque nuper edita satis probat. Ad secundum est falsa allegatio, neque enim hoc reperitur in textu Psalmi* 67. *cuius meminit Bellarminus. Ad tertium respondeo, Christum his verbis non velle significare, ex qua regione vel plaga cœli ad judicium venturus sit, sed potius qualis ejus aduentus futurus sit, nimirum subitus, repentinus ac improuisus, deinde etiam illustris & conspicuus. Falsus igitur sensus verbis Christi à Bellarmino affingitur.*

Quintum argumentum est, quia Iudæi orârunt ad Occidentem, propterea Christianos versus Orientem orare oportet, ne Iudæos imitari videantur. *Sed contra, quum Christus eiusque Apostoli in Templo Hierosolymitano more Iudæorum versus Occidentem precati sint, quis dicere ausit, eos qui hos sequantur, magis peccare, quàm qui Ethnicos imitentur: Hos enim orâsse versus Orientalem plagam Cicero testatur in libro de Natura Deorum. Persas quoque Sôlem oriente adorâsse*

Historici trodunt. Apud Ezechielem etiam cop.8. in visione ostenduntur Propheta 25. viri, in Templo Hierosolymitano more Ethnicorum Orientem Solem adorantes: sed propterea à Deo reprehenduntur. Vnde non obscurè colligitur, damnari à Deo, qui Orientem versus, Religione quadam Ducti, orent.

His argumentis & rationibus ego sextam, & quidem firmiorem pracedentibus addo; videlicet apud Iustinum & Basilium legi, Apostolicam traditionem esse, vt facie conuersâ ad Orientem oremus. Sed respondetur, eos hanc traditionem non probare ex Sacris Literis, ex quibus contrarium potius euinci potest: Christus enim inter precandum neque ad Orientem, neque ad Occidentem, vel aliam cæli plagam faciem conuertisse legitur, sed sublatis simpliciter oculis in cælum. Et hanc superstitionem veluti damnans Ioan. 4. inquit: Venit hora, quando neque in hoc monte Garizim, neque Hierosolymis adorabitis Patrem, &c. Adhac multa ab initio Christianismi solâ consuetudine, vel etiam eorum qui Ecclesiis praerant arbitrio obseruari cœpta, aut etiam ab hareticis conficto, ad Apostolos progressu temporis relato fuerunt, quo major esset eorum authoritas. Manifestum hoc est ex Socratis libro 5. capite 21. vbi Ireneus testatur de Ieiunio ante Pascha, fuisse quondam simplicem & vulgatam consuetudinem: Progressu autem temporis inde facta est traditio Apostolica. Idem quoque Socrati visum est, de controuersia inter Asiaticos & Occidentales de Paschatis celebratione. Denique Durandus ipse testatur libro quinto. Rational. capite 2. numero 57. Vigilium Papam circa annum Domini 540. primum instituisse, vt versus Orientem conuertant se Christiani in Templis & alibi precantes.

Distinctio Templorum quando cœperit

Hac autem Templorum distinctio, de qua paulò supra, quandò primò cœperit, ab authoribus non indicatur. Aut si maximè Constantini M. atate, vel paulò ante eam, cum magnificis Templorum substructionibus cœpit, illud tamen certò non constat, quando, quo authore & cuius mandato Clerus à populo in Templis fuerit separatus.

Clerus à populo quando & à quo in Templis discretus.

Exstat quidem Clementis 1. decretum, quo prohibet laicos Presbyterium ingredi, dum Sacerdotes Missas celebrant, vt refert Platina. Vnde quidam probare volunt, iam tum distincta in Templis fuisse loca, vbi Presbyteri & Clerici steterint. Sed decretũ hoc falsò Clementi tribui existimo: & tres sunt causa qua me mouent. Prima, quòd Clementis huius tempore Christiani nulla prorsùs Templa in toto orbe habuerunt., vt suprà pluribus indicauimus. Secunda, quòd ea quoque atate Missa vocabulum, cuius Clemens in suo decreto meminit, penitus incognitum fuit. Tertia, quòd decretum hoc in Decretalibus Clementis nusquam reperitur.

Ex ea verò narratione qua apud Theodoretum libro quinto, capite decimo octaua, & Sozomenum libro septimo, capite vigesimo quarto, exstat, apparet, hanc in Templis Cleri & populi separationem Ambrosii tempore in vsu fuisse, incertum tamen à quo instituta. Cùm enim Theodosius Imperator pro more intra cancellos, qui locus tum Sacerdotum solus, sed Imperatori etiam propter eminentiam hactenus patuerat: consistere voluisset, exire iussus fuit ab Ambrosio Episcopo Mediolanensi, ob cædem Thessalonicæ perpetratam, ac cum reliquis assistere. Demonstrauit illi Ambrosius (inquit Theodorus) discrimina locorum; primumque num quid vellet interrogauit? Cui Imperator cùm respondisset, expectare se communicationem diuinorum Mysteriorum; hæc illi per primarium suum Diaconum mandauit: Interiora, ô Imperator, solis Sacerdotibus patent, reliquis verò omnibus inaccessa & intacta: proinde exi, & communiter cum reliquis assiste, nam purpura Imperatores, non Sacerdotes facit. Neúe assentationem aliquam resiperet, & legitimum ordinem excederet, vt Theodoretus loquitur, si Imperatores in ea Ecclesia loco, in quo Sacerdotes, propter excellentiam à plebe separati, sederent, eum locum Imperatoribus in Ecclesia deputauit Ambrosius deinceps, qui ante Cancellos esset Sacrarij seu Presbyterij, in quo erant Sacerdotes, ita vt Imperator ante plebem quidem pracipuo loco, ante ipsum verò Serdotes sederent. Quam præscriptionem optimus Imperator reuersus Constantinopolim quoque seruauit. Nam cùm festiuitate quadam in Templum ibi venisset, & munera ad sacrum Altare obtulisset, statim exiit: quem cùm interrogaret Nectorius Constantinopolit. Episcopus, cur non maneret? vix, inquit, cum gemitu perdidici discrimen inter Imperatorem & Sacerdotem. Theodoretus ibid.

Non potuit autem Ambrosius vllum vel exemplum vel testimonium proferre Noui Testamenti, quin totius primitiua Ecclesia vsque ad sua tempora, quo probauerit eiusmodi distinctionem Templorum, & in iis Cleri à populo separationem talem, vt interiora solis Sacerdotibus paterent, reliquis verò omnibus, ipsis quoque Imperatoribus, ea ingredi nefas esset & piaculum. Sunt enim Imperatores, Reges Principes & quicunque magistratus politici præsertim fideles, haud minus quàm Episcopi, Sacerdotes & Clerici Serui Dei, Vncti Domini imò Dij quoque: Qua ratione itaque, si maximè quæ loca in Templis aliis sanctiora essent, vt nulla sunt apud Christianos, nec esse debent; non perinde liceret ipsis etiam, ea accedere, vt Sacerdotibus licet? D. Chrysostomus homil. 74. in Matthæum causam reddit, ob quam Apostolorum ætate viri ac mulieres non separatim,

tim, sed vnà orârint, quòd scilicet apud Deum nullus sit personarum respectus, imò neque Iudæus neque Græcus, non seruus neque liber, non masculus nec fœmina in Christo Iesu secundum Apostolum. *Quanto magis hoc argumento vti licebit, contra illos, qui non viros à mulieribus, sed viros à viris, & Imperatores quidem, Reges ac politicos Magistratus à Sacerdotibus in Templis discernunt & separant?*

Nec est quòd mihi Hierosolymitanum Templum obiiciant, in quo Sanctum solis Sacerdotibus patebat: nam hoc pacto Sanctum Sanctorum & reliqua quæ typi, figuræ & vmbræ rerum futurarum in veteri Testamento fuerunt, in Christi reuocanda forent.

Etsi verò posthac Constantinopoli quoque piissimus Imperator Teodosius non amplius, vt consueuerat, in Presbyterio sederit, sed extra illud, ante tamen plebem in excellentiori quodam loco, eamque consuetudinem sequentes aliquot Imperatores sine dubio obseruârint, nihilominus in Constantinopolitana Synodo 6. concessum rursus fuit à Patribus, videntibus nimirum rei indignitatem iniquitatemque, vt ex laicis Cæsari saltem ingredi Chorum liceret. *can.69. Vide Caranzam fol.324. b.*

Non igitur puto hactenus lege aliquâ, sed consuetudine tantùm Laicos à Clericis separatos in Templis fuisse.

Pontifices Rom. primi lege clerum à populo in Templis discreuerunt.

De Felice IV. autem, qui pontificiam Sellam ascendit anno Christi 525. Balæus & Panth. in Chron. aliique referunt, quòd primus Clerum à populo in Ecclesiis dum sacra peragerentur, discreuerit lege. *Idem fecit Bonifacius II. Felicem hunc proximè secutus, teste Balæo & Sabellico. Confirmatur hoc etiam in Synodo Turon. 2. anno 570. celebrata iuxta Panuinium, c. 4. Idem etiam decreuit Leo IV. anno 847. in Synodo à se Romæ habita cap.32. Sigebert. Sabellicus Enn.9. lib.1.*

Clerus à populo quare in Templis à Pontificibus disiunctus.

Factum hoc ab ipsis duplici de causa: Primò, *vt populum in electione Pontificum suis vocibus, suffragiis ac locis tandem priuarent:* Secundò, *Ne cuiquam eorum liceret in ciuili vel criminali causa Episcopum aut Clericum ad secularem iudicem vocare: cùm ab initio hanc solùm ob causam hæc distinctio locorum & personarum instituta fuerit, ne scilicet à plebe confusa Sacra interturbarentur. Sed vide quid ex hac arrogantia illis euenerit: dum per capita rasa, digitos vnctos, & sacella disiuncta, cæteris sanctiores cum ipsis Pharisæis haberi voluerunt à Christi sanguine redemptis fidelibus se separantes, Atrium illud ingrediuntur, quod calamo non metiri, sed eiici foràs Dominus iussit Apocalyp.11. Timendum est ipsis, ne inde fiant hædi, ab agnis in vltimo examine segregandi, Matth.25. tanquam ad mysticum Christi corpus non pertinentes. Hinc facilè est iudicare, quantum isti ab Apostolo Petro discrepent, quem tantopere iactitant: cui fas non erat Cornelium gentilem laicum vel profanum statuere. Actor. 10. Balæus in actis Rom. Pontif. Centur. 1. capite 46. Script. Britanniæ.*

Presbyterium à reliqua Templi parte cancellis distinctum.

Ex ea verò narratione quæ apud Theodoretum & Sozomenum exstat de Theodosii condemnatione colligi potest, locum illum, in quo Sacerdotes sederunt, à laicis Cancellis quibusdam distinctum fuisse, atq. vt ex Chrysostomo colligi potest, quadam in parte sacrorum velo quodam & cadurco obtentum. Fecerunt hoc ad imitationem non solùm Iudæorum, apud quos in Sanctum Templi venire plebi non licebat, verùm sacris tantùm Ministris, sed Ethnicorum quoque, qui in suis Templis etiam quædam loca habuerunt, ad quæ fas non erat accedere profanos, sicut indicat Eusebius in lib. de vita Constantini.

In Choro quoque differentia locorum fuit.

In Ipso etiam Choro quædam distinctio locorum esse cœpit, in quibus Clerici sederent: vt patet ex can.38. Toletani Concilij 4. Alii enim in primo Choro, vt Presbyteri, alii in secundo, vt Diaconi, sessiones suas habuerunt.

Et in Constantinopol. Concilio sexto testatur Constantinus Presbyter Ecclesiæ magnæ, quòd cùm Photinus Episcopus Carthaginé. Constantinopolim venisset, & acturus Missas in Templo Mariæ, quæsiuisset, vbi deberet sedere, vtrum ante Metropolitanos, qui ibi morabantur, an post eos: ibi inuentum esse in Bibliotheca librum quinti Concilii Latinum, qui singulis sua loca & sedes distribueret. *tom.2. Concil.*

Viri à mulieribus etiã in Templis separati fuere, & curè

Ex Chrysostomi quoque homil. septuagesimo quarto, in Matth. colligitur, Constantinopoli locum illum extra Presbyterum distinctum fuisse, & mulieres à viris parietes quosdam separâsse: Oportet, *inquit,* interiore parte à mulieribus disseparari. Verùm quoniam non vultis necessarium esse, patres nostri putauerunt, saltem his ligneis parietibus vos disseparare. *Sed mox addit,* parietes illos ab initio non fuisse, sicut à senioribus acceperit, in Christo Iesu enim non esse nec marem nec fœminam. *Docet quoque ibidem,* Apostolorum tempore viros & mulieres vnà orâsse. *Indicat tamen simul etiam causam, ob quam parietibus istis plebs Constantinopoli separata fuerit:* quòd nimirum multi ad formas mulierum aspiciendas, & ad adolescentulorum pulchritudinem curiosius intuendam in Ecclesiam venerint. *Vnde illud vitium taxans,* Quid facis homo *(inquit)* mulierum speciem curiosius in Ecclesia perscrutaris, nec horrescis tantâ Templum Dei afficiens contumeliâ? Prostibulúmne tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior? Nam in foro erubescis, etiam times ne quis te videat mulierem sectari: in Ecclesia verò Dei, cùm ipse Deus te alloquatur,

& ab istis deterreat, eo ipso, inquam, tempore maximè fornicatione ac adulterio veteris, quo tibi magna voce intonatur, vt ab his fugias, nec horrescis, nec stupes. Sanè præstaret cæcos, aut aliter ægrotos esse, quàm ita oculis turpiter abuti, *&c.*

Philo Iudæus lib. de vita contempl. seruari solitum ab Essenis tradit, quos Hieronymus de Script. Eccles. in Philone Christianos fuisse affirmat, vt viri à mulieribus distincti essent cùm agerentur sacri conuentus, *his verbis:* Commune Sem νεῖον, in quod septimo quoque die conveniunt, septo clauditur duplici, separatis virorum & mulierum cœtibus: nam mulieres quoque simul auscultant ex more, duntaxat quæ institutum idem sequuntur. Medius autem paries à solo surgit tribus quatuorúe cubitis in modum loriculæ. Superiora vsque ad tectum patent: vnde gemina prouenit commoditas, & quòd pudori fœminei sexus consulitur, & quòd verba Doctoris exaudiunt facilè absque vllis obstaculis, quæ vocem ejus intercipiant. *Eadem quoque apud Clementem Const. lib. 2. cap. 61. ac magis distinctè leguntur: vide locum tomo 1. Concil. Surij. Nazianzenus ex his quæ scribit in somnio Anastasiæ, supra Ecclesiæ porticus mulierum locum fuisse demonstrat, cùm ait:* Sanctæ virgines vnà cum grauibus matronis è sublimi tecto castissimas sermonibus meis aures inclinabant. *Confirmant hæc quæ de S. Chrysostomo Metaphrastes in vita eius scribit:* nimirum Clericum Sacris assistentem, cùm mulierem sursum in tabulato manentem procaciter inspexisset, ab altari mouisse. *De loco insuper, vbi virgines à cæteris fœminis separatæ agerent in Ecclesia, Ambrosius ab virg. lapsæ meminit his verbis:* Nónne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ matronæ & nobiles certatim currebant, tua oscula petentes, *&c. Procopius etiam de ædific. Iust. lib. 1. hæc habet:* Sunt duæ vtrinque porticus, quas fastigiata testudo & aurum venustant: harum vna viros orantes, altera mulieres admittit. *In Ecclesia quoque Romana distincta fuisse in Basilicis loca virorum & mulierum ex Symmachi & Gregorij III. Paparum vitis liquet.*

Sic etiam locus interior Templi Hierosolymitani muro fuit discretus, quo fœminæ tam indigenæ, quam peregrinæ, orationis causâ conuenerunt. Ita enim Ioseph. lib. 6. c. 6. de Iudaico bello in descriptione Tẽpli ab Herode restituti: Necessariò *inquit,* proprius locus Religionis causâ mulieribus destinatus, muro discernebatur: altera quoque porta opus fuisse videbatur. Contra primam verò secreta erat, ex alijs regionibus vna Porta Meridiana, & vna Septentrionalis, quibus ad mulieres introibatur: per alias enim transire ad mulieres non licebat: patebat enim locus ille pariter indigenis & hospitibus fœminis, Religionis causâ venientibus.

Præterea etiam Constantinopoli alijsque in Templis locus fuit extra Chorum, quem Paulus Diaconus lib. 22. & 23. rerum Roman. Catechumenium *appellat, in quo Catechumeni stabant vel sedebant. Erant autem* Catechumeni, *qui nuper de gentilitate venerant, & habebant voluntatem credendi in Christum, vt Isidorus de officijs indicat: vel, qui ex Christianis quidem parentibus erant geniti, nondum autem erant baptizati, ideoque etiam in Religione seu fide Christiana nondum perfectè instituti, vnde & nomen* κατηχουμένων *hoc est, nondum initiatorum, sed qui adhuc imbuuntur elementis Religionis, sortiti sunt. Hi non admittebantur ad communionem, sed dum illa fiebat, foras exire iubebantur, ideoque etiam inter initiatos seu perfectos non sedebant, sed peculiarem & ab alijs separatum locum in Templis habebant.*

Catechumenium.

Catechumeni, qui

CAPVT II.

De Origine CRYPTARVM.

A *Constantini Magni demùm tempore in prima Templorum seu Basilicarum parte, sub Choro, vti vocant, cœperunt ædificare subterraneum quoddam specus siue cauernam, quam Græco quidem vocabulo, sed Latinis quoque vsurpato* Cryptam *vocârunt. Vnde & nos Germani nostrum mutuati sumus vocabulum, qui eiusmodi Templorum partem vocamus* Klufft *vel* Krufft *hoc est, cauernam seu antrum. Hæc ferè Bullingerus lib. 1. de Origine erroris c. 21.*

Cryptæ quando cœperint. Cryptæ vnd. dicantur.

Onophrius Panuinius in Appendice ad Platinam hunc locum in Templis videtur appellare Confessionem, *dicit enim:* Antiquitùs Confessio idem erat quod Martyrium, scilicet Ecclesia in Martyrum honorem consecrata. Nunc verò in omnibus totius orbis terrarum Christianorum Ecclesijs, quæ duplices sunt, superior scilicet, & inferior (quales multæ per totam Lombardiam & Italiam, Romæ etiam modò exstant, & plures exstabant) appellatur vsque hodiè inferior Ecclesiæ pars sub Altari majori ædificata, vt Parmæ in Cathedrali, Veronę ad S. Stephanum, Romę ad S. Priscam, S. Martinum in montibus, & alibi. Earum similitudine Confessio dicitur locus imus sub gradibus, & Altari majori Ecclesiarum S. Petri, S. Pauli Lateranensis, S. Laurentij extra muros, S. Marię majoris & aliarum. Quę Confessio non sine materiali Ecclesia fit. *Exstruebantur autem à veteribus illis huiusmodi specus vel antra in Templis ob memoriam persecutionum, quibus*

Crypta alias Confessio.

Crypta quare in Templis ædificata

Christia-

Christianis sub Imperatoribus ante Constantinum ne prodire quidem interdum licebat, ideóque suos conuentus & sacra in abscondito & quandóque in antris aliisque latebris exercere cogebantur. Bullingerus ibid.

Ædicula salutatoria.

Præter has Templorum partes erat etiam domuncula annexa Templo, quæ dicebatur Ædicula salutatoria, *vbi sedebat Episcopus cùm se pararet ad sacram concionem: De qua vide Eusebium lib. 3. de vita Constantini, vbi describit Templum, quod Hierosolymis ad Christi sepulchrum Constantinus exstruxit: Item Theodoretum libro quarto cap. 20. & libro quinto cap. 17. Hieronymum de obitu Nepotiani: Vualfridum cap. 4. & 6.*

CAPVT III.

De Origine CATHEDRÆ EPISCOPI, quam alij AMBONEM vocant.

Cathedra quid. Cathedra vnde dicta.

CAthedræ *vox Græca est, Glossator lib. 7. Clementinarum, tit. 7. De Sepulturis,* Cathedram, *secundum Hugonem, componi ait à* Κάθος, *quod sit sedes: &* ἕδρα, *quod sit sponda, & dici, quasi spondata sedes. Verùm inepta est deriuatio:* Κάθος *enim, in hac significatione, Græcum non est: sed propriè significat Vas vel mensuram frumenti. Componitur autem à* κατὰ *&* ἕδρα, *quod significat sedem, subsellium, sellam: quasi sit locus circa sedem vel sellam, seu qui ambiat sellam, in qua Doctor verba facturus residet. Est igitur* Cathedra *locus sublimior circa sellam professorum, concionatorum aut declamatorum. Differt à solio & tribunali iuxta versiculum:*

> Rex solium: Doctor Cathedram, Iudexque Tribunal
> Possidet: ac sedem Præsul, Prætorque curule.

Ambo quid.

Idem etiam significat nomen Ambonis *quo vtitur Socrates lib. 6. cap. 5. suggestum scilicet seu pulpitum, ex quo Episcopi, vt clarius audirentur à populo concionari solebant, sicut eodem loco Socrates testatur, & Lectores vel Diaconi lectionem seu Euangelium recitare. Huiusmodi locum Templorum D. Cyprianus honoris causâ* Tribunal *quoddam Ecclesiæ appellauit. Ab ambiendo dictum volunt, quòd locus ille vtrinque gradibus ambiatur. Nam in quibusdam Ecclesiis duo ordines graduum visuntur, vnus à sinistris, quo fit ascensus versus Orientem, alter à dextris, Occidentem spectans, quo fit descensus. In quibusdam verò Ecclesiis Diaconus vnâ, Subdiaconus alterâ viâ in pulpitum, seu Ambonem conscendit. Expositor Romani ordinis* Ambonem *ideò hanc appellationem habere tradit, quòd ambiat & cingat intrantem. Sed veriùs est Græcam esse vocem* ἄμβων ἄμβωνος, *quæ intercatera significat* ascensum, *& locum editum, à verbo* ἀναβαίνειν, *quod est ascendo. In Laodiceno Concilio cap. 15. quod Græcè est,* τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων, *Latinè legitur,* qui pulpitum ascendunt. *Panuinius in interpretatione vocum obscur. Ecclesiast. in calce Platinæ fol. 9 3.*

Pulpitũ quid.

Dicitur etiam Pulpitum *quasi* publicum, *quòd qui ipsum conscenderint, spectari simul & audiri publicè possint. Fuit* Pulpitum *antiquitùs locus editior in orchestra, in quo Chorus Tragœdiarum & Comœdiarum, cæterique personam non habentes, fabulæ subseruiebant, histrionibusque in scenam abditis, ipsi populum gesticulationibus detinebant. Inde pro quocunque editiore loco ponitur.*

Suggestus.

Item Suggestus, *siue quòd constet ex suggesta, h. e. congesta materia in qua concionatores stare possint, siue quòd inde populo suggeratur, quod in rem eius esse possit.*

Lettner.

Germani huiusmodi Cathedras *sacras corruptè appellant* Lettner, *cùm à prælegendo priscis nominata sint* Lectner / *nimirum quòd inde Sacerdotes sacras literas populo in cœtum congregato prælegerent ac interpretarentur. Bullingerus in 23. cap. Matth.*

Cantzel.

Eademq; loca nos Germani vocamus Cantzel / *à Cancellis, quibus muniri solent, aditusque eorum præcludi, haud aliter quàm scenæ, tribunalia atque fenestræ iis muniuntur.*

Cathedrã in Tẽplis author.

Clemens autem Episcopus Romanus circa annum D. 90. statuisse dicitur, vt Cathedra Episcopalis in eminentiori loco statuatur vel erigatur, in qua stans seu residens Episcopus, omnes possit circumspicere, & ab omnibus circumspici. *dist. 95. Martinus Polonus in Supputationibus in vita Clementis: Antoninus titulo 7. cap. 2. Mirùm verò si Clemens circa hæc, quæ res ipsa admonet fieri debere, occupatus fuerit: nam res per se, sine mandato, postulat, vt altiore quàm alij loco stent Concionatores, quò nimirum inde ad populum verba facientes, commodiùs & faciliùs, maiore etiam cum authoritate & gratia audiantur: adeoque locus hic in quo verbi diuini ministri stant docentes populum, egregiè etiam sui officij eos admonet, vt scilicet meminerint, quando in altis his locis steterint, se & videri posse ab omnibus & diligentes ac prauidos habitus sui, gestuum, vitæ & morum suorum custodes esse oportere, quando homines plebeij in illa externa ferè magis oculos intendunt, quàm in verba dicentis. Vnde & lux mundi, & in specula positi, & capita appellantur. Ac quemadmodum ipsi in omnium hominum vitam ac mores ex alto inspiciunt, sic in ipsorum vultus, gestus, voces ac mores, populus omniũ oculos suos intendit. Qua de causa qui locum hunc excelsum conscendunt, prudenter & cautè sese gerere debent, ne quid faciant aut dicant, quod eorum persona officioque sit indignum, proptereaq; eis vitio verti queant.*

Cathedrã Episcopalis quare alta.

Google

Cathedra episcopalis ne sit sumptuosa.

Talem autem Cathedram in Templis non debere esse sumptuosam ex Epistola Concilij Antiocheni apparet, quæ inter mores portentosos Samosateni, hoc quoque numerat, quòd non contentus mediocri, vt discipulus Christi, sede, gradum sibi in Ecclesia & thronum ad morem Principum huius seculi exstruxerit. *Hoc verò non obseruârunt aliquot Pontifices Maximi, qui Romæ in multis Templis has Cathedras splendidissimis pulcherrimisque marmoreis tabulis & porphyreticis lapidibus exornârunt, sicut referunt Platina in vitis Pontificum, Onophrius Panuinius in Appendice ad Platinam, aliíque. Hac ratione autem fit, vt stupidus populus in talı ornatu & pompa animum occupans, doctrinam, quæ ex hoc loco proponitur, parùm attendat.*

De Vor/ seu Portkirchen.

Vorkirch

SEbastianus Frank in suis Chron. fol. 476. superiorem illum Ecclesiarum seu Templorum locum, qui ab inferiore paulùm est eleuatus, & quo multi virorum inter concionandum sedere solent, vocat Germanicè Pfortkirchen/ à portis, vt opinor, Templorum, quibus plerunque locus ille imminet, quem nos Heluetij corruptè vocamus Vorkilchen/ quasi Port seu Pfortkirchen.*

CAPVT IV.

De Origine BAPTISTERII.

Quibus in locis baptizarint Apostoli & primitiua Ecclesia.

APostolorum ætate locis ad baptizandum, prout tulit occasio, liberè vsi sunt fideles, quibuslibet. Nam Ioannes Baptista Christum in Iordane, Philippus quoque Eunuchum in flumine baptizauit. Act. 8. Videtur etiam Lydia, vnà cum familia sua, Philippis in flumine, ad quod solebant fieri precationes communes, baptizata esse: Act. 16. Custos carceris à Paulo & Sila conuersus, videtur in ædibus suis baptizatus esse. In Corinthiaca Ecclesia super mortuis, h. e. in eo loco vbi sepeliebantur, baptizâsse, ex 1. Cor. 15. constat: Non tamen exprimitur an ibi fons aliquis fuerit, vel peluis, aut aliud vas aquâ plenum, ex quo baptizârint. Nec statuerunt Apostoli Christusque ipse vsquam legem, de certo aliquo loco vbi, aut de vase ex quo baptizari oporteat, eligendo. Eamque ob causam nihil etiam expressi seu certi hac de re in primitiuæ Ecclesiæ Historia reperitur. Vincentius quidem ex Martyrologio libro decimo capite 106. indicat, Pium Pontificem Romanum circa annos Christi 150. consecrâsse Baptisterium in thermis Nouati: *sed id eadem fide, quâ multa alia, facit: neque enim Iustinus, qui Pij coætaneus fuit, vel Baptisterij, vel consecrationis eiusdem facit mentionem. Credibile autem in sæuissimis illis ante Constantinum Magnum persequutionibus, quando nulla adhuc Templa Christiani habebant, mansisse eam libertatem, quæ Apostolorum fuit temporibus, vt vel in fluminibus, vel si flumina nulla ad manum essent, ex vase quocunque, honesto tamen mundóque, baptizârint & aquâ homines perfuderint vbiuis locorum. Ita in carcere baptizatos conuersos indicat Historia de Basilide apud Eusebium lib. 6. cap. 5: & in lecto ægrotantes, vt prolixè ostendit Cyprianus in Epistola ad Magnum.*

Pelues Baptismo adhibitæ.

Panuinius in Appendice ad Platinam affirmat, sed sine omni authore, veteres Christianos, vasa, quibus in Baptismo vsi sint ad perfundendos homines aquâ, PELVES *appellâsse.* Peluim *autem dictam volunt quidam à pelluendo, putantque sinum esse aquarium, in quo variæ res pelluantur: Huiusmodi Pelui, ad primitiuæ Ecclesiæ, vt opinor, formam, in multis reformatis Ecclesiis vtuntur nostrâ adhuc ætate. Et in Concilio Ilerdensi conceditur,* vt omnis Presbyter, qui fontem lapideum habere nequiuerit, vas solummodo conueniens ad baptizandi officium habeat, quod tamen extra Ecclesiam non sit deportandum: *sicuti refert Gratianus de Consecratione Dist. 4. capite. Omnis Presbyter: alioquin inter Canones huius Concilij non exstat.*

Post Constantinũ M. certus in Tẽplis & extra Templa locus Baptismo destinatus. Fons Baptismi. Baptisterium Constantini M.

Pace autem à Constantino Ecclesiis redditâ, & Templis plurimis exædificatis, certum quoque Baptismo locum ibi deputârunt. Erat ille vel intrà, vel extrà, sed propè Templa: & dicebatur FONS, *à fundendo nimirum, quòd aquam funderet, quibus homines mergi seu baptizari possent. Eiusmodi fontem dicitur exstruxisse Constantinus Magnus Romæ apud Basilicam Constantinianam, quam Lateranensem vocant ex lapide porphyretico, cuius tota pars illa quæ aquam continebat, ex argento erat. In medio huius fontis columna porphyretica posita erat, in qua aurea phiala 50. librarum balsamo plena, in celebritate Paschæ vsum nocturni luminis præstabat. In labro fontis stabat agnus auri purissimi, vnde aqua fundebatur. Non longè ab agno erat Saluatoris statua argenti purissimi centum & septuaginta librarum. Ad alteram partem stabat Iohannis Baptistæ statua argentea* 100. *librarum, hunc præ se ferens titulum: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Septem verò Cerui aquam fundebant, quorum singuli* 80. *librarum erant. Prouentus quoque & redditus certos huic fonti assignauit idem Imperator ex massa Statiliana in agro Corano, ex fundo Bassi, ex domibus & hortis aliquot in vrbe positis, ex quibusdam fundis in Africa, Numidia & Græcia sitis. Hæc quidem Platina in vita Syluestri 1. confidenter affirmat: ego verò eiusdem momenti esse puto cum iis quæ ibidem narrat, de Statuis & Imaginibus Christi, Angelorum, Apostolorum aliorumque à Constantino Magno in Basilicis Romæ positis: de S. Cruce ab Helena matre Constantini inuenta: deque Basilicis in hono-*

honorem Petri aliorumque Sanctorum ædificatis: harum enim rerum diligentissimus scriptor Eusebius de vita Constantini ne vno quidem verbulo meminit. Constat tamen, sæpe locum hunc à veteribus Sacrum fontem *appellatum fuisse, inde simpliciter, quòd aquam ad baptizandos homines funderet ac subministraret.*

Baptisterium.

Vel dicebatur locus Baptismo destinatus BAPTISTERIVM *: quo nomine veteres olim extra hunc sacrum vsum pro quodam lacu sunt vsi, ex ligno aut lapide ædificato lauandi gratiâ. Id in cellis, id est, in locis secretioribus solebat constitui. Ita enim Plinius Iunior ad Apollinarem,* Cella, *inquit*, frigidaria, in qua Baptisterium amplum atque opacum. *Ab hoc vsu profano Christiani etiam locum seu vas illud in quo, vel ex quo aquâ Baptismi tincti fuere* Baptisterium *appellârunt. Inde quoque Germanicâ linguâ vocamus* Tauffstein, *quòd nimirum nobis in Templo lapis sit ad id excisus seu excauatus, vt aquâ inde perfundi infantes possint.*

Tauffstein.

Baptisterium maius & minus.

Erat autem Baptisterium *alicubi minus, alicubi verò maius & capacius. Meminit, maioris huiusmodi Baptisterij Athanasius in Epistola ad Orthodoxos, vbi de Arianorum furoribus disserens, ait,* quòd Ecclesiis & Baptisteriis flammas injecerint. Iudæos item & atheos Ethnicos in sacrum Baptisterium ingressos, nullâ cum reuerentiâ, eam verborum factorumque turpitudinem nudatis corporibus designâsse, vt pudendum abominandumque sit relatu. *Meminit & Augustinus de Ciuitate Dei libro 22. cap. 8. itemque Gregorius Turonensis libro* 10. *hist. cap.* 31. *vbi dicit,* se ad Basilicam Martini Baptisterium exstruxisse. *Ex historia quoque Ratholdi Frisonum Ducis apparet, Baptisteria magna & capacia fuisse: is enim cùm vno pede in lauacrum sanctum intrauisset, alterum pedem retrahens, interrogauit, vbi nam plures suorum maiorum essent? in Inferno, an in Paradiso? Et audiens plures esse in Inferno, intinctum etiam pedem extrahês:* Satius est *(ait)* vt plures quàm pauciores sequar. *Et alibi quoque legimus, non solùm infantes, sed & adultos toto corpore in Baptisteriis aquâ mersos fuisse.*

Aliquandò tamen Baptisterij nomen vsurpârunt pro toto illo loco seu Areâ in qua extra Templa fons Baptismi stetit. Nam Platina in vita Hilarii dicit, quòd ędificârit in Baptisterio Vaticanæ Ecclesiæ tria Oratoria: addidisse etiam Oratorium S. Stephani Baptisterio Lateranensi.

Colymbethra Baptisterii quid.

Aquæ verò in Baptisterio receptaculum, ex quo aqua baptizato superfusa, per aquæductus seu inferiorem quendam alium meatum secedebat, Colymbethra *appellatur à Socrate libro 7. capite 4. vbi indicat*, Iudæum quendam incurabili morbo laborantem, è Colymbethra Baptisterii leuatum, subitò à morbo liberatum fuisse. *Narrat idem de quodam alio Iudeo, qui propter munera baptismum petebat,* quòd aqua in Colymbethra semel atque iterum euanuerit *: libro eodem cap. 17. Similiter Deuterio Ariano Constantinopoli Barbam quendam baptizante, & corrumpente Christi institutionem, atque dicente*, Baptizatur Barbas in nomen patris per filium in sancto spiritu, aqua repentè in Colymbethra euanuisse *refertur à Theodoro Lectore libro 2. Collectan. Est & hoc nomen ex profano in sacrum vsum translatum, sed ferè per Metonymiam, quâ continens pro contento ponitur: significat enim κολυμβήθρα propriè* natatorium, *hoc est locum in quo natare possumus aut nos mergere*, Lauacrum; *quin &* Piscinam *sic enim scribit Athenæus lib.* 12. *ex Diodoro Siculo*, Ἀκραγαντίνους φησὶ κατασκευάσαι Γέλωνι Κολυμβήθραν πολυτελῆ τὸ περίμετρον ἔχουσαν σταδίων ἑπτά, βάθος δὲ πηχῶν εἴκοσιν: εἰς ἣν ἐπαγομένων ποταμῶν καὶ κρηναίων ὑδάτων, ἰχθυοτροφεῖον γενέσθαι, καὶ πολλοὺς παρέχειν ἰχθῦς. *Est & nomen proprium* Colymbethra *Ecclesiæ cuiusdam apud Theodorum Lectorem libro* 1.

Piscina circa Templa quid.

Piscinam etiam vocant in Templis vel extra, locum illum, in quem ex Colymbethra aqua baptizato superfusa per aquæductus aut alios meatus secedit: in ea lauant Vtensilia Templorum, Tegumenta Altarium & similia, vetustate vel alia calamitate corrupta. Ita præcipitur capite 5. *Synodi Colonien. sub Rodolpho Imp. celebratæ,* vt infantes tertiâ die post confirmationem ducantur ad Ecclesiam, vbi Presbyteri frontes eorum lauent & comburant bandellos, *hoc est,* fascias, & cineres bandellorum & aquam lotionis in sacrum locum, in piscinam siue lauatorium reponant.

Fauissæ apud Ethnicos quid.

Similiter quoque apud Ethnicos circa Templa locus fuit, in quo erat aqua, qui Fauissæ *appellabatur. Sunt qui putant*, Fauissas *fuisse in Capitolio cellis. cisternísque similes, vbi etiam reponi erant solita ea quæ in Templo vetustate facta erant inutilia, vt tradit Gellius libro* 2. *capite* 10. *ex Varronis sententia.* Seruius *inquit*, Sulpitius juris ciuilis author, vir benè literatus, scripsit ad M. Varronem, rogauitque, vt rescriberet, quid significaret verbum, quod in Censoriis libris scriptum esset; id erat verbum Fauissæ Capitolinæ. Varro rescripsit, in memoria sibi esse, quòd Q. Catulus curator restituendi Capitolij dixisset, voluisse se Aream Capitolinam deprimere, vt pluribus gradibus in eandem conscenderetur, suggestúsque pro fastigij magnitudine altior fieret, sed facere id non quisse, quoniam Fauissæ impedissent. Id esse Cellas quasdam & cisternas, quæ in Area sub terra essent, vbi reponi solerent signa vetera, quæ ex eo Templo collapsa essent, alia quędam religiosè

giosè donariis consecratis. *At deinde eadem epistola* negat quidem se in literis inuenisse, cur Fauissæ dictę sint: sed Q. Valerium Soranum solitum dicere *ait*, quos thesauros Græco nomine appellaremus, priscos Latinos Flauissas dixisse, quòd in eos, non rude æs argentúmque, sed flata signataque pecunia conderentur. Conjectare igitur se detractam esse ex eo verbo secundam literam, & Fauissas esse dictas cellas quasdam & specus, quibus æditui Capitolini vterentur ad custodiendas res veteres religiosas.

Ex accusatione Clericorum & Monachorum Antiochenorum habita contra Seuerum suum Episcopum in Constantinopolitana Synodo anno 518. apparet, fuisse tunc temporis aureas vel argenteas columbas super Baptisteria appensas, quas Seuerus amouerat.

Baptisterium sacrosanctum.

Fuisse autem sacrosanctum Baptisterii locum, testatur Euagrius libro 2. cap. 8. de Proterio Alexandrinorum Episcopo scribens, ipsum, quo necem effugeret, ad sacrosanctissimum Baptisterium se recepisse: quo in loco & barbaris, & cunctis ferocibus hominibus reuerentia quædam incutiatur.

Non licere verò publicum Baptisterium in parochia aliqua habere, nisi vbi Episcopus constituerit, cujus Parochia sit, *decretum fuit in Synodo apud Palatium Vernis habita sub Pipino Francorum Rege anno Domini 755. cap. 7.*

CAPVT V.

De Origine Ταμιείων, hoc est Ciboriorum, Quæ Germanicè vocantur Sacramenthäußlein

De includenda Eucharistia nullum extat mandatum vel Christi vel Apostolorum. Agni paschalis reliquiæ comburebantur.

DE asseruanda, aut in arcas, thecas & ædiculas includenda Eucharistia, neque Christus neque Apostoli legem seu mandatum vllum dederunt: sed Christus Panem & Vinum Eucharisticum simpliciter edere ac bibere iussit: & Apostoli, quod à Domino acceperunt, sine vllo additamento Ecclesiis tradiderunt. In veteri etiam Testamento Deus Israëlitis præcepit, vt agnum Paschalem, qui typus fuit agni illius, qui tollit peccata totius mundi, totum absumerent, aut residuum igni comburerent. Exod. 12. Hoc ideò mandâsse Dominum volunt, Primò, *vt conuiuium sacrum à prophanis distingueret. Quam ob causam etiam absque dubio Clemens de consecr. distinct. 2. cap. Tribus gradibus, præcepit,* vt nullus Clericus externus aut laicus de fragmentis oblationum Christi ad promiscuam mensam quicquam poneret. Deinde, *quia emigrandum erat Israëlitis ex Ægypto, si reliquissent aliquid, id fortè à canibus, aut felibus, aut muribus absumptum fuisset, aut saltem aliqui corruptum, ideò iubentur comedere, atque etiam reuerentia causâ comburere, ne cuiusquam contumeliæ exponatur. Fortè etiam superstitionem cauere voluit, ad quam proni erant Israëlitæ: si enim æneum serpentem & aureum vitulum coluerunt, multò magis agni paschalis reliquias venerati fuissent progressu temporis.*

Eucharistia priuatim domi in arcas inclusa Cypriani tempore.

Obseruatum hoc fuit in Ecclesia Christi à temporibus Apostolorum longo tempore. Cypriani verò ætate circa annos Christi 250. moris fuisse in ARCAM *sanctum Dei, hoc est, Eucharistiam, concludere, ex eo casu quem recitat Sermone 5. de lapsis, apparet.* Cùm quædam, *inquit*, Arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentâsset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. *Ex quibus tamen verbis haud obscurè colligi potest, Eucharistiam non in Templis, sed in priuatis ædibus à quibusdam asseruatam fuisse. Dicit enim Cyprianus*, quòd in sua Arca sanctum Domini conclusum habuerit. *Ita etiam Tertullianus de sua vxore testatur*, quòd domi suæ Eucharistiam seruârit. *Gorgonia quoque Nazianzeni soror domum Eucharistiam deportauit. Et Ambrosius de Satyro fratre indicat*, quòd Eucharistiam in collo quasi viaticum portârit. *Ita credibile quoque Presbyterum illum priuatim domi suæ Eucharistiam asseruâsse, qui eam noctu Serapioni cuidam seni & animam agenti per puerum misit, vt Dionisius Alexandrinus refert, in Epistola ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium lib. 6. cap. 44.*

Eucharistia nō ex capsa, sed ex cætu missa ægrotantibus.

Neque his connumerandum, quòd Iustinus in Apologetico testatur, per Diaconos suo tempore Eucharistiam etiam ad absentes & ægrotos delatam fuisse. *Nihil enim ibi dicit de reseruatione vel priuata vel publica: sed quòd eo ipso tempore, quo Cœna Domini in publico cœtu celebrata sit, habita fuerit ratio earum, qui propter morbum abessent à cœtu, & ad illas per Diaconos Eucharistia missa sit. Vna igitur & eadem fuit hac actio, & proinde nihil pertinet ad epuli sacri reseruatas reliquias. Ita etiam credendum Exuperium Tolosanum illum Episcopum Corpus in canistro, sanguinem autem in vitro ex cœtu ad absentes portâsse.*

Eucharistiæ priuata inclusio reprehensa.

Quod verò illam priuatam asseruationem in Arcis & thecis Eucharistia attinet, cuius modò exempla quædam recitauimus, illam ita reprehendit Origenes ex ipsis verbis institutionis Cœnæ, vt quamcunque etiam in Templis detestetur & abroget. Nam in explicatione cap. 7. Leuitici, Dominus (*inquit*) panem, quùm discipulis dabat, dicebat eis, Accipite, manducate. non distulit, nec seruauit in crastinum. *Et author Sermonis de Cœna Domini apud Cyprianum, disertè ait: Recipitur, non includitur. Cumque in veteri Ecclesia fuerit valdè difficile, imo penè ἀδύνατον, cùm Christiani simul cibum caperent in suis Agapis (quod ad multa secula,*

Quid cū reliquiis Cœnæ factum.

cula, præsertim in concursu ad Martyrum μνημεῖα viguit) ita dimetiri panem & vinum, quæ peculiariter Sacramentale esui destinabantur, quin aliquid plerũque superesset: ideò varia quoque de illis reliquiis statuta fuerunt, quæ reseruationem & inclusionem nullam probant. Hesychius Nazianzeni discipulus explicans illud Leuit. 8. Quicquid reliquum fuerit de carne & panibus, ignis absumet, *indicat*, sui seculi morem fuisse, vt si quid omnibus communicatis reliquum esset, incenderetur, & cremaretur. *Aliquibus etiam in locis legimus reliquias illas vel à Clericis, vel etiam à pueris, ludum literarium frequentantibus, comedi atque consumi solitas fuisse. Constantinopoli consuetudo fuit, vt Clerici eodem die, quo epulum sacrum celebrabatur, reliquias consumerent: quando verò plusculum superaret reliquiarum, quibus consumendis Clerici non sufficiebant, adhibebantur etiam Scholastici, vt ex Nicephori lib.17.cap.25.apparet. Huiusce consuetudinis postea quadam facta est mutatio. Concilium enim Matisconense 2. anno Christi 587. iuxta Panninium habitum*, reliquias, quæ post communionem peractã supererant, quartâ aut sextâ feriâ à pueris illis percipiendas esse præcipit. *Humbertus verò Sylua Candida Episcopus contra libellum Nicetæ Monachi, hunc Græcorum ritum grauiter reprehendit ex ipsius institutionis verbis, & inter cætera inquit:* Legimus Dominum non imperfectam, sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse, pane benedicto, & mox fracto & distributo. Non enim benedixit tantùm, & reseruauit frangendum in crastinum, nec fregit tantùm & reposuit, sed fractum statim distribuit. Vnde Alexander Martyr, & Papa ab Apostolo Petro, Passionem Domini inserens Canoni Missæ, ait: Hoc quotiescunque feceritis, id est, benedixeritis, fregeritis & distribueritis, in mei memoriam facietis. Quia quodlibet horum trium sine reliquis fiat, scilicet aut benedictio sine fractione & distributione, aut fractio sine benedictione & distributione, perfectam Christi memoriam non repræsentat, sicut distributio nulla sine benedictione & fractione. *Hæc Humbertus. Gabriel Biel etiam in Canonem Lect. 26. allegans Paschasii sententiam inquit*, Christus volens discipulos suos fructus hujus Sacramenti participes fieri post quam corpus suum consecrauit, non sistebat in consecratione, neque dedit discipulis, vt ipsum honorificè conseruarent, sed dedit in sui vsum, dicens, Accipite, comedite.

Interim tamen non dissimulandum videtur Ansegisum Canonem ponere, quo jubentur Presbyteri Eucharistiam semper habere paratam, vt ad ægrotos deferatur, ne sine communione moriantur. *Refert etiam B. Rhenanus in suis ad Tertulliani librum De Corona militis Annotationibus*, exstare apud Burkardum Borbetomagen Episcopum Canonem ejusmodi Concilii Turonensis, vt omnis Presbyter habeat pyxidem, aut vas tanto Sacramento dignum, vbi corpus Dominicum diligenter recondatur ad viaticum recentibus è seculo. *Idem tamen Canon docet simul*, Eucharistiam illis temporibus sub Altari solitam asseruari, non propriis Sacellis, *vt hodiè. Nam sequitur*, Semperque sit obserata sub Altari, propter mures & nefarios homines. *Neque etiam tandiu seruabatur, vt nunc fit: nam sequitur eodem Canone*, Et de septimo in septimum diem semper mutetur, id est, à Presbytero illa sumatur, & alia quæ eodem die consecrata est in locum ejus subrogetur, ne fortè diutius obserata, muscida, quod absit, fiat.

Eucharistia quando publicè sub Altari ce.

Pyxis asseruatio

Hæc aliquantò prolixius enumerare libuit, vt omnibus palàm fiat, caruisse Ecclesiam huiusmodi Sacellis, Thecis, Arcis, Ciboriis & Ædiculis, quas Christus Matth. 24. ταμεῖα vocat, in Templis suis 1200. totos annos à nato Christo, nimirum vsque ad tempora Innocentij III. Is cùm in Lateranensi Concilio anno 1215. celebrato, Transsubstantiationis dogma approbâsset, & inter fidei articulos retulisset, hominibusque persuasisset, in Sacramento Cœnæ nihil superesse substantiæ vel panis vel vini, sed verum ibi contineri corpus & sanguinem Domini, cœperunt tunc etiam primò in honorem huius Sacramenti parare in Templis Tabernacula, Thecas & Ædiculas, & coràm his procumbere. Mandauit enim, vt Eucharistia in omnibus Ecclesiis sub seræ & clauis custodia conseruetur. *Decretal. lib. 3. tit.* 44.

Quando primum Ædiculæ Sacramentariæ institutæ

Non tamen hic mos ab omnibus statim Ecclesiis admissus aut receptus fuit, quod ex Decreto Honorij III. facillimè potest intelligi, quo Innocentij huius nouam institutionem approbauit, & omnibus Ecclesiis obtrusit. Id lib. 3. Decretal. tit. De celebratione Missarum ad hunc modum habet: Ne propter incuriam Sacerdotum diuina indignatio grauius exardescat, districtè præcipiendo mandamus, quatenus à Sacerdotibus Eucharistia in loco singulari mundo, & signato semper honorificè collocata, deuotè & fideliter conseruetur. Sacerdos verò frequenter doceat plebem suã, vt cùm in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet. *Quo ipso, quod tam districtè præcipit, satis constat, id quod sic mandat diu non durâsse, sed se authore & approbatore maximè institutum. Neque enim edictis nec mandatis tam districtis habemus opus, in his retinendis, quæ aut vetus consuetudo, aut honesta aliqua ratio maiorum authoritate confirmata commendat.*

Ædiculæ Sacramentariæ non abo. mnib. approbatæ.

Post confirmatum verò & stabilitum Miraculis & signis falsissimis Transubstantiationis dogma, cœperunt tum demum in honorem noui sui Dei Maozim in Templis maximo sumptu & apparatu ædificare Sacella, Tabernacula & Ædiculas, in quas tanquam in carcerem & custodiam hunc Deum suum incluserunt. Proinde certissimum est, nullam in toto terrarum orbe capsam aut Ædiculam sacramentariam inueniri posse, quæ non intra proximè elapsorum trecentorum quinquaginta annorum spatium exstructa sit.

Contra ædiculas sacramentarias Christi admonitio.

Prauidit hunc errorem Dominus, & propterea maturè monuit suos in Euangelio vt sibi ab eo cauerent, dicens: Si quis vobis dixerit, Ecce hîc Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim PseudoChristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire. Ecce ἐν τοῖς ταμιείοις. *hoc est*, in conclauibus, seu penetralibus est, nolite credere, *&c. Quamuis verò hic locus à multis soleat exponi de Iudaicis calamitatibus, negari tamen non potest, quod & ipse fatetur Hieronymus, eadem operâ totius mundi ad finem vsque seculi fata contexi. Concluditur certè hic locus sententiâ de vltimo Christi in mundum, sub diem nouissimi iudicii, aduentu prolatâ in hunc modum:* Sicut fulgur exit ab Oriente & apparet vsque in Occidentem, ita erit aduentus filii hominis. *Præterea negari non potest, simpliciter hic damnari à Domino doctrinam quæ Christum in diuersis terrarum locis, in scriniis, penetralibus, Ædiculis aut munitis locis præsentem ostendit. Id quod in erectis, à Transubstantiationis authoribus, Corpori Christi Claustris, Tabernaculis, Sacellis & Ædiculis fieri nemo negârit, quantumuis perfrictæ admodum frontis fuerit. Nam in multis locis hæc verba eiusmodi Ædiculis sacramentariis inscripta seu insculpta leguntur,* Hic devm adora. *Item,* Flecte genu, lapis hic venerabilis hospite Christo. *Quid est Christum ἐν ταμιείοις, id est, in penetralibus & claustris ostendere, si hoc non est? Atqui Apostolus clarissimè dicit,* Non in manufacta ingressus est Iesus, quæ sunt exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis: *Hebræo 9. capite.*

Capvt VI.

De Origine Altarium.

Ara & Altaris etymologia ac differentia

D*icam primo hoc loco quædam de differentia & deriuatione Altaris & Aræ: de quo Gyraldus Syntag. 17. de Diis gentium hæc ferè tradit ex Seruio Grammatico:* Aræ, *inquit:* Diis superis & inferis consecratæ erant, Altaria verò sunt superorum tantùm Deorum: Ara verò, vt inquit Varro de lingua Latina, quòd Areæ in vrbe puræ sint: à quo Ara potest etiam deûm esse, quòd pura, nisi potius ab ardore, ad quem vt sit, fit Ara. Idem tamen Varro libro 5. diuinarum dicit, Aras primum ansas dictas, quòd esset necessarium eas à sacrificantibus teneri: hanc opinionem Macrobius est secutus, Vergiliique etiam authoritate comprobat. At verò Isidorus Aram ait à quibusdam vocatam, quòd ibi incensæ Victimæ ardeant. Alii ab imprecationibus, quas Græci ἀρὰς dicunt. *Hæc Gyraldus de differentia & deriuatione Altaris & Aræ, quantum ad ritus & consuetudinem Ethnicorum. Alij Aram ab αἴρειν, hoc est, à tollendo dictam volunt quia sit ædificium è terra exaltatum. Altaria etiam ab altitudine denominata fuerunt, quasi alta Ara, quòd superorum Deorum, ac Iouis præcipuè aræ vel per se altæ essent, vel in sublimibus locis exstruerentur. Vnde Melanthes in libro Sacrificiorum inquit:* Πᾶν δὲ ὄρος τοῦ Διὸς ὄρος ὀνομάζεται, ἐπεὶ ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ὑψίστῳ ὄντι τῷ θεῷ, ἐν ὑψηλῷ θυσίας ποιεῖν. Omnis autem mons Iouis mons appellatur: quoniam mos fuit antiquorum, vt altissimo Deo existenti in loco sublimi sacrificarent. *Sic etiam è Iouis ipsius Oraculo Sacra fiebant in montibus apud Appollonium lib. 2. Argonaut. Quin etiam Apollini Aram in littore erexerunt Argonautæ, atque cum mons ibi nullus esset, sublimem illam fecerunt, vt idem Poëta bis testatur,*

> Τὰ δ' ἐρέξομεν οἷα πάρεστι
> Βωμὸν ἀναστήσαντες ἐπάκτιον
> Iustaque soluentes in primo ereximus Aram
> Littore sublimem.

Crediderunt enim hæc corpora cœlestia ignea esse quæ opinio non solùm fuit Anaxagoræ & Empedoclis, sed multorum aliorum philosophorum: vnde etiam in horum Sacrificiis lumina, figuras & multa alia ad visum spectantia addiderunt. Sacræ verò literæ, & Christiani hodiè sine discrimine vno pro altero vtuntur, & intelligunt ædificium Sacris faciendis idoneum & aptum.

Primus omnium autem Noë, vt legitur Genes. 8. Altare *hoc est, suggestum seu ædificium quoddam ex lapidibus, terra vel lignis: & super illud Domino Holocaustum obtulit. Comestor in Genesin indicat,* Noachum Altare hoc ex octo lapidibus construxisse, proptereà quod octo homines Deus in Arca seruâsset. Vnde posteros quoque ipsi Noacho tandem δωδεκάβωμον, à duodecim ductis coloniis, posuisse *aiunt. Sic postea etiam Iosue ob perpetuam rei memoriam, quòd duodecim tribus Israëlitica per Iordanem transissent duodecim lapides maximos ex mandata Dei erexit. Et Helias propheta ex duodecim lapidibus Altare*

Noë primus Altare fecit

re destructum instaurauit lib. 3. Reg. 18. cap.

Abel quidem, Cain & alij, quoque sacrificâsse leguntur, sed super qua materia quóue ædificio non in Sacris Literis exprimitur. An igitur in solo ipso ac pauimēto, an verò, quod videtur esse verisimilius, & multa circumstantiæ indicant, super strue aliqua lignorū, quæ in hunc vsum collegerunt & comportârunt, illi prisci sancti homines, atque etiam Ethnici, sacrificârint, incertum est. Nōnunquam certè Græcos sine ara, in nudo solo & pauimento Sacra peregisse compertum est: Eumæus apud Homerum super focum victimam fecit.

Altare Iacob Patriarchæ primus iussu Dei erigit.

Genes. 35. primùm Domino iubente, Ara erigitur à Iacobo Patriarcha: quæ prius leguntur, sine Dei præcepto factæ erant, teste etiam C. Pellicano in Genesin.

Altare terreum erigi iubet Dominus.

Iussit deinde Dominus per Mosem Israëlitas Altare terreum facere, & sacrificare in eo Holocausta. Exod. 20. Quæ lex de iis tantùm accipienda est Aris, quas ante Templum exstructum & Tabernaculum factum, extra ordinariā ratione ad tempus aliquod exstruxerunt: talibus in campis Moabiticis, & in deserto Exod. 24. Iosue & Gedeon, item Samuel vsi sunt. Helias quoque talem fecit. Et ob hanc causam ex terra Aram erigere iubet & ex lapidibus impolitis ac rudibus, ne diu durarent, sed obruerentur citò, neue posteris offensio essent, & putarent sibi semper licere ibi sacrificare, vbi ad tempus saltem certâ ratione sacrificatum fuerat. Sunt etiam qui hoc ideò factum fuisse volunt, vt Israëlitarum Aræ à gentilium aris differrent, quæ ex pretiosis & politis lapidibus plerunque constabant. Latet etiam in eo mysterium. Constat enim ex epist. ad Hebr. 13. cap. per Altare Christum adumbratum fuisse: is abiectum hominem, & quidem formam serui induit, non carnem de cœlo attulit iuxta Valentinianorum blasphemiam, vt Irenæus, Philaster & Tertullianus de iis retulerunt. Lapis est Christus ille impolitus, quem ædificantes reiecerunt. Corpus quoque Christi, hoc est, Ecclesia, ex lapidibus impolitis & rudibus collecta est.

Altaria 2 in Tabernaculo erigere iubet Deus. Altare thymiamatis. Altare thymiamatis cuius typus.

Tertiò iubet Dominus, cùm iam exstructum esset Tabernaculum, Altaria in eo erigere, sed non plura quàm duo tantùm: vnum aureum, quod thimiamatis *appellatur vel incensi, ac in medio inter mensam auream & candelabrum stabat ante velum in Sancto: id diligenter describitur Exod. 30. In hoc incensum siue suffimentum quotidiè bis offerebatur manè & vesperi ab vno ex Sacerdotibus quem sors destinauerat.*

Erat Altare hoc Christi Iesu typus, Suffimentum verò illud preces adumbrabat, quod non obscurè Dauid docuit, dicens. Dirigatur oratio mea tanquam incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum Sacrificium vespertinum: *Sacerdos verò, qui peracto Sacro ad suffimentum faciendum ingrediebatur, Christi Mediatoris personam sustinebat, vtpote ex officio quasi medius inter Deum & populum constitutus. Monebat igitur hæc actio, in Ecclesia preces assiduas fieri debere, eas autem vni & soli Deo offerendas esse, qui tunc demum acceptas sibi & ratas habiturus esset, si per Christum offerantur, qui nobis ab illo mediator factus est, & qui solus patris iram placauit. Ideò neque plura Altaria Thymiamatis exstruere, neque Thymiama illud (cuius cōpositio singularis à Mose describitur) in alios vsus transferre licebat: Sacerdotem verò interea dum suffimentum fiebat, populus foris expectabat, donec illo rursus egresso benedictione solenni dimittebatur, vt ex ea Historia, quæ ab Euangelista Luca cap. 1. narratur apparet.*

Altare Holocaustorum.

Alterum stabat in atrio Tabernaculi, quod dicebatur Æneum & Holocaustorum, *depingiturque Exod. 27. Nec licebat alibi, nisi per singularem quandam dispensationem, quàm in loco sancto ad hanc aram sacrificare cuiquam. Proinde quum Rubenitæ cum suis sociis exstruxissent aram in ripa Iordanis, idque famâ delatum esset ad alias tribus Israëlis, decernunt hæ publico bello hoc scelus persequendum esse.*

Altare Holocaustorum cuius typus.

Hæc res non caruit mysterio, Altare etenim hoc nostrū vnicum & catholicum est Christus Dominus, qui seipsum obtulit Hostiam viuentem Deo. Nec est vllum in toto mundo Sacrificium, quod peccata expiet nisi hoc vnicum.

Apostolorum tempora ignorarūt Altaria lapidea & fixa.

Apostolorum autem tempora, & quæ eos proximè sequuta sunt, quod attinet, nulla tunc fixa seu de lapidibus exstructa fuisse Altaria, cùm illorum temporum conditio satis probat, quibus fideles metu Tyrannorum in ædes priuatas, loca vacua, syluas, solitudines & antra subterranea conuenerunt: tum id quoque argumento esse potest, quòd Paulus disertè Mensæ Domini *meminit. Vnde & Bullingerus in lib. de Origine Erroris,* Apostolica, *inquit,* secula mensis positis cœnabant: ignorabant Aras fixas & lapide exstructas. Nam portatilis mensa magis quadrat exemplo Christi: statæ verò Aræ magis idoneæ sunt pecudibus mactandis fouendisque ignibus: in quem finem Aræ tam apud Iudæos quàm apud Gentes è lapide construebantur, vel è tabulis ære contectis, aut terrâ interius oppletis. *Quocirca mirandum valdè est, vnde Hardingus aliique habeant, quod tam confidenter asseuerant,* Altaria semper ab Apostolorum temporibus exstitisse.

Originis tempore etiam ignorarūt Altaria lapidea ac fixa.

Caruisse autem Aris vel Altaribus eiusmodi lapideis & fixis Christianos Origenis adhuc ætate, ducentis nimirum post natum Christum annis, ex eius libro 8. contra Celsum apparet, vbi inquit: Celsus & Aras, & simulachra, & delubra nos ait defugere quò minus fundentur: quandoquidem inuisibilis nostræ huius & inexplicabilis communionis fidem & charitatis factionem esse existimat. Cùm interim non videat nobis quidem

pro Aris & Delubris justorum esse mentem, à qua haud dubiè emittuntur suauissimi incensi odores, vota inquam & preces ex conscientiâ puriore. *Et mox:* vt summatim expediam, Christiani omnes, & quas diximus, Aras, & quæ jam ostendimus Simulachra collocare maximè adnituntur, NON tamen inanimata & insensibilia quædam, nec Dæmonum siue loca siue Simulachra, vt diximus, susceptibilia quæ prius illi insederint, SED Spiritus Dei capacia, qui virtutem inhabitat. *Item:* Disquirat igitur quicunque velit Aras quas nuper exposui, & si lubet cum Aris his conferat quas intulit Celsus, & Simulachra ipsa Deum colentium animis insidentia cum Phydiæ illius & Polycleti Simulachris, & opificum cæterorum hujusmodi, profectò apertè intelliget, illa quidem inanimata & temporis processu corruptibilia fore, nostra verò hæc in anima immortali permansura tandiu, quandiu rationalis anima in ea voluerit permanere. *Idem libro* 4. *contra eundem:* Objicit nobis Celsus, quòd non habeamus Imagines, aut Aras, aut Templa. *Quibus verbis Origenes vetustissimus simul & constantissimus fidei Christianæ defensor, manifestissimè testatur, Christianis nulla suo seculo visibilia siue materialia fuisse Altaria vel Aras in Templis, sed virtutum duntaxat in animis. Hoc etiam colligitur ex Clemente Alexandrino primitiuæ Ecclesiæ celeberrimo scriptore, qui libro septimo Stromatum ait.* Hîc apud nos est Altare, terrestris congregatio, eorum qui incumbunt orationibus, qui velut vnam vocem habent communem, & vnam mentem. *Et paulò post:* Aram autem verè sanctam, justam animam, & qui ab ea emittitur, suffitum, nobis sanctam dicentibus orationem, non credent. *Similiter Arnobius, qui aliquantò post Originem vixit, libro* 4. *contra Ethnicos scribens,* Accusatis, *inquit*, nos, quòd nec Templa habeamus, nec Imagines, nec Aras.

Altaria quis instituerit iuxta Pontificios.

Volateranus quidem, Vernerius aliique nonnulli, testantur, Sixtum Romanum Episcopum erigendas Aras primùm instituisse. *Quo ipso manifestè fatentur isti, vetustatem Aras earumque vsum, qualis hodiè est, penitus ignoràsse. Vbi tamen simul admonendum arbitror, hanc Sixti constitutionem apud nullum veterem probatum authorem reperiri: nisi id inde colligere velis, quòd Martinus Polonus indicat,* Sixtum hunc instituisse, vt Missa celebretur super Altare. *Ego autem vtrumque falsum esse puto. Vixit enim Sixtus hic sub Adriano Imperatore circa annos Christi* 124. *Eâ autem ætate, Missa vocabulum, nedum res ipsa prorsus incognita fuit. Deinde ea fuit conditio illorum temporum maximè, vt nulla Templa Christianus erigere licuerit, quandoquidem ne prodire quidem ipsi in publicum plerumque auderent, & benignè secum agi tum crederent, cùm intermissis persequutionibus in vrbibus tolerarētur, vt supra pluribus indicauimus. Num verò Aras prius exstructas, quàm Templa fuisse arbitrabimur? Aut recētioribus istis plus fidei habere volumus, quàm Origeni & Arnobio, qui centum ferè annis post Sixtum Roman. Episcopum floruerunt? & tamen hi produnt sibi suo adhuc tempore ab Ethnicis obiectū fuisse, quòd nec Tēpla, nec Aras haberent vllas.*

Altaria lapidea & fixa quando & qua occasione cæperint.

Nec tamen negare ausim, Constantini Magni tempore cum magnificis Templis, etiam magnifica & splendida Altaria multis in locis originem sumpsisse, eaque fixa & de lapidibus aut simili materia exstructa fuisse. Non enim contenti splendidissimis Templis Christiani nonnulli, insuper quoque eiusmodi Ædificiis condigna altaria, aliàque ornamenta habere voluerunt: quod ab initio bono quidem zelo ipsis datum & concessum est, postea verò superstitioni materiam & occasionem præbuit.

Idem ferè de Iudæis, quod modò de Christianis diximus, Pellicanus refert, in locum Exodi 20. *capite:* Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus, *&c. hæc scribens:* voluisse videtur Deus abesse Sacris suis omnem splendorem artis & precii, Idque esse quod placeant illi, & quod absolutè prodesse posset fidelibus, cupientibus Deum in Spiritu & veritate colere: Quòd autem postea Mosi ostendit Tabernaculum Arcæ & Ararum preciosum, illustre, artificiosum & laboriosum Ædificium & Sanctuarium, idipsum vel ex hoc loco videtur ostendisse, permissionem potius fuisse, quàm mandatum, & ad duræ ceruicis populum & superstitiosum nimis continendum in officio: alioqui, vt patet, nimiùm propensum ad ritus Gentilium, deosque eorum. Eâ tantùm ratione condescendendo fragilitati ipsorum, quùm Ara pulchra carere in Sacris suis nollent, & sculptile habere non permitterentur; atque nondum fixum locum scirent, vel consequerentur sub Mose ad Cultum Dei: ideò ordinauit ista externa Sacra ad pejora cauenda, vsque ad tempus correctionis & pacificę habitationis: de voluntate eorum & ex ipsorum donariis, quæ erant promptissimi. *Hactenus ille.*

Altariū lapideorū author.

Suffragatur meæ sententia, Gerson, qui lib. 4. *contra Floretum scribit,* Syluestrum Episcopum Romanum, quique Constantini Magni temporibus vixit, Aras primùm lapideas statui jussisse, vetuisseque ne quisquam deinceps ad Aram ligneam Lateranensis Ecclesiæ consecraret, nisi ipse suique successores: *refert etiam Gabriel Biel lect.* 13. *in can. ex Alexandro de Ales.*

Huius-

Huiusmodi altaria ab Ethnicis desumpta sunt: nam Herodoto & Strabone lib.17.testibus, primi omnium Ægyptii DIIS & Aras, & Simulachra, & delubra statuerunt, Sacrificiáque curârunt. *Alij verò ex Mose sumpta putant.*

Altaria in primitiua Ecclesiâ qualia. *Non nego tamen, habuisse primitiuam Ecclesiam ante Constantinum Altaria seu Aras: meminit enim & Tertullianus* ad geniculationis pœnitentium ad Aras *in libro de Pœnitentia. Mentionem quoque facit Altaris Cyprianus libro 1.epist.7. ad Epictetum: & 9.ad Presbyteros & Diaconos & plebem Furnis constitutos: item l. 3.epist.13.& epis.ad Iubaianum. Eæ autem Aræ non fuerunt lapideæ nec fixæ, vt postea Syluester constituit, & quales Durandus lib.4.suique similes alij, necessariò faciendas esse contendunt, idq; propterea,* Quia petra erat Christus: *sed erant ligneæ, & quidem simplices* Mensæ. *Paulus enim disertè* Mensæ *meminit, non Altaris lapidei aut fixi, 1.Cor. 10. sicut & Lucas cap.22. Et Clemens 1. post Petrum Papa in epistola ad Iacobum Hierosolymit. Episcopum*, Mensæ Domini *bis meminit: de Consecr.dist.1. cap. Nemo. Alexander quidem de Ales, referente Gabriele Biel in Canon. lect. 13. indicat*, ab Episcopatu Petri Apostoli vsque ad tempus Syluestri I. sæuiente persecutorum rabie, certam non fuisse Romanam Ecclesiæ episcopalem stationem, sed vbicunque necessitas compulerit, siue in cryptis, siue in ædibus fidelium, siue aliis quibuscunque locis Missam celebrâsse Petri successores super Altare ligneum in modum Arcæ concauum, idque portatum à Sacerdotibus vbicunque Rom. Episcopus latuerit: Et hoc illud esse Altare, quod adhuc hodiè conspiciatur in Lateranensi Basilica, & super quod nemo nisi Pontifex Romanus, idque tantùm in die Cœnæ & Sabbatho sancto Paschæ, sacrum ministerium peragere audeat. *Altare ligneum in Laterano Romæ.* *Refert autem hæc Alexander sine omni authore, coniecturis tantùm, vt opinor, ductus. Et hoc ipsum Altare etiam Pisani monstrant, in suburbio quod ad mare vergit. Deinde si verum est quod attestatur ille, Episcopos Rom. à Petro vsque ad Syluestrum, ob Tyrannorum rabiem, certam non habuisse suæ Ecclesiæ sedem, sed vbicunq; necessitas compulerit, siue in cryptis, siue in ædibus fidelium, hoc est, in priuatis & abditis locis Missam celebrâsse, falsum erit quod referunt Pontificij scriptores, de exstructis à Christianis Romæ Templis & Basilicis, deque septem Diaconis in eadem vrbe per septem regiones constitutis, vt omnibus horis sacris ministeriis inuigilarent: falsa etiam erunt quæ in Drecretalibus epistolis referuntur ab Anacleto, Alexandro, Hygino, Eleutherio, & aliis de Primatu Romanæ Ecclesiæ, eiusque Episcopi, de appellatione ad sedem Romanam, de comparitione, de Episcopo pulso ante iudicium restituendo, de maioritate Episcoporum & Sacerdotum super Principes & Magistratus, de qua Clemens in* 1. *& Anacletus in* 1. *de non arguendis aut damnandis Episcopis & Sacerdotibus, déque aliis huius generis infinitis. Si enim iis temporibus quibus hæc conscripta, decreta & mandata contendunt, Romanus Episcopus nullam sedem fixam habuit, sed sua Sacra in Antris aliisque locis abditis tractauit, qualem censes primatum eius fuisse? aut putasne vel in mentem tunc viris sanctissimis venisse potestatem aliquam in alias Ecclesias sibi arrogare? cui item verosimile videri posset in tam horrendis & cruentis persecutionibus Curiam Romanos Episcopos habuisse in qua lites æstimarentur, cùm ne certum quidem locum exercendi Religionem habuerint? aut censes licuisse fidelibus ad hanc Curiam, si maximè quæ fuisset, ex longinquo commeare, ibidemque lites suas mouere? quod circa annos Domini* 400. *aut etiam serius, primùm cœpit fieri. Multò minus credendum est edicta illos promulgâsse de potestate sua in Imperatores, Principes & Magistratus seculares, deque non arguendis aut damnandis Episcopis & Sacerdotibus à laicis: Cùm tanta indignitate tractati fuerint, vt ne prodire quidem eis plerunque liceret, & benigne secum agi crederent si in vrbibus, Romæ præsertim Tyrannorum sede & aiunt à tollerarentur: cumque D. Petrus, quem illi Principem Apostolorum constituunt, in 1. Epist.2.cap. hortetur fideles cuiuscunque generis aut status seu conditionis, vt obediant tum Regibus, tum Magistratibus non solùm summis, sed & inferioribus: eò quòd Dominus istius humanæ, id est, inter homines constitutæ, politiæ author & vindex sit, ideòque veros huius Domini seruos oportere præ cæteris huius ordinis obseruandi esse studiosos.*

Aræ lapideæ nō ab omnibus receptæ. *At licet huiusmodi Aras lapideas, quales Syluester fieri præcepit, cùm quòd diuturniores, tùm quia firmiores stabilioresque essent, quibusdam in locis receptas esse Gregorius Nyssenus, Basilij frater de S.Baptismate testetur, plurimis tamen in Ecclesiis, veterum consuetudinem secuti, ligneas Mensas retinuerunt. Athanasius enim in Epistola ad orthodoxos de Arianorum ac Macedonianorum furoribus scribens*, in sacrosanctam (*inquit*) MENSAM (proh) quanta impietas & facinora commissa? Vidisses enim ibi aues & nuces pineas immolare, *&c. Idem in epistola ad solitariam vitam agentes* Mensæ *quoque* ligneę *mentionem facit. Meminit etiam Theodoretus lib. 5. capite 18. sacræ* MENSÆ ad quam in Mediolanensi Ecclesia, munera fuerint oblata. *Eiusmodi Mensas ligneas in Aphrica quoque in vsu fuisse ex Augustino patet, qui Tractatu 26. in Euangelium Ioannis dicit*, Sacramentum corporis & sanguinis Christi in DOMINICA MENSA præparari, & de Mensa Dominica sumi. *Eandem Mensam ibidem etiam* Altare *aliquoties vocat. Et epist. 50. meminit idem Pa-*

ter Altaris, *quod ex ligno fabricatum fuisse videtur: scribit enim* Donatistas horrendo impetu, & furore crudeli Episcopum sauciauisse, & ligna Altaris effregisse. *In Quæstionibus item Veteris & Noui Testamenti quæstio.* 101. Officium est, *inquit*, Diaconi portare Altare: quod profectò non de Altari fixo, aut lapidum mole aliqua, sed tantùm de Mensa Eucharistica intelligi debet. *Qua de causa eam sæpenumero etiam Chrysostomus* ἱερὰν τράπεζαν, *aliique similiter innumeris in locis Patres* Mensam Domini *appellant. Et Sozomenus lib.* 8. *cap.* 7. *indicat*, Eutropium summum cubicularium Imperatoris, ob quoddam facinus admissum, ex aula profugum, ad sacram mensam in Templo supplicem jacuisse. *Idem facit mentionem* sacræ mensæ *lib.* 9. *capite* 2. *Ac sacram mensam ex auro gemmisque pretiosissimis artificiosissimè adornatam, ex voto pro virginitate sua Ecclesiæ Constantinopolitanæ dedicâsse, Pulcheriam Theodosii posterioris sororem, recitat idem Sozomenus lib.* 9. *capite* 1.

Mensa veterum cur Altaria appellentur

Ex quibus duo colligi possunt: Primò, veteres in Templis suis MENSA *tantùm simplices habuisse, sed tamen eas interdum Altaria vel Aras appellâsse: non quòd ita reuera esset, sed tantùm propter eam, quæ illis cum veteris legis Altaribus, intercessit similitudinem. Sic Irenæus lib.* 4. *cap.* 34. Christum *nuncupat*, Altare nostrum: *& Origenes*, Cor nostrum, Altare nostrum *appellat: non quasi aut Christus, aut corda nostra verè sint Altaria, sed translatitiâ duntaxat quadam loquendi formulâ.*

Altariis seu Mensarum apud veteres vsus.

Deinde has ipsas siue Mensas, siue Altaria, siue Aras appellare libeat, nullis alijs vsibus, quàm administrationi Cœnæ Dominicæ, & oblationibus fidelium in vsum pauperum destinatas fuisse.

Altaria lapidea Tiguri quando cœperint.

Huius primitiuæ Ecclesiæ simplicitatis studiosissima fuit maiorum meorum, hoc est, Tigurinorum Ecclesia. Stumpfius enim lib. 6. *capite* 14. *Chron. indicat*, etsi Templum maius Tiguri, *quod vulgò vocant* das groß Münster/ à Carolo Magno conditum fuerit, nullum tamen eius Templi Altare lapideum ac fixum, tempore Reformationis, circa annum 1520. factæ, antiquius trecentis annis inuentum fuisse, id quod etiam fundatoriæ tabulæ seu instrumenta publica illorum Altarium testentur. *Cùm etiam Templi D. Petri apud Tigurinos summum Altare solo æquatum esset in Reformatione, & anno Domini* 1527. *Baptisterium in eum locum transferre conarentur, non obscuris notis deprehensum est, idem illud Baptisterium anteà quoque locum istum occupauisse. Nam & loci capacitas illud arguebat, & aquæductus per quem baptismi aqua effusa effluxerat, ibidem inuentus, idem illud infallibili signo demonstrabat. Quibus etiam illud adnumerari debet, quòd Summum ac præcipuum Corporis Christi Altare, quod Germani vocant* Fronaltar; *in primario Templo Tiguri, anno demùm* 1278. *exstructum, & ab Harimanno Augustano Episcopo consecratum dedicatumque sit, annis videlicet post institutam ab Vrbano IV. Corporis Christi festiuitatem* 14.

Altaria in qua Templorũ parte apud veteres steterint.

Non ommittendum hoc loco videtur, quòd D. Iuellus Sarisburien. in Anglia Episcopus contra Hardingum Articul. 3. *Sect.* 26. *monet*, Altaria *videlicet* apud veteres non semper & vbique in extrema Templorum parte, quàm vulgo hodie Chorum vocamus, sed in medio posita fuisse. *Eusebius enim, Templi formam apparatumque, qualis suo tempore exstitit, lib.* 10. *cap.* 4. *his verbis ostendit:* Absoluto Templo ac sedibus excelsissimis, ad honorem præsidentium, & subsellijs ordine collocatis, ornato, & post omnia Sancto Sanctorum, videlicet Altari in medio constituto, *Altare non in extremo Choro, sed in medio Templi populique positum fuisse Eusebius scribit*, &c. *Augustinus etiam de verbis Domini secundum Ioannem Serm.* 42. Christus *inquit*, quotidie pascit: Mensa ipsius est illa in medio constituta. Quid causæ est, ô audientes, vt mensam videatis, & ad epulas non accedatis? *In Constantinopolitano Concilio* 5. *act.* 1. *sic habetur:* Tempore Diptychorum cucurrit omnis multitudo cum silentio circacircum Altare, & audiebant. *Denique vt reliquos mittam, Durandus lib.* 5. *quid causæ sit, quamobrem Sacerdos ad Altare adstans se ipse conuertat, inquirens, hanc illius rei rationem adhibet:* In medio Ecclesiæ aperui os meum. *Bonifacium etiam Episcopum Romanum à populo Sacerdotem in sacra Liturgia primum disiunxisse supra indicauimus. Sed vt testimoniorum longiore commemoratione supersedeam, ex paucis hisce intelligimus, Chorum eo tempore, in Templo medio stetisse, cancellis quibusdam septum & conclusum, atque à reliquis partibus distinctum: vnde etiam* Cancelli, *dictus est: & à Græcis vsitatè* βουλευτήριον, *quia locus erat Presbyteris atque Ministris propriè designatus, cæterisque omnibus, ne sacra interturbarentur, præclusus, quemadmodum egregiè ex Historia Ambrosii apparet apud Theodoretum lib.* 5. *cap.* 18. *& ex Nazianzeno in vita Basilij: & ex decreto quodam quod Clementi tribuitur, de Consecrat. dist.* 2. *Sacerdotum, & ex Concilij Laodicen. can.* 19. *Fuitque locus iste, id quod ex Chrysost. colligi queat, quadam in parte sacrorum velo quodam & caduerco obtentus. Imò etiam hodiè in magnis Ecclesiis Mediolani, Neapoli, Lugduni, Moguntiæ, Romæ, & in Ecclesia B. Laurentij apud Florentinos, Sacerdos rem diuinam faciens, ad Occidentem spectat, atque populum præ oculis semper habet.*

Chorus in medio Templi.

Hodiè plæraque Altaria in Papatu in prima Templorum parte collocata sunt, & versus Orientem

Altaria in Papatu

in prima Templi parte vnde *tem spectant: quod etiam ab Ethnicis sumpserunt. Nam multi Ethnicorum colebant Solem pro Deo: vnde & in publicis suis Sacris verterunt se versus Solem. Administrabant etiam alia sua negotia Solis iudicio. Nam, vt Herodotus scribit,* Persarum Principes pacti inter se sunt, vt statuto die omnes equos suos ante regiam primo manè perducerent, & cujus equus ante Solis ortum hinnitum primus edidisset, is Rex esset. *Iustinus etiam lib.* 18. *refert:* quòd cùm in Tyro serui conspirâssent in Dominos suos, eosque trucidâssent, deliberantes de Reipubl. statu, decreuerint, eum potissimùm, quasi Dijs acceptissimum, Regem fore, qui Solem Orientem primus vidisset. *Apud Apuleium quoque legitur* Tunc in Orientem obuersus, vel incrementa Solis Augusti tacitus imprecatus, *&c. Et propterea in lege Dominus instituit* vt Sanctum Sanctorum, *in quo positum erat Propitiatorium,* non ad Orientem, sed Occidentem verteretur, *ne Israëlitæ Ethnicorum more ei seruire viderentur.*

Abusus Altarium 1. *Fuit autem Altarium lapideorum ac fixorum etiam vsus ab initio tolerabilis, nec ego ea facilè damnauerim, si modò Cœna Domini seruiant, nec modum excedant, aut superstitioni inseruiant: quòd primò cœpit fieri circa annum nati in carne Christi* 430. *quando vbiuis locorum, etiam extra Templa, in honorem & memoriam Martyrum, hoc est, sanctorum mortuorum, aut opinione saltem talium exstruere Altaria cœperunt. Perspicitur hoc ex Canone* 14. *Concilii Carthaginen.* 5. *anno Christi* 438. *celebrati, vbi etiam iste abusus Altarium reprehenditur, & sancitur,* *Altaria nulla sine reliquijs erigenda.* vt Altaria, quæ passim per agros aut vias, tanquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditę probantur, ab Episcopis, qui iisdem locis præsunt euertantur. Sin autem hoc propter tumultus populares fieri non possit, plebs tamen admoneatur, ne illa loca frequentet, aut aliquâ ibi superstitione deuincta teneatur. *Statuitur item,* vt omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut Reliquiæ aliquæ certæ sint, & vbi origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissimâ origine tradatur. Nam quæ (*inquiunt Patres eiusdem Concilij*) per somnia & per inanes quasi reuelationes quorumlibet hominum vbique constituuntur Altaria, omnimodè reprobentur. *De Consecratione distinctione prima. Placuit. Durandi Ration. lib.* 7. *cap.* 1. *Voluerunt Patres in hoc Concilio crescenti idololatriæ de Cultu Sanctorum, Templorum & Altarium resistere. Quid hodiè dictures putas, quando passim Aras & Sacella Diuorum, ob somnia similesque reuelationes fabricata, infinita in Papatu conspicere licet? Præterea sancti illi viri concedendum putauerunt, vt vbi corpora Sanctorum sepulta iacerent, ibi Aræ exstruerentur. Posterioribus autem seculis, quò, vbicunque vellent, lapideas domos colere possent, piumque hoc decretum eluderent, hypocritæ, nec non vniuerso orbi nequiter imponerent, discerpserent vnius sancti cadauer, vestesque in aliquot millia particularum, ac in Aras diuersissimis locis reposuerunt: vt sic dici possit, in omnibus illis Templis esse corpus eiusdem Sancti, si non totum, at certè particulam aliquam vel ipsius, vel eius calcearum: sicque præclarè ac suo more Concilium hoc sibi seruâsse videntur. Catalogus testium Veritatis fol.* 142.

Cùm verò Carthaginense hoc Concilium isto suo decreto parùm admodum profecisset, eam ob causam Hormisda Papa circa annos Christi 516. *constituisse videtur,* Ne Altaria sine Episcopi consensu erigerentur: *vt refert Gratianus de Consecratione distinctione prima. Nullus presbyter, Alioqui nec in Synodis ab ipso celebratis, nec in Epistolis ab eo scriptis hoc inuenitur. In Concilio quoque Spalensi* erectio Altarium solis Episcopis *iniungitur: Actione octaua. Et in Senonensi Synodo anno* 1528. *habita: Canone* 38. *præcipitur,* ne prætextu noui Miraculi erigatur Altare nouum, nisi Episcopus loci de eo negotio ante desierit quid sit tenendum.

Cùm etiam Caroli Magni tempore Altaria plurima in vna eodemque Templo cœpissent exstrui, Imperator coactus fuit in suis Constitutionibus præcipere, ne superflua sint in Ecclesiis: Quid hodiè diceret, si in vno Templo quadraginta aut quinquaginta videret? Bruschius certè de Monasteriis Germ. fol. 129. *testatur,* incomparabilem illam Vlmensium Basilicam 51. Aris decoratam fuisse. *Idem quoque refert fol* 306: in Basilica Cœnobii Salemitani fuisse 28. insignia Altaria. *Abusus Altarium.* 2.

Petrus de Bruis, qui fermè ante annos 500. *vixit, reprehendit etiam, quòd suâ ætate tot superfluæ Ecclesiæ, & tot Altaria in ijs tam sumptuosè ædificentur: item, quòd tantùm sumptuum in eorum Cultum fiat, & vera Ecclesia, id est, miseri Christiani negligantur, vt in Catalogo testium Verit. indicatur.*

Facta sunt hæc prorsus ad Ethnicorum imitationem, vt pleraque alia in Papatu. Nam apud illos plura Altaria in vno Templo fuisse, ex Prudentio appparet, qui lib. 1. *contra Symmachum inqit de Simulachris Romæ Deæ tutelari adjunctis.* *Altarium multitudo apud Christianos ab Ethnicis.*

Omnibus ante pedes posita est sua cuique vetusta.

Arula.

Et Vergilius de Venere ait:

Vbi Templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ.

Nec in Templis tantùm, sed etiam in aulis (vt

apud Theodoretum lib. 3. cap. 16.) & in Curijs (vt patet ex epistola Symmachi ad Imperatores pro sacris Patrum) Aras habuerunt, in quibus sacrificârunt.

In veteri Testamento duo tantùm Altaria.

In veteri autem Testamento duo tantùm erant Altaria: & ea quidem Christum adumbrârunt. Quia verò vmbra veterum & typi præterierunt, nulla Altaria deinceps in Ecclesia excitari seu erigi debebant. Esaias enim Propheta cap. 17. de regno Christi vaticinans, inter alia ait: In tempore illo respiciet homo ad factorem suum, & oculi ejus ad Sanctum Israëlis contuebuntur, & NON RESPICIET AD ALTARIA, opus manuum ejus, & ea quæ fecerunt digiti eius non intuebitur, *&c. Vnde apud Christianos etiam in primitiua Ecclesia cuique Templo vnicum tantùm fuit Altare seu mensa: Eusebius enim lib. 10. cap. 4. inquit:* Augustum, & magnum & vnicum Altare. *Et Ignatius ad Philadelphianos expressè ait,* Vnum est Altare toti Ecclesiæ. *Sic Chrysostomus in 2. Cor. hom. 8.* Baptismus vnus est, est mensa vna. *Et Gentianus Heruetus, Ecclesiæ Græcæ rationem, quam hodiè habet, commemorans, ait:* In Græcorum Templis tantùm vnum est Altare, idque in medio Choro. *Dum igitur hodiè in Papatu contrarium fit, replendo tam priuata quàm publica loca Altaribus, iure optimo in eos quadrat grauissima Domini reprehensio, quæ exstat apud Prophetam Hoseam 8. cap.* Quia multiplicauit Ephraïm ad peccandum Altaria, fuerunt ei Altaria ad peccatum. *Quod perinde est ac si diceret Dominus: Ego vnicum Altare esse volui, vt sacrificij illius vnici eos admonerem, quod solùm expiandis peccatis sufficiet. Et notum est satis quanta cum Religione & zelo majores ipsorum pro vnico isto Altari contenderint, cum Transiordani Altare nouum exstruxisse viderentur: Iosu. 22. At isti omnium istorum obliti, diuersis in locis multa passim Altaria ædificant, & ita demùm sibiipsis religiosi videntur, si passim exstent in obedientia ipsorum vestigia & monumenta. Erunt ergo Altaria hæc ipsis in peccatum, id est, cedent illis in grauem culpam & exitium. Quibus vtique verbis clarè admonemur, Deum longè aliter de cultibus per nos institutis judicare, quàm superstitiosi facere soleant. Israëlitæ enim Altaria in nullum alium finem, quàm ad colendum Deum ædificabant, & ideò quo plura essent, eò magis Deum ab se coli arbitrabantur. At Deus illa ad peccandum facta dicit, & peccata illic committi, quæ breui ipsis exitium sint allatura. Cujus sententiæ hæc vnica ratio est, quòd contra legis præscriptum hoc omne faciebant. Idem hodiè quoque judicandum est de Altaribus: constat enim in Christo ea abrogata esse. Quicunque ergo vel vetera illa reducunt, vel nouum ad illorum exemplar instituent, hi omnes horribiliter peccant, eoque sæpius & grauius peccant, quò studiosius istis rebus occupantur, & suas intentiones bonas, vti vocant Dei mandatis præferunt. Quod enim fit præter Dei voluntatem, ac secus ille vult fieri, quanquam existimatur acceptum Deo, tamen est omnium pessimum & iniquissimum vt Chrysostomus ait Oratione 1. Contra Iudæos.*

Abusus Altarium 3.

Accedit his erroribus adhuc tertius, quòd nimirum crescente Superstitione & Idololatriâ, Aras non Deo, sed Sanctis mortuis, eorumque imaginibus erigere & construere cœperunt. In veteri autem Testam. Noe, Iacob, Iosue & alij semper Deo Altaria exstruxisse dicuntur. Tantùm etiam abfuit, vt hic error Augustini adhuc ætate viguerit, vt eum quoque in Gentilibus acriter reprehenderit. Sic enim inquit tom. 10. Serm. 6. Ara est, quæ testatur, pro numine id haberi cui erigitur. Nam illi, *scilicet Ethnici,* quòd numen habeant, & pro numine accipiant illam statuam, ara testatur. Quid illic faciat ara, si illud non habeatur pro numine? Nemo mihi dicat, Non est numen, Non est Deus. Iam dixi, vtinam ipsi sic norint hoc, quomodo nouimus omnes nos: sed quid habeant, pro qua re habeant, quid ibi faciant, Ara testatur. *Augustini igitur sententia est, eum pro Deo haberi, cui Altare exstruitur & consecratur. Hæc sanè D. Augustinus obycere Ethnicis non potuisset, si eo tempore consuetudo hæc in Ecclesia fuisset, quæ aliquot iam seculis fuit, vt nimirum vnicuique Sancto peculiare Altare erigatur. Si Ethnicis hæc dixit, quid putas eum Christianis dicturum si hodiè viueret? Non putauit sanctissimus Pater, futurum, vt ista omnia in nostros Christianos aliquando caderent, qui hoc loco Ethnicos reprehendit, & tamen venit Tempus quo Ethnicos Christinai in hoc errore longissimè superant.*

Ara ignoti Dei apud Athenienses.

Hic prætereundum non videtur, quòd licet apud Ethnicos etiam quæque Ara & certo alicui Deo vel Deæ dicata seu destinata fuerit, soli tamen Athenienses etiam ignotis, seu incertis Dijs Aras erectas habuerunt. Author est Thucydides, Athenis in foro duodecim Aras Deorum stetisse. Has contemplatus haud dubiè Paulus Apostolus, in eam intendit, cujus inscriptio erat, IGNOTO DEO, *vt est Act. 17. Meminit & Cælius Lect. Antiq. lib. 22. c. 2. ex Philostrati lib. 6. de vita Apollonij, Ignotis Dijs Athenis Aras erectas fuisse. De Inscriptione verò hujus Aræ hæc habet Hieronymus in epist. ad Titũ:* Inscriptio Aræ nõ ita habuit vt Paulus asseruit, Ignoto Deo: sed ita, Dijs Asiæ, Europæ, & Libyæ, Dijs ignotis & peregrinis. Verùm quia Paulus non pluribus Dijs indigebat ignotis, sed vno tantùm ignoto Deo, singulari verbo vsus est, vt doceret, illum suum esse Deum, quem Athenienses in Aræ titulo prænotâssent: & eum rectè scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant,

rant. *Oecumenius in Acta, titulum his verbis conceptum fuisse tradit,* Dijs Asiæ, Europæ & Libyæ, Deo ignoto & peregrino. *Idem huius inscriptionis hanc affert interpretationem:* Duas, *inquit*, causas referunt, cur aqud Athenienses inscripta fuerit Ara, Ignoto Deo. Aliqui dicunt, quòd Athenienses miserint ad Lacedæmonios nuncios oratum vt venirent ipsis auxilium aduersus Persarum exercitum Græciam inuadentem: Qui cùm in itinere essent, juxta Parthenium spectrum apparuit eis, accusans Athenienses, quòd se neglecto alios Deos colerent: affirmabatque se esse Pana, & pro sua erga eos beneuolentia, auxilio affuturum promisit. *Cum itaque victoria potiti Athenienses, Templum illi erexissent, timentes adhuc ne aliquis alius Deus incognitus ab eis sine honore prætermitteretur, Aram erexerunt cũ ea, quâ diximus, inscriptione. pergit Oecumenius. Alij verò aiunt, pestem quandam Athenis grassatam fuisse, adeoque illos exedisse, vt neque sindones tenuissimas possent tolerare. Cùm igitur colerent eos, qui apud illos Dij habebantur, nihil adjumenti senserunt. Intelligentes itaque quendam fortasse esse Deum, quem ipsi absque honore reliquissent, qui pestem immisisset, novam exstruxerunt, Aram, cum eadem suprà citata inscriptione,* IGNOTO DEO, *cumque illi sacrificarent, statim curati sunt. Hunc ergo Christum Iesum esse Deum omnium, dixit Paulus, quem se illis annunciare dicebat. Hoc Laertius paulò aliter narrat: Alij verò hoc in defectum existimant, quòd, Epimenides Cretensis,* inquit, *Vrbem Athenarum, peste grauissimè laborantem, lustraturus ex responso Pythiæ, oues sumpserat, nigri & candidi velleris, duxeratque in Areopagum, atque inde quo vellent abire permiserat, comitibus mandans, vbicunque illæ accubuissent, singulas mactarent peculiari cuipiam Deo. Hinc passim apud eos Aræ inueniebantur, sine nomine: ex quibus etiam illa fuisse videtur, quam Paulus Athenis reperit, quamque inscriptionem* IGNOTI DEI *habuisse testatur.*

De hoc vero Ignoto Deo *hæc magis placet sententia, vt, quoniam placitis antiquorum Philosophorum, veluti Trismegisti & aliorum, quin etiam & Sibyllinis Oraculis receptum erat, vnum Deum esse inuisibilem, interceptibilem, eundemque innominatum & ineffabilem; eundemque innominatum & ineffabilem; ne cui numinum diuinus honor deesse videretur, Aram eo titulo illi erexerint. Quamvis autem Deum sic cognouissent, tamen, vt ait Paulus,* non sicut Deum glorificauerunt, *vt qui impurissimis etiam creaturis itidem diuinum impartirentur honorem. Appositè igitur Paulus ad eos inquit:* Quod vos ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.

Altariũ *Inter hæc autem Altaria, in Christianorum Templis erecta, vnum summum ac præcipuum cœpit esse post annos Christi* 1200. *hoc est, ab eo tempore, quo Transsubstantiationis dogma ab Innocentio III. receptum, approbatum, interque articulos fidei relatum, & Corporis Christi festiuitas ab Vrbano IV. instituta fuit.* differentia.

Germani hoc Altare vocant Fronaltar/ *h. e. summum vel præcipuum Altare.* Fron *enim antiquum Germanicum vocabulum, nihil aliud quàm summum seu præcipuum Latinè sonat. Vnde & Corporis Christi festum, quo Pontificii aliud non habent maius, vocant* Fronleichnamstag. *Ita verò Altare hoc vocatur, quòd in eo credant Corpus Christi ipsissimum consecrari & offerri: seu quod Christo dicatum sit, reliqua verò Divis & Sanctis mortuis. Sic Ara in qua Hercules decimas obtulit, à Romanis vocata fuit* maxima, *propè forum boarium, nullâ inferior, quod ad ciuium venerationem attinet: nam & iusiurandum apud eam ac conuenta, quæ voluerunt esse firma peregerunt, & decimas facultatum ex voto sæpè illic obtulerunt, vt Dionysius Halicarnass. lib. 1. refert. Sic etiam in Olympia Ara fuit Iouis Olympij præcipua, cuius crepido prima, Prothysis dicebatur, ambitum complectebatur pedum* 125. *post Prothysin cuiusuis mensura fuit pedum* 32. *Altitudo Aræ totius ad* 22. *pedes assurgebat. Gradus vtroque latere lapidei ad Prothysin educebant. A Prothyse autem in loca Aræ superiora, gradus adhibebantur cinerei, Pausaniâ in Eliacis authore.* Fronaltar.

De Ornamentis ALTARIVM.

ORnatus Altaris versatur in Velamentis, Crucibus, Capsis, Textilibus & Phylasterijs. *Beleth. in Rationali capite octagesimo quinto. Est autem* phylacterium *vasculum vel argenteum, vel aureum, vel etiam crystallinum, in quod Sanctorum cineres & reliquiæ reponuntur. Idem ibidem cap.* 115. *Altariũ ornatus inquibus consistat. Phylacterium quid.*

Isidorus & Polydorus Vergilius Stephano primo Altarium tegumenta attribuunt, qui Romanum Episcopatum tenuit circa annos Christi 250. *Alij id Felici I. ascribunt, circa annos Domini* 250. *Non autem videtur tam benè habuisse eo tempore Romanam Ecclesiam sub crudelissimis Tyrannis, vt Episcopi Romani aliud nihil quod agerent haberent. Quamvis ex Origenis homilia decima in Iosua appareat, ad ornatum Altarium iam tum à fidelibus quædam collata esse. Panthaleon igitur in Chronico & Zegedinus in Speculo,* Albas & Corporalia Altarium *Syluestro Primo tribuunt. Alij verò Bonifacio Tertio Romano Episcopo, qui circa annum Domini* 607. *auctor fuit,* vt Altaria candidis operirentur ac linteis pannis, *teste Polydoro Vergilio de Inuentione rerum libro quinto, capite sexto. Et Regino libro primo, De disciplina Ecclesiastica capite* 60. *docet,* mundissimis linteolis *Altariũ tegumenta quis instituerit.*

& pallijs Altaria vestienda esse. *Quæ cùm ita sint, mirum quod Gratianus refert de Consecratione dist.* 1. *cap. Nemo*, &c. *Durandus in Rationali diuinorum libro* 1. *cap.*3. Clementem Primum Papam *statuisse*, ne mortui sepeliantur, vel inuoluantur seu operiantur, vel etiam feretrum, cum palla *id est, pannis Altaris.*

Altaribus thuris vsum quis assignarit.

Leo *Tertius Papa circa annum Domini* 798. thuris vsum Altaribus assignauit, *Ethnicorum more. Liber Pontific. Balæus in vita eius. Quod si Decretalibus fides aliqua habēda fuerit, incensi & thuris vsus diu ante Leonem hunc fuit: iuxta illas enim Soter Episcopus Romanus circa annum Christi* 172. *constituit*, ne Monacha incensum ad Altare differat: *refert etiam Antoninus Titulo septimo capite sexto sectione prima, & Platina in Vitis.*

Altarium tegumenta in propriis vasis lauanda.

Gratianus de Consecratione distinctione 4. *Omnis Presbyter. indicat*, in Concilio Ilerdensi (*non tamen inter eius canones inuenitur*) statutum, vt ad tegumenta Altaris lauanda Sacerdos propria habeat vasa, in quibus nihil aliud fiat.

Altaris vasa à mulieribus non attingenda.

Sixtus circa annum 135. *statuisse dicitur*, vt mulier, vel Monacha sacra vasa Altaris, & pallam sacratum non contingeret vel leuaret. *Sabellicus Enne.* 7. *lib.* 4. *Antonius Titulo* 7. *capite* 5. §. 1. *Hoc Bonifacius anno* 425. *renouat, vt Martinus Polonus & Balæus referunt.*

In Laodiceno Concilio primo anno 368. *habito iuxta aliquos, capite* 44. *sancitur*, ne mulieres ad Altare accedant, & ea contingant, quæ virorum officiis deputatá sunt. *In eandem ferè sententiam Gelasius in decretali* 1. *statuit capite* 28. vt fœminæ sacris Altaribus non ministrent, vel aliquid ex his, quæ virorum sunt officijs deputata, præsumant.

Altaria lauanda

In Bracarensi Synodo prima anno Domini 610. *habita. sancitur*, vt non liceat cuilibet ex Lectoribus Altaris sacra vasa portare, nec alijs nisi his qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati *D.*23. *Non licet cuilibet.*

In multis locis Altaria tribus illis ante Pascha diebus lauantur vino & aquâ, & ramis fricantur, præsertim ramis de Sauina. Et lauantur cum Psalmo pœnitentiali, vel cum cantu ad passionem pertinente: plus autem vini quàm aquæ adhibetur. Durandus Rat. lib. 6. *cap.* 76 *Fit hoc ad imitationem Ethnicorum, apud quos Lauatio matris Deûm festum erat, quo aquis adiunctâ cineris frictione, sordes statuæ eius abluebantur. Arnobius lib.* 7. *contra Gentes, Pausanias quoque refert in Eliacis*, quotannis vates in Olympia, obseruato die *ἐλαφίῳ hoc est Februarij* decimo nono, cineres Prytaneo exportare, cumque illos Alphei fluuij aquis temperârint, Aram ibi maximam illinere.

In Parasceue Altaria suis ornamentis spoliari, Honorius Augustodunensis Presbyter. qui claruit anno 1120. *testatur, in Sermone die Cœna Domini habito.*

In Coloniensi Synodo sub Rodolpho I. Imperatore habita à Sifrido eius loci Episcopo, præcipitur capite septimo, vt loco circa Altare, ab araneorum telis & puluer ibus, ac cæteris immundicijs sæpius emundentur. *Item*, vt sursum super Altare ad latitudinem & longitudinem Altaris, pannus lineus albus extendatur, vt prætegat ac defendat Altare ab omnibus immundiciis & pulueribus descendentibus. *Item*, vt Cortinæ in lateribus Altaris vtrinque appendantur, nec in aliquo tempore Sacrificii detrahantur.

Signum & Miraculum falsum pro exstructione ALTARIVM.

Sebastianus pestis medicus vnde.

P*Aulus Diaconus libro sexto, capite secundo, de gestis Longobard. & in Chron. suo narrat:* quòd cùm tempore Constantini V. Imperat. cognomento Pogonati, circa annos Domini 682. per tres menses, Iulium, Augustum & Septembrem, pestis Ticinum adeò depopulata esset, vt ciuibus inde fugientibus herbæ & fruticeta enascerentur in plateis, reuelatum esse quibusdam viris, non prius pestem cessaturam, quàm Sebastiani Martyris Altare in Basilica Petri construeretur, atque euentum correspondisse. Reliquiis enim Sebastiani Româ Ticinum translatis & Altari exstructo, lues illa quieuit. *Atque hinc superstitio de Sebastiani contra pestem præsidio rudium animos primùm occupauit.*

CAPVT VII.

De Origine & progressu Translationis, Venerationis, Adorationis & Cultus RELIQVIARVM Sanctorum in Templis asseruatarum.

Mortuorum cadauera honestè apud omnes populos sepulta.

Q*Via Pontificij dicunt*, Altaria esse Sepulchra Reliquiarum, *ideò nunc de Reliquiis, earumque Cultu & Venerationis agemus.*

Quoniam Deus Adamo dixit Genes. 3. Terra es, & in terram reuerteris, *ideò Patriarchæ statim in primordio Mundi instituerunt, vt mortuorum cadauera terræ mandentur, & sic quodammodo ad resurrectionem seminentur. Ex hac consuetudine consecutum est, vt apud omnes sanioris iudicij populos, mortui honestè sepelirentur, vtpote de quibus spes erat, non perijsse illos, sed in nouissimo die resurrecturos. Et exstant quidem in veteri Testamento huiusmodi funerationem*

tionum multæ descriptiones, in quibus indicatur, quòd funera piorum honorificè curata, reuerenter ad sepulturam deducta, & religiosè in monumentis condita & asseruata sint. Ex multis vnum vel alterum saltem adducam exemplum.

De sepultura Mosis.

De Mose scriptura dicit, Mortuus est in monte Nebo Moses seruus Domini in terra Moab, juxta verbum Domini; Et sepeliuit eum in valle in terra Moab, contra Bethpeor, & nullus hominum cognouit sepulchrum eius, vsque in hodiernum diem. *Mortuus quidem & sepultus dicitur Moses, sed non exprimitur quis eum sepelinerit: tamen verissime est, quòd Deus ipsum Angelorum ministerio terræ mandauerit. Proinde non est effossus & translatus: imò ne hodie quidem eius sepulchrum quisquam nouit. Quod si ad gloriam Dei & salutem hominum pertineret mortuorum hominum translatio, Dominus certè non abscondisset tantas tam dilecti & fidelis serui sui Reliquias. Nam, vt Numer. capite duodecima intelligitur, Moses Prophetarum maximus fuit & Deo dilectissimus. Et tamen tanti Prophetæ corpus non transfertur, nec ponitur in argenteam thecam, nulla ei Basilica exstruitur, non circumfertur in pompa, & frequenti superstitiosarum hominum turba. Imò ex Iuda Epistola non abscurè intelligitur,* certamen obortum esse inter Archangelum Michaelem & Satanam super corpore Mosis, *nimirum, vt in Apocrypha quodam scripto legitur,* quòd diabolus conatetur corpus Prophetæ seruare & hominibus superstitiosis ad cultum prostituere: Angeli contra boni, offendiculum præsentientes, veræ pietati & saluti hominum consulere cupientes.

Mosis corpus non transfertur.

Si contingebat vt extra Ecclesiam morerentur Sancti, & eorum corpora humarentur, aut inhumata relinquerentur: Pij illa colligebant, & cum honore deferebant ad tumulum in Ecclesiam, tanquam ea, quæ ad resurrectionem beatam pertinerent. Iacob in Ægypto existens & jam jam moriturus, mandauit filijs suis, ne se in Ægypto relinquerent, sed transferrent in terram Chanaan, quod etiam factum fuit. Ioseph noluit in Ægypto sepeliri, sed suum corpus aromatibus condiri, in arcam ex pretiosis lignis confectam seponi, vsque ad exitum Israelitarum ex Ægypto asseruari, & cum populo in terram Chanaan transferri, cumq; Patribus suis sepeliri, sicut & factum est. David quoque ossa Saulis & Ionathæ quæ sepulta fuerant in nemore Iabes, curauit honoris causa, & testificandæ etiam fidei suæ de resurrectione, transferenda in terram Beniamin, & in paternum Saulis monumentum recondenda.

Sepulchra Iacobi & Iosephi.

Translatio ossium Saulis & Ionathæ.

Licet etiam Iudæi posterioribus seculis Patriarcharum memoriam semper maximi fecerint, & quidem propter promissiones nomina eorum etiam in precibus suis publicè commemorârint: non tamen ad sepulchra eorum innocationes instituerunt, non ossa eorum effoderunt & circumgestârunt, & ad peculiarem Cultum osculanda, tangenda, spectanda prostituerunt, non accensis cereis honorârunt, non impetrandæ opis causâ coluerunt, non docuerunt gratiam & virtutem Dei apud Reliquias illas quærendam, nec vllas peregrinationes ad eas instituerunt, sicut hodiè in Papatu fit. Ossa etiam Prophetarum in sepulchris reliquerunt, teste Christo Matth. 23. nec ad ea peregrinationes aut innocationes instituerunt. Ædificârunt quidem & ornârunt sepulchra Prophetarum, & sic erga eos declarârunt reuerentiam suam, quos iniustè occisos fatebantur. Sed hoc illorum studium: vt Chrysostomus interpretatur, grauiter in eis reprehendit Christus, quòd sint mortuorum Prophetarum laudatores & admiratores, quum viuentium & præsentium, qui peccata arguunt, & verbum Dei purè docent, sint persequutores & contemptores, quodque Sanctos pauperet, hic viuentes negligant, & in mortuorum sepulchris ædificandis & exornandis ostentationis gratiâ multùm absumant. *Quid dicturus fuisset Chrysostomus ad Cultum & Venerationem Reliquiarum illarum, si hodiè viueret?*

Iudæi patriarcharum ossa non effoderunt & circumtulerunt.

Cumque in Nouo Testamento inter natos mulierum, non surrexerit maior Ioanne Baptista, excepto Christo: & Stephanus plenus gratiâ & fortitudine miracula & signa magna ediderit in populo: Non tamen vel cum Ioanne, vel cum Stephano, vel cum Apostolis mortuis tale quid Apostolica Ecclesia fecit, quod Pontificij cum Reliquijs Sanctorum faciunt. De Ioanne Baptista Marcus c. 6. scribit: Quum hoc audissent discipuli ejus, venerunt & sustulerunt cadauer eius, & posuerunt in monumento. *De Stephano autem Lucas Act. 8. inquit:* Extulerunt vnà Stephanum viri religiosi, feceruntque planctum magnum super eum.

De sepultura Ioannis Baptistæ, Stephani &c.

Hæc & similia testimonia & exempla Scriptura sacra non solùm docent, honore afficienda esse Sanctorum corpora, Ossa & Reliquias, & quidem maiori etiã aliquâ reuerẽtiâ illâ per quæ etiã plura & maiora sua in illis gratia signa & testimonia dedit Deus: sed etiam ostendunt modum & rationem, quâ veri fideles vtriusque Testamenti Sanctorũ Reliquias venerati sint & honorârint. Modus autem ille, qui in Scriptura legitur exhibitus corporibus, siue Martyrum, siue aliorum piorũ ac fidelium, non est alius, quàm qui pertinet ad illorũ sepulturam: Nempè, vt simul ac Anima ad Deum migrauit, corpus honestè curetur, & sepulturæ tradatur, ibique tanquam thesaurus, vsque ad resurrectionem asseruetur: Vt etiam virtutes eius, Deique dona, ad gloriam Dei, & ad Ecclesiæ ædificationem prædicentur. Deinde verò si contingat, vt extra Ecclesiam inter Idololatras sepulta sint corpora, aut insepulta manserint, aut infrusta discerpta & dissipata; colligenda & transferenda sunt, si fieri possit, atque in Christiano aliquo Cœ-

Modus quo fideles vtriusque Testam. Reliquias Sanctorũ honorârunt.

miterio

Digitized by Google

miterio honorificè collocanda, & asseruanda. Hāc regulam qui sequuntur, qaique hu fidelium vestigiis insistunt, non poßunt vel errare, vel accusari, quòd Reliquias Sanctorum nau satis vel ritò venerentur. Quicquid aatem huic Regala, & exemplis his non consentaneum, in veneratione Reliquiarum posteris atatibus, vel prasumpserunt hamines, vel ex humanis cogitationibus sumpserunt, vel ex Ethnicorum aut quorumcunque hominum exemplis didicerunt, aut quod quisque sibiipsi in Veneratione & Cultu Reliquiarum Sanctorum ausus fuit fingere, id meritò ac iure reprehendi & repudiari debet.

Progrediamur igitur ad tempora qua Apostolos proximè secuta sunt, & inuestigemus Primò, *qaos ritus vera illa antiquitas circa S. Reliquias, qui Scriptura consentauei fuerunt, seruârit:* Deinde *cur, & quibus occasionibus progressu temporis longius pragressum sit:* Tertiò, *vt principia illa, primò quidem solerabilia, admixtis tamen paalatim superstitionibus, tandem in non dißimulandam Idololatriam abierint.*

Ritus quos vera antiquitas proximè post Apostolorum tempora circa Reliquias Sanctorum seruauit.

Post Apastolorum igitur tempora Martyrum & aliorum fidelium corpora reuerenter & religiosè primi illi Christians tractârunt, sed nau aliter, quàm quàd honorifica sepultura ea tradiderunt. Epistola de Martyribus Gallia circa annum Christi 160. apud Eusebium lib. 5. c. 1. valdè conqueritur, quòd non licuerit fidelibus Sanctorum Martyrum corpora, canibus projecta, sepulturæ tradere. *Quibus verbis docent, non honorari corpora Martyrum, si non sepeliri permittantur: & contra honorari ea, si sepultura tradantur. Hac itaque legitima est ratio colendi Martyrum Religaias, quam etiam verbum Dei prescribit: Eodem quoque tempore acciderunt ea, qua Epistola Smyrnensis Ecclesia de Polycarpi Reliquiis narrat. Hostes enim Christiana Religionis exasserunt Polycarpi corpus, nec volebant illud humandum fidelibus concedere. Christiani verò illa ambusta ossa nacti pretiasißimis gemmis chariora, & omni auro probabiliora per ignem facta habuerunt. Quomodo autem illa tractârunt, aut quid illis fecerunt?* Sicuti conueniebat, *inquiunt,* ex MORE condidimus. *Sic etiam Origenes scribit lib. 8. contra Celsum:* Rationalem animam honorare didicimus, & huius organa sepulchro honorificè mandare. *Augustinus lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 13.* Nec ideò tamen, *inquit,* contemnenda & abjicienda sunt corpora defunctorum, maximeque justorum atque fidelium, quibus tanquam organis atque vasis ad omnia bona opera sanctus vsus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, & si quid hujusmodi tantò carius est posteris, quantò erga parentes major affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique multò familiarius atque conjunctius, quàm quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Vnde & antiquorum iustorum funera, officiosâ pietate curata sunt: & exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa: ipsique dum viuerent, de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandârunt. Et Thobias sepeliendo mortuos, Deum promeruisse teste angelo, commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio surrecturus religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quòd vnguentum pretiosum super membra eius effuderit, atque hoc ad sepeliendum eum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus eius de cruce acceptum, diligenter atque honorificè tegendum sepeliendumque curârunt. Verùm istæ authoritates non hoc admonent, quod insit vllus cadaueribus sensus: sed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significatur, propter fidem resurrectionis astruendam. *Hic locus Augustini, quicquid de honare corporibus mortuorum deferendo è sacris literis dici potest, complectitur. Quisquis igitur mortuorum corpara honestè sepeliri curat ac terra mandare, is eo modo quem tradunt Sacra Litera, & quem sequuti fuerunt veteres Patres, ea honorat.*

Qua addita fuerint vero honori Reliquiarum in primitiua ecclesia: Memoria Martyrum.

Huic verò simplici hanori, qui totus in honesta sepultura consistit, quadam à Christianis in primitiua Ecclesia, atque etiam ipsis Doctoribus, quadam adjecta fuerunt, qua per se & simpliciter ab initio improbari non poterant. Cœperunt enim ad Sepulchra Martyrum cœtus vel conuentus Ecclesiasticos celebrare, pracipuè die Paßionis eorum: non quidem propter cultum & invocationem eorum; hoc enim expresse Smyrneusium epistola negat: Sed, *inquit,* vt sequentium animi ad præcessorum viam exemplis insignibus suscitentur. *Quia enim videbant Christiani, apud Ethnicos multos ad virtutem & fortitudinem inde excitari, quòd viri fortes, qui strenuè pro patria pugnando nobili morte occubuerant, anniuersarijs laudibus caronarentur, cùm apud sepulchra eorum conuentus fierent, vt testatur Cyrillus lib. 6. contra Iulianum: Idcirco iudicârunt, etiam in Ecclesia eadem ratione multos ad fortiter suscipienda & fortiter perferenda Martyria inflammari posse. Cùm igitur viderent multas Martyria auersari, & in persecutionibus deficere, instituerunt Martyrum panegyres peculiari solennitate celebrandas, in quibus certamina eorum magnis laudibus recitabantur, & memoria ipsorum gratâ pradicatione celebrabatur, vt hoc modo superstites, ad futura certamina pro fidé subeunda & perferenda, excitarentur & confirmarentur, ne metu suppliciorum ac tormentorum*

defi-

Digitized by Google

deficerent, & fidem abnegarent.

Mansit hæc consuetudo sepeliendi & in terram condendi corpora Martyrum, aliorumque Sanctorum vltra trecentos annos, sicut ex certis & indubitatis Historijs intelligitur. Et quidem cum periculo etiam vitæ suæ Martyrum corpora reuerenter & honestè sepelierunt, quemadmodum Assyrij Romani exemplum, qui Marinum martyrem Cæsareæ Cappadociæ capite plexum, testatur, apud Eusebium lib. 7. cap. 16. Cùm in consummatione Martyris, *inquit*, Assyrius adesset, corpus illius humeto suo, splendidoque, & pretioso indumento impositum derulit, & splendidissimè, quantum conueniebat, sepulturæ tradidit. *Et Origenes lib. 8. contra Celsum*: Rationalem animam honorare didicimus, & huius organa sepulchro honorificè demandare. *Sic in historia de pestilentia Alexandrina Dionysius ad Hieracem scribit de Christianis:* Sanctorum corpora supinis manibus ac sinu exceperunt, oculos depresserunt, ora clauserunt, vnanimes & pariter affecti strictim complexi sunt, lauerunt, & ad sepulturam ornârunt. *Eusebius lib. 7. cap.* 22.

Consuetudo sepeliendi corpora Martyrum durauit vltra 300. annos.

Manserunt etiam Panegyres & celebres conuentus ad eorum Memorias & sepulchra, ob eandem, quam diximus, causam. Sic enim Origenes libro tertio, in Iohan: Memorias, *inquit*, Sanctorum facimus, & parentum nostrorum vel amicorum in fide morientium, deuotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam consummationem in fide postulátes. *Et Basilius in Asceticis capite* 40. Non decet, *inquit*; Christianos aliam ob causam in Martyrum Memoriis, aut locis vicinis comparere, quàm vt precentur, & per recordationem Sanctorum, quàm illi scilicet pro pietate ad mortem vsque constantes fuerint ad huiusmodi zeli imitationem incitentur. *Et homil.* 19. Nostri, *inquit*, profectûs tantùm causâ sat fuerit illorum (*Martyrum vel Sanctorum*) celebrare memoriam. Non enim nostris indigent laudibus ornari: sed nos ipsorum vitæ historiâ & commemoratione, imitationis gratiâ, indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, ex vnguento quoque præstanti diffunditur odor: sic è Sanctorum commemoratione gestorum, ad omnes prouenit vtilitas. *Augustinus etiam contra Faustum Manichæum scribit*, Populum Christianum Memorias Martyrum religiosâ solennitate concelebrare ad imitationem excitandam.

Hæc igitur in vlteri Ecclesia initia fuerunt Panegyricorum conuentuum apud sepulchra Martyrum, tolerabilia sanè nec reprehendenda, sed pro ratione illorum temporum in sanißimis persecutionibus vtilia, vt ad imitationem fidei, charitatis & constantiæ Martyrum, reliqui incitarentur: Nec in omnibus trecentorum horum primorum post natum Christum annorum vel historijs, vel Patrum scriptis quicquam de hodierna Pontificia veneratione Reliquiarum legimus.

Memoria Martyrum tolerabilis ab initio.

Inquiramus igitur jam, quo tempore, quo modo, & quibus occasionibus hæc res longius progressa, superstitionum seminaria secum traxerit, quæ à quibusdam Ecclesiarum Doctoribus reprehensa, à quibusdam dissimulata, à quibusdam verò etiam laudata & ita aucta & accumulata sunt, vt tandem in manifestam & horribilem Idololatriam euaserint.

Sub Constantino Magno igitur effosiones & translationes Reliquiarum ex sepulchris obscurioribus ad celebriora primò cœperunt. Et Constantinus harum rerum author fuit bono quidem Zelo. Quemadmodum enim reliqua externa ornamenta, quæ Ethnicæ Religioni plausibilem speciem & authoritatem apud homines conciliârunt, ad Christianam Religionem transferre studuit, vt eam hoc modo non solùm Christianis, sed etiam Gentibus commendabiliorem redderet, vt tota eius vita historia testatur: Sic eum videret, Gentes Regum, aliorumque clarorum virorum corpora, si in locis obscurioribus humata essent, magnâ pompâ & solennitate ad monumenta clariora transferre, Heroum verò in magnificentißimis Templis deponere: Censuit hunc honorem multo rectius Sanctorum Dei, Apostolorum, Martyrum, aliorumque corporibus & Reliquiis exhiberi.

Sub Constantino M. effossiones & translationes Reliquiarum ad loca celebriora cœperunt.

Cœpit ergo corpora & Reliquias eorum ex sepulchris ignobilioribus effodere & transferre ad loca nobiliora, non quidem vt ibi in Altaribus aut aliis excelsioribus locis ad Cultum & adorationem Idololatricam prostituerentur, sed rursus terræ mandarentur. Testatur hoc expressè Anastasius Bibliothecarius in scripto Chronico, & Cedrenus quoque in Annalibus, curâsse *nimirum* hunc Imperatorem, vt sanctorum Martyrum corpora, persecutionis tempore humana subitaneâ sepulturâ, jam loco honestiori conderentur. *Ad eundem modum Nicephorus scribit libro septimo capite* 30. *præcepisse Constantinum*, vt Reliquię Sanctorum iustæ sepulturæ Romæ mandarentur. *Ita Hieronymus scribit*, Constantinum Reliquias, Andreæ, Lucę & Timothei Constantinopolim transtulisse. *Hæc per se adhuc, & simpliciter damnari non poterant, quia nihil dum Idololatriæ continebant, nisi quòd seminaria quadam superstitionis fuerunt.*

Constan. tin. M. reliquias Sanctorum non ad Cultũ prostituit, sed terræ mandauit.

Hoc Constantini Magni studium mox alii quoque certatim imitari cœperunt, adhibitis splendidißimis pompis & magnificentißimo apparatu. Cũ enim Sacerdotes Apollinis Iuliano Impera-

Constantini M. studium in transferendis.

Sanctorũ Reliquiis initiati sunt etiam alij.

peratore Antiochiæ iuxta fontem Castalium litanti, dixissent, sepulchrum Babylæ Martyris, quod in vicinia erat, in causa esse, quòd Apollo non responsa daret: mandâuit, vt Galilæi (*sic contumeliosè Christianos appellans*) venirent, & sepulchrum Babylæ aufferrent. Vniuersa igitur Ecclesia conueniens, matres & viri, virgines iuuenesque, immensâ exultatione succincti trahebant longo agmine arcam Martyris, psallentes summis clamoribus, & cum exultatione dicentes: Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui confidunt in simulacris suis. *Ruffinus libro primo cap. 35. & Socrates libro tertio capite decimo octauo. Meletij Antiocheni Episcopi, qui sub Theodosio Imperatore obiit, Reliquiæ è Constantinopoli Antiochiam translatæ, & iuxta thecã Babylæ Martyris repositæ & sepulturæ traditæ sunt. Aiunt & Imperatoris iussu, per totã viam publicam intra muros in ipsas ciuitates assumptas eas, & per vices & psalmodias in singulis locis, cum honore, donec Antiochiam perferrentur, exceptas fuisse: Sozomenus libro septimo capite nono*, Mulierem quandam Gazensem collegisse Reliquias ossium Martyrum eorum, quos Gazensis populus, quòd Templa eorum idololatrica diruissent, interfecerant, Eusebij *scilicet*, Nestabi & Zenonis fratrum: & in ollam reconditas, Zenoni consobrino eorum tradidisse: quas abductas ille domi suæ asseruârit, oratorioque ædificato, eò reposuerit. *In persequutione verò Persica sub Sapore Rege & Magis*, Acepsimas Episcopus fortiter in confessione perdurans, mortuus est: cuius Reliquias nonnulli ex Armenia clanculum sublatas sepelierunt: *Sozom. lib. 2. cap. 13.*

Ritus in leuandis & transferendis Martyrũ corporibus in Occidentalibus Ecclesiis.

In Occidentalibus autem Ecclesiis ritum obseruatum in leuandis & transferendis Martyrum inuentis corporibus, sic describit Ambrosius epistola 85. ad sororem: Primùm inuentæ seu studio seu casu Sancti alicujus Reliquiæ, populo monstrabantur, & cuius essent Martyris significabatur. Deinde ordine componebantur, & transferebantur ad aliquod Templum, vbi vigiliæ sequebantur totâ nocte, tandem sepeliebantur. Arcadium Imperat. *narrat Hieronymus*, ossa B. Samuelis, post tam longum tempus ex Iudæa transtulisse in Thraciam, Episcopos cineres illius in vase aureo, serico & precioso linteamine velatos, portâsse, populos Ecclesiarum Chalcedone reliquiis illis occurrisse, & tantâ lætitiâ, quasi præsentem viuentemque Prophetam cernerent, suscepisse, adorantes non Samuëlem, sed Christum, cujus Samuel & Leuita & Propheta fuerat. *Hæc enim sunt Hieronymi verba. Referunt etiam Sigebertus, Vincentius lib. 22 capite nono, & Vrspergensis in Historia Mauricij Imper. circa annum Domino 603.* tunicam Christi, super quam milites sortem milites sortem miserunt, in Zaphat non procul ab Hierosolymis in arca marmorea repertam, mox ab Antiocheno Episcopo Gregorio, & Hierosolymitano Thoma, denique etiam à Constantinopolitano, alijsque plurimis Episcopis honorificè cum jejuniis, & ordine facto quasi exercitu militari, deportatam esse.

Eleuationes & translationes Reliquiarum ex Ethnicismo.

Hæc & similia Constantini Magni demùm temporibus sine Scriptura præcepto, & sine præcedentium trecentorum annorum exemplo, ex Ethnicismo in Christianam Religionem translata sunt, in eaque vsurpari cœperunt. Volaterranus & Sabellicus ex Plutarcho describunt, quàm regiâ pompâ, Antigonus Demetrij Patris cineres ex Syria in Græciam deportârit. Eorum verba adscribam, vt intelligatur vnde talia in Ecclesiam irrepserint. Antigonus, *inquiunt*, cùm Demetrij Patris cineres obuios haberet, magnâ veneratione illos complexus est. Vrnam clausit aureâ, purpurâ & diademate instratâ, quam regiâ naui sublimiter collocauit, circumstantibus hastatis iuuenibus armorum fulgore conspicuis, Xenophane canente sacrum carmen: ciuitates ad quas appellebant, vrnæ coronas mittebant, & viros, qui Reliquias deducerent. Inde Corinthum remigrans, omnibus circa nationibus adeuntibus, cineres illos honorandos præbuit. Cumque Corinthii honores & coronas illis misissent, tandem eos apud Demetriadem beposuit. *Exstat enim apud Plutarchum in Theseo & Cymone descriptio Pompæ, qua Thesei ossa, post annos demùm quadringentos, ex Scyro insula Athenas à Cymone in suâ triremi translata, & quàm splendidâ deductione ac festiuâ celebritate ab Atheniensibus excepta sint, quasi ipse Theseus in vrbem rediisset. Tisameni Orestis Filij cadauer: cùm Achei Helice sepelissent, Lacedæmonij, Delphici oraculi monitu, ejus ossa Spartam deportârunt, vbi longo tempore monstratum fuit Tisameni sepulchrum, ibiq; epulum celebratum à Lacedæmoniis, quæ Phiditia nuncupârunt, vt Pausanias indicat libro sexto. Idem in Bœoticis narrat*, Thebanos sepultum esse apud se Linum vatem contendisse; asseuerâsse insuper, Philippum Amyntæ F. profligatis ad Chæroneam Græcis, somnii cuiusdam monitu Lini eruta ossa in Macedoniam transportâsse: Mox itidem alio commotum somnio Thebas reportanda curâsse. *Themistoclis ossa Athenienses & Magnesia reportari in patriam curârunt, pœnitentiâ ducti, quòd cum aliquando proscripsissent: Pausanias libro primo. Inimici Phocionis jusserunt vt corpus ejus extra*

fides

fines Athenienſium proijceretur, ac ne quis Athenienſium rogum funeri incenderet. Quamobrem nemo amicorum corpus auſus fuit attingere. Conopion quidam tali aſſuetus miniſterio operam locare, exportatum vltra Eleuſina cadauer igni ex æde mulieris Megaricæ ſumpto combuſſit. Ibi mulier Megarica cum ancillis aſſiſtens, tumulum honorarium aggeſſit, atque inferias dedit Phocioni. Oſſa in ſinu collegit, eaque nocte domum deportata defodit apud focum, his verbis: Apud vos, optimi Penates, has boni viri Reliquias depono. Eas vos, quum Athenienſes ad mentem redierint, patrio reddite ſepulchro: *Plutarchus in Phocionis vita, & Ælianus libro duodecimo. Cùm Philopœmenem Achæorum ducem Meſſenij veneno ſuſtuliſſent, Lycoras Arcadum & Achæorum dux Meſſene euerſâ, oſſa eius Megalopolim reportauit, tanquam viri de patria optimè meriti: Pauſanias in Arcadicis. Alexander Magnus in Aſiam tranſmittens, Ilij Mineruæ ſacrificauit, heroibuſque libauit: Achillis cippum vnxit, ac circum eum vnà cum amicis de more cucurrit nudus, eique coronam impoſuit: Plutarchus in Alexandro. Leonidæ Regis Spartanorum, ad Thermopylas cæſi, oſſa, 40. poſt eius cædem annis à Pauſania è Thermopylis deportata, Spartæ ex aduerſo theatri condita ſunt: Pauſanias in Laconicis. Ad Hannibalem vincendum & Romanum Imperium ampliandum, magna mater Deûm ex Phrygia Peſſinunte accita, & Romam tranſlata eſt, magnificoque Templo honorata.*

Ex his ſimilibuſque Ethnicorum moribus & conſuetudinibus tranſlatio, Cultus & Veneratio Reliquiarum Sanctorum in Eccleſiam Chriſti introducta eſt. Teſtatur hoc apertè Euſebius in vita Conſtantini Magni: refert enim. Imperatorem hunc, vt Religionem Chriſtianam plauſibiliorem redderet Gentibus, externa ornamenta, quæ Gentiles ſuæ Religioni adhibuerunt, ad Chriſtianam tranſtuliſſe. *Vnde facilè colligi poteſt, quem hæc ſuperſtitio authorem habeat: non Deum, ſed Satanam. Hoc etiam Plato teſtatur lib. 4. de Legibus:* Quòd, *inquit*, & Sepulchra mortuorum, & Reliquię honorantur, eſt dæmonis Apollinis inuentum.

Reliquiarum tranſlationes adhuc tolerabiles. *Etſi verò ex his Ethnicorum pompis & ſepulchretis prauâ imitatione multa in Chriſtianam Religionem, præſertim in effodiendis & transferendis Sanctorum Reliquiis tranſlata ſunt, vt quòd vrnæ aureæ ſunt adhibitæ, & velamenta ſerica, obuiationes, deductiones, ſicut de Demetrii Reliquiis ſcriptum, & in tranſlatione Samuelis retentum diximus: vix tamen videri potuerunt habere aliqua Superſtitionis & Idololatriæ ſemina. Nam honorificæ illæ tranſlationes & curationes Reliquiarum factæ fuerunt etiam, præter illas cauſas quas ſupra commemorauimus, propter ſpem reſurrectionis & glorificationis Reliquiarum illarum, quæ in vita fuerant Templa Dei, & Organa Spiritus ſancti, reſuſcitanda ſuo tempore ad vitam æternam.*

Deinde, quod ſupra quoque monuimus, corpora & oſſa Sanctorum nondum adhuc in tranſlationibus illis, ſuper Altaria, vt hodiè in Papatu fit, reponebantur: Illum enim locum Chriſto deberi agnoſcebant, tanquam hoſtiæ pro peccatis mundi: ſed ſub Altari, vt qui Chriſto, qui eſt Altare, ſubiecti, eiuſque paſſione & morte redempti ſint; ſicut Ambroſius teſtatur libro decimo, Epiſtola 85. in terram recondebantur quò etiam Epiſcoporum corpora depoſita ſunt, qui ſuper Altaria illa Sacrificium Deo obtulerunt, & Cœnam Dominicam adminiſtrârunt, Ambroſio hoc ipſo loco id atteſtante, vbi dicit: Hunc ego locum prędeſtinaueram mihi: Dignum eſt enim vt ibi requieſcat Sacerdos, vbi offerre conſueuit. Sed cedo locum Martyribus. *Et quia tranſlationes illæ Reliquiarum nihil aliud fuerunt, quàm funerationes & ſepulturæ earum: idcircò factæ ſunt etiam iiſdem Ritibus & Ceremoniis, quæ in ſolenni deductione funerum vſurpabantur tunc temporis, niſi quòd, vt diximus, ex Etnicorum pompis quædam admiſcebantur. Ex hac conſuetudine ſepeliendi & recondendi Reliquias ſanctorum ſub Altari, phraſis illa Hieronymi eſt,* Romanum Pontificem ſuper veneranda oſſa Petri & Pauli offerre, & tumulos vel ſepulchra Chriſti Altaria eſſe: *Quid ſit Super oſſa Petri & Pauli offerre, & Sepulchra Altaria Chriſti eſſe.* *Quia etiam preces publicæ in adminiſtratione Cœnæ fiebant ad Altaria, inde Chriſtiani dicebantur apud ſepulchra Martyrum inuocare Deum. Sicut autem Pauli temporibus, Baptiſmus in aliquibus locis ſupra mortuos viuentibus adminiſtrabatur, vt eſt videre 1. Corinth. decimo quinto. Ita Cœna Domini etiam ſuper corpora Martyrum abſque omni ſuperſtitione celebrari potuit. Sine ſuperſtitione quoque fideles apud ſepulchra Martyrum inuocare Deum potuerunt, in illa fide, pro qua Martyres mortui fuerant. Ipſa quoque honorifica tranſlatio & depoſitio Reliquiarum, vel Apoſtolorum, vel Martyrum, fuit etiam incitamentum quoddam, ad admirationem fidei & virtutum, quæ prædicatæ ſunt de Sanctis, ſicut Chryſoſtomus teſtatur in Babylam:* Poſt ſermonis, *inquit*, facultatem ipſa certè Sanctorum ſepulchra, proximum locum obtinent, ad animos hominum in ipſos Sanctos intuentium, ad virtutum earundem æmulationem excitandos.

Hoc ipſum tamen ne Iuſtiniani Imp. quidem tempore non ubique obſervatum fuit, ut ſcilicet corpora ſanctorum vel in altari ponerentur, vel ſub eo ſepelirentur. Sic enim Procopius ſcribit lib. 1. de Iuſtiniani ædif. Erat, inquit, antiqua apud Byzantium ædes Apoſtolis conſecrata, longitudine temporis iam emota, & quæ (ut ſuſpi-

suspicabatur) amplius stare non potuit hinc pro dignitate instauravit. Vbi latomi & artifices effosso fundamento, invenerunt ligneas arcas tres insculptis literis indicantes, trium Apostolorum esse Corpora, Andreæ, Lucæ & Timothei: quæ Rex ipse & omnes Christiani maximo cum fervore conspexerunt, & conspecta rursum terrâ occuluerunt.

Noua deuotiones erga Reliquias seminaria fuerunt sequentiũ superstitionum.

Licet verò hæc ita se habeant, negari tamen aut dissimulari non potest, nouas istas & electitias deuotiones erga Reliquias, sine Scripturæ testimonio, & absque vllo vetustissimæ Ecclesiæ exemplo susceptas, statim post initium habuisse seminaria superstitionum. Nam postquam effossiones & translationes magnificæ, ab Ethnicis mutuatæ, semel à Christianis receptæ & approbatæ fuissent, mox alia grauiora ex illorum Ritibus Idololatricis in Christi Ecclesia subsequuta sunt: Semel enim vno in conuenienti dato, mox sequuntur alia plurima. Refert Plutarchus in Theseo, Athenienses in Marathone pugnantes vidisse spectrum Thesei armatum pro Atheniensibus pugnans & hostes fundens: Postea Apollinem Oraculo monuisse Athenienses, vt ossa Thesei inquirentes Athenis deponerent, & religiosâ Veneratione asseruarent, atque ipsum tanquam Heroa, seu munimentum & præsidium vrbis, Sacrificiis & Inuocationibus colerent ac venerarentur. *Epiphanius scribit,* Ægyptios Gentiles, locum vbi Ieremias sepultus fuit, magnâ deuotione & Religione coluisse, quòd persuasi essent aspides & crocodilos ab ipso profligari. *Ælianus de varia Historia libro duodecimo narrat,* Alexandri Magni corpus per triginta dies inhumatum iacuisse. Postea Aristandrum numine correptum dixisse: Cùm Alexander omnium seculorum Reges felicitate superârit, sibi à Diis patefactum esse, in quacunque terra corpus ipsius requiem habiturum esset, eam feliciorem cæteris & ab hostili vastatione liberam fore. Inde inter Alexandri successores contentionem ortam fuisse, singulis conantibus corpus illud in suum regnum transferre, quasi obsidem firmitatis Imperii & incolumitatis regni. Tandem verò Ptolemæum præualuisse, & Alexandriam illud transtulisse. *Polydorus etiam ex Dionysio ostendit,* cereos & lumina accensa partem fuisse cultûs Reliquiarum apud Ethnicos. *Et supra florum, rosarum & coronarum, quæ in translationibus Reliquiarum eis oblata fuerunt, mentionem fecimus.*

Progressus cultus Reliquiarũ apud Christianos.

Hos autem Gentilitios Cultus in Christianam Religionem receptos & nouis additamentis subinde auctos fuisse, Historia luculenter testantur. Quum primùm enim corpora & Reliquiæ Sanctorum effodi & transferri cœperunt, mox persuasio animos hominum inuasit, Martyres, aliosque Sanctos eius Regionis, vrbis & loci, vbi eorum Reliquiæ seu corpora deposita erant, columnas, Turres, Munimenta & Præsidia esse, vt Basilius loquitur. Hanc superstitionem confestim sequuta est alia, vt corpora Sanctorum & Reliquias alias non amplius sub Altari humarent, sed super Altaria ponerent & ad venerationem prostituerent. Inde mox etiam ortæ sunt circumgestationes Reliquiarum, vt in maiori admiratione essent. Narrat Euagrius libro quarto capite vigesimo sexto, ex libro secundo Procopij de bello Persico, Apameæ Syriæ oppido, partem Crucis, de qua Christus suspensus fuit, ab homine Syro clàm eò delatam, cubitali magnitudine reseruatam fuisse. Eam oppidanos, magnam eius loci tutelam esse existimantes, religiosè veneratos esse, & conditâ ei thecâ ligneâ, auro gemmisque exornatâ, tribus Sacerdotibus custodiendam tradidisse, & certâ die quotannis proferre & venerari consueuisse: inprimis verò Apameenses ciues, Cosroe Persarum Rege cum exercitu ciuitati illorum imminente, ejus se ligni auxilio plurimùm se iuvari posse, superstitiosè putâsse. Belli enim periculis consternati miseri homines, Thomam, Ciuitatis suæ Episcopum adeuntes rogârunt, vt præter consuetudinem, sanctæ Crucis lignum proferret, eamque ciuibus exosculandam exhiberet: eâ opinione, se, visâ cruce, felicius morituros esse. Præsul igitur motus ciuium precibus, Crucis lignum ambabus manibus in sublime sublatum, circumeundo sacram Ædem omnibus spectandum exhibuit, quorum numero Euagrius se quoque interfuisse *scribit. Sic Lucillus Episcopus circumgestationem Reliquiarum S. Stephani in memoriam eius instituisse dicitur. Stephanus II. Papa circumgestauit Reliquias, cum opinione quòd afferant locis prophanis lustrationem quandam seu expiationem.* Nam Româ obsessâ ab Aistulpho, Apostolorum caluariis & supplicationibus vrbem lustrauit: *Liber Pontificalis & Volaterranus.* Victoriâ autem partâ, Litanias per omnes Ecclesias instituit, & Apostolorum caluarias, aliorumque Sanctorum Reliquias circumferri & ostendi in Processionibus istis jussit: *Ibidem, & Balæus in vita eius.*

Quia etiam Miracula plurima ad sepulchra Martyrum, aliasque Reliquias fiebant, homines in omnibus infirmitatibus, periculis & necessitatibus suis eò currebant, flores apud Augustinum: Oraria & tunicas apud Ambrosium, sepulchris illis, vel Reliquiis iniectas, tanquam amuleta & præseruatiua gestabant. Nec Deum tantùm, sed ipsos etiam Martyres apud Sepulchra, quin

quin etiam eorum Reliquias invocabant. Sergius Papa inuenit circa annum Domini 689. Crucem preciosis lapidibus adornatam, & ineffabilem portionem Crucis Dominicæ interius repositam. Ea ex tempore illo annis omnibus in Basilica Saluatoris, quæ Constantiniana dicitur, in die Sanctę Crucis adoratur. *Marianus Scotus. Martinus Polonus in Sergio. De ostensione & adoratione solenni Reliquiarum, narrat Erdfordiensis,* Carolum Magnum publicè significâsse, vt omnes corde contrito, confessi peccata sua, Aquisgranum Idibus Iunij conueniant, spectatum Reliquias Sanctorum Hierosolymâ & Constantinopoli allatas. *Et Synodus postea decreuit*, vt quotannis feriâ quartâ Ieiuniorum quatuor temporum, mense Iunio, Reliquiæ illæ monstrentur & adorentur: *capite sexagesimo nono, & Rudimentum Nouitiorum, Lucensis folio trecentesimo sexagesimo secundo, Leo III. Papa* Sanguinem adulterinum (*quem ex Crucifixo quodam ligneo fluxisse impostores dixerant, vt statuarum Idololatrias, dum adhuc in quæstione essent, confirmarent*, pro vero Christi sanguine haberi voluit. *Et Mantuam profectus, vbi hucusque seruatur, salutatur & adoratur,* sic esse sua authoritate approbauit ac Bullis confirmauit: addito illi quotannis solenni festo die. *Baleus Centur.*2.

Et quia opinabantur gratiam & virtutem quandam diuinam illis ossibus adesse seu inhærere, ideò eam apud Reliquias studiosè quærere cœperunt: imò credebant etiam spiritualia dona per contactum & exosculationes earum dari & augeri. Augustinus testatur, suo tempore Reliquias ægrotis impositas fuisse propter Spem sanationis.

Hieronymi quoque & Augustini temporibus tanta vanitas colendi defunctas creaturas hominum animos incessit, vt inciperent diuellere Reliquias, & quascunque particulas de ossibus, vestibus, alijsque rebus vel furto vel manifestè abripere, & in alia Templa deportare, vt sic distributæ in variis locis viserentur. Ita apud Augustinum de Ciuitate Dei lib. 21. *capite octauo, Reliquiæ S. Stephani in aliquot locis Africæ exstabant, quum apud Theodorum Lectorem, sub Theodosio iuniore, Stephani integræ Reliquiæ Hierosolymis Constantinopolim translatæ legantur. Et Gregorius fatetur,* se de linteo in Templo Nicetij quædam fila suffuratam & in alia Templa transportasse: *Turonensis in vitis Patrum.c.*8.

Imò Ethnica superstitio sanctos mortuos, eorumque ossa effodiendi, colligendi, transferendi & religiosè colendi, ita inualuit, vt Monachi quidam vndiquaque ea corraderent, & hinc inde circumcurrerent ac venderent, *sicut Augustinus de Opere Monachorum testatur. Narrat & Turonensis,* quosdam Monachos Romam venisse, ac propè Templum Pauli corpora quædam noctu effodisse: qui compræhensi fassi sint, in Græciam se ea pro Sanctorum Reliquiis portaturos fuisse. *Idem libro nono, capite sexto, indicat etiam,* Reliquias Sanctorum adeò superstitiosè tractatas, vt quidam pro iis arborum radices vendiderint.

Mulierculæ etiam nonnullæ claro die cereos ante sepulchra Martyrum accendebant.

Apud Hieronymum legitur multos ex plebe Vigilias egisse in Cœmiteriis Martyrum, & cibos sanctificandos eò detulisse.

Instituerunt etiam Peregrinationes ad omnia loca, vbi Miracula apud Reliquias fieri audiebant.

Ex his omnibus, quæ hucusque de Origine & progressu Translationis, Venerationis, Adorationis & Cultus Reliquiarum diximus, pro PRIMO *contra hanc superstitionem, & errorem hunc argumento, manifestum esse puto,* Primò, *in tota sacra Scriptura, nec mandatum, nec exemplum, de his omnibus obseruationibus exstare.* Secundò, *Apostolicam & primitiuam Ecclesiam, Reliquias, & superstitiosas has circa illas obseruationes, quas modò recensuimus, vltra annos trecentos prorsus ignorâsse.* Tertiò, *cœpisse hanc superstitionem radices agere & pullulare post annos trecentos à nato Christo, & inde paulatim adolescere: post annum verò Domini* 400. *receptam & approbatam illam esse;* quibus temporibus, *vt Augustinus ipse conqueritur in Epistola ad Ianuarium* 119. tam multis Ceremoniis, variisque Præsumptionibus plena fuerunt omnia, vt tolerabilior fuerit Iudæorum sub lege conditio, quàm Christianorum sub gratia: quòd illi legalibus tantùm sarcinis, hi verò humanis decretis & constitutionibus subiecti fuerint. Quartò, *post annos* 500. *obseruationes illas, ab hominibus excogitatas, ad superstitiosissimum cultum, & idolatricam Adorationem vsque excreuisse.*

In fine historicæ narrationis de Origine & progressu Reliquiarum, adscribam locum ex Eusebii libro quadragesimo tertio, de Præparatione Euangelica, capite septimo, vt intelligatur inde plenius, quomodo ex κακοζηλία seu prauâ Ethnicorum imitatione, multa in Ecclesia Christi vsurpata sint à Christianis, vt hoc modo Ethnicos lucrifacere, & ad suam Religionem traducere possent facilius. Eusebius igitur, vt Kemnitius rectè annotauit, plures ex Ethnicis ad Christianam Religionem accessuros existimauit, si ostenderetur, doctrinam Christianorum non alienam esse à Philosophorum sententiis. Instituit itaq; in libris illis Conformitatem Platonicæ & Christianæ doctrinæ. Et ex Platone hæc verba describit, Quomodo oporteat honorare mortem eorum, qui

Multa ex Gentilismo in Christi Ecclesiâ recepta; vt Gentiles faciliùs ad nostram Religionē traduci possent:

qui gloriosè vitam commutârunt? *Respondet Plato*, Qui in Militia cum gloriâ mortui sunt nónne dicimus aurei generis eos esse? Omninò credemus Hesiodo, quomodo quidam huius generis moriuntur, quòd illi fiant inde Dæmones puri, obuersantes in terris, boni depulsores malorum & custodes hominum. *Addit autem Plato*; In posterum igitur vt Dæmones factos, ita colemus illos, & monumenta eorum adorabimus. *Huic Platonis sententiæ Eusebius hac verba subijcit:* Hæc Platonis rectè accommodantur ad mortem piorum, quos rectè dixeris milites veræ pietatis: vnde & moris nobis est ad monumenta seu loculos eorum accedere, & apud illos vota seu precationes facere, honorareque beatas ipsorum animas, tanquam probabiliter seu rationi consentanea hæc à nobis fiant. *& tandem addit Euseb.* Hæc Plato & alii dogmatibus nostris consonantia seu consentanea. *Vbi Kemnitius benè monet de crimine falsi, quod Pontificij in citando hoc Eusebij loco committunt, ad hunc modum:* Hæc nos quotidiè factitamus, qui veræ pietatis milites vt Dei amicos honorantes, ad monumenta illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parùm iuvari profitemur. *Eusebius autem nequaquam dicit*, fideles Martyribus vota vel supplicationes facere: *Non etiam dicit*, Martyrum intercessione ad Deum multùm juvari fideles: *sed dicit*, solitos Christianos ad monumenta Martyrum Deum inuocare: *non adjiciens*, id rectè pieque & verbo Dei consonum, sed probabiliter & ratio consentaneum ab ipsis fieri:

Crimen falsi à Pontificiis admissum.

Manifestum igitur est, quòd ex Ethnicorum superstitiosis ceremoniis, Institutis & Riribus, tanquam probabilibus & rationi humani consentaneis, huiusmodi Ritus in Ecclesiam Christi introducti sint. Cumque Plato dicat, ipsa monumenta Heroum ab Ethnicis adorari: *Euseb. non dicit*, Christianos idem facere: *sed dicit:* Christianos apud sepulchra Martyrum vota, *hoc est*, *Orationes* facere ad Deum; *quam consuetudinem etiam Iulianus apud Cyrillum de Christianis commemorat.*

SECVNDO, *Huic argumento, ab authoritate vera antiquitatis sumpto, in qua de Reliquiis & illarum Cultu & Adoratione nihil prorsus reperitur, addenda iam sunt Concilia & Patres, qui singula ferè capita doctrinæ Pontificiæ de Reliquiis reprehendunt & damnant. Elibertinum igitur Concilium sub Constantino M. celebratum, Canone trigesimo quarto, ita decreuit:* Cereos per diem placuit in Cœmiterio non incendi. Inquietandi enim Sanctorum spiritus non sunt. Qui hoc non obseruauerint, arceantur ab Ecclesiæ communione. *Quo Canone lucernas, & in Cœmiteriis cereos ad sepulchra Martyrum, more Gentilium sub excommunicationis pœna accendere vetuerunt, vt ab Idololatria Ethnica fideles, acrioribus intentatis minis, longiùs absterrerent. Et Canone trigesimo quinto rursùs:* Placuit prohibere, ne fœminæ in Cœmiterio peruigilent, eò quòd sæpè sub obtentu orationis scelera latenter committantur.

Alterum argumentum contra Reliquiarum cultū ab authoritate Conciliorum & Patrum. Elibertinum Concilium.

In Carthaginensi 5. Synodo anno 398. celebrata Can. 14. conqueruntur Patres, per somnia, & inanes quasi reuelationes, vbique constitui Altaria tanquam Memorias Martyrum. *Et decernunt*, euertenda altaria, vbi non certæ Martyrum Reliquiæ, conditæ fidelissimâ origine probantur. *Additur autem in illo Canone*, tales euersiones propter tumultus populares sæpè non permitti. *Ex quo intelligimus, ad multas tales vulgi superstitiones Episcopos sæpè conniuere oportuisse: attestante hoc etiam Augustino, & sic dicente:* Talia multa propter quarundam vel religiosarum, vel turbulentarum personarum scandala deuitanda, liberius improbare non audeo.

Carthaginensis 5 Synodus.

Antonius Eremita celebris & florens circa Constantini Magni, & Filiorum eius tempora, asseruationes & cultum seu venerationem Sanctorum Reliquiarum grauiter etiam in Testamento suo reprehendit & improbauit, vt testatur Athanasius Alexandriæ Episcopus in vita eius, è Græco in Latinum ab Euagrio conuersâ. Mos, *inquit*, Ægyptiis est nobilium, & præcipuè beatorum Martyrum corpora linteamine quidem obuoluere, & studium funeri solitum non negare, terrâ verò non abscondere, sed super lectulos domi posita reseruare. Hunc honorem quiescentibus reddi inueteratæ consuetudinis vanitas tradidit. De hoc Antonius sæpè & Episcopos deprecatus est, vt populos ecclesiastica contestatione corrigerent: & laicos viros ac mulieres rigidius ipse conuenit, dicens, nec legitimum hoc esse, nec Deo placitum. Quippe cùm Patriarcharum & Prophetarum sepulchra, quæ ad nos vsque perdurant, hæc facta conuincerent. Dominici quoque corporis exemplum oportere intueri jubebat, quod in sepulchro positum, lapide vsque ad resurrectionis diem tertium, clausum fuerit. Atque his modis vitium circa defunctos Ægypti, etiamsi sancta essent corpora, coarguebat, dicens: Quid maius aut sanctius corpore potest esse dominico? Quod iuxta consuetudinem Gentium cæterarum, humo conditum esse scimus. Hæc iusta persuasio, multorum insitum euellit errorem, & repositis in terra cadaueribus, domino gratias pro bono magisterio retulerunt. Metuens ergo consuetudinem supradictam, ne eodem etiam circa

Antonij Eremitæ iudicium de Reliquiis.

circa ſe laberentur errore, celeriter valedicens monachis qui confluxerant, ad amicum virtutis habitaculum repedauit. *Et paulò poſt in eadem ſequitur Hiſtoria, quòd Antonius poſtremum ad ſuos habens ſermonem (ad cuius finem mox migranit ad Dominum) dixerit*: Et ſi qua mei vos cura, ſi qua patris memoria eſt ſi mihi vicarium rependatis affectum, nullus ad Ægyptum meas perferat Reliquias, ne VANO corpus HONORE ſeruetur, ne VITVPERATI RITVS à me, vt noſtis, etiam circa me ſeruentur obſequia. Huius enim rei gratiâ huc maximè ſum regreſſus. Vos igitur humo tegite, vos Patris operite corpuſculum: & illud quoque ſenis veſtri cuſtodite mandatum, vt nemo præter veſtram dilectionem, locum tumuli mei nouerit. Confido in domino, qui neceſſario reſurrectionis tempore, hoc corpuſculum reſiliet Incorruptum. *Hæc Athanaſius in vita Sancti Antonij.*

Obſeruent autem Lectores, quòd hic Pater Antonius, Martyrium ſibi ideò nimirum exſtrui noluit, quia non approbauit: Quòd conſuetudinem illam, quâ corpora vel Martyrum vel aliorum Sanctorum, obuoluuntur linteamine reſeruanturque & in terram non defodiuntur, maximopere improbat: quoque conſuetudinem hanc inueteratam, diſertè, vanitatem nuncupat: quòd item conſuetudinem illam & errorem vocat, & erroris reuincit, per ſepulchra Prophetarum, & ipſius Chriſti Domini: quòd de hac conſuetudine inolita epiſcopos, en epiſcopos (certè negligentiores hac in re quàm par erat) monuit ſedulò, viros autem laicos & mulieres rigidius obiurgauit: quòd denique magnâ conſtantiâ aſſeruit illud quod ad eam fiat conſuetudinem, neque legitimum eſſe, neque Deo placitum: item quòd Ritum illum nuncupauit apertè errorem inſitum, & honorem vanum: contrariam verò doctrinam ne humandis, non autem ſeruandis transferendisque corporibus Sanctorum, non hæreſim aut doctrinam erroneam eſſe dixit, ſed perſuaſionem iuſtam, & bonum magiſterium, ritum quoque à ſe vituperatum. Atqui beatum hunc patrem Antonium, nemo vnquam tanquam perperam de vera religione ſentientem, aut contumelioſe indigneque de Reliquijs vel corporibus Sanctorum iudicantem accuſauit. Quin ipſe Hieronymus Antonium, vt Catholicum *adde &* Apoſtolicum *collaudauit.*

Auguſtinus. *Auguſtinus ne Moribus Catholicæ Eccl. c. 34. inquit*: Nolite conſectari turbas imperitorũ, qui in ipſa vera Religione ſuperſtitioſi ſunt. Noui multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores, noui multos, qui cùm luxurioſiſſimè ſuper mortuos bibant, & epulas cadaueribus exhibentes, ſuper ſepulto ſeipſos ſepeliant. *Refert etiam de Ciuit. Dei lib. 8. c. 27.* Nonnullos epulas ſuas detuliſſe ad ſepulchra Martyrum, quas cùm, *inquit*, appoſuerint, orant & inferunt vt veſcantur, ſanctificari ibi eas putantes per merita Martyrum in nomine Domini Martyrum, *Sed diſertè addit*: A Chriſtianis melioribus hoc non fieri, & in plerisq; terrarum Regionibus nullam talem eſſe conſuetudinem. *Alibi quoq; conuellit eam perſuaſionem, quâ opinabantur multi,* Spiritus Martyrum Reliquijs ſuis præſentes adeſſe, & orantes exaudire. *Illud etiam Baſilij, de gratia & virtute diuina inſidente Reliquijs Sanctorum, Auguſtinus ita conatur tollere, vt dicat*, Deum, vbicunque velit, quando & quomodo velit, per Angelica miniſteria, Miracula apud ſepulchra Martyrum edere poſſe. *De Opere Monachorum cap. 28. ait*: Tam multos hypocritas ſub habitu Monachorum vſque qua quam diſperſit, circumeuntes prouincias, nuſquam miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes. Alij membra Martyrum (ſi tamē Martyrum) venditant, & omnes petunt, omnes exigunt, aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ precium ſanctitatis.

Hieronymus etiam damnauit adorationem Reliquiarum. Nos, *inquit contra Vigilantium,* *Hieronymus.* Martyrum Reliquias non colimus nec adoramus. *Eſt igitur de ſententia Hieronymi, extra controuerſiam, Reliquias Martyrum non eſſe adorandas & religioſo Cultu venerandas, ſed tantùm legitimo, eisque competente honore afficiendas.*

Rurſus: Nos, non dico Martyrum reliquias, ſed nec Solem quidem & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen quod nominatur in præſenti ſeculo & in futuro, colimus & adoramus; ne ſeruiamus creaturæ potius, quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Honoramus autem, & reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt Martyres, adoremus. Eſt igitur ſententia Hieronymi extra controverſiam; Reliquias Martyrum non eſſe adorandas, & religioſo cultu venerandas, ſed tantum legitimo, eiſque competente honore afficiendas: præclarè enim intellexit, quidquid adoratur id Deum eſſe.

Et Cyrillus libro 10. contra Iulianum, San- *Cyrillus.* ctorum Reliquias non circumgeſtandas eſſe *aperte dicit*, ſed in ſinu Matris, & in profundis terræ occultandas. *Ibidem etiam refert*, Ethnicorum ſuperſtitionem fuiſſe, per mortuorum Reliquias iurare: & iuraſſe quidem nonnullos per eos, qui in Marathone, in Salamine, in Artemiſio, in Platæis cæſi ſint: nonnullos per eos qui in vulgaribus ſepulchris ſiti fuerint.

Vigilantius, qui floruit circa annos Chriſti *Vigilantius.* *360. de Reliquijs Sanctorum ſic inter alia ſcripſit*: Quid neceſſe eſt te tanto honore, non tantùm honorare, ſed etiam adorare illud

nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis? Quid puluerem linteamine circumdatum adorando osculatis? Propè ritum Gentilium videmus, sub prætextu Religionis introductum, quòd vbicunque puluisculum, nescio quod in modico vasculo precioso, linteamine circumdatum osculantes odorant *&c.*

Hieronymus ad hæc verba respondens, non affirmat, reliquias Martyrum esse adorandas, sed duntaxat queritur, à vigilantio per calumniam affingi Christianis, quòd adorent reliquias Martyrum. Sic enim expressè subjicit Hieronymus. Quis enim, ô insanum Caput, aliquando Martyres adoravit? *idque ex præcedente Epistola tam manifestum est, quàm quod manifestissimum, ut verba allegata ostendunt.* Nos, non dico, Martyrum reliquias *&c. Proinde hoc nomine Hieronymus Vigilantium non reprehendit, aut pro Hæretico habuit, quòd is statuerit, reliquias Martyrum non esse adorandas. Idem prorsus hac in re Hieronymus & Vigilantius senserunt; sed, ut dictum, Hieronymus questus est objici Christianis à Vigilantio id quod non facerent: & putavit aut potius nimis acri, ne dicam calumniosa interpretatione verba Vigilantij ita accepit, ac si nullo modo honorandas reliquias Martyrum judicaret.*

Bernhardus.

Ac licet Bernhardi tempore Reliquiæ passim in magna admiratione ac veneratione essent, Pater tamen ille in epistola ad Guilermum Abbatem damnans ostentationem auri & argenti in Templ[is M]onachorum, etiam iniquè fert Sanctorum Reliquias tam sumptuosè & splendidè ornari à religiosis, omnemque causam eius luxus auaritiæ tribuit, quæ his modis ad largiendum offerendumque alliciat. Deinde hæc verba subiungit: Ipso quippe visu sumptuosarum, sed & mirandarum vanitatum accenduntur homines magis ad offerendum, quàm ad orandum. Sic opes opibus quæruntur, sic pecunia pecuniam trahit: quia nescio quo pacto vbi amplius diuitiarum cernitur, ibi offertur libentius.

Initium Cultus Reliquiarum apud Anglos.

Testatur etiam Balæus Centur. 2. Scriptorum Brittanniæ, cap.32. Anglos circa annos 950. primùm cœpisse mortuorum cadauera è terra effodere, eleuare, & certis Ceremonijs ac Religione quadam in capsas aureas vel argenteas ponere. *Quod satis magno argumento est, Anglos, à recepta primò Christiana religione, ad hoc vsque tempus, Reliquiarum effossionem, eleuationem, translationem, cultum & adorationem non probâsse.*

Ostensio Reliquiarum non vbiq; recepta circa annos Christi 1400.

Imò ostensionem Reliquiarum adhuc circa annos Christi 1400. non vbique approbatam fuisse, ex eo intelligi potest, quòd Bruschius de Germaniæ Monasterijs scribens, de Iosrido Comite de Leiningen, Abbate Monasterij S. Matthiæ propè Treuirim, refert, ipsum Reliquiarum ostensionem primum Cœnobio isti introduxisse, cum Chunonis Archiepiscopi consensu, à Papa Bonifacio IX. impetratam.

Quid enim de Reliquijs senserit, nostrâ memoriâ Georgius Cassander Pontificius, ex consult. ejus ad Ferdinand. & Maximil. Impp. intelligitur. Sic enim artic. 21. legimus, inquit, ad loca Martyrum, reliquijs insignia, vota nuncupata: & peregrinationes susceptas, quæ omnia tum utilia erant, Cum adhuc recens & certa memoria Martyrum vigeret, & Deus, qui indubitatis miraculis, eos, qui mortui videbantur, sibi vivere declararet, quibus fides, quam ipsi professi sunt, confirmabatur. Verùm in hac paulatim abusus irrepsit; nam queritur Basilius hanc consuetudinem suo tempore corruptam fuisse, & temporibus Augustini & Ambrosij mos ferendi Epulas ad Martyrum memorias ab Ambrosio interdictus erat. Vt apud Augustinum patet lib. 8. de Civit. Dei Cap. ult. Et lib. 2. Confess. Cap. 64. Posterioribus etiam temporibus memorijs Sanctorum nimium indultum est, cum ab impijs hominibus falsa fiducia in cultu inepto, & superfluo collocabatur, qui abusus reprehenditur in Concil. Cabilonensi Cap. 43. Accesserunt & alia mala, quod avaritiæ causâ, falsæ reliquiæ supponebantur, ficta miracula prædicabantur, superstitio inde alebatur magis in miraculorum admirationem, quam sanctorum imitationem rapiebantur: Non nunquam illusione Dæmonis, hominum superstitione abutentis, novæ reliquiæ indies revelabantur, qui abusus damnatur in Concil. Lugdunensi Cap. 62. & Concil. Carthag. 5. Cap. 14. hodie verò cùm omnia reliquijs Sanctorum plena esse videntur, verendum est, ne, diligenti examinatione adhibita, detestandæ imposturæ patefiant, quemadmodum in nonnullis locis patefactum est, ut olim B. Martino accidit, qui in loco nomine Martyris, sed scelerati Latronis monumentum: multò consultius videtur, ut ab omni reliquiarum ostentatione abstineatur, & populus ad veras reliquias colendas, id est, ad exempla sanctitatis, quæ in Scripturis vel ab ipsis Apostolis, vel de ipsis extant, imitanda provocetur.

TERTIO, *subjiciemus* Rationes, *cùm ex verbo Dei, tum aliunde petitas, quibus translatio, veneratio & cultus Reliquiarum improbatur.* *Rationes contra translationem & venerationem Reliquiarum.*

Primò, *Matth.23.cap.* reprehendit Christus, & hypocritas appellat eos, qui Prophetarum & iustorum sepulchra ædificabant magnificè, & illa ornabant: interim verò doctrinam eorum contemnebant & persequebantur.

Secundò, *Paulus testatur* 1. *Cor.5.c.* se post Christi resurrectionem, ipsum non agnoscere ampliùs secundum carnem. *Quibus verbis admonet, quicquid in Christo carnale fuit, oblivioni tradendum, & missum faciendum,*

dum, vt in ea secundum Spiritum quærendo & possidendo, omnem operam studiumque locemus. Nunc igitur causari, præclarum esse, aliquod habere monumentum tum Christi, tum Sanctorum; quid aliud est, quàm inane tegumentum, fucandæ stultæ nostræ cupiditatis causa, quare re, quæ nullum in ratione fundamentum habet?

Tertiò, *Paulus Coloss. 2. cap. testatur*, quemuis cultum Dei ingenijs hominum excogitatum, qualemcunque sapientiæ speciem præ se ferat, vanitatem & stultitiam meram esse: nisi melius fundamentum habeat, & certius nostrâ opinione. *Ipso quoque Christo hoc attestante Matth.* 15. Frustra me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum. *Cultus autem Reliquiarum non à Deo, sed ab hominibus excogitatus & institutus est.*

Quartò, *Omnes, sine controuersia, fatentur, Dominum ideò Mosis corpus è conspectu hominum abstulisse, ne populus Iudaicus eo adoranda abuteretur. Quod autem in Mose factum est, multò magis ad alios omnes Sanctos extendi debet.*

Quintò, *Cultus Reliquiarum inutilis est: sunt enim res inanima & sensu omni, adeoque ratione carentes. Aut si qua maximè inde oriri posset vtilitas, ea cum periculo inde pro manante comparanda esset: inde enim intelligeretur, plus damni quàm emolumenti ad Christi Ecclesiam redundare: difficillimum enim est, aut potius fieri nulla modo potest, quin inde ad Idololatriam homines paulatim declinent.*

Sextò, *Reliquiarum desiderium nunquam superstitione caret: imò, quod deterius est, mater est Idololatriæ: Nam non possunt asseruari, aspici aut attrectari, quin statim sequatur veneratio: venerationi autem nullus adhibetur modus, quin statim honor Christo debitus ipsis tribuatur. Nam experientia docet, nunquàm ferè alterum ab altero seiunctum esse: & in signum solemnis adorationis, cerei hodiè passim accenduntur coram sepulchris Martyrum. At Hieronymus, obijcienti Vigilantio*, esse idolatriam accendere cereos coram Reliquijs, *nihil aliud respondere potuit*, quàm id facere solùm mulierculas; quæ zelum habent, sed non secundum scientiam: *Confirmat hoc etiam Canon* 34. *Concilij Elibertini, & Augustini locus de Moribus Ecclesiæ cap.* 34. *supra citatus.*

Septimò, *vt mala trahuntur malis, sic etiam alia infelicitas hic sequuta est, vt nescio qua sordes, omni ratione & specie carentes, pro Reliquijs Christi aut Sanctorum reciperentur. Vnde Augustinus de Opere Monachorum cap.* 28. *quum dixisset*, quosdam Monachos circumferre & vendere membra Martyrum, *addidit*, Si tamen Martyrum. *Habes exemplum apud Socratem lib. 7. cap. 14. de Ammonia quodam Monacho & latrone, qui diu pro Sancto Cultus fuit. Adeoque cæcus & dementatus factus est mundus progressu temporis, vt qualiscunque titulus nugis oblatis imponeretur, absque vlla inquisitione aut delectu pro vero & legitimo duceret. Ita asinorum aut canum ossa, quæ nugator quispiam protulit, pro Martyrum ossibus, sine vlla difficultate, studiosissimè homines amplexi sunt. Gregarius Turonensis lib. 9. hist. cap. 6. testatur*, in Sancti cuiusdam capsula inuocatas fuisse radices, dentes talpæ, ossa murium, & vulpium vngues conditos: *Vnde etiam tatam istam superstitionem detestatur. Tiguri in theca pretiosissima, in qua Reliquiæ S S. Felicis & Regulæ Martyrum reposita credebantur, & quotannis die passionis eorum magnâ cum pompa & veneratione circumgestabatur, inuenta sunt, cùm aperiretur in reformatione, particula aliquot de latere coctili, funiculus item 12. cubitorum longus, & casta nonnulla de fele aut simili animali, ac nihil præterea. Geneua habebatur, vt ferebatur, brachium S. Anthonij. Cùm theca inclusum erat, omnes ipsum exosculabantur & adorabant: cùm productum est in medium, cerui pedem esse compertum est. Ad maius Altare eiusdem vrbis aliquid erat de cerebello D. Petri. Quandiu id inclusum fuit, de eo nemo dubitabat: fuisset enim blasphemiæ titulo fidem non habere: sed cùm excussus est nidus, & accuratius obseruatus, repertus est pumex. Ioannes Vunselbergius Theologiæ Doctor, Germanus, qui claruit anni* 1400. *scripsit librum de Signis & Miraculis falsis, ac Reliquijs suppositijs, non tamen impressum. In ea recenset aliquot fallacias auarorum Sacerdotum: vt de rubigine in manubrio crystallino pro sanguine Christi adorata Cracoenia: de resina ex lignea imagine defluente, & eodem modo pro Christi sanguine habita. De ementito sanguine Christi in Vuelsnac oppido Saxaniæ, cuius causa librum illum scripsit.* Vrbanus V. *ait Platina*, Apostolorum capita, diu quæsita, tandem inuenit: Deferant enim, *ait*, in honore esse propter desuetudinem & ignorationem hominum: Sed apud Sancta sanctorum reperta, ac locellis argenteis recondita ad Altare maius Basilicæ Lateranensis cum maxima veneratione & celebritate collocantur. *Quis verò credat crania Apostolorum intra annos* 1200. *& amplius integra in terra posita, non resoluta in cinerem fuisse? Crediderim ego supposuisse Papam crania aliorum hominum quæstus causâ. Turoni summâ superstitione culta fuit Crux quadam argentea, multis & varijs gemmis ornata. In ijs erat Achates antiquâ & insigni sculpturâ, quem Aureliam allatum, cum diligentius inspiceretur, deprehenderunt insculptam esse Veneris Imaginem, iacentem Adonidem deplorantis. Atqui hac ipsa gemma erat, quam qui ad Crucem accedebant, flexis genibus solebant die passionis Domini, religiosissimè deosculari. Similiter inuentum fuit ibidem brachium argenteum, cuius fibulas quum*

adstantibus ipsis Canonicis soluissent aurifabri, & quod intus miris serici pannis inuolucris tectum erat palàm euolueretur, reperta est primum chartula, quæ obscœnam cantionem vetustis rythmis scriptam continebat, ac tandem etiam chartarum lusoriarum folium, quod vernaculo sermone Galli vocant, Vn valet de picques. Biturigibus in quadam Reliquiarum theca repertus est baculus media rota lignea infertus, cum magico vel ludicro disticho, chartula cuidam pergamena inscripto.

Quand cette rouë tournera
Celle que j'aime m'aimera:
id est,
Quum hæc rota voluetur, amabor ab ea quam amo:

Cùm Hyacinthi Poloni & Dominicani Ordinis, ossa trecentis ferè annis post mortem eius placuisset exhumari, quæ primo loco exhumata sunt, putarunt esse Hyacinthi, Comparata autem à medicis anatomiæ peritis cum aliis ex Hyacinthi sepulchro erutis, comperta sunt non fuisse unius corporis: quod prælatis stomachum movit: exhumata sunt plura, quorum quædam tractans, Archiepiscopus Guesnensis, asseruit esse veras reliquias Hyacinthi, eiusque iudicio quantumvis incerto, omnes acquieverunt. Refert Socrates hist. lib. 5. cap. 9. Sozom. lib. 5. cap. 8. & Nicephor. lib. 9 cap. 29. Constantinopolitanos longo tempore Pauli Apostoli corpus ibi conditum esse, cùm fuerit Pauli sui Episcopi corpus; Indéque accidisse, vt temporibus Clementis IV. Papæ, à Græcis in Gallias ad Reginam Francorum deferretur caput eius: illa verò consulens Papam, intellexit, totum corpus Pauli Apostoli Romæ haberi. Possent plura huiusmodi exempla proferri: sed ex his intelligunt omnes, quantæ detegerentur imposturæ, fraudes & sordes, si aliquando visitarentur sedulò omnes totius Europæ Reliquiæ: sed cum prudentia, vt facilius discerni possent. Nonnulli enim Reliquias spectantes, Religione & superstitione claudunt oculos, nec audent seriò inspicere, vt quid sit cognoscant: sic cernendo nihil cernunt.

His adde, quum multæ Reliquiæ eiusdem speciei de vno eodemque Sancto, hinc inde monstrentur, necessariò sequitur, eundem Sanctum vel multa habuisse corpora, vel multas esse falsas & suppositítias Reliquias.

Octauò, Reliquiæ ob hanc etiam causam in Christi Ecclesia tollendæ & abrogandæ sunt, quòd innocantur & adorantur, quem honorem tota sacra Scriptura soli Deo tribuit.

Nonò, attribuitur à Pontificiis Sanctorum Reliquiis, vt infra ostendemus, quod non sunt, neque habent; quòd scilicet gratia Dei in illis hæreat, & per illas communicetur; quodque oratio ante illas effusa, gratior Deo sit, quàm quæ alibi. Faciunt igitur ex Reliquiis Idola, quæ cùm adorant, idololatriam committunt. Pugnat etiam cum doctrina de remissione peccatorum per solam fidem in Christum, quòd aiunt, se ex contactu, osculationibus & gestationibus in collo Reliquiarum, indulgentias peccatorum consequi. Cumque iurent per Reliquias, manifestam Idololatriam committunt, quia per solius Dei nomen iuramenta concipienda sunt.

Decimò, Omnis cultus qui hodiè in Papatu Sanctorum Reliquiis exhibetur, ab Ethnicorum Idololatria desumptus est. Vnde enim est, quòd Pontificij colunt & inuocant eos speciatim Sanctos, quorum apud se habent & Reliquias? Ex Ethnicismo. Apollo enim monuit Athenienses, vt ossa Thesei inquirerent, & inuenta deponerent Athenis, religiosáque veneratione asseruarent: ipsum verò, tanquam præsidium Ciuitatis, Sacrificiis & inuocationibus colerent, Plutarcho teste in vita Thesei, Vnde ante Reliquias hodiè cereos & candelas accendunt? Ex Gentilismo. Cerei enim & lucernæ, pars fuerunt cultus Gentilitij, vt apud Halicarnasseum videre licet. Vnde est quòd putant, sanctos illius vrbis, vbi sunt ipsorum Reliquiæ, munimenta & præsidia esse? Ab Ethnicis. Nam apud Romanos, quorum quisque habebat domi suæ Reliquias, ossa, cineres, eos tanquam tutelares patronos, Deos Lares atque penates, colebat & inuocabat. Et Ælianus de varia Historia lib. 12. cap. 64. scribit: Numen, seu Dæmones Aristandro dixisse, post repertum Alexandri M. corpus, in qua terra corpus illud quiesceret, eam omni felicitate abundantem fore, & ab omni hostili vastatione liberam. Vnde fiebat tempore etiam Hieronymi, vt ferrent panes aliosqe cibos ad Cœmiteria Martyrum, vt ibi sanctificarentur? A Gentibus, qui ad sepulchra mortuorum deferebant cibos & defunctis inuocatis, dicebant, Surge, ede & bibe, vt Epiphanius in Ancorato testatur.

Responsiones BELLARMINI ad NOSTRORVM Argumenta contra Translationem & Cultum RELIQVIARVM, ac earundem refutatio.

QVod corpora Sanctorum in Veteri & Nouo Testamento neque translata, neque ad Cultum & venerationem aliquam asseruata sint, negare non potest Bellarminus, & propterea ne vno quidem verbo ad id respondet. Similiter etiam ea, quæ à Kemnitio & nostris de huius erroris Origine & progressu dicuntur, prorsus intacta relinquit: & tamen translationem & Cultum Reliquiarum ipse cum Baronio dicere audent, semper in Ecclesia in vsu fuisse, quod falsissimum est, vt supra demonstrauimus: & Cultum Reliquiarum primum Eunomium, cui etiam ab aliis Basilides, Caiani, Porphyrius & Iulianus annumerantur, reprehendisse & propterea in veteri Ecclesia damnatos fuisse affirmant:

quod

quod etiam falsum est. Nam historiæ veræ ostendunt, causas donationis illorum non fuisse illas, de quibus Pontificij hodiè contendant, sed longè alias. Et vt maior lux huic controuersiæ accedat, hanc illorum damnationem paulò diligentius considerabimus.

Basilides propter improbatum Cultum Reliquiarū damnatus fuit. Caiani quare damnati. Porphyrius & Iulianus quare damnati.

Basilides igitur ideò damnatus fuit, quòd Martyria, hoc est, passiones propter Christum, non necessarias, sed inutiles & vanas esse diceret, ac propterea ipsos Martyres, sicut Irenæus testatur, sperneret. Caiani etiam damnati sunt, quòd Reliquias Martyrum non honorarent: illos verò, Augustinus dicit, carnis resurrectionem negasse: Ratio igitur & causa non obscura est. Veteres quoq; Prophyrium, Iulianum & alios Ethnicos in hac controuersia damnârunt, quòd dicerent, corpora & ossa Sanctorum esse rem immundam & abominabilem, contaminantem & vrbes & homines, sicut ex Cyrillo contra Iulianum, & Theodoreto contra Græcos intelligitur. Eunomius etiam cum suis sectatoribus Basilicas Apostolorum & Martyrum non ingrediebantur, quòd diuinitatem Christi negabant. Cùm verò Martyres doctrinam & fidem eius diuinitate sanguine suo obsignâssent, & Deus Miraculis, quæ ad sepulchra Martyrum fiebant, fidem hanc Martyrum confirmaret: Eunomij discipuli, ne ea, quæ præceptoris sui doctrinæ contraria essent, ipso facto approbare viderentur, nolebant interesse cœtibus fidelium, qui tum in Memorijs seu ad sepulchra Martyrum celebrabantur, quia ibi præcipuè Martyrum fides de Christo vero Deo & homine propter imitationem prædicabatur. Tales hæreticos in hac causa ab Ecclesia olim damnatos esse constat. Illud verò Pontificios cultus Reliquiarum nihil iuvat aut defendit: Causæ enim damnationis aliæ fuerunt, quàm quibus illi Reliquias hodiè defendere conantur, & à Bellarmino referuntur.

Eunomius quare damnatus.

Vigilantius quare reprehensus.

Hæc breuissimè percurrimus, quòd in sequentibus occasio sit pluribus de ijs dicendi. Bellarminus enim Eunomio & sectatoribus eius falsò annumerat Vigilantium, qui etiam cultum Reliquiarum reprehenderit, & propterea iure quoque damnatus sit. Nam Vigilantius propter improbatum cultum Reliquiarum à nemine vnquam tum damnatus fuit, quàm ab vno Hieronymo, sed ita, vt simul ei affingat multa, à quibus ille alienissimus fuit, vt maiorem occasionem contra eum debachandi habeat. Si enim inter alia argumentatur Hieronymus: Scribit aduersum hæresim tuam quæ olim erupit aduersum Ecclesiam, ne & in hoc quasi repertor noui sceleris glorieris, Tertullianus vir eruditissimus insigne Volumen, quod Scorpiacum vocat, rectissimo nomine, quia arcuato vulnere in Ecclesiæ corpus venena diffudit, quæ olim appellabatur Caina hæresis, & multo tempore dormiens vel sepulta nunc à Dormitantio est suscitata: Sic Hieronymus. Exstat autem liber de Hæresibus, in quo nihil tale de Cainis legitur. Nam quum agit de Ophitarum & Chaldæorum erroribus, qui Caini sunt, dicit, vt antea etiam indicauimus, Cainos docuisse, carnis non esse sperandam salutem. Vnde Hieronymus fortasse occasionem sumpsit, hæresin affingendi Vigilantio, quasi is carnis resurrectionem neget, qui carnis & Reliquiarum Cultum improbauit. Hoc inde quoq; colligi potest, quòd paulo ante idem Hieronymus, Mortuum, inquit, suspicaris, & idcirco blasphemas. Lege Euangelium; Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, non est Deus mortuorum, sed viuorum. Rursus ibidem dicit, sed εἰρωνικῶς: Errant Episcopi qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Basilicas mortuorū in quibus puluis vilissimus. Nō negabat autem Vigilantius carnis salutem vel resurrectionem, sed Cultui carnis & Reliquiarum superstitioso resistebat saltem. Proinde sophisticè agit contra Vigilantium Hieronymus, dum hæc de ipso refert, inuidiæ faciundæ gratiâ. Huc etiam sequentia pertinent: Miror, inquit, quòd non dicas nequaquam perpetranda esse Martyria: quòd quum dixeris, imò etsi non dixeris, ita habeberis quasi dixeris, &c.

De Scorpiaco Tertulliani.

Quod autem Tertulliani librum attinet, qui citatur ab Hieronymo, & Scorpiacus inscribitur, ne apicem quidem ille habet de Reliquiis Sanctorum eorumque Cultu. Oppugnat tantùm Gnosticos, negantes faciendum Martyrum. Sed & multis mox ab initio libri Scripturæ testimoniis probat, solum Deum esse colendum, nullaque honoranda Idola, ac potiùs quiduis subeundum. Quantum igitur ex omnibus colligere licet, inurit hanc maculam Vigilantio Hieronymus, quasi negârit cum Gnosticis faciendum Martyrium, qui tantùm negauit Martyrum colendas reliquias. Nam hanc suam disputationem his verbis concludit: Qui Reliquias Martyrum asseris calcandas esse, prohibes sanguinem fundi qui nullo honore dignus est. Non autem iussit Vigilantius conculcare pretiosum Martyrum sanguinem, neque vllo prorsus honore dignum existimauit, qui Martyrum Reliquias negat proponendas esse ad cultum, sed honorificè terra mandandas, in nouissimo die cum gloria resuscitandas. Et hoc Tertullianus maximè vrget. Licet autem carni humanæ plurimùm tribuerit, illud tamen ei non tribuit, quod Hieronymus videri vult: resuscitandam credit, colendam minimè credit. Licet etiam ab ipsis Apostolorum temporibus hæresis eorum cœperit, qui carnis resurrectionem negârunt: nemo tamen ante Hieronymum exstitit, qui tantâ confidentiâ ossium, fauillarum & cinerum Cultum defenderit. Augustinus in libro de Hæresibus tradit, Cainos nimiâ mentis

Hieronymus iniustè Vigilantiū damnauit.

caligi-

caligine cæcatos, hominem Cain adorâsse: *& Hieronymus Vigilantium Cainitis annumerat, qui homines & hominum ossa adorare prohibuit: quum ipse potius eis annumerari debuisset, qui hominum mortuorum Cultum, eorumque Reliquiarum nimio vincendi studio propugnauit.*

Vigilantius non Eunomianus.

Eodem modo peccauit Hieronymus, affingendo Eunomij hæresin Vigilantio. Rides, *inquit*, de Reliquiis Martyrum & cum authore hujus hæreseos Eunomio, Ecclesiis Christi calumniam struis, nec tali societate terreris, vt eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Ecclesiam loquitur? Omnes enim sectatores eius Basilicas Apostolorum & Martyrum non ingrediuntur, vt scilicet mortuum adorent Eunomium, cuius libros majoris authoritatis arbitrantur, quàm Evangelia. *Hæc quidem Hieronymus; res autem in veritate sic sese habet. Eunomius cum Arianis diuinitatem Christi negabat, ideóque non solùm Apostolorum & Martyrum testimonia de Christi diuinitate contemnebat, sed etiam ipsorum corpora, & quæ circa hæc Miracula Christus in argumentum diuinitatis suæ fecit. Ediderat quoque libros contra Christi Deitatem, & Miracula Apostolorum Satanæ tribuebat. Sic enim rursus Hieronymus,* Nisi fortè in morem gentilium impiorumque Porphyrii & Eunomii, has præstigias Dæmonum esse confingas, & non verè clamare Dæmones, sed sua simulare tormenta. *Sophistam igitur hîc rursus agit Hieronymus: Non enim cum Eunomio diuinitatem Christi negabat Vigilantius, neque reijciebat, aut calcanda esse dicebat corpora Martyrum, aut quæ circa ipsa fiebant miracula:* sed vnum jubebat colere Deum, quem Martyres prædicâssent, quo & Miracula referenda essent: Ossa autem mortuorum venerari prohibebat: *Hoc autem Catholicum esse, ex Smyrnensium Epistola intelligitur:* Christum, *aiunt*, aliquandò, *hoc est, nunquam*, possumus deserere, vt qui mortem pro totius mundi salute sustinuit. *Rursus*: Non possumus, *inquiunt*, alium quenquam colere: Quoniam verum Deum, & qui solus colendus sit nouimus. *Quo ad Martyres autem*, eos, *aiunt*, vt Domini discipulos veneramur, ac diligimus, veluti eos qui magistro ac Domino fidem seruârunt, optamusque in fide & constantia illorum fieri consortes. *In quem igitur finem Polycarpi ossa collegerunt? num vt ea colerent, venerarentur ac adorarent, vt Hieronymus faciundum censet? Minimè verò*, sed vt ex more ea conderent & sepelirent: *Quia apud omnes Gentes pietatis officium & vltimus videbatur honor, corpora honestè sepelire. Nihilominus tamen Hieronymus, idem cum Smyrnensibus sentientem Vigilantium, hæreticum appellare audet: quum minimè ignoraret, Eunomij & Vigilantij doctrinam longissimè inter se distare. Non immeritò ergo Erasmus*, In Vigilantium, *inquit*, ita conuitiis debacchatur Hieronymus, vt plusculum in eo modestiæ cogar desiderare: vtinam argumentis duntaxat egisset, & à conuitiis temperâsset.

Eunomij error.

Erasmus de Hieronymo.

Nec est quòd Bellarminus impietatis nos accuset erga sanctissimum Patrem Hieronymum: Nam & ipse initio statim capite 1. duplicis mendacij accusat eundem Hieronymum: primum est, quòd is voluit, etiam ante Eunomium contradictum fuisse Reliquiarum venerationi: alterum, quòd à Samaritis & Iudæis hoc profectum esse dixit; in libro contra Vigilantium, & in Epistola ad Riparium.

SECVNDO, *ad authoritatem Conciliorum, quæ à nostris obijciuntur, nihil respondet. Bellarminus: testimonium etiam Antonij Eremitæ & Cyrilli magno silentio ipse & Baronius prætereunt. Ad Augustini locum de Moribus Catholicæ Ecclesiæ, aliquid respondet.* Primò dicit, *scripsisse Augustinum ista initio conuersionis suæ: Respondeo, vt maximè hoc concedamus, tamen jam tum consuetudines veræ Ecclesiæ illi notissimæ erant: Non enim credibile est, tantum virum scripsisse peculiarem librum de Moribus Catholicæ Ecclesiæ sibi non benè cognitis. Deinde non dubitanter loquitur, sed dicit,* SE NOVISSE *multos huic superstitioni addictos: Noscere autem significat, notum & cognitum aliquid habere, notitiam rei alicuius habere. Adhæc ipsemet Augustinus de hoc libro; & altero de Manichæorum moribus, in Retractat. suis hæc scribit:* Iam baptizatus cùm Romæ essem, nec ferre tacitus possem Manichæorum jactantiam, de falsa & fallaci continentia vel abstinentia, quæ se ad imperitos decipiendos veris Christianis, quibus comparandi non sunt, insuper præferunt, scripsi hos duos libros.

Secundò, *negat Bellarminus*, sepulchrorum hunc Cultum esse Idololatriam. *Respondeo, Augustinus tales vocat sepulchrorum adoratores: ergo talis Cultus est Idololatria. Est enim Idololatria religiosus Cultus, quo aliquid tanquam numen colitur, quod præcipuè fit adoratione. Vnde etiam Iesuita Col. 2073. ne Pontificij Idololatræ videri possint,* negat ab ipsis Reliquias adorari *Negat etiam*, Augustinum velle hunc sepulchrorum Cultum esse malum, & quæ in signum istius cultûs Reliquiarum fiebant, qualis erat oblatio vini & epularum, quæ super mortuos & eorum sepulchra fiebat. *Respondeo, contradicit hîc Iesuita apertissimè Augustino, qui manifestè hoc totum, quod non tantùm ab alijs, sed etiam à matre sua fiebat, vnà cum Ambrosio damnat. Nam lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 27. apertè dicit,* hoc à Christianis melioribus non fieri, & in plerisque terrarum locis nullam esse talem consuetudinem. *Et lib. 6. Confess. capite 2. testatur,*

Idololatria quid

Am-

Ambrosium Mediolani hæc à Christianis, ijs quoque qui sobriè facerent, fieri vetuisse, ne vlla occasio daretur ebriosis sese ingurgitandi,& quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima. Cumque mater quoque *Augustini* pultes, panem & vinum Mediolani ad Memorias sanctorum afferre vellet, juxta Afrorum ritum & consuetudinem, prohibitam fuisse id facere ab Ostiario, *eodem loco indicat. At Bellarminus ait,* Matrem Augustini in hoc non peccâsse, nec Idololatriam admisisse, quia hoc ex pietate fecerit. *Respondet Iesuita eodem loco ipse Augustinus, his verbis:* Pietatem in eo quærebat, non voluptate. Vbi verò competit à præclaro prædicatore atque antistite (*Ambrosio*) pietatis præceptum esse, ista non fieri, abstinuit se libentissimè, *&c. Ad hæc, ista parentalia ab Idololatria non abfuerunt,* quòd superstitionibus Gentilium, *vt Augustinus ait,* simillima essent. *Adde, quòd Augustinus in libro de Moribus Ecclesiæ, Sepulchrorum adoratores* superstitiosos *vocat, cap.*34.

TERTIO, *ad* primam *nostram Rationem respondet Bellarminus*, Dominum non reprehendere Iudæos, quòd ædificarent vel ornarent monumenta Prophetarum: sed quòd non imitarentur eos quorum monumenta ornabant, sed potius eos, qui illos occiderunt, atque ita seipsos condemnarent. *Respondeo hoc facit contra nos, sed idipsum concedit nobis Iesuita quod volumus. Non enim reprehendimus Pontificios, quòd corpora & ossa Sanctorum honestè sepeliunt, & eorum sepulchra exornant, sed quòd circa hæc externa tantùm occupatissimi sunt, Sanctorum verò, & præcipuè Apostolorum doctrinam & vitam securè contemnunt, imò hostiliter ferro & flammâ persequuntur. Idcirco iuxta Chrysostomi interpretationem, iure quoque ad Pontificios dicere possumus,* Non quia ædificatis, nec quia persequutores Apostolorum & Martyrum accusatis, vos reprehendimus, sed quia ita facientes, & dicentes, persequutores illorum condemnare audetis, quum interim vosipsi pejora committatis. *Adhæc, negari non potest, quin etiam Dominus nimium Pharisæorum & Scribarum reprehendat studium extruendi, ornandi & decorandi Prophetarum sepulchra.*

Ad secundam nostram rationem, quâ diximus, Christum, Christianis secundum carnem hoc est, carnali modo, non amplius cognoscendum aut quærendum iuxta Pauli doctrinam 2. Cor.5. id est, colendum esse, sacrificiis videlicet, & innumeris illis legalibus Ceremoniis: ideòque non rectè sepulchrum Christi & carnales Reliquias defunctorum quæri à Christianis: vt hoc modo Christo seruiant, ipsum colant ac venerentur: sed veros eius cultores iam in Spiritu & veritate eum colere debere: Respondet Bellarminus, Sepulchra illa Memorias esse Sanctorum;& eorum alteram partem, corpus videlicet, continere, & propterea rectè quæri. *Respondeo, esse fallaciam à non causa vt causa. Nam si ad conseruandam solam Sanctorum memoriam ædificarentur sepulchra eorum, foret id quidem tolerabile sed quia ad cultum, & quidem religiosum ædificantur, ornantur & quæruntur, superstitiosum est, nec ferendum. Ad hæc, responsio hæc Iesuitæ nihil est aliud quàm* χρεσφύγετον, *& nihil contra argumentum nostrum facit, vt Lector facilè intelligit. Interpretatio quoque Iesuitica horum verborum Apostoli falsa est: nempe, per carnem intelligi debere mortalitatem & passibilitatem Christi, vt sensus sit, Non amplius iuxta mortem & passionem cognoscendum aut considerandum esse Christum: Nam Paulus docet 1.Cor. 11. S. Cœnam in memoriam mortis & passionis Christi institutam esse. Et addit Apostolus:* Quotiescunque ederitis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis: *nihil etiam diligentius repetit Paulus, quàm crucem, passionem & mortem Domini.*

Ad tertiam *respondet Iesuita*, Cultum Reliquiarum non esse Cultum voluntarium; *id est*, ab hominibus excogitatum, sed à Deo inspiratum. *Respondeo, falsum hoc esse non solùm hucusque demonstrauimus, sed infra quoque in refutatione argumentorum Iesuitæ pro cultu Reliquiarum probabitur. Secundò dicit;* apud Paulum Coloss. 2. ἐθελοθρησκείαν non significare Cultum quomodocunque voluntarium, *id est*, præceptum à Deo, sed ab homine excogitatum: sed cultum superstitiosum, siue falsam Religionem. Probandum igitur esse nobis, cultum Reliquiarum esse superstitiosum, vel falsum, si velimus esse reprehensum à Paulo. *Respondeo vt supra, hoc esse satis iam antea probatum, & in sequentibus etiam ad oculum demonstrabitur.*

Ad quartam *rationem sic respondet Bellarminus, vt rem certissimam reddat dubiam, & perspicuam obscuram.* Primò *enim* dubitat, an Mosi corpus sepultum sit. *Respondeo, hac sententia manifestè pugnat cum verbo Dei. Nam Deuteronomij vltimo scribitur*, Dominum sepeliuisse Mosem in valle terræ Moab. *Vndè Rupertus etiam in hoc caput sententiam Iesuitæ firmis argumentis oppugnat: & Bellarminus ipse tandem fatetur, eam non facilè defendi posse.* Secundò *igitur respondet ex Homilia quinta Chrysostomi in Matthæum*, occultatum fuisse Mosis sepulchrum, ne à Iudæis coleretur pro Deo. *Respondeo, Chrysostomi locum sic habere de verbo ad verbum:* Nequaquam vtilis in terram sanctam Mosis fuisset ingressus, vt qui omnino plurimos Iudæorum in maximam erroris ruinam supplantare potuisset.

ser. Si enim quia per illum fuerant de sola Ægypto liberati, relicto Deo, tantummodò Mosem requirebant, ipsius esse prorsus cuncta illa beneficia credentes: hunc si introductorem quoque in terram promissam habuissent, in quæ non illi impietatis prærupta cecidissent? Vt igitur omnis hujusmodi amputaretur occasio, ejus quoque occultatum est sepulchrum. *Dico jam, idem periculum esse cum aliorum Sanctorum sepulchris & Reliquiis, imò hoc ipsum jam pridem cum iis euenisse, cui Deus occultatione sepulchri Mosis praeuenire voluerit.* Negat hoc Iesuita, & discrimen hic facit inter Iudæos & Christianos. Iudæi, *inquit*, eo tempore propensissimi erant ad Idololatriam, ita vt etiam vitulos aureos colerent. *Respondeo, eodem modo Papistas hodiè & jam aliquot seculis ad Idololatriam propensos fuisse. Nam vt illi coluerunt vitulos aureos, ita hi colunt imagines lapideas & ligneas, ossa item & sepulchra mortuorum: adcoque relicto Deo, Sanctos tantùm requirunt, & sic in horrenda impietatis prærupta ceciderunt.* Dicit quidem Iesuita, nunquam esse auditum apud Christianos, vt aliqui Sanctorum Reliquiis diuinos honores detulerint. *Respondeo, facto ipso declarare Papistas, quod verbis confidentissimè negent. An non enim diuini honores iis rebus exhibentur, quibus Aræ & Templa eriguntur, & ad quas ex animi deuotione preces fiunt? Sed hac de re infra pluribus agemus.*

Ad quintum *nostrarum argumentum nihil respondet Bellarminus.*

Ad sextam *rationem respondet*, Cultum Reliquiarum non esse idololatricum: *Ratio*, quia Martyres mortui sunt, vt Idololatriam destruerent. *Respondeo, hæc ratio nihil probat: Imò pro nobis facit. Si enim mortui sunt, vt Idololatriam destruerent, peccant sanè Papistæ contra confessionem & doctrinam Martyrum, si cum sepulchris & Reliquiis ipsorum Idololatriam committunt. Nec idololatria crimen à Cultu Reliquiarum depelli potest, quandiu Aris, Templis, & alio modo, quo Deus ipse, coluntur. Vide Augustinum de Ciuitate Dei libro 22. cap. 10. Fateor non primo impetu ad manifestam Idololatriam erumpi: sed paulatim ab vna fallacia ad alteram declinem esse lapsum, donec tandem homines in extrema præcipites ruant. Prosternunt se hodiè Christiani seipsos ac genua flectunt coram Reliquiis, tanquam coram Deo: accendunt faces & candelas pro solenni adorationis ritu: fiduciam in iis locant: ad eas confugiunt, ac si illic virtus & gratia Dei inclusa esset. Si Idololatria nihil aliud est, quàm Dei honorem aliò transferre, an hoc Idololatriam esse negabit Bellarminus? En quò paulatim Reliquiarum Cultus deuenerit.*

Ad septimum *argumentum* primò, *solâ infitiatione respondet Iesuita*: negat enim Reliquias, quæ publicè in Templis exponantur venerandæ, esse suppositititias: semper enim Ecclesiam diligenter cauisse, ne fraudes fierent. *Respondeo, esto cauerit diligentissimè, non tamen cauere in vniuersum potuit, quin aliquæ suppositititiæ colerentur: vt exemplis & testimoniis aliquot in nostro argumento probauimus suprà.* Secundò *respondet*, ab Alexandri III. Papæ temporibus nullas suppositititias Reliquias in Templis expositas fuisse, vt qui cauerit, ne Reliquiæ publicè reciperentur sine authoritate Romani Pontificis. *Respondeo, hoc decretum probat, ante ea tempora suppositititias Reliquias multas fuisse receptas. Quòd autem post hac decretum nulla falsa & suppositititia reliquia fuerint, aut sordes aliquæ pro illis non culta, falsum est. Quamuis enim concedamus, Pontificem Romanum diligenter in Reliquias inquirere, certum tamen est, veteres ab aliquot seculis retentas adhuc coli: & Papas, cùm sint meri homines, & quidem filij peccati, errare, falli ac decipi posse, vt experientia nostra seculo hoc abundè comprobauit. Ad Augustini locum respondet*, eum meritò dubitâsse de Reliquiis, quas quidam priuati homines circumferebant. *Respondeo, meritò quoque de iis dubitari, quæ Satanicis illusionibus monstratæ, effossæ & à Papa canonizatæ & approbatæ sunt: quis enim Papa dicet hæc ossa, quæ aliquot seculis in terra sepulta & condita fuerunt, huius vel illius Martyris esse?*

Ad illud, quod objicitur à nostris de pluribus corporibus, *respondet Iesuita*, in varijs locis esse partes eorundem corporum, sed denominari à parte totum. *Suppositititia Reliquia.* *Respondeo non partes corporis, sed totum & integrum corpus: membra item eadem: tot denique frusta vel partes eiusdem corporis à deò multis in locis monstratur adhuc hodiè, vt eundem Sanctum vel plura corpora, vel giganteum & stupendæ magnitudinis corpus habere oportuerit: si aliquas ex illis Reliquiis non suppositititias esse affirmare velimus. Idem de reliquis iudicium esto Reliquiis. Exemplis rem declarabo: Charrouienses Monachi jactant, se integrum habere Christi præputium, hoc est, pelliculam quæ ei in Circumcisione amputata fuit.* *Præputium Christi.* *Idem verò præputium Roma quoque in æde Ioannis Lateranensis ostenditur. Nisi ergo Christo duo corpora affingere velimus, falsum esse dicere oportet, & suppositititium alterutrum ex his, si non vtrunque: nam Lucas Christum circumcisum fuisse refert, præputium verò seruatum fuisse pro Reliquiis non meminit. Naturalis Christi sanguis plus quàm centum in locis exhibetur.* *Sanguis Christi.* *Rupellæ pictonum pauca guttæ, quas aiunt Nicodemum in chiroteca sua collegisse: Mantuæ verò plenæ phialæ. Biltoni in Aruernia ostenditur vase Crystallino liquidus; in proximo vico coagulatus: Romæ ad Eustathii plenis pateris effusus. Calix in quo Sacramentum sanguinis sui* *Calix.*

Apo-

Apostolis bibendum dedit, ostenditur ad Mariæ Insulanæ, propè Lugdunum: Item, apud Heluios, in quodam Augustinensium cœnobio. Catinus, in quo positus fuit agnus Paschalis, monstratur Romæ, Genuæ, Arelatæ: Qui igitur pro vero habebitur? Linteum, quo Christus Apostolorum pedes abstersit, vnum est Romæ, ad Ioannis Lateranensis: alterum Aquis in Germania ad Cornelij, cum impresso vestigio pedis Iudæ. De crucis, cui Christus affixus fuit ligneis particulis sic impleuerunt totum orbem, vt ijs ferendis ne trecenti quidem homines sufficerent. Hic tamen ad miraculum confugiunt; Dicunt enim, cùm vndique è remotissimis regionibus Hierosolymam Christiani confluere, religionis ergo, consueuissent acciperentque de ligno crucis particulam, illud tamen nullam sensisse ex diminutione iacturam. Theodoretus in historia sua narrat, Helenam vnum clauum filij sui galeæ inseri, reliquos duos equi freno aptare iussisse. Ambrosius contra vnum Constantini coronæ impositum fuisse dicit ex altero, frenum equi factum: tertium, ab Helena seruatum. Mediolanenses hodiè iactant, se illum habere qui equi freno insertus fuit. Carpentoractenses contra sibi illum vendicant. Ambrosius verò non equi freno insersum, sed frenum ex eo factum fuisse testatur. Hæc non conueniunt. Est etiam hodiè alius clauus Romæ, ad S. Helenæ: alius ibidem ad S. Crucis: alius Senis: alius Venetijs: In Germania duo, vnus Coloniæ, ad trium Mariarum: alius Treuiris: In Gallia, vnus Lutetiæ, ad S. Sacelli: alius apud Carmelitas: alius ad D. Dionysij: apud Bituriges: alius in Abbatia, cui à forficibus nomen est: alius Draguinani Sic quatuordecim pr[illegible] tribus exhibentur. Tunica Christi sic est multiplicata, vt tres producantur ad minimum. Corona quoque spina sic aucta, vt sepem quandam ei conficiendæ implexam fuisse dicendum sit. Sequitur Mucro lanceæ, qui vnicus fuit sed quatuor monstrantur: vnus Romæ, alter Lutetiæ, tertius apud Xantones, quartus Selua. Sunt præterea sed ad minimum vrbes, quæ iactant se integrum sepulturæ Domini Sudarium habere: veluti Nicea, Aquæ in Germania, Traiectum, Vesontio, Cadonium Lemonicum, & oppidum in Lotharingia Alsatiæ vicinum: præter fragmenta quæ hinc illinc dispersa sunt, nempe ad Saluatoris in Hispania, & apud Augustinenses Heluiorum. Quisquis ex his iactat se verum habere Sudarium, cæteros falsi accusat: Sed omnes hoc iactant: ergo omnes se mutuò mendacij accusant. Capilli aliqui Virginis Mariæ monstrantur Romæ, ad Mariæ supra Mineruam: ad Saluatoris in Hispania: Matiscona: Cluniaci; Nuceria: ad Sanfloridi: ad Saniacquerij, alijsque in locis. Si autem cum corpore sublata est Maria in cœlos, vt aiunt, certè etiam Capilli eius eò translati sunt. De Lacte etiam eius tanta copia hinc inde monstratur, vt si sanctissima Virgo toto vitæ suæ tempore nutrix fuisset, vbera tamen eius vix tantum Lactis reddere potuissent. Nec enim est vllum tam paruum oppidulum, nullum tam vile Cœnobium in quo non aliquid monstretur. De capite Ioannis Baptistæ Ambiani se faciem habere gloriantur: & in ea larua quam ostendunt, vulnus apparet, quod Herodiadem cultro inflixisse dicunt. Ioannis Angelici autem incola eandem etiam partem ostendunt. Reliquum verò capitis, nempe à fronte ad ceruicem vsque, erat quondam in Rhodo, hodiè verò in Melita: Occiput est Nemorosi: Cerebrum, Nouij Rantrouiensie. Sed nihilominus ad Ioannis Morienni pars capitis habetur. Est etiam eius mandibula Vesontione ad Ioannis Maioris. Altera pars est Lutetiæ, ad Ioannis Lateranensis; & extremum auriculæ ad Sanfloridi in Auernia: Frons verò & Capilli, in Hispania ad Saluatoris. Est etiam Nouioduni frustum aliquod, quod magnifico apparatu ostendi solet. Quædam etiam pars Lucæ habetur. Et tamen Romæ in Syluestri Cœnobio integrum caput Ioannis ostenditur. Seninses etiam ejus brachium habere gloriantur, quod veteribus Historiis repugnat, quæ totum corpus, excepto capite, exustum esse testantur. Eædem etiam referunt, vnicum illum digitum Ioannis comburi non potuisse, quo Christum populo monstrârit: Et tamen sex hinc inde digiti eius ostenduntur: Vnus Vesontione, ad Ioannis Magni, Tholosæ alius: alius Lugduni: alius Biturigibus: alius Florentiæ: alius ad Ioannis fortuitè propè Matisconem, Romæ aiunt corpora Petri & Pauli integra haberi: & tamen Pictauij habetur mandibula Petri cum barba: Treuiris vtriusque permulto: Argentonæ Biturigum, Pauli humerus. Scipionem Petri, quo vsus fuerat, dum iter faceret, Colonienses apud se esse constanter asseuerant: idem faciunt & Treuirenses. Tholosates gloriantur se habere sex integra corpora Apostolorum: nempe, Iacobi majoris, & minoris: Andreæ, Philippi, Simonis & Iudæ Patauii est corpus Matthiæ Salerni corpus Matthæi. Ortonnæ verò, Thomæ Neapoli, Bartholomæi. Nunc qui eorum duo aut tria corpora habuerint attendamus. Andreas enim Melphis alterum habet corpus. Philippus & Iacobus minor, vterque alterum corpus Romæ ad sanctos Apostolos. Simon & Iudas iisdem ad Petri. Bartholomæus etiam Romæ in æde ipsi dicata. Habes igitur sex quibus bina singulis sunt corpora. Matthiæ etiam corpus est Romæ, ad Mariæ maioris: est & tertium Treuiris. Præterea ipsi est aliud separatim caput, & brachium separatim Romæ. De Andreæ corpore frusta multa hinc inde ostenduntur. Anna mater virginis Mariæ, vnum è corporibus suis habet Aptæ in Prouincia Galliæ: alterum ad Mariæ Insulanæ, Lugduni. Vnum è capitibus Treuerie, alterum Turoni apud Iuliacenses, tertium in oppido Thuringiæ. Lazarus tria habet corpora: vnum Massiliæ: alterum Augustoduni: tertium Aualona.

Margin notes (left column): *Catinus.* — *Linteum quo discipulis abstersit pedes Christus.* — *Crux Christi.* — *Claui.* — *Tunica Christi.* — *Mucro lanceæ.* — *Sudariũ Christi in sepulchro.* — *Capilli Mariæ.* — *Lac Mariæ.*

Margin notes (right column): *Caput Ioannis Baptistæ.* — *Brachiũ Ioannis Bapt.* — *Digitus Ioannis.* — *Corpora Petri & Pauli.* — *Petri scipio.* — *Sex integra corpora Apostolorũ.* — *Corpus S. Annæ.* — *Lazari tria corpora.*

Digitized by Google

Magna quidem inter Augustedunenses & Anatonenses non de parte, sed de toto eius corpore controuersia fuit, sed magnis sumptibus tandem composita. Trium Magorū corpora. Dionysii corpus. *Corpora trium Magorum Colonienses & Mediolanenses integra apud se esse utriusque gloriantur. Dionysij corpus duobus in locis integrum ostenditur: Sandionysij Franciæ, & Ratisbonæ in Germania. Quia Franci id sibi vendicabant, Ratisponenses Romæ litem mouerunt ante centum annos, quibus corpus à Papa adiudicatum fuit hac cautione: Qui Sandionysii corpus hoc non esse diceret, lapidibus obrueretur: qui verè negaret esse Ratisponæ, haberetur pro Hæretico, quia sedi Apostolicæ rebellis esset.* Stephani corpus. *Stephani corpus dicitur esse integrum Romæ, in Templo ipsi dicato: caput verè Arelatæ monstratur, & ossa plus quàm ducentis in locis.* Sebastiani corpus. *Sebastiani corpus in quatuor corpora multiplicatum est: quorum vnum est Romæ ad Laurentij: alterum Suessione: tertium Piligni apud Armoricos: quartum propè Narbonam, in solo ejus natali. Quinctiam Dominicani Andegauenses brachium eius vnum habent: est etiam aliud Tholosæ ad Saturnini: aliud Casedæi in Aruernia: aliud Monsbrisonnæ Forestanorum: præter minuta frusta quæ in varijs locis habentur.*

Immotum ergo adhuc stat nostrum argumentum, quo dicebamus, multa corpora, eiusdemque corporis plurima eademque membra vnius Sancti hinc inde monstrari, & proinde necessariò sequi, vel eundem Sanctum multa habuisse corpora, vel esse multas & suppositititias Reliquias. Intelligitur etiam ex adductis exemplis Bellarmini responsionem friuolam & falsam esse, quâ dixit, partes corporis pro toto monstrari. *Addit Baronius:* Cùm vnius ejusdemque Martyris diuersis in locis Reliquiæ conditæ habeantur, & æquè ac si integrum corpus vbique horum locorum conditum esset, eadem Miracula sint operatæ, inde fieri, vt vnius ejusdemque Martyris corpus diuersis in locis haberi dicatur: *quam imposturam Baronius* tolerabilem errorem *vocat tomo 1. Annal. facie 428. Monstrauit ipsi hoc effugium Dionysius Halicarnassæus, qui lib. 1. de pluribus Æneæ sepulchris eandem hanc rationem affert:* Quòd si quem, *inquit*, perplexum facit, quòd Æneæ sepulchra monstrentur multis in locis, nec possit nisi vno esse conditus: cogitet hanc dubitationem esse vulgarem: & intelligat, quòd quamvis vnicus locus capiat corpora salium, apud multos tamen monumenta eis facta sunt, in gratiam acceptam vtilitatis cuiuspiam.

Reliquias à Papistis adorari. *Ad Octauum* nostrorum argumentum respondet Bellarminus colum. 2075. Quis vnquam Catholicorum Reliquias inuocauit? Quis easdem vnquam diuino honore affecit, vel adorauit? &c. *Respondeo, negat Iesuita sciens ac prudens id, quod noui esse verissimum, adeoque protestatio ejus contraria est facto. Idem quoque fecit Hieronymus olim in feruore certaminis aduersus Vigilantium. Hic enim interrogans superstitiosum Reliquiarum Cultorem,* cur honore tanto, non solùm honoraret, sed etiam adoraret illud nescio quid, *satis clarè indicat, fuisse illo tempore nonnullos, qui reliquias adorarent, idque sibi displicere. Hoc etiam innuit Gaudentius Brixianus, Hieronymi æqualis, qui in Tractatu 4. in Exodum, redarguit quorundam Idololatriam,* qui Sacrificia mortuis suis celebrârunt. *Quòd Bellarminus non quidem omninò negare, sed tamen in dubium vocare audens colum.* 2088. Fortasse, *inquit*, pauci quidam mortuis sacrificabant, qui etiam meritò reprehenduntur: sed non propterea omnis Cultus sacrarum Reliquiarum abolendus est, quia nimius Cultus iure reprehensus est. *Et Chrysostomus Sermone in Sanctos Iuuentium & Maximum dicit,* Tumulos Martyrum adoremus. *Hieronymus quoque ipse ad Marcellam,* vt migret Bethlehem, *dicit*, Sepulchra & Cineres Ioannis Baptistæ, Helisæi & Abdiæ MERITO ADORARI à fidelibus in Palæstina. *Et tamen Hieronymus contra Vigilantium exclamare audet,* Quis, ô insanum caput, aliquando Martyres adorauit? *Chronicon. Cassinense refert libro secundo, capite quinquagesimo quarto,* cùm ex Cluniacensi cœnobio os integrum brachii, S. Mauri Cassinum deportaretur, totius prouinciæ populum & Monasterii conuentum, visis illis Reliquiis, in terram procidisse, easque adorâsse.

Easdem etiam hodiè à Papistis adorari & religiosè, coli, adeò manifestum est, vt à nullo possit negari, nisi qui manifestæ veritati contradicere velit. Templa Martyrum Reliquiis ædificantur, qui honor soli Deo debetur. Vnde Augustinus contra Maximinum Arianorum Episcopum, Nónne, *inquit*, si Templum alicui Sancto angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi & Ecclesiæ Dei? Quoniam creaturæ exhiberemus eam seruitutem, quę vni tantùm debetur Deo. *Eriguntur quoque Martyrum Reliquiis Aræ. Idem verè Augustinus tom. 10. Serm. 6.* Ara est, *inquit*, quæ testatur, pro numine id haberi cui erigitur. Nam illi (*Ethnici*) quod numen habeant, & pro numine accipiant illam statuam, Ara testatur. Quid illic faciat Ara, si illud non habeatur pro numine? Nemo mihi dicat, Non est numen, Non est Deus. Iam dixi, vtinam ipsi sic nôrint hoc, quomodo nouimus omnes nos. Sed quid habeant, pro qua re habeant, quid ibi faciant, Ara testatur. *Tertio, Reliquias supra Altare primarium in altiore & eminentiore loco collocant, vt maiore reuerentiâ eas colant. Quartò, illi adorant, qui palmis sublatis, flexisque popli-*

Google

poplitibus ante hominem aliquem procumbunt, totoque corporis habitu testantur angustius aliquid se de illo sentire, quàm de alio homine. Cornelius Centurio hoc modo in terram prouolutus, & Petrum adorans, audit à Petro, Surge, nam & ego homo sum. *Itaque si Papistæ Martyrum Reliquias non adorant, cur ante Martyrum tumbas, eorumque ossa procidunt, & animo sæpe plene sese Martyribus commendant, apud eorum Reliquias auxilia quærunt, aut metuunt ne satis purgati in conspectum earum veniant?*

Ex his omnibus intelligimus, vt stulta, quæ initio fuit, in quærendis, effodiendis, transferendis & asseruandis Reliquiis, curiositas, huc tandem abominationis delapsa sit, vt non solùm à Deo auersi sint homines, quo rebus vanis & caducis adhærerent: sed etiam execrabili sacrilegio res omni sensu carentes adorarent loco Dei, qui viuit & solus regnat in secula.

Georgius Cassander Pontificius contra Reliquias.

Non immeritò igitur hunc Reliquiarum Cultum & Venerationem grauissimè reprehendit Georgius Cassander, *licet Pontificius, in Consultatione de Articulis Religionis inter Papistas & Protestantes controuersis, ad Impp. Ferdinandum & Maximilianum. Et quia simul summam eorum complectitur eius Iudicium, eorum quæ hucusque diximus, adscribam ad verbum, vt intelligat Lector, quid Pontificij sanioris judicij hac de re senserint. Is igitur*, De veneratione, *inquit*, Reliquiarum & locorum sacrorum, in quibus sanctorum corpora vel cineres condebantur (quas Memorias appellabant) manifestum est, olim hujusmodi Reliquias præsertim Martyrum, vt quæ fuerint membra Christi & Templa Spiritus sancti, summo in honore habitas fuisse, ita vt ad illorum Memorias solennes & celebres conuentus haberentur, in quibus & Sacrificium Deo offerebatur, & Sanctorum virtutes prædicabantur. Cur autem huiusmodi Memoriæ tanto honore frequentarentur, & causam exponit B. Augustinus de Ciuit. Dei libro octauo, capite vltimo. Vt ea, *inquit*, celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum eodem vocato in auxilium, & eorum Memoriæ renouatione adhortemur: Item, vt meritis eorum consociemur, & orationibus adiuuemur. Ita legimus ad huiusmodi loca Martyrum Reliquiis insignia, & vota nuncupata & Peregrinationes susceptas, quæ omnia, tum vtiliter fiebant, cùm adhuc recens, & certa Memoria Martyrum vigeret; & Deus indubitatis miraculis eos, qui mortui putabantur, sibi viuere declararet. Atque hæc omnia eò referebantur, vt fides, quam illi moriendo professi sunt, his tanquam signis confirmaretur: ita Augustinus de Ciuit. Dei libro vigesimo secundo, capite octauo, conclamante populo, Miraculo ad Memoriam B. Stephani edito, Quid, *inquit*, aliud erat in cordibus exultantium nisi fides Christi: pro quâ Stephani sanguis effusus est? Et paulo pòst cap. 9. Cui, *inquit*, nisi huic fidei attestantur ista Miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cœlum ascendisse in carne? Paulinus in Epistola ad Marcarium, Deum ait per Apostolos & Martyres virtutes operari, vt credamus Dei Filium & Dominum nostrum Iesum ex resurrectione mortuorum regnantem in cœlis ad dextram patris viuorum esse Dominum, non mortuorum. Verùm in hæc paulatim abusus irrepsit, nam quæritur Basilius in definit. cap. 40. iam suo tempore consuetudinem, quæ apud Sanctos viros obtinuerat, corruptam fuisse, nam pro eo quòd in huiusmodi conuentibus, quæ in Martyrum memoriis agebantur, alius pro alio precari deberet, & per sermonem adhortationis mutuò se ædificare nundinas & quasi publicum emporium ex sacratis Martyrum locis factas esse, quas absurditates pro suo commercio approbare non debeant. Quin & Ambrosii & Augustini temporibus mos inualuerat, vt populus ad Martyrum Memorias epulas inferret, quod à melioribus Christianis non fieri, & à B. Ambrosio Mediolani interdictum testatur. Constat quoque posterioribus temporibus, nimium Reliquiis & Memoriis sanctorum indultum & tributum fuisse, sic vt à bonis quoque viris pio Zelo præditis, summa quasi Religione in hujusmodi Reliquiis conquirendis, auro & gemmis exornandis, & Memoriis seu Templis sumptuosissimis ædificandis posita putaretur, & ab improbis quoque hominibus falsa fiducia in Cultu inepto & superfluo Reliquiarum collocaretur. Quare in concilio Cabilonensi capit. 40. reprehenduntur, qui Romam aut Turonum sub prætextu orationis peragrant: putantes frequentatione horum locorum se à peccatis purgari & impunè peccare. Accesserunt & alia mala; quòd auaritiæ causâ ad simplicem populum illiciendum falsæ Reliquiæ supponebantur, & ficta prædicabantur Miracula, iisque Miraculis populi superstitio alebatur, vt magis in admirationem Miraculorum raperetur, quàm ad Sanctorum imitationem, vel vitæ emendationem prouocaretur: nonnunquam autem astu, & illusione Dæmonis hominum superstitione abutentis, per insomnia & visa nouæ Reliquiæ reuelabantur, & ejusdem operationem Miracula edi videbantur. Hinc decretum illud Lugdunensis Synodi, cap. 61. Prælati non permittant populum vanis figmentis aut falsis documentis decipi, sicut occasione quæstus fieri consueuit; & in *Notæ*

Concilio Carthag. 5. Canon. 14. Altaria quæ per somnia & inanes reuelationes constituuntur, omninò reprobari videntur. Item: Permulti reperti sunt, qui Sanctorum Reliquias seu falsas seu veras quæstui habuerunt, ita vt passim à circumforaneis & vilissimis hominibus, instar Sacrorum Isidis circumferrentur, & multis mendaciis imperito vulgò commendarentur. Illud quoque iam inde ab aliquo tempore præter antiquum morem inualuit, vt Sanctorum corpora supra ista Altaria, qui locus soli corpori Christi deberi putabatur, collocarentur, quæ sub altari poni consueuerant. Sic Ambrosius de inuentione Reliquiarum Geruasii, & Protasii: Ille, *inquit*, Christus videlicet super Altare, qui pro omnibus passus est: isti sub Altari, qui ipsius redempti sunt sanguine. Hodiè verò cum passim omnia Reliquiis Sanctorum plena esse videntur, verendum est, ne si Episcopi & Principes in veris Reliquiis inquirendis & dijudicandis eam, quam debent, operam adhiberent, ingentes & detestandæ imposturæ patefierent, quemadmodum in nonnullis locis factum est, & B. Martino accidit, qui cùm locum quendam suæ Diœcœsis, monumento cuiusdam tanquam Martyris celebrem adjisset, deprehendit non Martyris, sed scelesti latronis monumentum à populo cultum & frequentatum, quod euerti statim & excindi iussit. Quamuis illi quoque probari non debeant, qui odio superstitionis certa piorum hominum monumenta violârunt, & ossa siue cineres, quibus etiam barbarissimi homines pepercerant, summa cum ignominia abiecerunt & dispersfrunt. Cùm igitur (Nota.) veræ & compertæ Reliquiæ, præsertim in his prouinciis perpaucæ sint, & multæ ex iis, quæ ostentantur, non temere suspectę haberi possint, atque illarum frequentatio & veneratio non multùm pietati, plurimùm verò superstitioni vel quæstui seruiant, multò consultius videtur, vt ab omni Reliquiarum ostentatione abstineatur, & populus ad veras Sanctorum Reliquias colendas, id est, exempla pietatis & virtutum, quæ in scriptis vel ab ipsis, vel de ipsis extant, imitanda prouocetur.

Soluuntur Argumenta & Rationes BELLARMINI pro *Sanctorum* RELIQVIIS, earumque Cultu.

(*Status controuersiæ inter Pontificios & Euangelicos de Reliquijs.*)

A*Ccedimus nunc ad refutationem argumentorum & rationum, quibus Bellarminus Reliquias Sanctorum, earumque Cultum defendere conatur. Vbi ante omnia Lector meminerit, non inter nos & Pontificios controuerti*, An corpora, ossa, aliæque Sanctorum Reliquiæ, quorum beatæ animæ iam apud Deum in cœlis sunt, propter spem resurrectionis sint honorificè & reuerenter tractandæ: *nam & nos hoc credimus, docemus & affirmamus. Sed quando Pontificij de honore, Cultu & Veneratione Reliquiarum dimicant hodiè, sequentia capita defendere conantur:* 1. *Reliquias ex sepulchris effodiendas, eleuandas, & supra summum altare vel in alio conspicuo loco collocandas, & auro, argento ac serico exornandas.* 2. *Reliquias illas in Processionibus & Supplicationibus circumgestandas & populo ostentandas esse.* 3. *Meritorium Cultum Dei esse, si populus opus opis impetrandæ causâ, vt Tridentinum decretum loquitur, ostentatas illas Reliquias tangat; osculetur, & ante illas gestu & animo adorabundus procidat, easque candelis, serico, auro, &c. veneretur.* 4. *Gratiam Dei in illis Reliquijs quærendam, & eius participes fieri, qui eas aspiciant vel tangant.* 5. *Sacrificium Deo gratum esse, si Reliquijs illis magnifica dona offerantur.* 6. *Tangentibus, osculantibus, aut intuentibus Reliquias illas, infinitas indulgentias promittunt.* 7. *Preces digniores, efficaciores & Deo gratiores esse, si fiant apud Reliquias, meritis enim eorum auxilium opemque impetrari.* 8. *Iurant etiam per Reliquias: accendunt illis cereos, suffitum faciunt, peregrinationes ad illas suscipiunt: curant vt Sudariola sua, Corollæ & alia, tangant ossa Martyrum, ac tum ea tanquam præsidia, & antidota aduersus omnis generis mala secum gestant. Has & similes Idololatrias nos reijcimus & damnamus tantùm in doctrina Pontificiorum de Reliquijs, non autem verum honorem, qui corporibus Sanctorum debetur iuxta regulam & præscriptum verbi Dei: Proindeque Baronius tom.* 1. *Annal. pag.* 427. (*Baronij calumnia.*) *insignem nec ferendam nobis facit injuriam, quòd scribere audet*, nos, *quos temerè & falsò* Hagiomachos *vocat*, vestes Christi, & Sanctorum ossa aliasque reliquias auersari, exhorrescere, execrari & vt Dæmones detestari: *quodque ipse cum Bellarmino nos non solùm* Iuliano, Porphyrio & aliis Hæreticis, *sed etiam* Eunomio annumerat; *quorum hic cum sectatoribus Basilicas Martyrum non ingrediebatur, neque conuentibus, qui ibi fiebant, interesse volebant; illi verò corpora Sanctorum rem esse immundam & abominabilem, contaminantem & vrbes & homines docebant.*

Bellarminus autem Idololatricum Reliquiarum Cultum, de quo modò diximus, sequentibus argumentis probare conatur.

PRIMO *Exemplis ex Scriptura petitis* Moses, *inquit*, discessurus cum populo ex Ægypto in Palæstinam, noluit ibi relinquere ossa Iosephi, jam dudum mortui, sed ea honorificè secum aportauit, & transtulit in terram promissionis. Non ergo superstitiosum aut nouum est, transferre ossa Sanctorum. *Argumentum tale est.*

Si Moses

Si Moses non fuit Idololatra aut superstitiosus transferendo ex Ægypto in terram Chanaan ossa Iosephi, nec Pontifici sunt Idololatræ aut superstitiosi, etiamsi effodiunt, transferunt, colunt ac venerantur Reliquias Sanctorum.

Sed prius est verum: Ergo & posterius.

Cur Moses ossa Iosephi secum transportârit in terram sanctã. *Nego consequentiam majoris: nam factum Mosis & Papistarum pro paribus sumit, quum sint impari. Iosephus testamentariâ adhortatione suâ ad fratres suos, voluit eorum, ac tatim populi sui fidem in promissionem Dei de hereditanda terra Chananæa fulcire ac adiuuare. Sic enim ad fratres suos loquutus est,* En ego morior,& Dominus visitabit vos, & educet vos è terra quam promisit Patribus nostris. *Et iterum adiurans fratres suos ait,* Certò visitabit vos Deus & asportabitis ossa mea hinc. *Adstipulatur nobis Paulus, fidelissimus facti Iosephi interpres Hebr.*11. Per fidem,*inquit,* Ioseph moriens egressionis filiorum meminit, deque ossibus suis mandauit: *Hoc est, Quia nihil dubitauit de verbo & promissione Dei, ideò iussit fratres suos ossa sua ad egressum ex Ægypto secum asportare in terram Chanaan. Tam videlicet de Deo securus ac certus erat, fore vt filij Israel ducerentur ex Ægypto in terram Patribus promissam. Non igitur ad Cultum & Venerationem corpus & ossa sua asseruare & transferre voluit Ioseph, sed vt se & suos in fide tantùm confirmaret. Huius rei memores Israelitæ Iosephi corpus non quidem sepulturæ mandârunt, sed aromatibus conditum, & in arcam ex preciosa ligno fabricatam sepositum, vsque ad exitum Israelitarum ex Ægypto asseruârunt, non vt religiosè colerent & in Processionibus circumgestarent aut Peregrinationes ad id instituerent, sed vt quasi vexillum quoddam fidei propositum esset omnibus Israelitis: vt sicut ille certò credidit, Israëlitas adepturos terram promissam, in eiusque rei fidem corpus suum ad ea vsque tempora seruari & in terram Chanaan secum transportare iussit: & ibi recondere cum maioribus suis: ita ipsi quoque pari fiduciâ crederint, promissiones Dei sibi præstandas esse.*

Deprauatio loci Ecclesiastici 49.c. *Vulgata quidem translatio locum Ecclesiastici 49.cap. sic vertit:* Ossa Iosephi visitata sunt,& post mortem prophetârunt: *quòd nonnulli sic interpretantur, quasi Israelitæ ad ossa Iosephi peregrinationes instituerint, & tanquam ad Oraculum ad ea concurrerint. Sed est insignis Græci textus deprauatio; non enim in eo legitur ἐπεσκέφθη, à verbo ἐπισκέπτω, quod visitare significat, sed ἀπεσκέπησαν, quod significat tam diligenter aliquid seruare, ac si operimento aliquo defendatur, & custodiatur. Sequentia etiam verba,* post mortem prophetârunt, *in Græco prorsus non leguntur.*

Israelitæ quoque, vt ex 13.cap. Exod. intelligitur, venerentur, citra omnem tamen superstitionem, reliquias illas & ossa Iosephi ex Ægypto in terram Chanaan deportârunt. In terra etiam illa promissionis, non eleuârunt illa, neque peregrinationes ad ea instituerunt, & religiosè coluerunt, sed sepelierunt, vt est videre Iosue 24. Adhæc ad sepulchrum Iosephi concursus hominum nullus factus est, vt hodiè ad sepulchra & Reliquias Sanctorum fit. Igitur hoc saltem isto exemplo docetur, Sanctorum corpora aliquo honore afficienda esse, honore scilicet sepulturæ, atque vt è locis profanis, ad Sacra transferuntur si fieri possit, eundum esse.

Secundum *Exemplum quod Iesuita ex Scriptura citat, Dei est:* Deus ipse, *inquit,* corpus Mosis honorauit, dum illud propriis manibus sepeliuit: *Deuter. vltimo. Hoc argumentum si pro Iesuita facere debet, sic formari potest:* Quicunque alicuius corpus honorificè sepeliit, id honorat, veneratur & religiosè colit. Sed Deus Mosis corpus honorificè sepeliit. Ergo illud honorauit & religiosè coluit. *De sepultura Mosis.* *Negatur maior. Nam fideles veteris ac noui Testamenti Sanctorum corpora semper honorificè sepelierunt, sicut & nos hodiè facimus, non tamen religioso Cultu ea coluerunt. Imò sepulchrum Mosis Deus voluit esse incognitum, ne corpus & Reliquiæ eius colerentur. Nihil ergo hoc Exemplum pro Iesuita facit.*

Tertium Exemplum Helisæi Prophetæ *est 4. Reg. decimo tertio, de quo ita argumentatur Iesuita:* Ossa Helisæi cùm tetigissent mortuum quendam hominem, continuò illum ad vitam reuocârunt: Non ergo Deus contemnit ossa Sanctorum, sed ea honorat & honorari cupit, dum per illa Miraculum tam insigne patrauit. *De Helisæi ossibus.* *Respondeo* Primò, *esse fallaciam Ab ignoratione Elenchi. Non enim ossa illa Helisæi hanc virtutem ex se emiserunt, sed Deus suâ virtute & omnipatentiâ mortuum illum excitauit, vt in alio casu apertissimè testatur Christus Luc.* 8. *inquiens,* virtutem illam, *quâ mulier prafluuio sanguinis laborans sanata fuerat attactu vestimentorum eius,* ex sese prodiisse: *& Petrus Act.* 3. Viri Israelitæ, quid miramini super hoc, aut quid intentos oculos in NOS habetis, quasi propriâ vi aut pietate effecerimus, vt hic ambularet: fides quæ in Iesum est, dedit illi integritatem hanc. Secundò, *Non ideò Deus voluit ex illarum ossium attactu mortuum excitari, vt hæc ossa colerentur, sed vt doctrina Helisæi eiusque vaticinium verum, diuinum & cœleste esse probaretur & confirmaretur. Est igitur fallacia quoque A non causa vt causa. Helisæus iam moriturus vaticinatur de victoria Israelitarum contra Syros, si pœnitentiam agant. Cumque anno proximo mortem eius sequente Moabitarum exercitus in fines Israelitarum irrueret, Deus peculiari & extra ordinario Miraculo confirmare volens veritatem huius vaticinij, per attactũ ossium eius,*

Digitized by Google

mortuum hominem ad vitam reuocauit. Et hoc est, quod Ecclesiastici 48. cap. dicitur, corpus Helisæi post mortem prophetâsse*: Neque dicit Scriptura, mortuum illum ex destinata ad Helisæi sepulchrum deportatum fuisse, vt contactu ossium eius suscitaretur, quasi tunc in more habuerit populus Dei, concurrendi ad sepulchra mortuorum, vt opem & auxilium apud ossa eorum quærerent. Sed Spiritus sanctus dicit, inopinato casu mortuum illum in Helisæi sepulchrum projectum, cùm quidem vellent sepelire hominem, & superuenientibus hostibus, non haberent tempus faciendi sepulchrum, ne cadauer insepultum hostium libidini expositum esset, aperuerunt sepulchrum proximum Helisæi, & in illud non deposuerunt, nec enim tantùm temporis habebant, sed projecerunt in id mortuum suum, qui delapsus ossa Prophetæ attigit & reuixit, vt hoc miraculo Deus Israelitis in memoriam reuocaret Prophetiam Helisæi, ne timerent Moabitarum irruptiones, si modò Deum verò colerent.*

Corpus Helisæi quomodo post mortem prophetârit.

Quartum *Exemplum citat ex quarto Regum vigesimo tertio capite.* Cùm Iosias, *inquit*, delubra idolorum euerteret, & omnem Idololatriam delere vellet, tantùm abest, vt Reliquias Sanctorum delendas esse existimaret, vt cùm aliorum mortuorum ossa effodisset, & in cineres redegisset, ossa tamen S. Prophetæ ibidem reperta asseruari iussit. *Respondeo, Iesuita hic rursus pro paribus sumit, quæ sunt imparia. Ossa Prophetæ non in Altari ad cultum prostabant, vt hodiè Pontificiorum Reliquiæ sed terrâ condita ac sepulta erant. Ea non vult Rex Iosias erui aut effodi, & thecis inclusa Hierosolymam vehi, quod his verbis innuere, eoque simplicioribus insidias struere velle videtur Iesuita,* Ossa Prophetæ reperta asseruari iussit; *sed intacta suo loco relinqui. Igitur contra Bellarminum & Pontificios, non pro eis facit hoc argumentum. Docet enim sanctorum Dei seruorum cadauera & ossa non quidem inhumata abjicienda, sed nec aureis thecis ad Cultum & Venerationem proponenda, verùm humo potius mandanda, & sepulta relinquenda esse: quod Pontificij non faciunt.*

Iosias Rex ossa Prophetæ asseruare iussit.

Quintum *Exemplum est ex Isaia* 11. *cap. vbi Propheta dicit*, Sepulchrum Christi fore gloriosum. *Hinc colligit Iesuita* Sepulchrum Christi, & reliquias Sanctorum honorandas esse. *Respondeo, corrumpit hic Iesuita locum Prophetæ ex ignoratione linguæ Hebrææ. Non enim Isaias hic vtitur voci* Scheol, *quæ Sepulchrum significat: sed* Menuchat, *quæ sedem & locum significat, in quo cum animi oblectatione versamur. Sic etiam hunc locum intellexerunt 70. Interpres, qui eum sic verterunt,* καὶ ἔσαι ἡ ἀνάπαυσις ἡ τιμή: & erit requies ejus gloria.

Locus Isaiæ 11. explicatur.

Sextum *& vltimum Exemplum petit ex nouo Testamento.* Mulier, *inquit*, hæmorroissa solam fimbriam Christi fideliter tetigit, & sanata est: *Matth.* 9. Neque Act. 5. sunt reprehensi populi, qui certatim ad vmbram Petri eo modo, quo poterant, attingendam occurrebant: & tamen quæ Reliquiæ viliores ipsâ vmbrâ cogitari possunt? Neque habiti sunt Act. 19. superstitiosi, qui Pauli Sudaria, & Semicinctia deferebant ad ægrotos. *Respondeo,* Primò, *Christus optimus horum Miraculorum interpres, & ad Iesuitæ argumentum respondens est. Nam ipse virtuti suæ diuinæ absolutè tribuit, quod fimbriæ vestis Christi Iesuita simpliciter adscribit. Inquit enim,* Tetigit me aliquis: nam & ego sensi virtutem EX ME (*non ex veste*) exiisse. *Ita etiam nihil vel Petro eiusque vmbræ, vel Paulo ejusque Sudarijs & Semicinctiis tribuendum esse, ex Petri concione intelligitur, quæ Act. 3. descripta est, & cuius paulò ante quoque meminimus: sed omnes illæ virtutes Christi fuerunt, qui per Apostolos ceu instrumenta ista omnia operatus est. Quod si verò ideò vel Apostolos, vel eorum sudaria, vmbram & semicinctia per quæ hæc operatus est Deus, religiosè colere deberemus, vt Pontificij sentiunt, rectè fecissent olim Ethnici, qui Solem, Lunam, Sydera & alia adorârunt & coluerunt, quòd Deus per ea ingentia beneficia hominibus præstat.*

De fimbria vestis Christi, vmbra Petri & Sudariis Pauli.

Adhæc *non valet ista consequentia*, Quæ Deus per Sanctos suos in præsenti vita operatus est, eadem etiam per eorum corpora, ossa, aliasque Reliquias, post mortem ipsorum quoque faciet. *Vsus est eorum opera & Ministerio in hac vita ad propagandum verbum suum & fidem Christianam, & addidit expressas promissiones de signis sequentibus, Mar. 16. Illo Ministerio defuncti sunt in hac vita, & obdormierunt.*

Denique *hoc Pontificiorum argumentum, est Petitio Principij. Præsupponunt enim eos, qui hæc fecerunt cum Fimbria Christi, vmbra Petri & Sudariis ac Semicinctiis Pauli rectè fecisse, & propterea à Deo exauditos ac sanatos esse. Sed falsum hoc est. Non enim factum hoc, sed fidem illorum respexit Deus, & sanauit eos, quòd in eum credebant, quem Paulus & Petrus annunciabant: Modum autem, quem illi obseruârunt & sequuti sunt, non probauit, quia virtutem & potentiam Dei externis illis rebus alligârunt. Idcirco hæmorroissæ inquit,* Fides tua, *quasi diceret non modus quem sequeris,* te seruauit. At, *inquit Bellarminus*, non dicuntur propterea reprehensi fuisse: *Respondeo, Ita sanè: Sed nec modus & mendacium, quo vsæ sunt obstetrices Ægyptiacæ Exod. 1. c. reprehenditur in Scriptura, non tamen placuit Deo, licet earum studium erga Israëlitas probaret.*

Frustrà igitur quærit Baronius tom. 1. Annal. pag. 427. penes quos Catholica veritas sit: an apud eos qui ex Euangelistarũ præscripto, Domini

Baronij vanitas.

& Pau-

& Pauli auctoritate, Hamorroissa & aliorum exemplo, Sanctorum Reliquias, vt aliquam inde salutem hauriant, quo decet cultu & honore prosequuntur? an apud eos, qui eas, vt Dæmones, detestantur? Inde exclamans, O quàm profundo, *inquit*, barathro, obscurissimâ offusi caligine, detinentur, qui hæc tam patientia, ac toto cœlo perspicua non intelligunt. An fortasse quæ sunt diuinitùs concessa Orariis ac Semicinctiis, eadem negauerimus Pauli ossibus attributa? vel hæc omnia Paulo priuatim, & non cæteris sanctis omnibus communicata dixerimus? *&c.*

Bellarminus à Scriptura ad humana præsidia confugit. SECVNDO, *quia Bellarminus in Scriptura & verbo Dei non multùm sibi præsidij positum videt, totam hanc controuersiam à Scripturæ norma, ad veteres consuetudines ac ritus, Conciliorum decreta, & Patrum scripta transferre conatur. Periculosum est autem in Religione homines sequi, qui decipi, errare ac labi possunt. Vnde etiam Cyprianus dixit*, Non videndum est, quid aliqui ante nos fecerint: sed quid ille, qui ante omnes est, in suo verbo nobis faciendum præscripserit & præmonstrârit. Neque enim hominum consuetudinem, sed Dei veritatem sequimur. *Nec hominum vel priuata, vel publica deuotiones, sed sola Sacra Scriptura Canon, regula & norma esse debet Dogmatum & Cultuum in Ecclesia.* Quicquid ergo in Patrum scriptis, & in antiquis consuetudinibus cum hoc Canone congruit, cum laude eorum recipimus, *inquit Augustinus*: quicquid verò ab hac regula dissentit, cum pace eorum, saluâ honorificentiâ, quæ talibus debetur viris respuimus.

Bellarminus Reliquiarum Cultum ex Conciliis probat. *Quia tamen magna meritò est & esse debet antiquitatis authoritas & reuerentia, videamus primò, quid ex Conciliis veteribus pro defensione religioso Cultu Reliquiarum Iesuita proferat. Vbi primò notandum, illum nullum prorsus adducere, quod primis trecentis annis post Christi Ascensionem celebratum est, quod satis magno argumento est, Pontificios veræ antiquitatis authoritate destitui:*

Concilium Nicænum 2. Primum *Concilium quod citat, est* Nicænum 2. *celebratum anno Christi demùm* 788. *Hoc Concilium actione* 3. *vocat* Reliquias, fontes, salutares, *inquit Bellarminus*, quibus Deus multa beneficia hominibus præstat: *Et act.* 7. *in vltima definitione* jubet deponi Clericum, & Laicum excommunicari, qui Reliquias Martyrum contemnit, & non, vt rem Sacram, cum honore tractat. *Respondeo, Concilium hoc nullius prorsus authoritatis esse debere, vtpote manifestè idololatricum. Cùm enim Irene Imperatrix Constantinopolitana Orthodoxos fraude armis priuâsset, & plurimos eorum in exilium expulisset, seque muniisset exercitu ad omnia parato & obedienti, juxta consilium legatorum Romani Pontificis, quos apud se retinuerat: legatis & literis Niceæ indicit Concilium hoc. Ad eam ergo vrbem dicto anno confluit magna multitudo idololatricorum Episcoporum, Abbatum & Monachorum circiter* 350. *vt Sigibertus refert. Ac facilè fuit, remotis contradicentibus & veritatis assertoribus, consensionem in errore ac superstitione in hoc Concilio institui. Non autem ita multò post Constantinus Imperator ipse filius Irenes decreta huius Concilij abrogauit, vt Platina & Bergonensis lib.* 10. *indicant: Eginardus quoque ea neruoso scripto refutauit. Francofurtensis etiam Synodus anno* 794. *iuxta Regionem lib.* 2. *& Lupoldum apud Irenicum lib.* 11. *Concilium hoc Nicenum* 2. *damnat, & nec septimum nec vniuersale, vt Pontifex Romanus Adrianus appellauerat, dici debere decernit: Aliquot etiam libris Græcam hanc Synodum refutat, qui Carolo M. adscribuntur: vt testatur Eginardus in vita Caroli M. apud Erdfordiensem, cap.* 69. *Regino lib.* 2. *Adon ætate* 6. *Annales Francorum:* *Annonius lib.* 4. *cap.* 85. *de gestis Francorum: Blondus dec.* 2. *libro* 1. *Auentinus lib.* 4. *Annal. Mutius lib.* 9. *De hac etiam Synodo Hincmarus Remorum Episcopus cap.* 20. *libri sui contra Iandunensem Episcopum sic inter alia scribit:* Generalis Synodus in Francia, conuocante Imperatore Carolo celebrata est, & secundum Scripturarum tramitem, traditionemque majorum, ipsa Græcorum Pseudosynodus destructa & penitùs abdicata. De cujus destructione non modicum volumen, quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum. *Ex eius voluminis lib.* 4. *hæc inter alia refert:* Omne quod Ecclesiasticum est, Catholicum est. Et omne quod Catholicum est, vniuersale est. Omne autem quod vniuersale est, prophanis vocum nouitatibus caret. Omne igitur quod Ecclesiasticum est, prophanis vocum nouitatibus caret. Et si hæc Synodus vocum nouitatibus careret, ac antiquorum Patrum dogmatibus contenta esset, Vniuersalis dici poterat. Non autem antiquorum Patrum dogmatibus contenta est, non igitur Vniuersalis dici potest. Vniuersalem planè eandem Synodum non cunctaremur profiteri, nisi eam vniuersalis Ecclesiæ dogmatibus sentiremus refragari.

Hincmarus Remensis Episcop. de Synodo Nicæna 2.

Alterum *Concilium, quod citat Iesuita*, Gangrense *est, celebratum sub Constantino Magno ante annos* 1200. Id, *inquit Bellarminus*, anathema dicit iis, qui Memorias Martyrum, id est, loca vbi sunt Martyrum reliquiæ, execrantur. Eustathiani enim, contra quos coactum fuit Concilium, nolebant ingredi Martyrum Basilicas, nec corpora Martyrum, quæ ipsi immunda putabant, venerari viderentur. *Respondeo, decreuit hoc quidem Synodus illa, sic enim ha-* Gangrensis Synodus.

bent verba eius: Si quis per superbiam, tanquam perfectum se existimans, Conuentus, qui ad Memorias Martyrum fiunt, abominatur, & Ministeria, quæ in eis fiunt, simul cum eorum Memoriis execratur, anathema fit. *Atque hinc sumptum existimo, quod in libello de dogmatibus Ecclesiasticis capite 73. scribitur:* Sanctorum corpora, & præcipuè Beatorum Martyrum Reliquias, tanquam Christi membra, syncerissimè honoranda, & Basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta diuino Cultui mancipata, affectu piissimo & deuotione fidelissimâ adeundas credimos, &c. *Sed falsum est, quod huic Canoni Gangrensi Bellarminus, sicut ante eum quoque Lindanus, affingunt, quòd damnet eos, qui eo religioso Cultu non venerentur ossa & Reliquias Sanctorum, de quo hodiè Pontificij dimicant. Illis enim temporibus hæ superstitiones nondum inuaserant Ecclesiam. Et Acta Gangrensis Synodi, in Præfatione & Conclusione, causam disertis verbis exponunt. In Præfatione enim Patres Gangrenses dicunt,* quosdam priuata conuenticula in ædibus celebrare, & loca sanctorum Martyrum contemnere, & eos, qui illic conueniunt, reprehendere. *In Conclusione autem sententiam suam his verbis explicant:* Nos domos Dei honoramus, & Conuentus, qui in his fiunt, tanquam sanctos & vtiles suscipimus, pietatem in priuatis ædibus non claudentes: sed omnem locum in nomine Dei ædificatum honoramus, & congregationem sanctam in Ecclesia ad vtilitatem communem factam recipimus. *De religioso cultu Reliquiarum in his omnibus ne verbum quidem habes. Tantùm, vt summatim dicam, eorum solùm superbiam coërcet Synodus, qui Conuentus Ecclesiasticos, ad Memorias Martyrum, & loca, vbi sepulti erant Martyres, insolenter contemnebant.*

Depravatio Gãgrensis Canonis.

Tertium *Concilium est* Carthaginense 5. *anno Christi* 438. *celebratum.* Id jubet, *inquit Bellarminus* cap. 14. vt nulla Altaria, vel Memoriæ Martyrom dedicentur; nisi ibi sint aliquæ Martyrum Reliquiæ: & aliter dedicata euertantur: vel populus admoneatur, ne ea loca frequentet, ne superstitione aliquâ teneatur, si colat videlicet quasi Martyris sepulchrum, vbi reuera non est corpus Martyris. *Respondeo, Iesuita huic Canoni affingit id, in quo cardo controuersia vertitur: nempe,* Ne superstitione aliqua teneatur populus, si colat quasi Martyris sepulchrum, vbi reuera non est corpus Martyris. *Ex his enim verbis hanc suam consequentiam colligit Iesuita:* Si est superstitio colere pro Martyris corpore, id quod non est reuera tale: Religio igitur erit corpus veri Martyris colere: Religio enim & superstitio opponuntur. *Hæc verba autem in vero Canone non leguntur: Sic enim habet:* Placuit, vt altaria, quæ passim per agros aut vias, tanquam Memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut Reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui iisdem locis præsunt, si fieri potest, euertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non finitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, vt qui rectè sapiunt, nullâ ibi superstitione deuincti teneantur. Et omninò nulla Memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ Reliquiæ sint, aut ibi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissimâ origine traditur. Nam quæ per somnia & per inanes quasi reuelationes quorumlibet hominum vbique constituuntur Altaria, omnimodè reprobentur. *Sic etiam hic Canon legitur de Consec. dist. Vt altaria. Voluerunt Patres hoc Canone nascenti Idololatriæ occurrere, quæ fiebat, vt vbiuis locorum Memorias Martyrum, & altaria erigerent. Hoc inhibere valens Concilium Carthaginense, decreuit, ne omninò vlla deinceps Memoria Martyrum acceptetur, nisi certò constet, corpus alicuius Martyris ibi esse, vel Martyrum eo loco passum esse, eaque loca frequentari vult. Vt autem colantur corpora vel Reliquiæ Sanctorum, eo modo, quo Bellarminus hoc suo assumento probare contendit, falsissimum est.*

Carthaginense 5 Concilium.

Depravatio Carthaginensis Canonis.

Quartum *Concilium est* Braccarense 3. *anno Domini* 674. *habitum. In eo sancitur,* Ne Episcopi in solennitatibus Martyrum ad Ecclesiam progressuri, Reliquias collo suo imponant, vt majoris fastûs apud homines gloria intumescant, quasi ipsi sint Reliquiarum arca: Leuitæ autem albas induti, in sellulis eos deportent: Sed vt arcam cum Reliquiis, non Episcopi, sed Leuitæ in humeris gestent. *Respondeo, Concilium hoc celebratum esse eo tempore, quo Reliquiarum vsus passim inualuit. Deinde hoc decretum ad imitationem Iudaismi factum est, vt Concilium ipsum fatetur.*

Bracarensis Synodus.

Quintum *est* Epaunense, *quod decreuit Can.* 35. Ne sanctorom Reliquiæ in Oratoriis villaribus ponantur, nisi forsan Clericos cujuscunque parochiæ vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentiâ famulentur. *Respondeo, celebratum hoc esse Concilium anno Christi* 494. *sub Gelasio I. & ideò non mirum, si superstitiones & idololatriam promouit.*

Epaunensis Synodus.

Sextum *sub Carolo Magno Imperatore* Moguntiæ *celebratum, nihil habet de religioso Cultu Reliquiarum, sed vetat patrùs,* ne sine magna & graui causa corpora sanctorum eruantur & transferantur, & quidem non sine con-

Moguntinensis Synodus.

consilio Episcopi, & licentia Synodi.

Lateranensis Synodus.

Septimum *Concilium, quod Iesuita citat, est* Lateranense*: & decreuit*, ne nouæ Reliquiæ, sine authoritate Romani Pontificis recipiantur: *Respondeo, Concilium hoc est celebratum anno Christi* 1215. *quando omnis generis Idololatriæ, errores & superstitiones horribiles in Ecclesia approbatæ & receptæ erant, quod etiam ex decretis eius apparet.*

Bellarminus Patrum authoritate pro tuendo cultu Reliquiarū vtitur.

TERTIVM *argumentum pro religioso Cultu Reliquiarum sumit Bellarminus ab Authoritate Patrum: & quidem magnum eorum Catalogum attexit. Respondeo* primò *in genere: In toto illo Catalogo nullus reperitur Pater, qui primis trecentis à nato Christo annis vixit: vnde rursus apparet, toto illo temporis spacio errorem illum in cognitum fuisse, qui post ea secula in Ecclesiam paulatim irrepsit. Deinde respondeo ex Hieronymo*: Quicquid absque Dei verbo scripto in Religionis negotio asseritur, tam facilè à nobis contemnitur & negligitur, quàm facilè ab alio affirmatur: Nam fidei Christianæ fundamentum vnicum est verbum Dei scriptum: *& proinde totum hoc Iesuitæ argumentum fallacia, A non causa, vt causa.*

Secundò *in specie ad hoc argumentum respondeo, plerósque ex his ipsis Patribus, quos citat Iesuita, Cultum illum religiosum Reliquiarum, qui hodiè in Papatu est, & pro quo solo Bellarminus cum Socijs dimicat, nequaquam probare, imò ne mentionem quidem eius facere.*

Eusebius non patrocinatur Reliquiis.

Ex horum numero est Eusebius, *quem Iesuita primo loco ponit.* Is, *inquit Bellarminus*, de sede lignea S. Iacobi sic scribit libro 7. capite 15. Seruatur cum ingenti studio, velut à majoribus tradita memoria sanctitatis, & cum magna veneratione habetur. *Respondeo, Iesuitam hic crimen falsi committere: Græca enim verba Eusebij, sic de verbo ad verbum Latinè habent*: Sedem Iacobi Apostoli, ad hoc vsque temporis seruatam, fratres istic, qui successione ordinariâ subsequuti sunt, omnibus manifestè monstrant, sicut circa sanctos viros, pietatis gratiâ, cùm veteres, tum & præsentes, COMPETENTEM honorem seruârunt, & hodiè quoque seruant. *Vbi nihil prorsus de religioso Cultu Sedis illius dicitur.*

Crimen falsi cōmittit Bellarminus.

Athanasius non facit pro Reliquiis.

Athanasius *in vita Antonii scribit*, Legatarium in Antonii Pallio amplexum esse Antonium, & per vestimentum recordatum esse Imaginem sanctitatis Antonii. *De eodem Antonio Hieronymus in vita Pauli Eremitæ scribit*, cùm Pauli tunicam ex foliis palmarum contextam Antonius adeptus esset, ob Pauli reuerentiam, induere solitum illam in diebus tantùm solennibus. *Quid hoc ad religiosum Cultum tunicæ Pauli, & pallii Antonij?*

Eusebius Emissenus.

Eusebius Emissenus *dicit*, venerationem deferendam esse sacris Martyrum corporibus. *Hoc nihil ad religiosum eorum Cultum pertinet: nam & nos venerationem & honorem competentem illis non negamus deferendum.*

Theodoretus.

Theodoretus *loquitur de Miraculis apud sepulchra Martyrum, in primitiua Ecclesia, ad confirmandam doctrinam eorum editis: de quibus paulò pòst plura.*

Ambrosius.

Ambrosius *scribit de honore simpliciter, quo Martyrum corpora & cineres affici debeant: Sed neque nos honorem illis debitum improbamus.*

Gaudentius.

Gaudentius *Episcopus Brixianus scribit*, Deum tribuisse, vt venerandas Sanctorum Reliquias haberent: eundemque largitum esse, vt honori eorum Basilicam fundare valerent. *Hoc nihil ad rem pertinet. Et Gaudentium Reliquiarum Cultum religiosum improbâsse, supra demonstrauimus.*

Chrysost. &c.

Chrysostomus, Paulinus, Prudentius *& alij dicunt*, Romam excellere omnibus vrbibus, & primam vel celeberrimam omnium vrbium esse propter corpora Apostolorum. *Hoc verò Cultum religiosum Martyrum non probat. Telmesus in Caria cæteris vrbibus omnibus excelluit aruspicum disciplinâ, vt Cicero de Diuinatione testatur, nemo tamen propterea aruspicibus illis Cultum aliquem exhibuit religiosum.*

Hieronymus.

Hieronymus *ad Marcellam, inter alia bona quæ sunt in Palæstina, hoc etiam numerat*, quòd possint ibi adorari sacri cineres Ioannis Baptistæ. *Est hæc dura phrasis Hieronymi: Nam Adorationem Reliquiarum ne Bellarminus quidem probat, vt supra indicatum est.*

Hieronymi certamen cū Vigilantio de Reliquiis.

Idem Hieronymus, *inquit Bellarminus*, Vigilantium hæreticum appellauit, quòd Sanctorum Reliquias vilissimum puluerem vocauit, doluitque Martyrum Reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proijci in sterquilinium. *Ex quibus autem Bellarmino, deducit ista Hieronymus sententiis Vigilantii? ex his duabus, vt est videre capite secundo contra Vigilantium*: Quid necesse est, *inquit Vigilantius*, te tanto honore, non solùm honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, in modico vasculo transferendo colis? Propè ritum Gentilium videmus sub prætextu Religionis introductum in Ecclesias, Sole adhuc fulgente moles cereorum accendi, & vbicunque puluisculum nescio quod, in modico vasculo pretioso linteamine circundatum, osculantes adorare. *In his verbis, quoniam illud, cui honorem cultûs & adorationis haberi queritur Vigilantius, appellat*, nescio quid, *&*, puluisculum nescio quod: *idcirco Hieronymus, non affirmat quidem eum Reliquias Sanctorum appellare* puluerem vilissimum, *sed perinde exagitat, ac si ita appellâsset.*

Quia

Quia verò dicit, puluifculum pretiofo velamine circundatum: *Hieronymus ex eo infert*, eum dolere Martyrum Reliquias pretiofo operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proijci in fterquilinium. *Verùm his afperis & folerte verborum alienorum interprete concinnatis, repugnant non obfcurè verba Vigilantij. Is enim interrogans fuperftitiofum Reliquiorum cultorem.* Cur honore tanto, non folùm coleret, fed etiam adoraret illud nefcio quid? *fatis clarè indicat, fibi difplicere, non quòd honorarentur Martyrum Reliquiæ, fed quòd* tanto, *id eft, nimio honore adorarentur: Et hoc eft illud folùm, quod etiam nos hodiè reprehendimus. Itaque hoc ex parte etiam idem prorfùs cum Hieronymo fentit Vigilantius: qui Epiftola* 53. *ad Riparium*, Reliquias Martyrum adorandas *negans*, fe honorare eas *dicit. Non igitur honeftam commemorationem, aut honorificam fepulturam, qualis Stephano contigit, eorum corporibus, quos* beatiffimos Martyres *vocat, denegauit: fed nimium* & illis non competentem honorem, *illis tanquam Ethnicis Dijs tributum, aptâ* puluifculi *appellatione, quâ non tantùm mortui, fed etiam viui homines ab Ifaia* 40. *c. notantur rectè minuendum cenfuit Vigilantius. Neque Ouidius vllâ fe contumeliâ Achillis Reliquias afficere putauit, quum de Metamorph: lib.* 12. *fic cecinit:*

Iam cinis eft, & de tam magno reftat Achille
Nefcio quid, paruam quod non benè compleat vrnam.

fed eas cum Achille ipfo collatas perexiguæ exiftimationis effe, hac loquendi formâ fignificare voluit. Quantò rectius hoc aptauit Vigilantius ad Reliquias Martyrum collatas cum Deo, cuius Cultum illis deferri indignabatur? Præfertim quum fciret, aneum ferpentem, opus Mofis, typum Chrifti, quum itidem coleretur Nehuftam *vocari: quæ dictio non minorem contemptum fignificat. quàm* Nefcio quid, *aut* puluifculum. *Quod fi non putâffet Martyrum Reliquias pretiofo velamine tegendas, quum fepeliuntur: nequaquam tamen cenfuiffet, ficut infert fophifticè Hieronymus, eas vel pannis vel cilicio colligandas, vel in fterquilinium abijciendas effe. Chrifti enim corpus fepultum eft in horto, non in fterquilinio: neque colligatum cilicio, vel pannis, fed inuolutum mundâ findone, linteifque obuinctum: & tamen hæc fuerant tam parui pretij, Hieronymo tefte in Comment. in Matth.* 27. *cap. vt fimplex eius fepultura condemnet, ambitionem diuitum, qui nec in tumulis quidem poffunt carere pretiofis linteis. Verùm Reliquias pretiofo velamine tectas, adorari; non fepeliri, fed in modico vafculo transferendo adorari & coli, Vigilantius improbauit: & quod vix Reliquiis Thefei aut Demetrii factum eft à Græcis, id à Chriftianis Gentilium propè ritu, puluifculo nefcio cui fub religionis prætextu fieri prohibuit. Laudandus igitur eft potius ob pietatem erga Deum, quàm impietatis in Sanctos accufandus Vigilantius, quòd Reliquias eorum tanto honore adorari noluit. Hæc paulò prolixius de loco Hieronymi contra Vigilantium annotare volui, quem Bellarminus citat, vt intelligatur, quid de eo, adeóque tota Hieronymi difputatione illa fentiendum fit.*

Ruffinus. Ruffinus *nihil aliud fcribit*, quàm fideles nonnullos, inter Ethnicos, qui offa Ioannis Baptiftæ ad exurendum collegerunt, mixtos, quædam illorum furtim fubtraxiffe, & ad Philippum Hierofolymitanum Epifcopum detuliffe, qui Athanafio ea miferit. *De cultu illorum religiofo ne verbum quidem habet.*

Auguftinus. Auguftinus *Reliquias Sancti Stephani* conuenienter honorandas *monet. Ergo non vult, vt adoratione, vel alio modo ipfis non conuenienter feu competente honorentur. Et quid de tota hac caufa Auguftinus iudicet vel fentiat, fuprà à nobis indicatum eft.*

Auctor libri de Ecclef. dogm. Auctor libri de Ecclefiafticis dogmatibus *dicit*, Reliquias Martyrum fynceriffimè honorandas effe: *hoc etiam nos docemus: negamus autem eas adorandas, vel alio modo Cultu religiofo honorandas.*

Leo Papa *fcribit*, In honorem tranfiiffe triumphi, etiam inftrumenta fupplicii. *Quid obfecro hæc verba iuuant Bellarminum, eiúfque caufam?*

Vt fummatim dicam, Omnia Concilia, & Omnes Patres à Bellarmino adducti, hoc tantùm volunt, honorem offibus Sanctorum, & eorum Reliquiis deferendum effe. *Nullus autem Orthodoxorum hodiè negat hoc. Illud faltem negamus, talem honorem illis exhibendum effe, qualem hodiè exhibent ôis Pontificij: neque ex Patribus hoc demonftrari & probari poteft.*

Diffimulari tamen non poteft, has & fimiles phrafes ac fententias Patrum, fine Scripturæ teftimonio, & abfque vetuftiffimæ Ecclefiæ exemplis vfurpatas, fequentibus temporibus fuperftitioni non modicam occafionem dediffe.

Rhetoricationes Patrum quorundam de Reliquiis. *Aliorum autem Patrum dicta & fententias, quas adducit Bellarminus, fi non concedat Rhetoricationes & orationis flofculos effe, quibus frequentiffimè aliqui eorum vfi funt, fatendum & concedendum omninò erit, eas manifeftam blafphemiam in Deum continere, & Idololatriam ftabilire.* Bafilius. Bafilius *enim fcribit*, Qui contingat offa Martyris, eum quandam fanctificationis focietatem affumere, ex gratia corpori infidente. *Item*, Regionem adminiftratores effe, & veluti turres quafdam cohærentes fecuritatem ab hoftium incurfu exhibere. Nyffenus. Gregorius Nyffenus *dicit*, Conditorii, in quo Martyris corpus quiefcit,

con-

contrectationem, multos sanctificationem & benedictionem credere esse. Georgius Nazianzenus *inquit*, Martyrum vel sola corpora idem posse, quod animæ eorum sanctæ possint, *&c.* Chrysostomus *hæc scribit:* Sæpius Martyres invisamus, tumulos adoremus, magnaque fide Reliqulas eorum contingamus, vt inde benedictionem aliquam assequamur. *Huius generis superstitionem semina plura apud hos aliósque Patres inueniuntur, quæ omnia ne ab ipsis quidem Pontificiis probantur. Augustinus tamen illud Basilij, de gratia & virtute diuina insidente Reliquiis Sanctorum, ita conatur tollere, vt disputet,* Deum vbicunque vult, quando & quomodo vult, per Angelorum ministeria, talia Miracula apud sepulchra Martyrum posse edere.

Nazianzenus.

Chrysostomus.

Augustinus corrigit Basilium.

Ex his omnibus iam intelligitur, quàm futilia sint quæ Baronius Tomo quinto, Annal. pag. 248. *de Patrum consensu scribit quod ad Reliquiarum Cultum & Venerationem religiosam attinet.* Quis putet, *inquit*, hominem adeò posse reperiri vecordem, fatuum, mente captum, delirumque vel furiosum, qui eò insaniæ atque furoris se præcipitem ferre sinat, vt sanctis Patribus omnibus posthabitis atque spretis, in vno putârit Vigilantio inesse veram Ecclesiam, & quam sequatur, Catholicam veritatem? Certè quidem quàm paucissimos Vigilantius habuit sectatores, eosdemque absque propagatione posteritatis vnà cum hæresiarcha simul exstinctos, siue ijdem sic malè seducti, jam facti mentis compotes resipuerint. Ac quid de illis dicendum sit, quis mente concipiat, qui post duodecim fermè decursa secula, morem Ecclesiæ, Patrum traditione & doctrinâ semper assertum ac propagatum, explodendum esse, damnatam verò ac improbatam, illusam, derisam, atque proscriptam hæresin Vigilantii putauerint esse recipiendam, tuendam, atque in omnibus amplexandam? Tales planè phreneticos atque phanaticos Ecclesia nostri temporis patitur: quos ita cognitos sequi, quid aliud est, quàm se à Deo penitùs derelictos esse, & in erroris operationem prorsus esse traditos intelligere?

Baronius futiliter iactat consensum Patrum de cultu Reliquiarum.

Ergo annula secula superstitio hæc in Ecclesia incognita fuit. Ergo hæc superstitio S. Scripturæ testimonio caret.

QVARTO & QVINTO, *probat Bellarminus religiosum Cultum Reliquiarum*, ex Miraculis *factis ad Reliquias*, quæ certè, *inquit*, non fierent, si Deo Cultus Reliquiarum non placeret. *Argumentum sic formari potest.*

Ad quas res fiunt Miracula, earum Cultus religiosus probatur Deo:
Sed ad Reliquias Martyrum fiunt Miracula.
Ergo
Cultus religiosus Reliquiarum probatur Deo.

Negatur Maior. Et est fallacia A non causa vt causa. Non enim facta sunt à Deo illa Miracula apud Reliquias Martyrum, vt earum Cultum religiosum probaret: sed potius vt fidem & doctrinam eorum Martyrum confirmaret, ad quorum Reliquias illa Miracula edidit. Sic Augustinus de Ciuit. Dei lib. 10. *c.* 10. *scribit,* Miracula facta esse ad commendandum vnius Dei cultum. *Et Beda lib.* 1. *in Marcum capite* 1. Adhuc, *inquit*, fiebant signa; quæ vel ipse Dominus in assumpto homine faciebat, vel discipulis facere dedit, vt per hæc Euangelio regni Dei quod prædicabatur, certius crederetur.

Miracula cur apud Reliquias edita.

Huc pertinent vera illa Miracula, *quorum cùm alii Patres meminerunt, tum etiam Augustinus de Ciuit. Dei lib.* 22 *cap.* 8. *Cùm enim in primordio Christianæ religionis, Gentilismus; & progressu temporis, Ariana quoque hæresis contra diuinitatem Christi longè lateque, & quidem cum potentia in ipsis Imperatorum aulis grassaretur, apud nonnullorum Martyrum sepulchra & Reliquias Miracula quædam sanationum & similia edita sunt, ad testificandam & confirmandam fidem illam, pro cuius confessione Martyres sanguinem suum effuderant.*

Hæc autem ipsa Miracula AVGVSTINVS *fatetur*, pleraque talia esse, quæ non tanta commendet authoritas, vt sine difficultate aut dubitatione credi possint. *Imò de causa efficiente, seu authore horum Miraculorum quæ fiebant ad Memorias & Reliquias Martyrum, sic variè & dubiè idem Pater disputat, vt quid ipse senserit vix intelligi possit. Nam libro* 22. *de Ciuit. Dei capite* 10. Faciunt, *inquit*, hæc Martyres, vel potius Deus, vel orantibus, vel cooperantibus illis, vt fides confirmetur, quâ eos non Deos esse nostros, sed vnum Deum habere nobiscum credamus. *Et cap.* 19. Siue Deus ipse per seipsum hæc operetur, siue per suos ministros: siue quædam faciat etiam per Martyrum Spiritus, siue omnia ista per angelos operetur, vt quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant: siue alia fiant istis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus possunt, &c. *Idem De cura pro mortuis, cap.*16. An Martyres ipsi præsentes sint, quando ad Memorias ipsorum Miracula fiunt: an verò Deus per Ministeria angelorum opituletur, & Martyres generaliter orantes audiat: res hæc altior est, quàm vt à me possit attingi: & abstrusior, quàm vt à me valeat perscrutari.

Augustinus de Miraculis.

A posterioribus verò scriptoribus multa Miracula his veris adiecta & immixta sunt, quæ fabulis quàm veris miraculis similiora sunt. Vt quòd de Chrysostomo scribit Nicephorus, nugarum & fabularum plenus, cùm Imperator Theodosius misisset, qui corpus ejus effoderent,

Recentiores authores multa Miracula falsa veris addiderunt.

Digitized by Google

derent, & inde transferrent, tumulum primùm se prorsus immobilem præstitisse, donec per literas Martyri supplicatus sit Imperator, vt se inde abduci pateretur: quod & postea factum sit. *Ibidem verò præter alia, quæ falsa absque dubio sunt, & hoc refertur esse factum*: quòd cadauer in thronum collocatum à morte ejus anno 35. aperto ore benedixerit populo: *lib. 14. capite 43. Translationis meminit etiam Socrates lib. 7. cap. 45. de tumulo autem, & literis supplicibus, deque benedictione Chrysostomi quæ nugatur Nicephorus, ne gry quidem habet Socrates. Vuernerus in Fasciculo temporum nugatur*, caput Ioannis Baptistæ in Aquitaniam deportatum, amicos Pipini in bello infectos resuscitâsse. *Ranulphus refert lib 6. capite* 2. Ciues Carnetenses Camisiam Mariæ, per Carolum Caluum eò Constantinopoli translatam, loco vexilli de muro suspendisse, eamque Rollonem Danum cum suo exercitu cæcitate percussisse, indeque abegisse. *De translatione Firmini Ambianensis Episcopi Vincentius nugacissimus in Spec. Hist. lib. 17. cap 91. ita scribit*: Vt sanctus Præsul & religiosi Sacerdotes Firminum Martyrem à sepulchro leuarent, cùm esset hyems & glacialis asperitas, scilicet Id. Ian. tam calidus feruor mundum invasit, vt illi qui aderant stupefacti, totum mundum æstimarent ab imminentia caloris dissolui, & ad nihilum redigi. Etenim Sol in Cancrum contra naturam flamigeris invectus quadrigis æstiuali feruore nimietatem frigoris in vno momento dissoluit, idemque calor penè trium horarum spatio mansit. Dum autem sanctum Martyrem populi deferentes ad vrbem iter acciperent, occurrentes cateruæ plurimæ, vestimenta sua in via sternebant, & clamabant, Osanna in excelsis: & subitò respicientes viderunt omnes arbores florum amœnitate vernantes ac suauiter redolentes, quasi vt propè jam formatum fructum depromerent. Cacumina verò arborum cum fructibus assiduè gliscentibus submissa astabant, & inclinando (*hunc honorem arbores Prophetis & Apostolis, imò ne Dei quidem Filio vnquam exhibuerunt*) obsequium in aduentu præclari Martyris præbebant. Omnis autem plebs admirans confestim frondes cum floribus de arboribus euellebat, & in via humili deuotione pendebat. Omnia quoque prata & campi circumquaque Ambianis in momento plena fuerunt rosis & liliis, ac diuersis generibus olerum & florum. Quotquot autem infirmi obuiam accedentes rumpebant flores, & in plateis semirisque sternebant, sanitatem recipiebant. *Hactenus Vincentius. Sed meram esse fabulam vel infans intelligit: & mirer non puduisse Monachos huius generis nugarum & fabularum. Idem Vincentius lib. 24. cap. 95. refert*, Presbyterum quendam paralyticum ad Dunstani tumbam delatum, statim sanitati restitutum esse: At cùm inter pocula id beneficii soli Dunstano adscribere nollet, pristino morbo correptum concidisse, & horrendo boatu spiritum emisisse. Lampertus, *vt Sigebertus narrat*, Louaniensium Comes, phylacterium de collo in pectus vsque dependens, sanctorum Reliquiis plenum, circumtulit: atque hoc patrocinio se aduersus omnis generis pericula tutum fore credidit. Verùm in prælio aduersus Godfridum ducem, fascinum illud de collo in campum prosiliit: moxque Comes, ante inuictus, perimitur: Militum autem quidam, agnitum phylacterium in caligis abscondit, sed res tumore coxæ & crucis ejus proditur. *Vuernerus in Fasciculo temporum, & Mutius libro 7. de Germania referunt*, Cùm ad Fuldense Monasterium, Bonifacij Moguntini Episcopi ab Ethnicis necati, cadauer ex Frisia perlatum fuisset, omnes campanas, sine vllius hominis agitatione aut impulsu, solito clarius sono fla[illegible]

Hæc pauca exempla ex multis millibus adducere volui, vt saltem ex his indicari & intelligi possit, pleraque Miracula, quæ à recentioribus authoribus, Monachis inprimis otiosis, narrantur, nihil quàm nugas vanissimas, mendacia & fabulas esse, ab aucupibus auarissimis, Monachis scilicet & Sacerdotibus quæstûs causâ excogitatas.

Aut si verè acciderunt eiusmodi Miracula, dubium tamen nemini esse debet, quin magica, & illusiones seu præstigia & fascinationes Sathanicæ fuerint, ad decipiendos & in errore retinendos homines edita. Vincentius certè ipse, in narratione Miraculorum, quæ in circumgestatione S. Mariæ Laudunensis, aliarumque Reliquiarum, acciderunt, vt colligendis pecuniis inseruirent, ad Templum Laudunense reparandum, quod igne absumptum fuerat, fatetur lib. 26. cap. 21. jam tum fuisse quosdam, qui quæstûs gratiâ per magiam ista Miracula facta esse apertè contestati sint: *sed mox aliò deflectit orationem suam. Et de Tundali visionibus idem verba facere cessans, subiungit*: Hæ visiones & similes apud Doctores nostros calumniam patiuntur, *&c. Tanta nimirum est mendaciorum impudentia, vt ipsosmet authores eorum propemodum pudeat: attamen quæstûs causâ non contradicunt grauiùs.*

Solet autem Deus interdum permittere, vt per Diabolos edantur Miracula vera, vera, inquam quantum ad effecta ipsa attinet. Inde verò non sequitur, Deum Idololatrias, quæ per talia Miracula confirmantur, approbare. Facit hoc Deus, partim ad tentandos Electos, an sint in fide & verbo eius constantes: partim ad maiorem reproborum excæcationem & indurationem, vt — Deus permittit interdũ Diabolos vera edere Miracula, &c.

in eis peccata peccatis puniat. De prima causa Deus ipse apertè dicit Deut.13.cap. Si surrexerit Propheta, & dederit tibi signum & portentum, atque euenerit quod locutus est: Si dixerit tibi, Eamus post Deos alienos, quos nouisti, non audies verba Prophetæ illius, quia tentat vos Dominus, vt palàm fiat, an diligatis ipsum. *Matth. 24. Christus inquit,* Surgens Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi. *De altera loquitur Paulus 2. Thess. 2. cap. cum de aduentu Antichristi in signis & portentis loquitur: Docet enim,* Deum mittere Spiritum erroris ijs, qui nolint dilectionem veritatis amplecti, vt credant mendatio. *Et Apocal. 13. capite de Antichristo dicitur,* Facit signa magna, & seducit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu Bestiæ, &c.

Ex solis miraculis non probari posse falsum dogma recipiendum esse. *Ex solis igitur Miraculis, siue veris, siue falsis, non efficitur, probandum & recipiendum esse dogma aliquod, quod pugnat cum aperto Dei verbo. Cùm itaque Cultus religiosus, inuocatio & adoratio Reliquiarum, pugnet cum Scriptura, atque noua sit; nulla signa & Miracula extra verbum Dei, ad probationem noui istius dogmatis admittenda sunt. Si enim relictâ regulâ verbi Dei, Miraculis solis agendum sit, & ex ijs de doctrina iudicandum, eadem operâ vniuersam Ethnicorum idolomaniam stabiliemus. Paria enim si non plura & maiora Miracula, edita sunt apud Ethnicos ad confirmandum Cultum mortuorum, eorumque corporum & ossium.*

SEXTO & SEPTIMO, *probat Bellarminus religiosum Cultum Reliquiarum ex reuelatione, inuentione & translatione earum.* Si enim, *inquit,* Deo cultus Reliquiarum non placeret, cur ipse seruis suis corpora Sanctorum, quæ latebant, ostenderet? *Item,* Negari non potest, quin ad honorem pertineant Sacrorum ossium translationes. *Argumentum Iesuitæ sic formari potest.*

Quicquid reuelatur, inuenitur & transfertur, id religiosè debet coli & adorari.

Reliquiæ Sanctorum sunt reuelatæ, inuentæ & translatæ.

Ergo,

Religiosè debent coli & adorari Reliquiæ.

Cur reuelata sint Sanctorum Reliquiæ. *Negatur major: & est etiam fallacia. Non causa vt causa. Non enim hæc facta sunt diuinitùs, si modò diuinitùs, vt Reliquiæ vel ossa mortuorum colerent religiosè & adorarent: hic enim Cultus creaturarum prohibetur in verbo Dei; sed vt ex locis ignobilioribus ad nobiliora seruorum Dei corpora transferrentur, & honestæ sepulturæ honore afficerentur: cuius rei supra quædam Exempla ex veteri Testamento adduximus. Iacobi enim & Iosephi Patriarcharum corpora translata sunt ex Ægypto in terram Chanaan, non propter religiosum Cultum & adorationem, sed vt sepelirentur cum Patribus suis. Dauid quoque Saulis & Ionathæ ossa, sepulta in nemore Iabes honoris causâ in terrã Beniamiticam transferri, ibique in sepulchrum paternum Saulis reponi curauit. Sic Sozomenus lib.5.c.8. refert,* ossa Martyrum Nestabi & Eusebij fratrum, quæ Gazenses miscuerant cum ossibus camelorum & asinorũ, ne à Christianis internosci possent, sanctæ cuidam fœminæ diuina reuelatione ostensa, & ab eadem collecta fuisse. *Dignum enim & iustum est, si contingat, vt corpora Sanctorum extra Ecclesiam inter Idololatras sepulta sint, aut insepulta iaceant, aut in frusta discerpta & dissipata ea colligantur, &, si fieri possit, in honorifico loco sepulturæ fidelium collocentur. Eodem modo multa leguntur diuinitùs reuelata & inuenta esse, non quidem propter religiosum Cultum & adorationem, sed alias causas.*

Progressu verò temporis multas huiusmodi reuelationes & inuentiones factas legimus quas tamen constat fuisse vel mendacia Monachorũ aliorumq. vanissimorũ hominũ: vel præstigias & illusiones diabolicas, vt hoc modo cultus rerũ mortuarum & creatarum hominum animis instillaretur. Vt de hoc nihil dicã, quòd de multorũ corporũ inuentorũ veritate, nõ immeritò dubitari possit. Sic Nicephorus lib.14.c.8. narrat, Zachariam Prophetam à Ioa Rege Iudææ occisum, reperisse casu quendam agricolam circa Eleutheropolim Palæstinæ, sub Theodosio iuniore. *Quis enim agricolæ huic dixit, Zachariæ Prophetæ & non alterius hominis ibi sepulti fuisse?* Falsæ reuelationes Reliquiarum

OCTAVO, *Iesuita Cultũ religiosũ Reliquiarũ probat ex eo,* quòd sub Altari conduntur.

Argumentum tale est.

Quicquid sub Altari ponitur & asseruatur, sanctum, religiosum, & colendum seu adorandum est.

Reliquiæ sub Altari ponuntur.

Ergo,

Reliquiæ religiosè colendæ & adorandæ sunt.

Primò *negatur Maior: est enim fallacia A non consequente. Non enim Christianis aliquid colendum & venerandum est religioso Cultu, vel adorãdum, quia sub Altari iacet & latet. Nam, vt supra quoq. ostendimus ex Ambrosii lib.10. epist.85. ad finem, etiã quorumcunque Episcoporum corpora ponebantur sub Altari, in quo Cœnã Dominicam administrârunt dum viuerent: non tamen propterea ea religiosè coluerunt & adorârunt. Falsum & hoc est, quòd dicit Iesuita, consuetudinem ponendi Reliquias sub Altari, Apostolorum temporibus cœpisse. Nam, vt supra indicauimus, tum nulla prorsus Christiani habuerunt vel Templa, vel Altaria. Adhæc superstitio de recondendis & asseruandis Reliquijs, tunc etiã temporibus nondum fuit. Quòd autem probationis loca adducit locum ex Apocalyp.6.cap.* vbi ostensæ sunt Ioanni animæ Martyrum sub Altari, Locus Apoc. 6. explicatur.

Magna quidem inter Augustodunenses & Aualonenses non de parte, sed de toto eius corpore controuersia fuit, sed magnis sumptibus tandem composita. Corpora trium Magorum Colonienses & Mediolanenses integra apud se esse utriusque gloriantur. *Dionysij corpus duobus in locis integrum ostenditur: Sandionysij Franciæ, & Ratisponæ in Germania. Quia Franci id sibi vendicabant, Ratisponenses Romæ litem mouerunt ante centum annos, quibus corpus à Papa adiudicatum fuit hac cautione: Qui Sandionysii corpus hoc non esse diceret, lapidibus obrueretur: qui verò negaret esse Ratisponæ, haberetur pro Hæretico, quia sedi Apostolicæ rebellis esset. Stephani corpus dicitur esse integrum Romæ, in Templo ipsi dicato: caput verò Arelatæ monstratur, & ossa plus quàm ducentis in locis. Sebastiani corpus in quatuor corpora multiplicatum est: quorum vnum est Romæ ad Laurentij: alterum Suessione: tertium Pilignt apud Armoricos: quartum propè Narbonam, in solo ejus natali. Quinetiam Dominicani Andegauenses brachium eius vnum habent: est etiam aliud Tholosæ ad Saturnini: aliud Casedai in Aruernia: aliud Monsbrisonnæ Forestanorum: præter minuta frusta quæ in varijs locis habentur.*

Trium Magorū corpora. *Dionysii corpus.* *Stephani corpus.* *Sebastiani corpus.*

Immotum ergo adhuc stat nostrum argumentum, quo dicebamus, multa corpora, eiusdemque corporis plurima eademque membra vnius Sancti hinc inde monstrari, & proinde necessariò sequi, vel eundem Sanctum multa habuisse corpora, vel esse multas & suppositititias Reliquias. Intelligitur etiam ex adductis exemplis Bellarmini responsionem friuolam & falsam esse, quá dixit, partes corporis pro toto monstrari. *Addit Baronius:* Cùm vnius ejusdemque Martyris diuersis in locis Reliquiæ conditæ habeantur, & æquè ac si integrum corpus vbique horum locorum conditum esset, eadem Miracula sint operatæ, inde fieri, vt vnius ejusdemque Martyris corpus diuersis in locis haberi dicatur: *quam imposturam Baronius* tolerabilem errorem *vocat tomo 1. Annal. facie 428. Monstrauit ipsi hoc effugium Dionysius Halicarnassæus, qui lib. 1. de pluribus Æneæ sepulchris eandem hanc rationem affert:* Quòd si quem, *inquit*, perplexum facit, quòd Æneæ sepulchra monstrentur multis in locis, nec possit nisi vno esse conditus: cogitet hanc dubitationem esse vulgarem: & intelligat, quòd quamvis vnicus locus capiat corpora talium, apud multos tamen monumenta eis facta sunt, in gratiam acceptam vtilitatis cuiuspiam.

Ad Octauum *nostrorum argumentum respondet Bellarminus colum.* 2075. Quis vnquam Catholicorum Reliquias inuocauit? Quis easdem vnquam diuino honore affecit, vel adorauit? *&c. Respondeo, negat Iesuita sciens ac prudens id, quod noui esse verissimum, adeoque protestatio ejus contraria est facto. Idem quoque fecit Hieronymus olim in feruore certaminis aduersus Vigilantium. Hic enim interrogans superstitiosum Reliquiarum Cultorem,* cur honore tanto, non solùm honeraret, sed etiam adoraret illud nescio quid, *satis clarè indicat, fuisse illo tempore nonnullos, qui reliquias adorarent, idque sibi displicere. Hoc etiam innuit Gaudentius Brixianus, Hieronymi æqualis, qui in Tractatu 4. in Exodum, redarguit quorundam Idololatriam,* qui Sacrificia mortuis suis celebràrunt. *Quòd Bellarminus non quidem omninò negare, sed tamen in dubium vocare audens colum.* 2088. Fortasse, *inquit*, pauci quidam mortuis sacrificabant, qui etiam meritò reprehenduntur: sed non proptereà omnis Cultus sacrarum Reliquiarum abolendus est, quia nimius Cultus iure reprehensus est. *Et Chrysostomus Sermone in Sanctos Iuuentium & Maximum dicit,* Tumulos Martyrum adoremus. *Hieronymus quoque ipse ad Marcellam,* vt migret Bethlehem, *dicit*, Sepulchra & Cineres Ioannis Baptistæ, Helisæi & Abdiæ MERITO ADORARI à fidelibus in Palæstina. *Et tamen Hieronymus contra Vigilantium exclamare audet*, Quis, ô insanum caput, aliquando Martyres adorauit? *Chronicon. Cassinense refert libro secundo, capite quinquagesimo quarto,* cùm ex Cluniacensi cœnobio os integrum brachii, S. Mauri Cassinum deportaretur, totius prouinciæ populum & Monasterii conuentum, visis illis Reliquiis, in terram procidisse, easque adoràsse.

Easdem etiam hodiè à Papistis adorari & religiosè, coli, adeò manifestum est, vt à nulla possit negari, nisi qui manifestæ veritati contradicere velit. Templa Martyrum Reliquiis ædificantur, qui honor soli Deo debetur. Vnde Augustinus contra Maximinum Arianorum Episcopum, Nónne, *inquit*, si Templum alicui Sancto angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi & Ecclesiæ Dei? Quoniam creaturæ exhiberemus eam seruitutem, quę vni tantùm debetur Deo. *Eriguntur quoque Martyrum Reliquiis Aræ. Idem verò Augustinus tom. 10. Serm. 6.* Ara est, *inquit*, quæ testatur, pro numine id haberi cui erigitur. Nam illi (*Ethnici*) quod numen habeant, & pro numine accipiant illam statuam, Ara testatur. Quid illic faciat Ara, si illud non habeatur pro numine? Nemo mihi dicat, Non est numen, Non est Deus. Iam dixi, vtinam ipsi sic nôrint hoc, quomodo nouimus omnes nos. Sed quid habeant, pro qua re habeant, quid ibi faciant, Ara testatur. *Tertio, Reliquias supra Altare primarium in altiore & eminentiore loco collocant, vt maiore venerentiâ eas colant. Quartò, illi adorant, qui palmis sublatis, flexisque popli-*

Reliquias à Papistis adorari.

poplitibus ante hominem aliquem procumbunt, totoque corporis habitu testantur angustius aliquid se de illo sentire, quàm de alio homine. Cornelius Centurio hoc modo in terram prouolutus, & Petrum adorans, audit à Petro, Surge, nam & ego homo sum. *Itaque si Papistæ Martyrum Reliquias non adorant, cur ante Martyrum tumbas, eorumque ossa procidunt, & animo spe plene sese Martyribus commendant, apud eorum Reliquias auxilia quærunt, aut metuunt ne satis purgati in conspectum earum veniant?*

Ex his omnibus intelligimus, vt stulta, quæ initio fuit, in quærendis, effodiendis, transferendis & asseruandis Reliquiis, curiositas, huc tandem abominationis delapsa sit, vt non solùm à Deo auersi sint homines, quo rebus vanis & caducis adhærerent: sed etiam execrabili sacrilegio res omni sensu carentes adorarent loco Dei, qui viuit & solus regnat in secula.

Georgius Cassander Pontificius contra Reliquias.

Non immeritò igitur hunc Reliquiarum Cultum & Venerationem grauissimè reprehendit Georgius Cassander, *licet Pontificius, in Consultatione de Articulis Religionis inter Papistas & Protestantes controuersis, ad Impp. Ferdinandum & Maximilianum. Et quia simul summam eorum complectitur eius Iudicium, eorum quæ hucusque diximus, adscribam ad verbum, vt intelligat Lector, quid Pontificij sanioris judicij hac de re senserint. Is igitur*, De veneratione, *inquit*, Reliquiarum & locorum sacrorum, in quibus sanctorum corpora vel cineres condebantur (quas Memorias appellabant) manifestum est, olim hujusmodi Reliquias præsertim Martyrum, vt quæ fuerint membra Christi & Templa Spiritus sancti, summo in honore habitas fuisse, ita vt ad illorum Memorias solennes & celebres conuentus haberentur, in quibus & Sacrificium Deo offerebatur, & Sanctorum virtutes prædicabantur. Cur autem huiusmodi Memoriæ tanto honore frequentarentur, & causam exponit B. Augustinus de Ciuit. Dei libro octauo, capite vltimo. Vt ea, *inquit*, celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum eodem vocato in auxilium, & eorum Memoriæ renouatione adhortemur: Item, vt meritis eorum consociemur, & orationibus adiuuemur. Ita legimus ad huiusmodi loca Martyrum Reliquiis insignia, & vota nuncupata & Peregrinationes susceptas, quæ omnia, tum vtiliter fiebant, cùm adhuc recens, & certa Memoria Martyrum vigeret; & Deus indubitatis miraculis eos, qui mortui putabantur, sibi viuere declararet. Atque hæc omnia eò referebantur, vt fides, quam illi moriendo professi sunt, his tanquam signis confirmaretur: ita Augustinus de Ciuit. Dei libro vigesimo secundo, capite octauo, conclamante populo, Miraculo ad Memoriam B. Stephani edito, Quid, *inquit*, aliud erat in cordibus exultantium nisi fides Christi: pro qua Stephani sanguis effusus est? Et paulo pòst cap. 9. Cui, *inquit*, nisi huic fidei attestantur ista Miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cœlum ascendisse in carne? Paulinus in Epistola ad Marcarium, Deum ait per Apostolos & Martyres virtutes operari, vt credamus Dei Filium & Dominum nostrum Iesum ex resurrectione mortuorum regnantem in cœlis ad dextram patris viuorum esse Dominum, non mortuorum. Verùm in hæc paulatim abusus irrepsit, nam quæritur Basilius in definit. cap. 40. iam suo tempore consuetudinem, quæ apud Sanctos viros obtinuerat, corruptam fuisse, nam pro eo quòd in huiusmodi conuentibus, quæ in Martyrum memoriis agebantur, alius pro alio precari deberet, & per sermonem adhortationis mutuò se ædificare nundinas & quasi publicum emporium ex sacratis Martyrum locis factas esse, quas absurditates pro suo commercio approbare non debeant. Quin & Ambrosii & Augustini temporibus mos inualuerat, vt populus ad Martyrum Memorias epulas inferret, quod à melioribus Christianis non fieri, & à B. Ambrosio Mediolani interdictum testatur. Constat quoque posterioribus temporibus, nimium Reliquiis & Memoriis sanctorum indultum & tributum fuisse, sic vt à bonis quoque viris pio Zelo præditis, summa quasi Religione in hujusmodi Reliquiis conquirendis, auro & gemmis exornandis, & Memoriis seu Templis sumptuosissimis ædificandis posita putaretur, & ab improbis quoque hominibus falsa fiducia in Cultu inepto & superfluo Reliquiarum collocaretur. Quare in concilio Cabilonensi capit. 40. reprehenduntur, qui Romam aut Turonum sub prætextu orationis peragrant: putantes frequentatione horum locorum se à peccatis purgari & impunè peccare. Accesserunt & alia mala; quòd auaritiæ causâ ad simplicem populum illiciendum falsæ Reliquiæ supponebantur, & ficta prædicabantur Miracula, iisque Miraculis populi superstitio alebatur, vt magis in admirationem Miraculorum raperetur, quàm ad Sanctorum imitationem, vel vitæ emendationem prouocaretur: nonnunquam autem astu, & illusione Dæmonis hominum superstitione abutentis, per insomnia & visa nouæ Reliquiæ reuelabantur, & ejusdem operationem Miracula edi videbantur. Hinc decretum illud Lugdunensis Synodi, cap. 62. Prælati non permittant populum vanis figmentis aut falsis documentis decipi, sicut occasione quæstus fieri consueuit: & in *Nouæ*

K 2 Con-

Concilio Carthag. 5. Canon. 14. Altaria quæ per somnia & inanes reuelationes constituuntur, omninò reprobari videntur. Item: Permulti reperti sunt, qui Sanctorum Reliquias seu falsas seu veras quæstui habuerunt, ita vt passim à circumforaneis & vilissimis hominibus, instar Sacrorum Isidis circumferrentur, & multis mendaciis imperito vulgò commendarentur. Illud quoque iam inde ab aliquo tempore præter antiquum morem inualuit, vt Sanctorum corpora supra ista Altaria, qui locus soli corpori Christi deberi putabatur, collocarentur, quæ sub altari poni consueuerant. Sic Ambrosius de inuentione Reliquiarum Geruasii, & Protasii: Ille, *inquit*, Christus videlicet super Altare, qui pro omnibus passus est: isti sub Altari, qui ipsius redempti sunt sanguine. Hodiè verò cum passim omnia Reliquiis Sanctorum plena esse videntur, verendum est, ne si Episcopi & Principes in veris Reliquiis inquirendis & dijudicandis eam, quam debent, operam adhiberent, ingentes & detestandæ imposturæ patefierent, quemadmodum in nonnullis locis factum est, & B. Martino accidit, qui cùm locum quendam suæ Diœcœsis, monumento cuiusdam tanquam Martyris celebrem adiisset, deprehendit non Martyris, sed scelesti latronis monumentum à populo cultum & frequentatum, quod euerti statim & excindi iussit. Quamuis illi quoque probari non debeant, qui odio superstitionis certa piorum hominum monumenta violârunt, & ossa siue cineres, quibus etiam barbarissimi homines pepercerant, summa cum ignominia abiecerunt & disperserunt. Cùm igitur veræ & compertæ Reliquiæ, præsertim in his prouinciis perpaucæ sint, & multæ ex iis, quæ ostentantur, non temere suspectę haberi possint, atque illarum frequentatio & veneratio non multùm pietati, plurimùm verò superstitioni vel quæstui seruiant, multò consultius videtur, vt ab omni Reliquiarum ostentatione abstineatur, & populus ad veras Sanctorum Reliquias colendas, id est, exempla pietatis & virtutum, quæ in scriptis vel ab ipsis, vel de ipsis extant, imitanda prouocetur.

Nota.

Soluuntur Argumenta & Rationes BELLARMINI pro *Sanctorum* RELIQVIIS, earumque Cultu.

Status controuersiæ inter Pontificios & Euangelicos de Reliquijs.

A*Ccedimus nunc ad refutationem argumentorum & rationum, quibus Bellarminus Reliquias Sanctorum, earumque Cultum defendere conatur. Vbi ante omnia Lector meminerit, non inter nos & Pontificios controuerti*, An corpora, ossa, aliæque Sanctorum Reliquiæ, quorum beatæ animæ iam apud Deum in cœlis sunt, propter spem resurrectionis sint honorificè & reuerenter tractandæ: *nam & nos hoc credimus, docemus & affirmamus. Sed quando Pontificij de honore, Cultu & Veneratione Reliquiarum dimicant hodiè, sequentia capita defendere conantur:* 1. *Reliquias ex sepulchris effodiendas, elenandas, & supra summum altare vel in alio conspicuo loco collocandas & auro, argento ac serico exornandas.* 2. *Reliquias illas in Processionibus & Supplicationibus circumgestandas & populo ostentandas esse.* 3. *Meritorium Cultum Dei esse, si populus opus opis impetrandæ causâ, vt Tridentinum decretum loquitur, ostentatas illas Reliquias tangat, osculetur, & ante illas gestu & animo adorabundus procidat, easque candelis, serico, auro, &c. veneretur.* 4. *Gratiam Dei in illis Reliquijs quærendam, & eius participes fieri, qui eas aspiciant vel tangant.* 5. *Sacrificium Deo gratum esse, si Reliquijs illis magnifica dona offerantur.* 6. *Tangentibus, osculantibus, aut intuentibus Reliquias illas, infinitas indulgentias promittunt.* 7. *Preces digniores, efficaciores & Deo gratiores esse, si fiant apud Reliquias, meritis enim eorum auxilium opemque impetrari.* 8. *Iurant etiam per Reliquias: accendunt illis cereos, suffitum faciunt, peregrinationes ad illas suscipiunt: curant vt Sudariola sua, Corollæ & alia, tangant ossa Martyrum, ac tum ea tanquam præsidia, & antidota aduersus omnis generis mala secum gestant. Has & similes Idololatrias nos reijcimus & damnamus tantùm in doctrina Pontificiorum de Reliquijs, non autem verum honorem, qui corporibus Sanctorum debetur iuxta regulam & præscriptum verbi Dei: Proindeque Baronius tom.* 1. *Annal. pag.* 427. *insignem nec ferendam nobis facit injuriam, quòd scribere audet*, nos, *quos temerè & falsò* Hagiomachos *vocat*, vestes Christi, & Sanctorum ossa aliasque reliquias auersari, exhorrescere, execrari & vt Dæmones detestari: *quodque ipse cum Bellarmino nos non solùm* Iuliano, Porphyrio & aliis Hæreticis, *sed etiam* Eunomio annumerat; *quorum hic cum sectatoribus Basilicas Martyrum non ingrediebatur, neque conuentibus, qui ibi fiebant, interesse volebant; illi verò corpora Sanctorum rem esse immundam & abominabilem, contaminantem & vrbes & homines docebant.*

Baronij calumnia.

Bellarminus autem Idololatricum Reliquiarum Cultum, de quo modò diximus, sequentibus argumentis probare conatur.

PRIMO *Exemplis ex Scriptura petitis* Moses, *inquit*, discessurus cum populo ex Ægypto in Palæstinam, noluit ibi relinquere ossa Iosephi, jam dudum mortui, sed ea honorificè secum aportauit, & transtulit in terram promissionis. Non ergo superstitiosum aut nouum est, transferre ossa Sanctorum. *Argumentum tale est.*

Si Moses non fuit Idololatra aut superstitiosus transferendo ex Ægypto in terram Chanaan ossa Iosephi, nec Pontifici sunt Idololatra aut superstitiosi, etiamsi effodiunt, transferunt, colunt ac venerantur Reliquias Sanctorum.

Sed prius est verum: Ergo & posterius.

Cur Moses Iosephi ossa secum transportârit in terram sanctã. *Nego consequentiam majoris: nam factum Mosis & Papistarum pro paribus sumit, quum sint imparia. Iosephus testamentariâ adhortatione suâ ad fratres suos, voluit eorum, ac totius populi sui fidem in promissionem Dei de hæreditanda terra Chananæa fulcire ac adiuuare. Sic enim ad fratres suos loquutus est,* En ego morior, & Dominus visitabit vos, & educet vos è terra quam promisit Patribus nostris. *Et iterùm adiurans fratres suos ait,* Certò visitabit vos Deus & asportabitis ossa mea hinc. *Adstipulatur nobis Paulus, fidelissimus facti Iosephi interpres Hebr.*11. Per fidem, *inquit,* Ioseph moriens egressionis filiorum meminit, deque ossibus suis mandauit: *Hoc est, Quia nihil dubitauit de verbo & promissione Dei, ideò iussit fratres suos ossa sua ad egressum ex Ægypto secum asportare in terram Chanaan. Tam videlicet de Deo securus ac certus erat, fore vt filij Israel ducerentur ex Ægypto in terram Patribus promissam. Non igitur ad Cultum & Venerationem corpus & ossa sua asseruare & transferre voluit Ioseph, sed vt se & suos in fide tantùm confirmaret. Huius rei memores Israelitæ Iosephi corpus non quidem sepulturæ mandârunt, sed aromatibus conditum, & in arcam ex precioso ligno fabricatam sepositum, vsque ad exitum Israelitarum ex Ægypto asseruârunt, non vt religiosè colerent & in Processionibus circumgestarent aut Peregrinationes ad id instituerent, sed vt quasi vexillum quoddam fidei propositum esset omnibus Israelitis: vt sicut ille certò credidit, Israëlitas adepturos terram promissam, in eiusque rei fidem corpus suum ad ea vsque tempora seruari & in terram Chanaan secum transportare iussit: & ibi recondere cum maioribus suis: ita ipsi quoque pari fiduciâ crederint, promissiones Dei sibi præstandas esse.*

Deprauatio loci Ecclesiastici 49.c. *Vulgata quidem translatio locum Ecclesiastici 49.cap. sic vertit:* Ossa Iosephi visitata sunt, & post mortem prophetârunt: *quòd nonnulli sic interpretantur, quasi Israelitæ ad ossa Iosephi peregrinationes instituerint, & tanquam ad Oraculum ad ea concurrerint. Sed est insignis Græci textus deprauatio; non enim in eo legitur* ἐπέσκεψαι, *à verbo* ἐπισκέπτω, *quod visitare significat: sed* ἀπεσκέπισαν, *quod significat tam diligenter aliquid seruare, ac si operimento aliquo defendatur & custodiatur. Sequentia etiam verba,* post mortem prophetârunt, *in Græco prorsus non leguntur.*

Israelitæ quoque, vt ex 13. cap. Exod. intelligitur, reuerenter, citra omnem tamen superstitionem, reliquias illas & ossa Iosephi ex Ægypto in terram Chanaan deportârunt. In terra etiam illa promissionis, non eleuârunt illa, neque peregrinationes ad ea instituerunt, & religiosè coluerunt, sed sepelierunt, vt est videre Iosue 24. Adhac ad sepulchrum Iosephi concursus hominum nullus factus est, vt hodiè ad sepulchra & Reliquias Sanctorum fit. Igitur hoc saltem isto exemplo docetur, Sanctorum corpora aliquo honore afficienda esse, honore scilicet sepulturæ, atque vt è locis profanis, ad Sacra transferuntur, si fieri possit, curandum esse.

Secundum *Exemplum quod Iesuita ex Scriptura citat, Dei est:* Deus ipse, *inquit,* corpus Mosis honorauit, dum illud propriis manibus sepeliuit: *Deuter. vltimo. Hoc argumentum si pro Iesuita facere debet, sic formari potest:* Quicunque alicuius corpus honorificè sepelit, id honorat, veneratur & religiosè colit. Sed Deus Mosis corpus honorificè sepeliit. Ergo illud honorauit & religiosè coluit. *Negatur maior. Nam fideles veteris ac noui Testamenti Sanctorum corpora semper honorificè sepelierunt, sicut & nos hodiè facimus, non tamen religioso Cultu ea coluerunt. Imò sepulchrum Mosis Deus voluit esse incognitum, ne corpus & Reliquiæ eius colerentur. Nihil ergo hoc Exemplum pro Iesuita facit.* *De sepultura Mosis.*

Tertium *Exemplum Helisæi Prophetæ est 4. Reg. decimo tertio, de quo ita argumentatur Iesuita:* Ossa Helisæi cùm tetigissent mortuum quendam hominem, continuò illum ad vitam reuocârunt: Non ergo Deus contemnit ossa Sanctorum, sed ea honorat & honorari cupit, dum per illa Miraculum tam insigne patrauit. *Respondeo* Primò, *esse fallaciam Ab ignoratione Elenchi. Non enim ossa illa Helisæi hanc virtutem ex se emiserunt, sed Deus suâ virtute & omnipotentiâ mortuum illum excitauit, vt in alio casu apertissimè testatur Christus Luc.* 8. *inquiens,* virtutem illam, *quâ mulier profluuio sanguinis laborans sanata fuerat attactu vestimentorum eius,* ex sese prodiisse: *& Petrus Act.* 3. Viri Israelitæ, quid miramini super hoc, aut quid intentos oculos in Nos habetis; quasi propriâ vi aut pietate effecerimus; vt hic ambularet: fides quæ in Iesum est, dedit illi integritatem hanc. Secundò, *Non ideò Deus voluit ex illorum ossium attactu mortuum excitari, vt hæc ossa colerentur; sed vt doctrina Helisæi eiusque vaticinium verum, diuinum & cœleste esse probaretur & confirmaretur. Est igitur fallacia quoque A non causa vt causa. Helisæus iam moriturus vaticinatur de victoria Israelitarum contra Syros, si pœnitentiam agant. Cumque anno proximo mortem eius sequente Moabitarum exercitus in fines Israelitarum irrueret, Deus peculiari & extra ordinario Miraculo confirmare volens veritatem huius vaticinij, per attactũ ossium eius,* *De Helisæi ossibus.*

mortuum hominem ad vitam reuocauit. Et hoc est, quod Ecclesiastici 48. *cap. dicitur*, corpus Helisæi post mortem prophetâsse: *Neque dicit Scriptura, mortuum illum ex destinata ad Helisai sepulchrum deportatum fuisse, vt contactu ossium eius suscitaretur, quasi tunc in more habuerit populus Dei, concurrendi ad sepulchra mortuorum, vt opem & auxilium apud ossa eorum quærerent. Sed Spiritus sanctus dicit, inopinato casu mortuum illum in Helisai sepulchrum projectum, cùm quidem vellent sepelire hominem, & superuenientibus hostibus, non haberent tempus faciendi sepulchrum, ne cadauer insepultum hostium libidini expositum esset, aperuerunt sepulchrum proximum Helisai, & in illud non deposuerunt, nec enim tantùm temporis habebant, sed projecerunt in id mortuum suum, qui delapsus ossa Prophetæ attigit & reuixit vt hoc miraculo Deus Israelitis in memoriam reuocaret Prophetiam Helisai, ne timerent Moabitarum irruptiones, si modò Deum verè colerent.*

Corpus Helisæi quomodo post mortem prophetârit.

Quartum *Exemplum citat ex quarto Regum vigesimo tertio capite.* Cùm Iosias, *inquit*, delubra idolorum euerteret, & omnem Idololatriam delere vellet, tantùm abest, vt Reliquias Sanctorum delendas esse existimaret, vt cùm aliorum mortuorum ossa effodisset, & in cineres redegisset, ossa tamen S. Prophetæ ibidem reperta asseruari iussit. *Respondeo, Iesuita hic rursus pro paribus sumit, quæ sunt imparia. Ossa Prophetæ non in Altari ad cultum prostabant, vt hodiè Pontificiorum Reliquiæ, sed terrâ condita ac sepulta erant. Ea non vult Rex Iosias erui aut effodi, & thecis inclusa Hierosolymam vehi, quod his verbis innuere, eoque simplicioribus insidias struere velle videtur Iesuita*, Ossa Prophetæ reperta asseruari iussit; *sed intacta suo loco relinqui. Igitur contra Bellarminum & Pontificios, non pro eis facit hoc argumentum. Docet enim sanctorum Dei seruorum cadauera & ossa non quidem inhumata abjicienda, sed nec aureis thecis ad Cultum & Venerationem proponenda, verùm humo potius mandanda, & sepulta relinquenda esse: quod Pontificij non faciunt.*

Iosias Rex ossa Prophetæ asseruare iussit.

Quintum *Exemplum est ex Isaia* 11. *cap. vbi Propheta dicit*, Sepulchrum Christi fore gloriosum. *Hinc colligit Iesuita* Sepulchrum Christi, & reliquias Sanctorum honorandas esse. *Respondeo, corrumpit hic Iesuita locum Prophetæ ex ignoratione linguæ Hebrææ. Non enim Isaias hic vtitur voci* Scheol, *quæ Sepulchrum significat: sed* Menuchat, *quæ sedem & locum significat, in quo cum animi oblectatione versamur. Sic etiam hunc locum intellexerunt* 70. *Interpres, qui eum sic verterunt*, ϗ ἔςαι ἡ ἀνάπαυσις ἡ τιμή: & erit requies ejus gloria.

Locus Isaiæ 11. explicatur.

Sextum *& vltimum Exemplum petit ex nouo Testamento.* Mulier, *inquit*, hæmorroissa solam fimbriam Christi fideliter tetigit, & sanata est: *Matth.* 9. Neque Act. 5. sunt reprehensi populi, qui certatim ad vmbram Petri eo modo, quo poterant, attingendam occurrebant: & tamen quæ Reliquiæ viliores ipsâ vmbrâ cogitari possunt? Neque habiti sunt Act. 19. superstitiosi, qui Pauli Sudaria, & Semicinctia deferebant ad ægrotos. *Respondeo*, Primò, *Christus optimus horum Miraculorum interpres, & ad Iesuitæ argumentum respondens est. Nam ipse virtuti suæ diuinæ absolutè tribuit, quod fimbriæ vesti Christi Iesuita simpliciter adscribit. Inquit enim*, Tetigit me aliquis: nam & ego sensi virtutem EX ME (*non ex veste*) exiisse. *Ita etiam nihil vel Petro eiusque vmbræ, vel Paulo ejusque Sudarijs & Semicinctiis tribuendam esse, ex Petri concione intelligitur, quæ Act.* 3. *descripta est, & cuius paulò ante quoque meminimus: sed omnes illæ virtutes Christi fuerunt, qui per Apostolos ceu instrumenta ista omnia operatus est. Quod si verò ideò vel Apostolos, vel eorum sudaria, vmbram & semicinctia, per quæ hæc operatus est Deus, religiosè colere deberemus, vt Pontificij sentiunt, rectè fecissent olim Ethnici, qui Solem, Lunam, Sydera & alia adorârunt & coluerunt, quòd Deus per ea ingentia beneficia hominibus præstat.*

De fimbria vestis Christi.

Umbra Petri & Sudarijs Pauli.

Adhæc *non valet ista consequentia*, Quæ Deus per Sanctos suos in præsenti vita operatus est, eadem etiam per eorum corpora, ossa, aliasque Reliquias, post mortem ipsorum quoque faciet. *Vsus est eorum opera & Ministerio in hac vita ad propagandum verbum suum & fidem Christianam, & addidit expressas promissiones de signis sequentibus, Mar.* 16. *Illo Ministerio defuncti sunt in hac vita, & obdormierunt.*

Denique *hoc Pontificiorum argumentum, est Petitio Principij. Præsupponunt enim eos, qui hæc fecerunt cum Fimbria Christi, vmbra Petri & Sudariis ac Semicinctiis Pauli rectè fecisse, & propterea à Deo exauditos ac sanatos esse. Sed falsum hoc est. Non enim factum hoc, sed fidem illorum respexit Deus, & sanauit eos, quòd in eum credebant, quem Paulus & Petrus annunciabant: Modum autem, quem illi obseruârunt & sequuti sunt, non probauit, quia virtutem & potentiam Dei externis illis rebus alligârunt. Idcirco hæmorroissæ inquit*, Fides tua, *quasi diceret non modus quem sequeris*, te seruauit. At, *inquit Bellarminus*, non dicuntur propterea reprehensi fuisse: *Respondeo, Ita sanè: Sed nec modus & mendacium, quo vsu sunt obstetrices Ægyptiacæ Exod.* 1. *c. reprehenditur in Scriptura, non tamen placuit Deo, licet earum studium erga Israëlitas probaret.*

Frustrà igitur quærit Baronius tom. 1. *Annal. pag.* 427. *penes quos Catholica veritas sit? an apud eos qui ex Euangelistarũ præscripto, Domini*

Baronij vanitas.

& Pau-

& Pauli auctoritate, Hæmorroissæ & aliorum exemplo, Sanctorum Reliquias, vt aliquam inde salutem hauriant, quo decet cultu & honore prosequuntur? an apud eos, qui eas, vt Dæmones, detestantur? Inde exclamans, O quàm profundo, *inquit*, barathro, obscurissimâ offusi caligine, detinentur, qui hæc tam patientia, ac toto cœlo perspicua non intelligunt. An fortasse quæ sunt diuinitùs concessa Orariis ac Semicinctiis, eadem negauerimus Pauli ossibus attributa? vel hæc omnia Paulo priuatim, & non cæteris sanctis omnibus communicata dixerimus? *&c.*

Bellarminus à Scriptura ad humana præsidia confugit.

SECVNDO, *quia Bellarminus in Scriptura & verbo Dei non multùm sibi præsidij positum videt, totam hanc controuersiam à Scripturæ norma, ad veteres consuetudines ac ritus, Conciliorum decreta, & Patrum scripta transferre conatur. Periculosum est autem in Religione homines sequi, qui decipi, errare ac labi possunt. Vnde etiam Cyprianus dixit*, Non videndum est, quid aliqui ante nos fecerint: sed quid ille, qui ante omnes est, in suo verbo nobis faciendum præscripserit & præmonstrârit. Neque enim hominum consuetudinem, sed Dei veritatem sequimur. *Nec hominum vel priuatæ, vel publicæ deuotiones, sed sola Sacra Scriptura Canon, regula & norma esse debet Dogmatum & Cultuum in Ecclesia.* Quicquid ergo in Patrum scriptis, & in antiquis consuetudinibus cum hoc Canone congruit, cum laude eorum recipimus, *inquit Augustinus*: quicquid verò ab hac regula dissentit, cum pace eorum, saluâ honorificentiâ, quæ talibus debetur viris respuimus.

Bellarminus Reliquiarum Cultum ex Conciliis probat.

Quia tamen magna meritò est & esse debet antiquitatis authoritas & reuerentia, videamus primò, quid ex Conciliis veteribus pro defensione religioso Cultu Reliquiarum Iesuita proferat. Vbi primò notandum, illum nullum prorsus adducere, quod primis trecentis annis post Christi Ascensionem celebratum est, quod satis magno argumento est, Pontificios veræ antiquitatis authoritate destitui:

Concilium Nicænum 2.

Primum *Concilium quod citat, est* Nicænum 2. *celebratum anno Christi demum* 788. *Hoc Concilium actione* 3. *vocat* Reliquias, fontes, salutares, *inquit Bellarminus*, quibus Deus multa beneficia hominibus præstat. *Et act. 7. in vltima definitione* jubet deponi Clericum, & Laicum excommunicari, qui Reliquias Martyrum contemnit, & non, vt rem Sacram, cum honore tractat. *Respondeo, Concilium hoc nullius prorsus authoritatis esse debere, vtpote manifestè idololatricum. Cùm enim Irene Imperatrix Constantinopolitana Orthodoxos fraude armis priuâsset, & plurimos eorum in exilium expulisset, seque muniisset exercitu ad omnia parato & obedienti, iuxta consilium legatorum Romani Pontificis, quos apud se retinuerat: legatis & literis Nicææ indicit Concilium hoc. Ad eam ergo vrbem dicto anno confluit magna multitudo idololatricorum Episcoporum, Abbatum & Monachorum circiter* 350. *vt Sigibertus refert. Ac facilè fuit, remotis contradicentibus & veritatis assertoribus, consensionem in errore ac superstitione in hoc Concilio institui. Non autem ita multò post Constantinus Imperator ipse filius Irenes decreta huius Concilij abrogauit, vt Platina & Bergonensis lib.* 10. *indicant: Eginardus quoque ea neruoso scripto refutauit. Francofurtensis etiam Synodus anno* 794. *iuxta Regionem lib.* 2. *& Lupoldum apud Irenicum lib.* 11. *Concilium hoc Nicenum* 2. *damnat, & nec septimum nec vniuersale, vt Pontifex Romanus Adrianus appellauerat, dici debere decernit: Aliquot etiam libris Græcam hanc Synodum refutat, qui Carolo M. adscribuntur: vt testatur Eginardus in vita Caroli M. apud Erdfordiensem, cap.* 69. *Regino lib.* 2. *Adon ætate* 6. *Annales Francorum: Annonius lib.* 4. *cap.* 85. *de gestis Francorum: Blondus dec.* 2. *libro* 1. *Auentinus lib.* 4. *Annal. Mutius lib.* 9. *De hac etiam Synodo Hincmarus Remorum Episcopus cap.* 20. *libri sui contra Iandunensem Episcopum sic inter alia scribit:* Generalis Synodus in Francia, conuocante Imperatore Carolo celebrata est, & secundum Scripturarum tramitem, traditionemque majorum, ipsa Græcorum Pseudosynodus destructa & penitùs abdicata. De cujus destructione non modicum volumen, quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum. *Ex eius voluminis lib.* 4. *hæc inter alia refert:* Omne quod Ecclesiasticum est, Catholicum est. Et omne quod Catholicum est, vniuersale est. Omne autem quod vniuersale est, prophanis vocum nouitatibus caret. Omne igitur quod Ecclesiasticum est, prophanis vocum nouitatibus caret. Et si hæc Synodus vocum nouitatibus careret, ac antiquorum Patrum dogmatibus contenta esset, Vniuersalis dici poterat. Non autem antiquorum Patrum dogmatibus contenta est, non igitur Vniuersalis dici potest. Vniuersalem planè eandem Synodum non cunctaremur profiteri, nisi eam vniuersalis Ecclesiæ dogmatibus sentiremus refragari.

Hincmarus Remensis Episcopus de Synodo Nicæna 2.

Gangrensis Synodus.

Alterum *Concilium, quod citat Iesuita, Gangrense est, celebratum sub Constantino Magno ante annos* 1200. Id, *inquit Bellarminus*, anathema dicit iis, qui Memorias Martyrum, id est, loca vbi sunt Martyrum reliquiæ, execrantur. Eustathiani enim, contra quos coactum fuit Concilium, nolebant ingredi Martyrum Basilicas, ne corpora Martyrum, quæ ipsi immunda putabant, venerari viderentur. *Respondeo, decreuit hoc quidem Synodus illa, sic enim habent*

bent verba eius: Si quis per superbiam, tanquam perfectum se existimans, Conuentus, qui ad Memorias Martyrum fiunt, abominatur, & Ministeria, quæ in eis fiunt, simul cum eorum Memoriis execratur, anathema sit. *Atque hinc sumptum existimo, quod in libello de dogmatibus Ecclesiasticis capite 73. scribitur:* Sanctorum corpora, & præcipuè Beatorum Martyrum Reliquias, tanquam Christi membra, syncerissimè honoranda, & Basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta diuino Cultui mancipata, affectu piissimo & deuotione fidelissimâ adeundas credimus, &c. *Sed falsum est, quod huic Canoni Gangrensi Bellarminus, sicut ante eum quoque Lindanus, affingunt, quòd damnet eos, qui eo religioso Cultu non venerentur ossa & Reliquias Sanctorum, de quo hodiè Pontificij dimicant. Illis enim temporibus ha superstitiones nondum inuaserant Ecclesiam. Et Acta Gangrensis Synodi, in Præfatione & Conclusione, causam disertis verbis exponunt. In Præfatione enim Patres Gangrenses dicunt*, quosdam priuata conuenticula in ædibus celebrare, & loca sanctorum Martyrum contemnere, & eos, qui illic conueniunt, reprehendere. *In Conclusione autem sententiam suam his verbis explicant:* Nos domos Dei honoramus, & Conuentus, qui in his fiunt, tanquam sanctos & vtiles suscipimus, pietatem in priuatis ædibus non claudentes: sed omnem locum in nomine Dei ædificatum honoramus, & congregationem sanctam in Ecclesia ad vtilitatem communem factam recipimus, *De religioso cultu Reliquiarum in his omnibus ne verbum quidem habes. Tantùm, vt summatim dicam, eorum solùm superbiam coërcet Synodus, qui Conuentus Ecclesiasticos, ad Memorias Martyrum, & loca, vbi sepulti erant Martyres, insolenter contemnebant.*

Depravatio Gāgrēsis Canonis.

Carthaginense 5 Cōcilii.

Tertium *Concilium est* Carthaginense 5. *anno Christi 438. celebratum.* Id jubet, *inquit Bellarminus* cap. 14. vt nulla Altaria, vel Memoriæ Martyrum dedicentur; nisi ibi sint aliquæ Martyrum Reliquiæ: & aliter dedicata euertantur: vel populus admoneatur, ne ea loca frequentet, ne superstitione aliquâ teneatur, si colat videlicet quasi Martyris sepulchrum, vbi reuera non est corpus Martyris. *Respondeo, Iesuita huic Canoni affingit id, in quo cardo controuersia vertitur; nempe,* Ne superstitione aliqua teneatur populus, si colat quasi Martyris sepulchrum, vbi reuera non est corpus Martyris. *Ex his enim verbis hanc suam consequentiam colligit Iesuita:* Si est superstitio colere pro Martyris corpore, id quod non est reuera tale: Religio igitur erit corpus veri Martyris colere: Religio enim & superstitio opponuntur. *Hac verba autem in vero Canone non leguntur: Sic enim habet:* Placuit, vt altaria, quæ passim per agros aut vias, tanquam Memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut Reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui iisdem locis præsunt, si fieri potest, euertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non finitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, vt qui rectè sapiunt, nullâ ibi superstitione deuincti teneantur. Et omninò nulla Memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ Reliquiæ sint, aut ibi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissimâ origine traditur. Nam quæ per somnia & per inanes quasi reuelationes quorumlibet hominum vbiquo constituuntur Altaria, omnimodè reprobentur. *Sic etiam hic Canon legitur de Consec. dist. Vt altaria. Voluerunt Patres hoc Canone nascenti Idololatria occurrere, quâ fiebat, vt vbiuis locorum Memorias Martyrum, & altaria erigerent. Hoc inhibere volens Concilium Carthaginense, decreuit, ne omninò vlla deinceps Memoria Martyrum acceptetur, nisi certò constet, corpus alicuius Martyris ibi esse, vel Martyrum eo loco passum esse, eaque loca frequentari vult. Vt autem colantur corpora vel Reliquia Sanctorum, eo modo, quo Bellarminus hoc suo assumento probare contendit, falsissimum est.*

Depravatio Carthaginensis Canonis.

Braccarensis Synodus.

Quartum *Concilium est* Braccarense 3. *anno Domini 674. habitum. In eo sancitur,* Ne Episcopi in solenniatibus Martyrum ad Ecclesiam progressuri, Reliquias collo suo imponant, vt majoris fastûs apud homines gloria intumescant, quasi ipsi sint Reliquiarum arca: Leuitæ autem albas induti, in sellulis eos deportent: Sed vt arcam cum Reliquiis, non Episcopi, sed Leuitæ in humeris gestent. *Respondeo, Concilium hoc celebratum esse eo tempore, quo Reliquiarum vsus passim inualuit. Deinde hoc decretum ad imitationem Iudaismi factum est, vt Concilium ipsum fatetur.*

Epaunensis Synodus.

Quintum *est* Epaunense, *quod decreuit Can.* 35. Ne sanctorum Reliquiæ in Oratoriis villaribus ponanrur, nisi forsan Clericos cujuscunque parochię vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentiâ famulentur. *Respondeo, celebratum hoc esse Concilium anno Christi 494. sub Gelasio I. & ideò non mirum, si superstitiones & idololatriam promouit.*

Moguntinensis Synodus.

Sextum *sub Carolo Magno Imperatore* Moguntiæ *celebratum, nihil habet de religioso Cultu Reliquiarum, sed vetat potiùs,* ne sine magna & graui causa corpora sanctorum euantur & transferantur, & quidem non sine

con-

consilio Episcopi, & licentia Synodi.

Lateranensis Synodus.

Septimum *Concilium, quod Iesuita citat, est* Lateranense: *& decreuit*, ne nouæ Reliquiæ, sine authoritate Romani Pontificis recipiantur: *Respondeo, Concilium hoc est celebratum anno Christi* 1215. *quando omnis generis Idololatria, errores & superstitiones horribiles in Ecclesia approbata & recepta erant, quod etiam ex decretis eius apparet.*

Bellarminus Patrum authoritate protuendo cultum Reliquiarū vtitur.

TERTIUM *argumentum pro religiosa Cultu Reliquiarum sumit Bellarminus ob Authoritate Patrum: & quidem magnum eorum Catalogum attexit. Respondeo* primò *in genere: In toto illo Catalogo nullus reperitur Pater, qui primis trecentis à nata Christo annis vixit: vnde rursus apparet, toto illo temporis spacio errorem illum in cognitum fuisse, qui post ea secula in Ecclesiam paulatim irrepsit. Deinde respondeo ex Hieronymo:* Quicquid absque Dei verbo scripto in Religionis negotio asseritur, tam facilè à nobis contemnitur & negligitur, quàm facilè ab alio affirmatur: Nam fidei Christianæ fundamentum vnicum est verbum Dei scriptum: *& proinde totum hoc Iesuita argumentum fallacia, Anon causa, vt causa.*

Secundò *in specie ad hoc argumentum respondeo, plerósque ex his ipsis Patribus, quos citat Iesuita, Cultum illum religiosum Reliquiarum, qui hodiè in Papatu est, & pro quo solo Bellarminus cum Socijs dimicat, nequaquam probare, imò ne mentione m quidem eius facere.*

Eusebius non patrocinatur Reliquiis.

Ex horum numero est Eusebius, *quem Iesuita primo loco ponit.* Is, *inquit Bellarminus*, de sede lignea S. Iacobi sic scribit libro 7. capite 15. Seruatur cum ingenti studio, velut à majoribus tradita memoria sanctitatis, & cum magna veneratione habetur. *Respondeo, Iesuitam hic crimen falsi committere: Græca enim verba Eusebij, sic de verbo ad verbum Latinè habent:* Sedem Iacobi Apostoli, ad hoc vsque temporis seruatam, fratres istic, qui successione ordinariâ subsequuti sunt, omnibus manifestè monstrant, sicut circa sanctos viros, pietatis gratiâ, cùm veteres, tum & præsentes, COMPETENTEM honorem seruârunt, & hodie quoque seruant. *Vbi nihil prorsus de religioso Cultu Sedis illius dicitur.*

Crimen falsi commissit Bellarminus.

Athanasius non facit pro Reliquiis

Athanasius *in vita Antonii scribit*, Legatarium in Antonii Pallio amplexum esse Antonium, & per vestimentum recordatum esse Imaginem sanctitatis Antonii. *De eodem Antonio Hieronymus in vita Pauli Eremitæ scribit;* cùm Pauli tunicam ex foliis palmarum contextam Antonius adeptus esset, ob Pauli reuerentiam, induere solitum illam in diebus tantùm solennibus. *Quid hoc ad religiosum Cultum tunica Pauli, & pallii Antonij?*

Eusebius Emissenus

Eusebius Emissenus *dicit*, venerationem deferendam esse sacris Martyrum corporibus. *Hoc nihil ad religiosum eorum Cultum pertinet: nam & nos venerationem & honorem competentem illis non negamus deferendum.*

Theodoretus.

Theodoretus *loquitur de Miraculis apud sepulchra Martyrum, in primitiua Ecclesia, ad confirmandam doctrinam eorum editis: de quibus paulò pòst plura.*

Ambrosius.

Ambrosius *scribit de honore simpliciter, quo Martyrum corpora & cineres affici debeant: Sed neque nos honorem illis debitum improbamus.*

Gaudentius.

Gaudentius *Episcopus Brixianus scribit*, Deum tribuisse, vt venerandas Sanctorum Reliquias haberent: eundemque largitum esse, vt honori eorum Basilicam fundare valerent. *Hoc nihil ad rem pertinet. Et Gaudentium Reliquiarum Cultum religiosum improbâsse, supra demonstrauimus.*

Chrysost. &c.

Chrysostomus, Paulinus, Prudentius *& alij dicunt*, Romam excellere omnibus vrbibus, & primam vel celeberrimam omnium vrbium esse propter corpora Apostolorum. *Hoc verò Cultum religiosum Martyrum non probat. Telmesus in Caria cæteris vrbibus omnibus excelluit aruspicum disciplinâ, vt Cicero de Diuinatione testatur, nemo tamen propterea aruspicibus illis Cultum aliquem exhibuit religiosum.*

Hieronymus.

Hieronymus *ad Marcellam, inter alia bona quæ sunt in Palæstina, hoc etiam numerat,* quòd possint ibi adorari sacri cineres Ioannis Baptistæ. *Est hæc dura phrasis Hieronymi: Nam Adorationem Reliquiarum ne Bellarminus quidem probat, vt supra indicatum est.*

Hieronymi certamen cū Vigilantio de Reliquiis

Idem Hieronymus, *inquit Bellarminus*, Vigilantium hæreticum appellauit, quòd Sanctorum Reliquias vilissimum puluerem vocauit, doluitque Martyrum Reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium. *Ex quibus autem, Bellarmine, deducit ista Hieronymus sententiis Vigilantii? ex his duobus, vt est videre capite secundo contra Vigilantium:* Quid necesse est, *inquit Vigilantius*, te tanto honore, non solùm honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, in modico vasculo transferendo colis? Propè ritum Gentilium videmus sub prætextu Religionis introductum in Ecclesias, Sole adhuc fulgente moles cereorum accendi; & vbicunque puluisculum nescio quod, in modico vasculo pretioso linteamine circundatum, osculantes adorare. *In his verbis, quoniam illud, cui honorem cultûs & adorationis haberi queritur Vigilantius, appellat*, nescio quid, *&*, pulusculum nescio quod: *idcirco Hieronymus, non affirmat quidem eum Reliquias Sanctorum appellare puluerem vilissimum, sed perinde exagitat, ac si ita appellâsset.*

Quid

Quia verò dicit, puluisculum pretioso velamine circundatum: *Hieronymus ex eo infert*, eum dolere Martyrum Reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proiici in sterquilinium. *Verùm his asperis & solerte verborum alienorum interprete concinnatis, repugnant non obscurè verba Vigilantij. Is enim interrogans superstitiosum Reliquiarum cultorem.* Cur honore tanto, non solùm coleret, sed etiam adoraret illud nescio quid? *satis clarè indicat, sibi displicere, non quòd honorarentur Martyrum Reliquiæ, sed quòd* tanto, *id est, nimio honore adorarentur: Et hoc est illud solùm, quod etiam nos hodiè reprehendimus. Itaque hac ex parte etiam idem prorsus cum Hieronymo sentit Vigilantius: qui Epistola* 53. *ad Riparium*, Reliquias Martyrum adorandas *negans*, se honorare eas *dicit. Non igitur honestam commemorationem, aut honorificam sepulturam, qualis Stephano contigit, eorum corporibus, quos* beatissimos Martyres *vocat, denegauit: sed* nimium & illis non competentem honorem, *illis tanquam Ethnicis Dijs tributum, aptâ* pulvisculi *appellatione, quâ non tantùm mortui, sed etiam viui homines ab Isaia* 40. *c. notantur rectè minuendum censuit Vigilantius. Neque Ouidius vllâ se contumeliâ Achillis Reliquias afficere putauit, quum de Metamorph: lib.* 12. *sic cecinit:*

Iam cinis est, & de tam magno restat
Achille
Nescio quid, paruam quod non benè
compleat vrnam.

sed eas cum Achille ipso collatas perexiguæ existimationis esse, hac loquendi formâ significare voluit. Quantò rectius hoc aptauit Vigilantius ad Reliquias Martyrum collatas cum Deo, cuius Cultum illis deferri indignabatur? Præsertim quum sciret, æneum serpentem, opus Mosis, typum Christi, quum itidem coleretur Nehustam *vocari: quæ dictio non minorem contemptum significat, quàm* Nescio quid, *aut* puluisculum. *Quod si non putâsset Martyrum Reliquias pretioso velamine tegendas, quum sepeliuntur: nequaquam tamen censuisset, sicut infert sophisticè Hieronymus, eas vel pannis vel cilicio colligandas, vel in sterquilinium abijciendas esse. Christi enim corpus sepultum est in horto, non in sterquilinio: neque colligatum cilicio, vel pannis, sed inuolutum mundâ sindone, linteisque obuinctum: & tamen hæc fuerunt tam parui pretij, Hieronymo teste in Comment. in Matth.* 27. *cap. vt simplex eius sepultura condemnet, ambitionem diuitum, qui nec in tumulis quidem possunt carere pretiosis linteis. Verùm Reliquias pretioso velamine tectas, adorari; non sepeliri, sed in modico vasculo transferendo adorari & coli, Vigilantius improbauit: & quod vix Reliquiis Thesei aut Demetrii factum est à Græcis, id à Christianis Gentilium propè ritu, puluisculo nescio cui sub religionis prætextu fieri prohibuit. Laudandus igitur est potius ob pietatem erga Deum, quàm impietatis in Sanctos accusandus Vigilantius, quòd Reliquias eorum tanto honore adorari noluit. Hæc paulò prolixius de loco Hieronymi contra Vigilantium annotare volui, quem Bellarminus citat, vt intelligatur, quid de eo, adeóque tota Hieronymi disputatione illa sentiendum sit.*

Ruffinus.

Ruffinus *nihil aliud scribit*, quàm fideles nonnullos, inter Ethnicos, qui ossa Ioannis Baptistæ ad exurendum collegerunt, mixtos, quædam illorum furtim subtraxisse, & ad Philippum Hierosolymitanum Episcopum detulisse, qui Athanasio ea miserit: *De cultu illorum religioso ne verbum quidem habet.*

Augustinus.

Augustinus *Reliquias Sancti Stephani* conuenienter honorandas *monet. Ergo non vult, vt adoratione, vel alio modo ipsis non conueniente seu competente honorentur. Et quid de tota hac causa Augustinus iudicet vel sentiat, suprà à nobis indicatum est.*

Auctor libri de Eccles. dogm.

Auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus *dicit*, Reliquias Martyrum syncerissimè honorandas esse: *hoc etiam nos docemus: negamus autem eas adorandas, vel alio modo Cultu religioso honorandas.*

Leo Papa *scribit*, In honorem transiisse triumphi, etiam instrumenta supplicii. *Quid obsecro hæc verba iuvant Bellarminum, eiúsque causam?*

Vt summatim dicam, Omnia Concilia, & Omnes Patres à Bellarmino adducti, hoc tantùm volunt, honorem ossibus Sanctorum, & eorum Reliquiis deferendum esse. *Nullus autem Orthodoxorum hodiè negat hoc. Illud saltem negamus, talem honorem illis exhibendum esse, qualem hodiè exhibent eis Pontificij: neque ex Patribus hoc demonstrari & probari potest.*

Dissimulari tamen non potest, has & similes phrases ac sententias Patrum, sine Scripturæ testimonio, & absque vetustissimæ Ecclesiæ exemplis vsurpatas, sequentibus temporibus superstitioni non modicam occasionem dedisse.

Rhetoricationes Patrum quorundam de Reliquiis

Aliorum autem Patrum dicta & sententias, quas adducit Bellarminus, si non concedat Rhetoricationes & orationis flosculos esse, quibus frequentissimè aliqui eorum vsi sunt, fatendum & concedendum omninò erit, eas manifestam blasphemiam in Deum continere, & Idololatriam stabilire. Basilius *enim scribit*, Qui contingat ossa Martyris, eum quandam sanctificationis societatem assumere, ex gratia corpori insidente. *Item*, Regionem administratores esse, & veluti turres quasdam cohærentes securitatem ab hostium incursu exhibere. Gregorius Nyssenus *dicit*, Conditorii, in quo Martyris corpus quiescit, con-

Basilius.

Nyssenus.

contrectationem, multos sanctificationem & benedictionem credere esse. Georgius Nazianzenus *inquit*, Martyrum vel sola corpora idem posse, quod animæ eorum sanctæ possint, *&c.* Chrysostomus *hac scribit:* Sæpius Martyres invisamus, tumulos adoremus, magnaque fide Reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionem aliquam assequamur. *Huius generis superstitionem semina plura apud hos aliósque Patres inueniuntur, qua omnia ne ab ipsis quidem Pontificiis probantur. Augustinus tamen illud Basilij, de gratia & virtute diuina insidente Reliquiis Sanctorum, ita conatur tollere, vt disputet,* Deum vbicunque vult, quando & quomodo vult, per Angelorum ministeria, talia Miracula apud sepulchra Martyrum posse edere.

Nazianzenus.

Chrysostomus.

Augustinus contra vigilantium.

Ex his omnibus iam intelligitur, quàm futilia sint qua Baronius Tomo quinto, Annal. pag. 248. *de Patrum consensu scribit quod ad Reliquiarum Cultum & Venerationem religiosam attinet.* Quis putet, *inquit*, hominem adeò posse reperiri vecordem, fatuum, mente captum, delirumque vel furiosum, qui eò insaniæ atque furoris se præcipitem ferre sinat, vt sanctis Patribus omnibus posthabitis atque spretis, in vno putârit Vigilantio inesse veram Ecclesiam, & quam sequatur, Catholicam veritatem? Certè quidem quàm paucissimos Vigilantius habuit sectatores, eosdemque absque propagatione posteritatis vnà cum hæresiarcha simul exstinctos, siue ijdem sic malè seducti, iam facti mentis compotes resipuerint. Ac quid de illis dicendum sit, quis mente concipiat, qui post duodecim fermè decursa secula, morem Ecclesiæ, Patrum traditione & doctrinâ semper assertum ac propagatum, explodendum esse, damnatam verò ac improbatam, illusam, derisam, atque proscriptam hæresin Vigilantii putauerint esse recipiendam, tuendam, atque in omnibus amplexandam? Tales planè phreneticos atque phanaticos Ecclesia nostri temporis patitur: quos ita cognitos sequi, quid aliud est, quàm se à Deo penitùs derelictos esse, & in erroris operationem prorsus esse traditos intelligere?

Baronius futiliter iactat consensum Patrum de cultu Reliquiarum.

Ergo inuentula ista superstitio hac in Ecclesia incognita fuit. Ergo hac superstitio S. Scriptura testimonio caret.

QVARTO & QVINTO, *probat Bellarminus religiosum Cultum Reliquiarum, ex* Miraculis *factis ad Reliquias*, quæ certè, *inquit*, non fierent, si Deo Cultus Reliquiarum non placeret. *Argumentum sic formari potest.*

Ad quas res fiant Miracula, earum Cultus religiosus probatur Deo:

Sed ad Reliquias Martyrum fiunt Miracula.

Ergo

Cultus religiosus Reliquiarum probatur Deo. Negatur Maior. Est fallacia A non causa vt causa. Non enim facta sunt à Deo illa Miracula. apud Reliquias Martyrum, vt earum Cultum religiosum probaret: sed potius vt fidem & doctrinam eorum Martyrum confirmaret, ad quorum Reliquias illa Miracula edidit. Sic Augustinus de Ciuit. Dei lib. 10. *c.* 10. *scribit*, Miracula facta esse ad commendandum vnius Dei cultum. *Et Beda lib.* 1. *in Marcum capite* 1. Ad hoc, *inquit*, fiebant signa, quæ vel ipse Dominus in assumpto homine faciebat, vel discipulis facere dedit, vt per hæc Euangelio regni Dei quod prædicabatur, certius crederetur.

Miracula cur apud Reliquias edita;

Huc pertinent vera illa Miracula, *quorum cùm alii Patres meminerunt, tum etiam Augustinus de Ciuit. Dei lib.* 22 *cap.* 8. *Cùm enim in primordio Christiana religionis, Gentilismus; & progressu temporis, Ariana quoque hæresis contra diuinitatem Christi longè lateque, & quidem cum potentia in ipsis Imperatorum aulis grassaretur, apud nonnullorum Martyrum sepulchra & Reliquias Miracula quadam sanationum & similia edita sunt, ad testificandam & confirmandam fidem illam, pro cuius confessione Martyres sanguinem suum effuderant.*

Hac autem ipsa Miracula AVGVSTINVS *fatetur*, pleraque talia esse, quæ non tanta commendet authoritas, vt sine difficultate aut dubitatione credi possint. *Imò de causa efficiente, seu authore horum Miraculorum qua fiebant ad Memorias & Reliquias Martyrum, sic variè & dubiè idem Pater disputat, vt quid ipse senserit vix intelligi possit. Nam libro* 22. *de Ciuit. Dei capite* 10. Faciunt, *inquit*, hæc Martyres, vel potius Deus, vel orantibus, vel cooperantibus illis, vt fides confirmetur, quâ eos non Deos esse nostros, sed vnum Deum habere nobiscum credamus. *Et cap.* 19. Siue Deus ipse per seipsum hæc operetur, siue per suos ministros: siue quædam faciat etiam per Martyrum Spiritus, siue omnia ista per angelos operetur, vt quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant: siue alia fiant istis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus possunt, &c. *Idem De cura pro mortuis, cap.*16. An Martyres ipsi præsentes sint, quando ad Memorias ipsorum Miracula fiunt: an verò Deus per Ministeria angelorum opituletur, & Martyres generaliter orantes audiat: res hæc altior est, quàm vt à me possit attingi: & abstrusior, quàm vt à me valeat perscrutari.

Augustinus de Miraculis.

A posterioribus verò scriptoribus multa Miracula his veris adiecta & immixta sunt, qua fabulis quàm veris miraculis similiora sunt. Vt quod de Chrysostomo scribit Nicephorus, nugarum & fabularum plenus, cùm Imperator Theodosius misisset, qui corpus ejus efferrent,

Recentiores authores multa Miracula falsa veris adiunxerunt.

derent, & inde transferrent, tumulum primùm se prorsus immobilem præstitisse, donec per literas Martyri supplicatus sit Imperator, vt se inde abduci pateretur: quod & postea factum sit. *Ibidem verò præter alia, quæ falsa absque dubio sunt, & hoc refertur esse factum*: quòd cadauer in thronum collocatum à morte ejus anno 35. aperto ore benedixerit populo: *lib. 14. capite 43. 45. Translationis meminit etiam Socrates lib. 7. cap. 45. de tumulo autem, & literis supplicibus, deque benedictione Chrysostomi, quæ nugatur Nicephorus, ne gry quidem habet Socrates. Vuernerus in Fasciculo temporum nugatur*, caput Ioannis Baptistæ in Aquitaniam deportatum, amicos Pipini in bello infectos resuscitâsse. *Ranulphus refert lib. 6. capite 2.* Ciues Carnetenses Camisiam Mariæ, per Carolum Calvum eò Constantinopoli translatam, loco vexilli de muro suspendisse, camque Rollonem Danum cum suo exercitu cæcitate percussisse, indeque abegisse. *De translatione Firmini Ambianensis Episcopi Vincentius nugacissimus in Spec. Hist. lib. 17. cap. 91. ita scribit:* Vt sanctus Præsul & religiosi Sacerdotes Firminum Martyrem à sepulchro leuarent, cùm esset hyems & glacialis asperitas, scilicet Id. Ian. tam calidus feruor mundum invasit, vt illi qui aderant stupefacti, totum mundum æstimarent ab imminentia caloris dissolui, & ad nihilum redigi. Etenim Sol in Cancrum contra naturam flamigeris invectus quadrigis æstiuali feruore nimietatem frigoris in vno momento dissoluit, idem que calor penè trium horarum spatio mansit. Dum autem sanctum Martyrem populi deferentes ad vrbem iter acciperent, occurrentes cateruæ plurimæ, vestimenta sua in via sternebant, & clamabant, Osanna in excelsis; & subitò respicientes viderunt omnes arbores florum amœnitate vernantes ac suauiter redolentes, quasi vt propè jam formatum fructum depromerent. Cacumina verò arborum cum fructibus assiduè gliscentibus submissa astabant, & inclinando (*hunc honorem arbores Prophetis & Apostolis, imò ne Dei quidem Filio vnquam exhibuerunt*) obsequium in aduentu præclari Martyris præbebant. Omnis autem plebs admirans confestim frondes cum floribus de arboribus euellebat, & in via humili deuotione pendebat. Omnia quoque prata & campi circumquaque Ambianis in momento plena fuerunt rosis & liliis, ac diuersis generibus olerum & florum. Quotquot autem infirmi obuiam accedentes rumpebant flores, & in plateis semitisque sternebant, sanitatem recipiebant. *Hactenus Vincentius. Sed meram esse fabulam vel infans intelligit: & miror non puduisse Monachos huius generis nugarum & fabularum. Idem Vincentius lib. 24. cap. 95. refert*, Presbyterum quendam paralyticum ad Dunstani tumbam delatum, statim sanitati restitutum esse: At cùm inter pocula id beneficii soli Dunstano adscribere nollet, pristino morbo correptum concidisse, & horrendo boatu spiritum emisisse. Lampertus, *vt Sigebertus narrat*, Louaniensium Comes, phylacterium de collo in pectus vsque dependens, sanctorum Reliquiis plenum, circumtulit: atque hoc patrocinio se adversus omnis generis pericula tutum fore credidit. Verùm in prælio aduersus Godfridum ducem, fascinum illud de collo in campum prosiliit: moxque Comes, ante invictus, perimitur: Militum autem quidam, agnitum phylacterium in caligis abscondit, sed res tumore coxæ & crucis ejus proditur. *Vuernerus in Fasciculo temporum, & Mutius libro 7. de Germania referunt*, Cùm ad Fuldense Monasterium, Bonifacij Moguntini Episcopi ab Ethnicis occisi, cadaver ex Frisia perlatum fuisset, omnes campanas, sine vllius hominis agitatione aut impulsu, solito clarius sonuisse.

Hæc pauca exempla ex multis millibus adducere volui, vt saltem ex his iudicari & intelligi possit, pleraque Miracula, quæ à recentioribus authoribus, Monachis inprimis otiosis, narrantur, nihil quàm nugas vanissimas, mendacia & fabulas esse, ab aucupibus auarissimis, Monachis scilicet & Sacerdotibus quæstûs causâ excogitatas. Aut si verè acciderunt eiusmodi Miracula, dubium tamen nemini esse debet, quin magica, & illusiones seu præstigia & fascinationes Satanica fuerint, ad decipiendos & in errore retinendos homines edita. Vincentius certè ipse, in narratione Miraculorum, quæ in circumgestatione S. Mariæ Laudunensis, aliarumque Reliquiarum, acciderunt, vt colligendis pecuniis inseruirent, ad Templum Laudunense reparandum, quod igne absumptum fuerat, fatetur lib. 26. cap. 21. jam tum fuisse quosdam, qui quæstûs gratiâ per magiam ista Miracula facta esse apertè contestati sint: *sed mox aliò deflectit orationem suam. Et de Tundali visionibus idem verba facere cessans, subiungit:* Hæ visiones & similes apud Doctores nostros calumniam patiuntur, *&c. Tanta nimirum est mendaciorum impudentia, vt ipsosmet authores eorum propemodum pudeat: attamen quæstûs causâ non contradicunt grauiùs.*

Solet autem Deus interdum permittere, vt per Diabolos edantur Miracula vera, vera, inquam quantum ad effecta ipsa attinet. Inde verò non sequitur, Deum Idololatrias, quæ per talia Miracula confirmantur, approbare. Facit hoc Deus, partim ad tentandos Electos, an sint in fide & verbo eius constantes: partim ad maiorem reproborum excæcationem & indurationem, vt (*Deus permittit interdū Diabolos vera edere Miracula, &c.*)

in eis

in eis peccata peccatis puniat. De prima causa Deus ipse apertè dicit Deut.13 cap. Si surrexerit Propheta, & dederit tibi signum & portentum, atque euenerit quod locutus est: Si dixerit tibi, Eamus post Deos alienos, quos nouisti, non audies verba Prophetæ illius, quia tentat vos Dominus, vt palàm fiat, an diligatis ipsum. Matth. 24. Christus inquit, Surgent Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi. De altera loquitur Paulus 2. Thess. 2. cap. cum de aduentu Antichristi in signis & portentis loquitur: Docet enim, Deum mittere Spiritum erroris ijs, qui nolint dilectionem veritatis amplecti, vt credant mendatio. Et Apocal. 13. capite de Antichristo dicitur, Facit signa magna, & seducit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu Bestiæ, &c.

Ex solis miraculis non probari potest falsum dogma recipiendum esse.

Ex solis igitur Miraculis, siue veris, siue falsis, non efficitur, probandum & recipiendum esse dogma aliquod, quod pugnat cum aperto Dei verbo. Cùm itaque Cultus religiosus, inuocatio & adoratio Reliquiarum, pugnet cum Scriptura, atque noua sit; nulla signa & Miracula extra verbum Dei, ad probationem noui istius dogmatis admittenda sunt. Si enim relictâ regulâ verbi Dei, Miraculis solis agendum sit, & ex ijs de doctrina iudicandum, eadem operâ vniuersam Ethnicorum idolomaniam stabiliemus. Paria enim si non plura & maiora Miracula, edita sunt apud Ethnicos ad confirmandum Cultum mortuorum, eorumque corporum & ossium.

SEXTO & SEPTIMO, probat Bellarminus religiosum Cultum Reliquiarum ex reuelatione, inuentione & translatione earum. Si enim, inquit, Deo cultus Reliquiarum non placeret, cur ipse seruis suis corpora Sanctorum, quæ latebant, ostenderet? Item, Negari non potest, quin ad honorem pertineant Sacrorum ossium translationes. Argumentum Iesuitæ sic formari potest.

Quicquid reuelatur, inuenitur & transfertur, id religiosè debet coli & adorari.

Reliquiæ Sanctorum sunt reuelatæ, inuentæ & translatæ.

Ergo,

Religiosè debent coli & adorari Reliquiæ.

Cur reuelatæ sint Sanctorum Reliquiæ.

Negatur major: & est etiam fallacia Non causæ vt causæ. Non enim hæc facta sunt diuinitus, si modò diuinitus, vt Reliquiæ vel ossa mortuorum colerem religiosè & adorarent: hic enim Cultus creaturarum prohibetur in verbo Dei; sed vt ex locis ignobilioribus ad nobiliora seruorum Dei corpora transferrentur, & honestæ sepulturæ honore afficerentur: cuius rei supra quædam Exempla ex veteri Testamento adduximus. Iacobi enim & Iosephi Patriarcharum corpora translata sunt ex Ægypto in terram Chanaan, non propter religiosum Cultum & adorationem, sed vt sepelirentur cum Patribus suis. Dauid quoque Saulis & Ionathæ ossa, sepulta in nemore Iabes honoris causâ in terrâ Beniamiticam transferri, ibique in sepulchrum paternum Saulis reponi curauit. Sic Sozomenus lib.5.c.8. refert, ossa Martyrum Nestabi & Eusebij fratrum, quæ Gazenses miscuerant cum ossibus camelorum & asinorũ, ne à Christianis internosci possent, sanctæ cuidam fœminæ diuina reuelatione ostensa, & ab eadem collecta fuisse. Dignum enim & iustum est si contingat, vt corpora Sanctorum extra Ecclesiam inter Idololatras sepulta sint, aut insepulta iaceant, aut in frusta discerpta & dissipata ea colligantur, &, si fieri possit, in honorifico loco sepulturæ fidelium collocentur. Eodem modo multa leguntur diuinitus reuelata & inuenta esse, non quidem propter religiosum Cultum & adorationem, sed alias causas.

Falsæ reuelationes Reliquiarum.

Progressu verò temporis multas huiusmodi reuelationes & inuentiones factas legimus quas tamen constat fuisse vel mendacia Monachorũ aliorumq. vanissimorũ hominũ: vel præstigias & illusiones diabolicas, vt hoc modo cultus rerũ mortuarum & creatarum hominum animis instillaretur. Vt de hoc nihil dicã, quòd de multorũ corporũ inuentorũ veritate, nõ immeritò dubitari possit. Sic Nicephorus lib.14.c.8. narrat, Zachariam Prophetam à Ioa Rege Iudææ occisum, reperisse casu quendam agricolam circa Eleutheropolim Palæstinæ, sub Theodosio iuniore. Quis enim agricolæ huic dixit, Zachariæ Prophetæ & non alterius hominis ibi sepulti fuisse?

OCTAVO, Iesuita Cultũ religiosũ Reliquiarũ probat ex eo, quòd sub Altari conduntur. Argumentum tale est.

Quicquid sub Altari ponitur & asseruatur, sanctum, religiosum, & colendum seu adorandum est.

Reliquiæ sub Altari ponuntur.

Ergo,

Reliquiæ religiosè colendæ & adorandæ sunt.

Primò negatur Maior: est enim fallacia A non consequente. Non enim Christianis aliquid colendum & venerandum est religioso Cultu, vel adorãdum quia sub Altari iacet & latet. Nam, vt supra quoq; ostendimus ex Ambrosii lib.10. epist.85. ad finem, etiã quorumcunque Episcoporum corpora ponebantur sub Altari, in quo Cœnã Dominicam administrârunt dum viuerent: non tamen propterea ea religiosè coluerunt & adorârunt. Falsum & hoc est, quòd dicit Iesuita, consuetudinem ponendi Reliquias sub Altari Apostolorum temporibus cœpisse. Nam, vt supra indicauimus, tum nulla prorsus Christiani habuerunt vel Templa, vel Altaria. Adhuc superstitio de recondendis & asseruandis Reliquijs, tunc etiã temporibus nondum fuit. Quòd autem probationis loco adducit locum ex Apocalyp.6.cap. vbi ostensæ sunt Ioanni animæ Martyrum sub Altari,

Locus Apoc. 6. explicatur.

vanum ac friuolum est. Hoc enim non ideò factum est, vt Iesuita nugatur, quia corpora Sanctorum in terra sub lapideis Altaribus quiescunt: sed quia fideles Christo subiecti, & per eum redempti sunt, qui nunc est in cœlis, intercessor & expiatio pro peccatis fidelium: propter Christi expiationem & propitiationem quiescunt in cœlis jam animæ Martyrum & omnium piorum: ipse est vita & salus eorum, sub illo tanquam vmbraculo latent. Sic exponit hunc locum non solùm Ambrosius, jam dicto loco, sed etiam Thomas Aquinas: Per Altare, *inquit*, signatur Christus, in quo & per quem Patri offerre debemus, quicquid boni agimus: & per ipsum est acceptabile quicquid Deo est gratum. Sub hoc Altari, scilicet sub Christo, sunt animæ, non solùm in statu vitæ (dum scilicet in hisce terris versantur) sed etiam in statu patriæ (vtique in cœlo) sicut sub eo à quo subteguntur, sicut sub vmbraculo contra omne malum. *Hæc ille.*

Secundò, *nego etiam minorem. Nam etsi corpora Sanctorum olim sub Altari sepulta fuerint, hodiè tamen solent ea Pontificij ferè collocare super Altaria, in vrnis & vasis vitreis, vel argenteis & aureis, vt ab omnibus videri & adorari possint.*

NONO, *probat Bellarminus suam sententiam ex vsu lampadum & cereorum, qui ante Reliquias jam olim quoque accensi fuerunt.*

Argumentum tale est.

Ante quod accenduntur lampades & cerei, id est religiosè colendum & adorandum.

Ante Reliquias accenduntur lampades & cerei.

Ergo.

Reliquiæ sunt colendæ & adorandæ.

Respondeo, Committit hic Iesuita pro more suo fallaciam A non causa. Non enim lampades & cerei signum sunt cultus religiosi; alioquin parietes quoque Templorum, Statuæ vel Imagines, & talia multa religiosè colenda essent. Ac refutabo Bellarminum ex ipso Bellarmino. Non colum. 2086. sic inquit: Dico cereos accensos coram tumulis Martyrum non esse signum adorationis: nam non offeruntur cerei Martyribus tanquam Sacrificia, sed accenduntur in signum lætitiæ: Ignis enim accendi solet ad lætitiam significandam etiam in rebus prophanis. Prætereà, ignis signum est gloriæ: vnde Imperatoribus Romanis, & Imperatricibus vbique ignis præferebatur, teste Herodiano lib. 1. Sancti autem verâ gloriâ nunc fruuntur, & cum Christo regnant, atque imperant in cœlis, vt meritò illorum memoriæ accendi possit. Denique ignis signum est vitæ: proinde cereis protestamur viuere Sanctorum animas, & ipsa corpora suo tempore victura. *Hæc Iesuita. His autem apertissimè suam Majorem refutat Bellarminus ipse: non enim vult, cereos signum esse religiosi Cultus & adorationis.*

DECIMO, *probat religiosum Cultum Reliquiarum ab Vtili & Honesto.* Deus, *inquit*, nihil vtilius nobis reliquit ad salutem, Sanctorum Reliquiis: nihil enim efficaciùs repræsentat, & infigit in animo memoriam Sanctorum, quàm sepulchrum ipsorum: statim enim atque videmus sepulchrum Sancti alicuius, recordamur illius, & virtutum ejus, patientiæ, charitatis, castitatis, pietatis: & simul cogitamus quantâ gloriâ fruatur in cœlis pro labore hujus vitæ *&c.*

Argumentum tale est:

Quicquid vtile & honestum, religiosè colendum est.

Reliquiæ sunt vtiles, earumque vsus honestus est.

Ergo.

Reliquiæ religiosè colendæ sunt.

Maior manifestè falsa est. Ad Minorem etiam respondeo, Laudandum quidem esse, exstare honestā memoriam Sanctorum mortuorum inter Christianos: ossa autem, vel Reliquias & sepulchra eorum ideò religiosè coli debere, negamus. Sic Smyrnenses collegerunt ossa Polycarpi Martyris, eaque sepelierunt, non vt vel ossa vel sepulchrum religiosè colerent, sed tantùm memoriæ causâ: vnde etiam Martyrium eius ad hoc sepulchrum, gloriosè prædicabatur, vt hoc modo superstites, ad futura certamina pro fide subeunda & perferenda, præpararētur, excitarētur & confirmarentur, sicut epistola eorum testatur. Deinde, quòd Iesuita sic argumentatur ab honesto: Corpora Sanctorum mortuorum fuerunt Templa Spiritus sancti, & Organa sanctarum actionum: ergo sunt religiosè colenda: *Respondeo, negari consequentiam: nam eodem modo omnia piorum & fidelium corpora colenda essent, quia sunt Templa Spiritus sancti & Organa virtutum. Sed excipit Iesuita,* hæc corpora Martyrum esse pignora patronorum, & instrumenta Dei ad Miracula: *quod falsum & impium est.*

CAPUT VIII.

De Origine & Progressu IMAGINUM vel SIMULACHRORUM apud Gentes.

EX *Historia sacra, quæ exstat Gen. 31. & apud Iosephum lib. 1. cap. 27. Antiq. apparet, longè ante Mosem Simulachrorum vsum fuisse: nam Rachel Syra, cùm eius maritus à Mesopotamia à Labano socero aufugisset,* simulachra Deorum *seu* Theraphim patri suo furata ibi dicitur. *Facta sunt hæc anno mundi conditi 2205. Credibile igitur, Labanum idola ex suorum maiorum traditione accepisse. A quo verò authore ea profecta sint inquirere, haud fore alienum ab instituto nostro arbitror.* *Ante Mosem Simulachra fuere.*

Bere-

Simulachrorum inventor Ninus iuxta Berosũ.

Berosus igitur de Origine Simulachrorum apud Gentes non procul à vero aberrâsse videtur in vita Nini, quem affirmat vrbem Niniuen ornâsse, & primùm omnium Belo patri & matri Iunoni ac Rheæ auiæ Templum & statuas in media Babylone exstruxisse. *Refert etiam Victor Massiliensis libro tertio. Videtur hoc esse factum circa annos à mundo condito* 1915. *Confirmat hoc Cyrillus lib.* 3. *contra Iulianũ, vbi testatur*, ante Diluuium nullam fuisse Idololatriam, sed primò exortam in Babylone, vbi Ioui Belo primùm diuini honores impensi sint. *Qua de re Auentinus etiam lib.* 1. *Annalium ita scribit:* Anno regni Tuisconis centesimo duo de vicesimo, Belus Iupiter filius Nemrothi Rex Babyloniorum II. naturæ fatoque concessit. Ninus filius patri in regno succedens, seu vt diuinâ stirpe natus videretur, seu pietate motus, vt memoriam defuncti genitoris coleret, seu quod magis credam, instinctu mali Genij patrem consecrat, pro Deo ab omnibus coli præcipit, eidem diuinos defert honores, ab omnibus deferri edicto publico jubet. Templum insuper addit, cujus Plinius meminit, statuam in media Babylonia ponit atque dedicat, quæ ab omnibus adoraretur. Ibi tum desertores iates, spiritus fallacissimi, diuinitatis affectatores, vt hujusmodi errorem humano generi immitterent, atque ea pestis latè longeque inualesceret, auocaretque à veri Dei notione, per quam solam potest mors æterna vitari, illapsi hujusmodi potentissimorum regum Simulachris, adsciuerunt eorum nomina. Mentitis itaque atque ascitis eorum nominibus, vt fallerent, responsa dederunt, & sub horum titulis, honores sibi Deorum vindicârunt, sub nominibus mortuorum delitescentes, viuentibus plagas extenderunt. Humanas enim bostias, ipsi hostes humani generis, excogitârunt, vt perquàm multas deuorarent animas. Ita dejiciendi hominis causâ se Deos mentiti sunt, & varios sibi Cultus peruersâ Religione condiderunt. Cùm enim sint perditores hominum, custodes tamen se vocârunt, vt ipsi colerentur, Deus non coleretur. Quoniam eùm sint Spiritus tenues & Incomprehensibiles, insinuabant se corporibus hominum, occultè valetudinem vitiabant, morbos citabant, somnijs animos terrebant, mentes furoribus quatiebant, vt homines his malis cogerentur ad eorum auxilia decurrere: prodesse putabantur, cùm nocere desinebant, qui nihil aliud possunt quàm nocere: pluuias quas jam sentiebant repromittebant, fallaciæ eorum fuit aqua cribro gestata, cos nouaculâ discissa, nauis cingulo promota, vt numina lapides credentur, *&c. Hucusque Auentinus.*

Simulachrorum author Thare secundũ Epiphanium.

Epiphanius verò principium Idololatriæ ad tempora quidem Nini, sed tamen ad alium authorem extendit. Nam in Panaria sua inquit: Eo tempore (*viuente Patriarchâ Saruch*) incepit Idololatria: nondum tamen in Statuis, sed duntaxat in Imaginibus per colores repræsentatis. *Et iterum idem:* Nascitur ipsi Saruch filius Nachor, & huic Thare. Hinc fieri cœperunt Statuæ ex luto & arte figulati, per industriam hujus Thare. *Et in Anacephalæosi inquit clarius paulò tamen aliter:* Græcismus à temporibus Saruch exorsus per Idololatriam, & sicut quisque tunc procedebat secundum aliquam superstitionem, ad ciuiliorem vitam, moresque ac statura, ita tamen vt Simulachra tum cœperint poni hominum genera, quæ tunc sequebantur & deificabant, per colores quidem ab initio depingentes ac repræsentantes eos, qui olim apud ipsos in honore fuerunt, aut Tyrannos, aut præstigiatores, aut qui aliquid fecerunt in vita memorabile, per fortitudinem siue corporum robur. Deinde verò à temporibus Thare patris Abraham, etiam per Statuas Idololatriæ errore inducto, primos suos parentes colentes, & eos qui ante ipsos vitâ functi erant fabricantes, ex singulari primùm arte, deinde cùm omnes artes ad imitationem excitarentur, ædificatores quidem lapidem ad hoc cædentes atque exsculpentes: argentarij verò & aurifusores per propriam artis suæ materiam effingêtes: ita etiam fabri lignarij & reliqui. Ægyptii autem & Babylonij simulque Phryges ac Phœnices, hujus superstitionis primi authores fuerunt, tum Statuariæ, tum Mysteriorum, à quibus plurima ad Græcos translata sunt, ab ætate Cecropis, & deinceps. Deinde verò & longè posteà Saturnũ & Rheam, Iouemque ac Apollinem, & alios Deos declarârunt. *Hactenus Epiphanius. Regnauit autem Belus Iupiter temporibus Saruchi Patriarchæ, circa annos à condito mundo* 1850. *Ninus verò ætate Thare patris Abrahami. Vbi non prætermittendum quod Procopius Gazæus Sophista in Comment. ad* 11. *cap. Genes. annotat*, ante Thare, hoc est, viginti generationibus nullum inuentum fuisse, qui naturali morte obierit ante parentes suos: primum Thare, vt à Mose ibi refertur, amisisse filium Haran, idque propterea QVOD ADINVENERIT ARTEM DEO ADVERSAM.

Idolorum author Nimroth

Gilbertus etiam Cognatus Narrationum libro 4. *Idolorum initium non ad Ninum, sed ad eius auum Nimrothum gigantem Babylonicum refert. Is enim filio suo primogenito Ioue Belo amisso, ad lenimen sui desyderij Statuam posuit, & erexit auream in Templo & in Palatio, eamque*

que mox colore cœpit, tanquam Deum, ad eam Sacra fecit, Hostias immolauit, atque Sacrificia constituit inter domesticos. Deinde successu temporis solis error pro lege custoditus est: & ad eam confugientes homicidæ, latrones, & capitalis supplicij rei, statim veniâ codicillari donabantur.

Locus Sapientiæ 14. cap. explicatur.

Videtur in hac quoque sententia fuisse author libri Sapientiæ cap. 14. vbi inquit: Inani hominum gloriâ seu ambitione in mundum introducta sunt Idola vel Simulachra. Acerbo enim luctu præmaturè abrepti filii dolens pater Imaginem fecit, & jam anteà mortuum hominem, nunc tanquam Deum colere cœpit, & domesticis suis tradidit, & constituit inter seruos suos Sacra & Sacrificia. Deinde progressu temporis, impia consuetudo præualescens, pro lege seruata est, *&c.*

Simulachra Diluuium iuxta Tertullianum.

Tertullianus verò adhuc altius ascendens, affirmat, etiam ante Diluuium Idola & Idololatriam in vsu fuisse: *quod tamen Cyrillus & Epiphanius constantissimè negant. Nam in libro de Idololatria dicit,* Enochum simul & cultores idoli & fabricatores damnâsse.

Simulachrorum inuentor Prometheus.

Nihilominus tamen Historici tam Græci quàm Latini, Idolorum & Simulachrorum vsum ad alios authores referunt. Lactantius enim Firmianus à Prometheo manâsse huiusmodi vsum tradit lib. 2. Diuinarum Instit. quum inquit: Quia Poëtas dixeram non omninò mentiri solere, sed figuris inuoluere & obscurare quæ dicant, non dico esse mentitos, sed primum omnium Prometheum Simulachrum hominis formâsse de pingui & molli luto, ab eoque natam esse primò artem fingendi Statuas & Simulachra.

Simulachrorum authores apud Æthiopes Ægyptios, Græcos.

Alij, vt author est Diodorus lib. 4 dicunt, Æthiopes Simulachrorum vsum inuenisse primùm. *Nonnulli Ægyptios tradunt, quòd eorum Reges, Sesostris, Amasis, Rhapsinates & Simandius id primi moliti sint. Eusebius in præfatione ad Chronicon suum, dicit,* Cecropem Diphyem primum omnium Iouem appellâsse, Simulachra reperisse, Aras statuisse & Victimas immolâsse. *Vixit autem Cecrops Mosis tempore. Alij rursus* Cadmum *Agenoris filium apud Græcos tradidere. Cùm enim ex Semele filia ab ignoto compresso, puerum suscepisset, mortuorum postea ab eo deauratum, & quasi Deum ingenti Cultu & Sacrificijs decoratum fuisse ferunt, parentemque Iouem existimatum, vt scilicet Semeles stuprum leniretur: Gilbertus Cognatus Narrationum lib. 3. & 4. Macrobius libro 1. Saturnal. ab* Hercule *Simulachra profecta autumat ex Epicadi sententia:* Epicadus, *inquit,* refert Herculem, occiso Geryone, cùm victor per Italiam armenta duxisset, ponte, qui nunc Sublicius dicitur, ad tempus instructo, hominum Simulachra pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amisisset, in fluuium demisisse, vt aquâ secundâ in mare deuecta, pro corporibus demortuorum, veluti patriis sedibus redderentur: & inde vsum talia Simulachra fingendi inter Sacra mansisse. *Iuxta hanc sententiam Simulachra originem sumpsissent post annum demùm à condito mundo 2715. quo Hercules Amphytrionis natus perhibetur. Idem tamen Macrobius sibi magis placere ait,* hunc morem à Pelasgis fluxisse. Illi enim, *teste Dionysio Halicarnassæo in 1. Annol. Roman.* postquam diu errabundi in Latium venerant, in lacu Cutuliensi enatam Insulam deprehenderunt, decimâ prædæ secundum responsum Apollinis consecratâ, erectisque Diti Sacello, & Saturno Arâ, illum humanis capitibus, hunc virorum victimis placare se existimabant, propter Oraculum in quo erat.

Et capita inferno, & patri transmittite lumen.

Posthac Herculem ferunt cum Geryonis pecore per Italiam reuertentem, suasisse illorum posteris, vt faustis Sacrificijs infausta mutarent, offerentes Diti non hominum capita, sed oscilla id est, paruæ ora; ad humanam figuram formata, & Saturni Aras non mactatu viri, sed accensis cereis excolentes. Inde fuit consuetudo, vt & Cerei Saturnalibus mitterentur, & sigilla, hoc est, oscilla arte fictili fingerentur, referente Polydoro Vergilio lib. 2. cap. 23. de Inuentione rerum.

Pausanias in Messenicis refert, Bupalum architectum & plastem insignem Smyrnæis Fortunæ signum omnium vetustissimum finxisse primùm, capitique polum imposuisse, altera manu Amaltheæ tenentem, *Herodotus quoque author est,* primos è Græcis Athenienses, à Pelasgis edoctos, statuas Mercurij efformasse. *Sunt præterea quidam, qui* Telchines apud Rhodum Deorum Statuas primùm fecisse velint. *Quidam* Hetruscos *seu* Tyrrhenos *prædicant. Cælius libro 29. cap. 24. Antiq. Lect. Plin. lib. 35. cap. 3.* De picturæ initiis, *ait,* incerta quæstio est: Ægyptii sex millibus annorum apud ipsos inuentam, priusquàm in Græciam transiret, affirmant, vanâ prædicatione, vt palàm est. Græci autem alij Sicyone, alii apud Corinthios repertam, omnes vmbra hominis, lineis circumducta. Itaque talem primam fuisse, secundam singulis coloribus & monochromaton dictam, postquam operosior inuenta erat, duratque talis etiam nunc. *Et c. 12 eiusdem lib. multis agit de inuentoribus Plasticos. Inter alia ait:* Fingere ex argillâ similitudines Dibutades Sicyonius figulus primus inuenit, Corinthi filiæ operâ, quæ capta amore juuenis, illo abeunte peregrè, vmbram ex facie eius ad lucernam in pariete lineis circum-

cumscripsit, quibus pater ejus impressâ argillâ, typum fecit, & cum cæteris fictilibus induratum igni proposuit, eumque seruatum in nymphæo donec Corinthum Mummius euerteret, tradunt. *Egregium scilicet principium habuit res vehementer stolida & vecors.*

Græcorũ insolentia taxatur. *Non mirum autem à plerisque authoribus Idolorum seu Simulachrorum inuentum Græcis tribui, cùm aliunde ad illos manârit: fuit enim gens ambitiosissima, vt quæ non solùm antiquissima ac princeps seu parens omnium populorum, sed & cunctarum rerum inuentrix haberi voluerit, atque etiam in scripta sua retulerit. Ea verò res posteriores Authores & Historicos mirificè decepit, ac mentiendi potestatem vetus aliquid scribere volentibus, amplissimam fecit. Vnde Cato Maior non iniuriâ Romanis persuadere conatus fuit,* Græcorum literis vt abstinerent: *cumque nihil obtinuisset, ijs qui nimium eorum scriptis delectari videbantur, peculiarem de Originibus rerum scripsisse ob id librum putatur.*

Idolorum author apud Romanos. *Cæterùm vt ad Græcos vsus & Cultus Simulachrorum aliùnde manauit, ita, vt Dionysius Halicarnassæus refert, vanitate & stultitiâ Græcarum Religionum Hetruscarumque domi imbutus Tarquinius Priscus, Romanos primus edocuit ipse Simulachra Dijs ponere: quod Tertullianus etiam subsignificat, inquiens:* Age iam rebus Religio profecerit. Nam etsi à Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut Simulacris aut Templis res diuina apud Romanos constabat, frugi Religio & pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia cœlo, sed temeraria de ce pite A ta ia, & vasa adhuc Samia, & nidor ex illis, & Deus ipse nusquam. Nondum enim tunc ingenia Græcorum atque Thuscorum fingendis Simulachris vrbem inundauerat: *sicuti refert etiam Ludouicus Viues ad Augustini lib. 4. De Ciuitate Dei c. 31. Plutarchus quoque de Numa testatur,* quòd nefas duxerit Imaginem aut effigiem aliquam Deo tribuere. *Iidemque Romani postea ex ære simulachrum primùm fecere Cereri ex Sp Cassij peculio, à patre propter affectatum regnum interempti, Plinio auctore lib. 34. cap. 4.*

Simulachrorum vsus politicus apud Gentes, cuiusque authores. *Obseruandum autem, apud Ethnicos non sacrum vbique ac Idololatricum, sed profanum tantùm, hoc est politicum Simulachrorum vsum multis in locis fuisse, Historiæ & grata memoriæ causâ. Diophantes Lacedæmonius, qui Antiquitatum libros quatuordecim scripsit,* Syrophanem, *ait*, Ægyptium, hominem locupletissimum, filio, superstitem, ejus desiderio Simulachrum domi constituisse, ad quod familiares confugerent, cùm domini iracundiam furoremque vitarent: quo modo veniam ab hero consecuti, herilis filij Simulachrum defuncti floribus & coronis ac sertis, aliisque rebus ornabant. *Plin lib. 34. c. 4. de Origine Imaginũ & Statuarum nihil certi afferens,* Effigies hominum, *inquit*, non solebant exprimi, nisi aliquâ illustri causâ perpetuitatem merentium. *Et mox*: Athenienses nescio an primi omnium Harmodio & Aristogitoni Tirannicidis publicè posuerint Statuas. Hoc actum est eodem anno, quo & Reges Romæ pulsi. Excepta deinde res est à toto orbe terrarum, humanissima ambitione. Et jam omnium municipiorum foris Statuę ornamentum esse cœpere, prorogarique memoria hominum & honores legi æuo, & basibus inscribi, ne in Sepulchris tantum legerentur. Mox forum & in domibus priuatis factum atque in atriis. Honos clientum instituit sic colere patronos. *Hæc Plinius. Exemplorum huius rei plena sunt omnes cùm Græcorum tum Latinorum Historiæ.*

Huic verò politico imaginum vsui per se non reprehendendo, apud eosdem progressu temporis accessit vel successit superstitiosus & Idololatricus Cultus: quod postea etiam apud Christianos factum, vt suo loco indicabitur. Nam & politicæ quædam Imagines in ipsa Templa collocatæ, ac puluinaribus Deorum impositæ leguntur. Mox vulgi vel ignorantia & stultitia, vel adulatio præter flores & coronas, suffitu etiam vel incenso, cereis, Sacrificijs, supplicationibus, anathematis aliisque diuinis honoribus Idola seu Statuas illas venerabantur. Quo pacto factum est, vt Idolorum Simulachra apud omnes Gentes tandem omnia delubra impleuerint, & diuinum Cultum vniuersum ad se paulatim rapuerint. Confirmat hæc quæ diximus author libri sapientiæ c. 14. quando dicit: ἀρχὴ πορνείας ἐπίνοια εἰδώλων, *hoc est,* Initium scortationis (*spiritualis scilicet*) est excogitatio Simulachrorum, & adinuentio illorum, corruptela vitæ est: neque enim erant ab initio, neque in perpetuum manebunt. Nam κενοδοξίᾳ, *id est,* inani hominum gloriâ seu ambitione in mundum introducta sunt, atque ideò velox ipsis interitus destinatus est. Acerbo enim luctu præmaturè abrepti filij, dolens pater Imaginem fecit, & iam antea mortuum hominem, nunc tanquam Deum colere cœpit & domesticis suis tradidit, & constituit inter seruos suos Sacra & Sacrificia. Deinde progressu temporis, impia consuetudo præualescens, pro lege seruata est. Et ob Tyrannorum mandata religiosis Ceremoniis culta sunt sculptilia. Et quos coràm vel præsentes honorare non poterant, eò quòd procul abessent, eorum è longinquo ad viuum expressam Imaginem Regis, quem honorare volebant, repræsentârunt, vt absentem, tanquam præsentem per adulationem studiosè colerent. Ad intentiorem autem Cultum, imperitio-

Ex politico simulachrorũ vsu apud Gentes fit superstitiosus.

tes provexit artificis eximia diligentia. Ille enim potentiori studens placere, similitudinem arte elaborauit ad summam elegantiã. Vulgus verò opificij venustate abductum, quem paulò ante vt hominem honorârat, mox vt numen colendum existimat. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quòd homines in seruitutem redacti incommunicabile nomen lignis & lapidibus imposuerunt. Infandorum enim simulachrorum cultus, omnis mali origo, causa & finis: nam inanimatis confisi Simulachris, vltionem malè facientes non timent, *&c.* *In quam sententiam Cyprianus quoque de Idolorum vanitate inquit*: Ad defunctorum Cultus per Imaginem detinendos expressa sunt Simulachra. Inde posteris facta sunt Sacra, quæ primitùs fuerant assumpta solatia.

Ethnici Simulachrorum primi auctores.

Ex his igitur quæ hucusque de Origine Imaginum, Simulachrorum & Idolorum ex probatis historijs commemorauimus, liquidò constare puto, ea ab Ethnicis & superstitiosis hominibus profecta, & post annos demum 600. conditi mundi ab illis ficta & excogitata fuisse. Innuit id etiam Ambrosius in Psal. 118. vbi dicit: Gentes lignum adorant, tanquam imaginem Dei. *Et Gregorius Neocæsariensis Episcopus disertis verbis inquit:* GENTILITAS INVENTRIX, & caput est Imaginum: *Concil. Nicen. 2. Act. 6. Similiter Eusebius lib. 7. cap. 18. de Christi, Petri, & Pauli Imaginibus loquens,* Hoc mihi videtur (*inquit*) ἐξ ἐθνικῆς συνηθείας ex Ethnica consuetudine obseruatum: quòd ita illi soleant honorare, quos honore dignos duxerint. *Itaque etiam D. Augustinus contra Adimantum cap. 13. sic habet:* Simulant se fauere Simulachris, quod propterea faciunt, vt miserrimæ & vesanæ suæ sectæ etiam Paganorum concilient beneuolentiam. *Nam de Paganis sic scribit etiam Lactantius lib. 2. cap. 2.* Verentur ne Religio vana sit, si nihil videant, quod adorent. *Athanasius quoque dicit* τῶν εἰδώλων εὕρεσις οὐκ ἀπ' ἀγαθοῦ. ἀλλ' ὑπὸ κακίας γέγονε. *Quæ cum ita sint, mirari satis non possum summam impudentiam & blasphemiam Thomæ Hardingi Pontificij Angli, qui in libro suo contra Iuellum Episcopum Sarisburiensem scribere non erubuit,* Imagines non inuentas primùm ab homine fuisse, sed institutas à Deo, confirmatas traditione Apostolorum *&c.* *Quibus verbis Deum ipsum Imaginum primum inuentorem atque authorem constituit, sed eadem fide, quâ ipse & sui similes Missam à Christo ejusque Apostolis, aut Aquam benedictam ab Elizeo Propheta, aut illum Cardinalium petasum seu galerum ab Hieronymo repetiunt. Tam enim abest quòd Deus Imaginum vsum instituerit, vt seuerissimâ etiam lege eum in Decalogo prohibuerit. Nisi ita quoque argumentari velint: Deus dixit:* Non facies tibi sculptilem Imaginem, aut vllius rei Simulachrum: *Exod. 20. Item,* Maledictus sit, qui Imaginem facit: *Deut. 27. Et,* Confundantur omnes ij, qui Imagines colunt. *Ergo,* Deus Imagines, Statuas & Simulachra fieri præcepit.

Thomæ Hardingi impudentia.

Idola & Simulachra Gentilium ex qua materia facta.

Illud etiam hoc capite nequaquam prætereundum videtur, quod D. Epiphanius scribit, cùm primùm falsa Religio per dæmonum maleficia innouata esset, & Deorum Simulachra expressa, quemque pro artificii sui materia Deos sibi effinxisse: figulum ex luto & argilla, fabrum lignarium ex ligno, aurificem ex auro, argentarium ex argento, & cæteros simili ratione. *Hoc aliquantò fusius explicat Gyraldus. De Dijs Gentium Syntag. 17. cum dicit,* Simulachra, seu signa illa & Statuas appellemus, antiquos ex varia materia factitasse, cera nimirum, sale, vitro, omnis generis marmore, creta, ære, ferro, chalybe, plumbo, stanno, gemmis & lapillis: item & ex varii generis ligno, vt ex Plinio, Solino, Plutarcho, Pausania, Eusebio aliisque obseruari potest. Pausanias tamen affirmat, se animaduertisse has tantum arbores sumi solitas, ebenum, cupressum, cedrum, quercum, smilacem, loton & buxum: quibus radicem oliuæ in minoribus Simulachris addidit Theophrastus. Plinius ait ex vite Iouis Simulachrum vetustissimum tot æuis incorruptum se vidisse. Sed cùm non ex omni ligno Mercurius, vt etiam in prouerbio dicitur, fieret, præcipuè tamen ex thyia, quam Trogetem vocauit Homerus, fieri solebat. *Natalis Comes Mythologiæ lib. 7. cap. 16. testis est,* Lucum fuisse in Boeotia non procul ab Alalcomenis omnium maximum, & peruetustas in eo quercus. Ibant in eum Lucum Platæenses, & elixarum carnium frusta exponebant, coruosque omni conatu arcebant. Ex alijs verò volucribus obseruabant, quæ carnem abripuisset, super qua arbore consideret: ex illa deinde arbore Dædala, hoc est, Iunonis Imaginem parabant. *Cælius Lect. Antiq. lib. 8. cap. 29 ex Annalibus refert,* ab Armenijs statuam ex auro solidam primùm in Anaitidis Templo positam, quòd esset illi genti numen ejus sacratissimum. *Idem auctor testis est lib. 16. c. 3.* ante Troiani belli tempora æris fundendi artem nondum compertam: sed eam simul & Statuas fundendi excogitasse primos Rhœcum, & Theodorum Samios.

Statuæ diuersæ fuerunt formæ apud Ethnicos.

Hæ verò siue aurea, siue argentea, siue ænea, siue lapidea, siue lignea Simulachra forma quoque fuere diuersa: alia enim homines, alia animalia referebant. Quin refert Pausanias in Achaicis, apud Pharenses lapides visos quadrangulates, triginta potissimùm numero. Hos veneratos Pharenses, & ad singulos nomen Dei cujusdam alligasse. *Ibidem etiam addit,* hoc jam olim Græcis omnibus fuisse vsitatum,

vt Si-

vt Simulachrorum loco diuinos honores illaboratis lapidibus exhiberent. *Et in Arcadicis testatur*, hac Simulachrorum figura supra modum Arcades grauisos fuisse.

Qua opinione Gentes adorarint Statuas.

Et vulgi quidem superstitio apud Ethnicos huiusmodi Simulachris aureis argenteis, ligneis, &c. *penitùs fuit affixa, ita vt crederent Deos veros esse. Quem errorem Seneca ita irrisit*: Sacros *inquit*, immortales inuiolabilesque Deos in materia vilissima atque immobili dedicant, habitus illis hominum, ferarumque & piscium, quosdam verò juxta sexum diuersis corporibus induunt, numina vocant, quæ si spiritu accepto subitò occurrerent, monstra haberentur. *Eam ob causam etiam Plato legè vetuit*, ne Deorum imagines ex auro vel argento, ferróve aut ære ficerent, sed tantùm ex ligno vel lapide, ne imperiti homines in materiam illam Simulachrorum externam pretiosam intenti essent, *vt Polydorus refert de Inuent. rerum lib. 6. cap. 31.*

Arnobius.

Arnobius verò lib. 6. indicat, prudentiores apud Gentes, Statuas adorandas & colendas docuisse, non quòd æs, aurum, argentum, lignum & similes Statuarum materiæ Dij sint, sed quòd Deorum, qui inuisibiles sunt, & procul à nobis habitant, præsentia per Simulachra exhibeatur & repræsentetur, & quòd ijs vel Dij, vel diuinæ virtutes inhabitent, seu quòd per ea Dij inuisibiles honorentur & colantur propter dedicationem. *Idem scribit*, Gentes sensisse Deos in Templis ad Statuas inuocatos, libentiùs & citius exaudire, quàm si sub axe nudo adorentur. *Athanasius in Oratione contra Idola refert*, Philosophos respondisse, Statuas quidem non esse Deos, verùm Simulachra Deorum ideò haberi, vt Dij sub istis Imaginibus respondeant, & se reuelent, qui alioqui inuisibiles aliter cognosci non possint. *Vnde & Lactantius libro secundo, capite secundo, testatur*, multos Gentilium arbitratos fuisse, vanam esse eam Religionem, in qua nihil videant quod adorent. *Rursus fuerunt Athanasio authore, qui dicerent*, Simulachra esse pro elementis literarum, vt per ea discant homines Deum inuisibilem cognoscere. *Eusebius quoque libro 3. de Præparat. Euangel. indicat*, quòd rudiores tantùm ad ligna & lapides in Statuis respiciant: Sapientes autem voluisse Deum & Dei virtutes sensibus nostris per Imagines nobis familiares significare seu patefacere: inuisibilia Dei, per picturas visibiles effingentes seu exprimentes, illis qui assueti sunt ex Simulachris tanquam ex libris literas seu institutiones de Dijs legere seu colligere. *Hæc ideò prolixius commemoraui, vt ex his & ijs quæ in sequentibus indicabuntur, deprehendatur similitudo cultus Imaginum apud Gentes & Christianos.*

Athanasius.

Lactantius.

Vnde homines dedicauerint Deos per Statuas vel Imagines.

Cæterùm & illud quærendum breuiter, quo pacto vana hominibus priscis irrepserit Religio, qua homines Deos per Statuas seu Imagines & coluerit & nominârit. Rudes ergo & simplices homines cùm quosdam inter ipsos cernerent qui magna & admiranda vel virtutum, vel cæterarum rerum præclara facinora efficerent, illos ipsos plus quàm homines, hoc est, deos putabant: vel, vt fieri solet, interdum in admirationem præsentis potentiæ ac fortunæ, siue ob beneficia etiam quibus erant affecti, ac benè ad humanitatem compositi, deinde tùm Reges ipsi his chari fuissent; quibus vitam composuissent, magnum sui desiderium mortui reliquerunt: vnde & Simulachra primùm eorum finxerunt ad solatium: inde etiam defunctorum memoriam colere cœperunt. Hinc Cicero de Natura Deorum inter alia inquit: Suscepit vita hominum, consuetudoque cõmunis, vt beneficijs excellentes viros in cœlum famâ ac voluntate tolleret. Hinc, *ait*, Hercules, hinc Castor & Pollux, hinc Æsculapius, hinc Liber, *&c. Idem*, Persius, Zenonis auditor, eos dixit habitos esse Deos, à quibus magna vtilitas ad vitæ cultum esset inuenta, ipsasque res vtiles & salutares Deorum esse vocabulis nuncupatas. *De more & consuetudine bene meritos de genere humano referendi inter Deos, scribit etiam Plinius libro 2. suæ Historiæ capite 7. ad hunc modum*: Deus est mortali juuare mortalem (vnde illud apud Plautum, Deus est homo homini, aut lupus) & hæc ad æternam gloriam via. Hac iere Romani: hac nunc cœlesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis æui rector Vespasianus Augustus, fessis rebus subueniens: Hic est vetustissimus referendi gratiam bene merentibus mos; vt tales Numinibus adscribantur. Quippe & omnium aliorum Deorum nomina, & quæ supra sydera relata, ea hominum nata sunt meritis, *&c.*

Simulachra, eorumque cultum multi quoque Gentilium damnarunt.

Licet verò, idolorum, Statuarum & Simulachrorum, vsus apud Ethnicos sit antiquissimus, constat tamen plurimos inter ipsas quoque qui sapientiores fuerunt, duce & magistrâ naturâ, ab idolis eorumque adoratione abhorruisse, & absque Simulachris Deum coluisse: Sophocles *enim inquit*, esse Deum qui cœlum fabricatus sit, & longam terram, & ponti glaucos fluctus, & ventorum violentias: *Cæterùm mortales plurimos corde aberrâsse, in animæ perniciem Simulachra struentes lignea, lapidea, aurea vel eburnea*: hisque sacrificantes, & dies festos nouos celebrantes, propterea se pios esse duxisse. *Notum etiam est ex Iustini Admonitorio Gentium, quid* Sibylla *de Idolis senserit.* Persas *quoque nec Statuas nec aras Dijs suis erexisse testantur Strabo & Herodotus: Idem etiam Origenes libro septimo contra Celsum de Scythis,*

Sibylla. Ægypt. Persa.

Digitized by Google

Libycis atque Syris refert. Ægyptijs licet Templa marmore & auro essent luxu ingenti & mira arte elaborata, tamen Deorum imagines ipsis risui fuisse, & elementa quidem, sed absque imaginibus, diuinis honoribus affecisse Lactantius scribit, & Alexander ab Alexand. lib. 2. cap. 22. vbi etiam addit, Lycurgum quidem apud Lacedæmonios multarum ceremoniarum authorem fuisse, nullam tamen Deorum Imaginem facere jussisse, sed hominum aut animalium species Dijs tribuere semper vetuisse, quòd immortalibus mortales species tribuere nefas esse duceret. Hermes, *Trismegistus dictus, asseruit*, eos videri Deos non credere in cœlo esse, qui eorum statuas sibi ante oculos sisti velint, aut certè diffidere, sua vota ac preces illucusque peruenire posse: atque ex hac peruersa animi inductione Deorum Simulachra prodiisse; atque Numina appellari cœpisse. *Eusebius quoque de Praparat. Euangel. lib. 6. refert, apud* Seres, *antiquissimam gentem, lege cautum fuisse, ne Simulachra venerarentur. Idem etiam scribit Tacitus de Germanis priscis: ac Crinitus libro de Honesta disciplina 12. cap. 8. de ijsdem ex vetustis referens authoribus*, Deorum (*inquit*) Imagines minimè ad humanam formam faciunt, quòd illa cœlestis Majestas supra humanitatem sit. *Epiphanius in Anchorato suo scribit de* Diagora Philosopho, *quòd* Herculem suum ligneũ in penuria ligni exussetit, & per ludibrium ad ipsum dixerit, Age Hercules decimum tertium laborem subiturus adesto, obsonium nobis cocturus. Et sanè (*inquit Epiphanius*) acceptum ipsum in scandulas fidit, deridens proprium Deum, velut qui nullus esset, *Similiter* Diogenes Cynicus, *cùm esuriet & algeret vnà*, è Deo quodam ligneo igniculum sibi parasse, & cœnulam coxisse, *dicitur. Augustinus de Ciuit. Dei lib. 4. cap. 31. ex Varrone indicat:* antiquissimos Romanos, plus quam annos 170. Deos sine Simulachro coluisse: *& addit hæc verba Varronis*. Quod si adhuc, *inquit*, mansisset, castius Dij obseruarentur. *Imò concludit illum locum his verbis:* Qui primi Simulachra Deorum populis posuerunt, ii ciuitatibus suis & metum dempserunt, & errorem addiderunt: *prudenter existimans, Deos facilè posse in Simulachrorum stoliditate contemni. Idem quod Augustinus ex Varrone, etiam Plutarchus de Numa refert, inquiens:* Quæ de Deorum immortalium Simulachris Numa statuit, quàm simillima sunt Pythagoræ documentis. Nam primum principium ille, neque perturbationi subjectum, sed mentem inuisibilem & increatam esse censuit. Hic etiam Romanos prohibuit existimare Imaginem Dei, aut hominis speciem, aut animalis habere formam. Nec fuit apud eos, neque picta, neque ficta Dei prius species: sed in prioribus 170. annis Templa quidem ædificabant, sacraque tuguria erigebant, Simulacrum verò nullum corporeum dicabant. Perinde atque nefas esset deterioribus meliora assimilari. *Hæc ibi. Eadem apud Clementem, vt Eusebius Cæsarien. refert, & Dionysium Halicarnassæum exstant, qui ait*, Templa esse à Numa Diis erecta, negat tamen Simulachra in iis fuisse vlla, quòd Deum nulla specie formaue effingi posse crederet: *Refert Lud. Viues in Comment. ad c. 31. lib. 4. de Ciuit. Dei, August.*

Plinius *lib. 2. c. 2. scribit*, effigiem Dei formamque quærere imbecillitatis humanę esse. Theodoretus, Cyrensis Episcopus, *Sermone ad Græcos infideles 3. de Angelis, Dijs, Dæmonibus, Xenophanis Colophonij & aliorum gentilium testimonia contra Simulachrorum vsum atque cultum profert: Ac inter alia scribit de Zenone Citiensi, quòd in eo, quem de Repub. librum edidit*, Deorum & Templa, & Simulachra fieri prohibuerit, quandoquidem vtrunq; Deo indignum esset. Eusebius *etiam de Præparat. Euang. de* Cheremone *quodam Philosopho hæc scribit:* Mortales homines eos existimauit fuisse, quibus Imagines ac Simulachra à veteribus tributa fuerint. Dei autem veri nullum ex ligno, vel quavis alia materia verum posse esse Simulachrum: Qui enim adeò stultus futurus sit, vt ligneum Simulachrum atque effigiem Dei creatoris omnium similitudinem habere arbitretur? Naturam enim diuinam omnem materiam, & omnia quæ percipiamus, excedere, mente solummodo, ac sanctis animis comprehensam.

Seneca *quoque in Moralibus, Simulachrorum & Imaginum adorationem verissimè irridens, ait:* Simulachra Deorum venerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant, illis per totum assident diem, aut astant, illis stipem jaciunt, victimas cædunt, & cùm hęc tantopere suspiciant, fabros, qui illa fecêre contemnant. Quid inter se tam contrarium, quàm statuarium despicere, Statuam adorare? & eum ne in conuictum quidem admittere, qui tibi Deos faciat?

Hæc si diligenter mecum reputo, miror profectò vehementer, hominibus Christianis pudorem nullum ista incutere, quòd audiunt homines Ethnicos, in densissimis tenebris palpantes, ad hanc lucem peruenisse, vt agnoscere potuerint Simulachrorũ vanitatem, adeoque Dei Majestate indignas esse imagines, quòd metum ejus diminuant hominibus, erroremque augeant, si numen in Simulachrorum stultitia, ineptoque & absurdo figmento proponatur. Res certè ipsa testatur, verè hoc minus quàm prudenter ab ijs dictum fuisse.

Lycurgus. Hermes. Seres. Germani Romani. Diagoras. Varro. Numa. Plinius. Theodoretus Cyrensis. Cheremon Philosophus. Seneca.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IX.

De Origine & Progressu IDOLORVM apud Iudæos.

Israëlitæ quãdiu Idolis caruerint.

SAncti Patriarchæ & semen eorum verum Deum verè & sanctè coluerunt absque Idolis & ritibus peregrinis. Hoc vel inde constat, quòd nulla Idolorum vel Simulachrorum in sacra Patriarcharum Historia planè fit mentio; nisi vno tantùm in loco, nempe Gen. 31. c. vbi Rachel Deos patris sui Labani, *qui Syrus fuit*, clàm, inscio & ignorante Iacobo suffurata fuisse dicitur: *(mulieres enim ad Idololatriam & omne genus superstitionum viris propensiores sunt) Iacobus autem quum primùm hoc cognouisset, profecturus in Bethel, familiæ suæ præcepit*, vt omnes Deos peregrinos, *idest, idola & simulachra alienorum Deorum*, sibi adferrent, eosque statim in Sichem terrâ obruit: *Genes. 35. Ex quo loco colligitur, Patriarcham Iacobum ab Idolis & Simulachris istis è Syria furtim allatis, abhorruisse, ideòque illa non humo solùm, sed etiam perpetuâ obliuione obruta esse & sepulta voluisse. Ab hoc tempore caruerunt idolis Israëlitæ, donec in Ægypto contaminarentur consortio cohabitantium: sicut Dominus ipse testatur Ezech. 20. In Ægypto igitur primùm cœpit populi Iudaici superstitio, quam demùm in deserto palàm cœperunt exercere. Post paucùlos siquidem dies à lata lege, Deum suum, ad imitationem Ægyptiorum colere voluerunt: Simulachrum enim siue Statuam erigunt auream, vituli speciem repræsentantem ac Deum significantem. Viderant namque in Ægypto Simulachrum Apis, hoc est, Tauri, ad honorem Dei coli, id quod transferunt illi in suam quoque Religionem, & Deum eiusque æternam & immensam maiestatem in illa specie colere volunt. Quantopere verò Deo hic Cultus displicuerit, & quàm infeliciter Iudæis infame hoc principium Idololatriæ cesserit, sacræ literæ abundè docent. Exod. 32. Facta autem sunt hæc anno à condito mundo 2449. Tandiu populus Dei idolis & Simulachris caruit.*

Idololatria in populo Dei quãdo cœperit.

Hæc verò res ita sapere docuit populum hunc, vt Augustinus existimet illum ante Iudicum tempora, nulla vel habuisse, vel si habuerit maximè, non tamen coluisse idola. Vbi verò Moses & Iosua, piissimi, fortissimi, seuerissimiq; principes mortui essent, & alij alijque succederent, erupit tandem & impietas. Nam & Deum ipsum Idolis coluerunt, & tunc quidem primò Baalem, postea verò aliarum Gentium Deos ac Idola in suam quoque Religionem receperunt. Causa huius mali fuit, nimia familiaritas & consuetudo cum Chananæis hominibus superstitiosis & idololatris, quos à Deo proscriptos ac damnatos, pleræque tribus non deleuerant, sed tantùm vectigales sibi reddiderant: ideòque non mirum, si malo ipsorum exemplo corrupti fuerint Israëlitæ; id quod Iudicum primo & secundo capitibus non obscurè innuitur. Non igitur ab antiquissima & primigenia illa Ecclesia populóque Dei, sed à reliquis Gentibus & nationibus, à quibus Deus populum illum suum semper seiunctum esse voluit & separatum, idola ista & Simulachra profecta sunt: & ob eam causam passim in Sacris Literis, Dij alieni, peregrini, Gentium aliisque nominibus appellantur, à quibus Deus semper populum alienum esse voluit.

Idololatria progressus in Israële.

Idololatriæ Israëlitarũ causa.

Temporibus autem Samuelis, Dauidis & Solomonis floruit, vt magis nunquam, vera Religio in Israële: sub finem verò regni Solomonici succullulauit iterum superstitio & Idolorum cultus. Cùm enim Solomon amaret mulieres Idololatras, inclinauerunt cor Regis, vt excelsa, hoc est, Templa Arasque in editioribus locis constructa, ac fana Diis peregrinis in vxorum gratiam exstruere iuberet. Quam ob causam etiam regnum illud Israëliticum florentissimum potentissimumque in duas partes scissum ac diuisum est. Nam sola tribus Iuda & pars quædam Beniamitarum adhæsit domui Dauidis, reliquæ tribus omnes creârunt sibi impium regem Ieroboam, qui nouum ritum colendi, & nouam Religionem instituit. Facit enim duos vitulos aureos, nimirum æterni & veri Dei signa, & Templis in Bethel & Dan magnificentissimè exstructis imponit Idola & Aras. Præterea minuit feriarum numerum, & pro tribus vnum tantùm instituit festum, & id quidem ad finem anni, cùm iam omnes fructus collecti essent, ordinauit: perinde vt postea Gregorius IV. circa annos Christi 834. Omnium Sanctorum festum ex Id. Ma. ad Calendas Nouembris transtulit, vt tunc collectis terræ frugibus, in otio & rerum omnium abundantia, magno suo Deo, scilicet ventri, & nouis suis Diis, hoc est, Sanctis mortuis, opiniora Sacrificia possent offerre. Sed & Sacerdotes non ex vna tribu, quemadmodum Dominus instituerat, sed ex omnibus tribubus delegit. Quæ quidem omnia videbantur fieri & in Dei gloriam, & Reip. vtilitatem.

Idololatria sub Solomone.

Durauit hic error & Idololatricus Cultus ad Captiuitatem vsque Babylonicam, annos circiter. 265. Nam impietatem Ieroboami auxit Achab qui primus inter Reges Israëlis, Baalis, Sidoniorum Dei, Cultum in terram sanctam invexit, Lucósque plantauit, cùm Iesabelem Regis Sidoniorum filiam, vxorem duxisset: auxêrunt eandem & sequentes ipsum Reges, adijcientes & ipsi ex gentilium ritibus & consuetudinibus nefanda quædam, ne non absoluta esset ipsorum Religio. Breui ergo in immensum creuit Idololatria in Israële, quousque Deus ipsos excinderet. 1. Reg. 16.

Serpsit hoc malum, ceu contagium quoddam, inde ex Israële, etiam ad Iudæam Gentem. Sub *Idololatria ab Israëlitis.*

Achaz

ad Iudæos perpessi.

Achaz enim & Manasse in ipsum Domini Templum Idola, Aras & similia impartârunt, praterea exstruxerunt in locis amœnioribus, in collibus, sylnis, vijs, pratis & vallibus sacella, ac delubra Deorum: & quamuis Iosias Rex hanc Idololatriam sustulisset, non deerant tamen, qui domi sua Statuas & Imagines haberent, quibus cultum superstitiosum exhibebant. Quam ob causam & ipsi à Deo puniti sunt. Ierem. 3.

Et hi quidem omnes egregiè sibi Deo seruire visi sunt: sed quia non fecerunt ad eum modum quo Deus praceperat, ideò Religio & cultus eorum omnis abominatio fuit in oculis Domini.

Idololatria nulla inter Iudæos post reditum ex Babylone

Post Captiuitatem verò Babylonicam, & instauratam vrbem Hierosolymitanam, videntur Deum puriùs sanctiusque coluisse, nimirum absque vllis Simulachris & Idolis: quod adeò sanctè obseruârunt, vt, cùm Caius Cæsar Petronium legatum in Syriam misisset, eique mandâsset, vt quacunque ratione curaret, suum Simulachrum in Templo Hierosolymis erigendum, Iudai, ne patrias leges frangerent, ita restituerunt, vt jam jam ad arma ventum esset, nisi Agrippa Iudaorum Rex à Caio impetrâsset, ne huiusmadi Statua in Templo collocaretur. Ioseph. lib. Antiq. 18. Didicerant namque sua magno malo quantopere Deo Idololatria displiceret.

Similiter Iudas Sariphai filius & Matthias, legis patria interpretes prastantissimi, postquam cognouerunt, Iosepho auctore libro 17. capite 8. Antiquit. Herodis regis incurabilem esse morbum, concitauerunt iuuentutem, vt sublatis operibus, qua Rex prater patriam consuetudinem fecerat, propugnatores pietatis se ostenderent, debitum inde expectantes pramium. Inter catera verò supra maiorem Templi portam dedicauerat Aquilam auream magni ponderis, contra leges patrias, qua vetant Imagines statuere, aut consecrare animantium effigies. Claro itaque meridie ascendentes iuuenes nonnulli, detraxerunt Aquilam, eamque securibus conciderant, inspectante congregatâ in Templum multitudine. Dux verò regius, maiorem aliquam conspirationem metuens, occurrit eò, cum valida suorum manu, cohibiturus aquila demolitores. Facilè reliquis disiectis, circiter 40. iuuenes resistere ausos comprehendit, cumque his Iudam & Matthiam, turpe putantes cedere, omnesque ad Regem perduxit. Eo rogante, quo freti ausi sint sacratam Imaginem demere, aiebant se & deliberasse id multò antea, & deliberatum executos, vt fortes & Religionis amantes viros decuerit. Ab Herode igitur viui exusti sunt omnes. Pilatus quoque Iudaa prases à Casarea Hierosolymam traductis in hyberna militibus, signa cum effigie Casaris in vrbem intulit ad legis Iudaorum contumeliam. Qui ante ipsum fuere prasides cum signis aliter insignitis vrbem ingredi solebant. Primus Pilatus ignaris omnibus noctu illatas effigies Hierosolymis statuit. Quad vbi cognitum est Iudais, magno agmine Casaream petierunt, vbi permultos dies supplices orauerunt prasidem, vt aliò transferree imagines illas. Pilato verò pernegante se facturum hoc, quòd cum ignominia Casaris coniunctum esset, cùm Iudai precari non desinerent, sexta post die iussis clàm in armis esse militibus, sedit pro tribunali in studio, captatâ loci opportunitate, quòd insidijs aptissimus esset. Ibi compellatus iterum de eodem negotio, signum dat militibus vt eos circumueniant, mortem minitans nisi quàm primùm quiescerent, & suam quisque domum discederent. At illi procidentes humi, & exertos prabentes iugulos, manifestè pra se ferebant, vitâ sibi chariorem esse obseruationem legis patria. Tum Pilatus admiratus tam constans legum studium, continuò reportauit illas imagines Casoream Hierosolymis, Iosepho referente libro decimo octauo, capite quarto. Quanto etiam ardore Vitellium Syria Prasidem, ne cum Romano exercitu, quòd haberet militoria insignia Imaginibus ornata, per Iudaorum regionem transiret (quòd nefas esse ducerent in terra sancta quauis occasione Imagines inspici) fuerint deprecati, idem Iosephus testatur lib. 18. cap. 7.

CAPVT X.

De Origine & Progressu IMAGINVM & IDOLOLATRIÆ apud Christianos.

Non omnes Imagines simpliciter damnari à Deo.

INitio huius capitis monendus est Lector, nos in ea sententia nequaquam esse, quòd simpliciter omnes Imagines damentur à Deo in secundo Decalogi pracepto: Non facies tibi Statuam aut Imaginem, &c. *Ideòque nullum planè vsum esse posse vel debere Imaginum & Statuarum vllarum inter Christianos. Nam non prohiberi rerum visibilium Imagines extra Templa & vsum Religionis, his rationibus à nostris Theologis demonstratur.*

Rationes ob quas politicus Imaginũ vsus non prohibetur à Deo.

Primò, *vsus Imaginum non damnatur nisi in prima Tabula. In ea autem nihil pracipitur, nisi qua ad Religionem pertinent: quemadmodum qua ad humanam societatem spectant, in secunda traduntur.*

Secundò, *Deus Leuit. vigesimo sexto capite apertissimè finem indicat, propter quem Imagines damnet. Is autem est Religio seu Cultus: inquit enim*, Non facies tibi sculptile ad adorandum. *Qua igitur ad politicum vsum extra Religionem fiunt, non prohibentur.*

Tertiò, *ars pingendi & sculpendi donum Dei est, & quidem non vulgare. Nam Exod. 31. cap. scribitur*, Deum repleuisse Bazeleel & Ahaliabum Spiritu suo, sapientiâ, intelligentiâ, & omni arte, ad excogitandum & fabri-

fabricandum, quicquid fabricari potest ex auro, argento, lapidibus pretiosis, & quæcunque ad Tabernaculum exstruendum & ornandum erant necessaria. *Sunt igitur ista artes dona Dei.*

Quartò, *Imagines per se & suâ naturâ, mala non sunt, sed ex abusu tantùm malæ fiunt: ex vsu autem bono & honesto, ipsæ quoque bonæ & honestæ esse possunt atque licitæ. Sunt autem multi vsus Imaginum, quos certè omnes nemo improbare potest, quia sunt vtiles, honesti & laudabiles. Fiunt aliquando ornatûs tantùm causâ in Cænaculis & locis publicis. Hic vsus improbari nequit. Solomon etiam ornatus causâ leunculos addidit solio suo: nullus tamen Prophetarum illum propterea reprehendit. Fiunt etiam ad honestam & licitam voluptatem, vt qui magnorum virorum & præsertim amicorum Imagines sibi fieri curant: mirâ enim voluptate harum inspectione afficimur. Fiunt etiam vtilitatis causâ, vt qui rerum gestarum Imagines pingi & sub oculos repræsentari curant. Tam vtilis est hæc pictura, quàm Cosmographica. Sic enim rerum gestarum memoria conseruatur tenaciùs. Fiunt etiam honoris gratiâ: Sic Romani his, qui de Republica optimè meriti fuissent, Statuas erigebant. Si hoc etiam hodiè fiat citra ambitionem, ad excitandum in aliis virtutis studium, reprehendi nullo modo potest. Hæc cùm doceantur in nostris Ecclesiis, Bellarmini caput 7. nihil prorsùs contra nos facit, in quo probat,* Licere Imagines & facere & habere. *Accedamus igitur ad Originem & progressum Imaginum Religionis & adorationis gratiâ in Templis collocatarum.*

Imaginibus in Templis, quandiu Christiani caruerint. *Ex certis & probatis authoribus constat, sicut* Erasmus *in Catechesi testatur*, vsque ad Hieronymi ætatem fuisse probatæ vitæ & religionis viros, qui publicè in templis nullam habuerint Imaginem nec pictam, nec sculptam, nec textam, ac ne ipsius Christi quidem. *Fatetur hoc quoque* Lilius Greg. Gyraldus *de Diis gentium Syntagm.* 1. *&* Georgius Cassander *& ipse Pontificius, in sua ad Ferdinandum & Maximilianum Impp. Consultatione, vbi disertè dicit*, ex Clemente & Arnobio certum esse, initio prædicati Euangelii aliquanto tempore INTER CHRISTIANOS PRÆSERTIM IN ECCLESIIS Imaginum vsum NVLLVM OMNINO fuisse. *Caruit ergo Ecclesia Christi in externo Cultu Dei annos plus minus* 360. *à nato in carne Christo Domino Imaginibus & Simulachris, seu Idolis & Statuis.*

Imagines damnârunt Apost. *Quemadmodum enim Christus Seruator noster nullum præceptum dedit de inferendis in Templa Imaginibus, iisque ad Ministerium Ecclesiæ adhibendis: Ita etiam Apostoli ad prædicandum emissi, Ecclesiis ne vno quidem in loco Imagines commendâsse vel Christi vel aliorum, leguntur: sed potius damnârunt eas, ab iisque vt verè fideles sibi caueant sedulò monuerunt. Cùm enim inter Corinthios nonnulli Idolis inseruirent, & tamen nihilominus Christum colerent: quod hodiè apud Christianos adeò tritum est, vt maxima eorum pars licet Christo nomen dederit, simul tamen quoque creaturas & sanctos mortuos Idolis seu Imaginibus venere-tur & colat: icciro Paulus Corinthios diligenter monet, ne commisceantur cum Simulachrorum cultoribus: significans vtique, priùs ipsos Simulachra & Imagines colere solitos fuisse, nunc verò, cùm Christum profiteantur, dedecere vt ad vomitum redeant, adeòque etiam eorum, qui hoc faciant, consortium fugere debere. Idem Apostolus iisdem capite* 10. *disertè præcipit, inquiens*, μηδὲ εἰδωλολάτραι γίνεσθε, *hoc est*, ne Idololatræ efficiamini, *vel, vt vulgata habet versio*, ne Simulachrorum sitis cultores. *Et in secunda Epistola capite sexto docet, nihil negotii esse debere fideli homini cum Simulachris:* quid, *inquit*, conuenit, *vel*, quæ est consensio, τίς συγκατάθεσις Templo Dei cum Simulachris? *Ad Galatas quinto*, Simulachrorum cultum inter opera carnis *numerat. Et in priore Thessal. primo capite, haud obscurè docet*, veros Dei cultores conuerti à Diis & Simulachris, & seruire Deo viuo & vero spiritu & veritate. *D. Petrus quoque in priore Epistola quarto capite à tempore & anteactis argumentis adhortans ad vitæ nouitatem*, satis aliâs *docet*, superque satis flagitiorum designatum jam olim cum Christi synceram doctrinam nescirent: at postea quam edocti sint ita se per Christum à peccatis esse lotos, vt posthac studeant innocentiæ, æquum esse vt voluntatem ethnicam, *id est, mores vitæ ethnicæ, hoc est, impiæ, abnegent. Deinde per partes & συναθροισμὸν exponit, quæ sit illa voluntas ethnica*, Cùm versaremur, *inquit*, in lasciuiis, concupiscentiis, vinolentiis, comessationibus, compotationibus & ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις, *hoc est*, abominandis, seu scelestis, nefariisque Simulachrorum cultibus. *Est enim* ἀθέμιτον, *quod contra ius & fas, omnemque honestatem fit & instituitur. Sanctus denique Euangelista & Apostolus Ioannes hac graui admonitione conclu-dit Epistolam suam Canonicam*, Filioli cauete vobis à Simulachris. *Quod perinde est ac si diceret: Si cognitione Dei verâ non frustra gloriamini, reipsâ vos testari conuenit, vos illum amare, & abhorrere ab omnibus, quæ gloriam ipsius obfuscare solent. Id verò cùm præcipuè Imagines & Simulachra faciant, illa vitare & ab iis ceu peste nocentissima cauere oportet, ne vel infirmis fratribus offendiculo sitis, vel consuetudine vulgari decepti, Deum imaginibus aut exprimi & effingi, aut saltem aliquo modo coli patetis. Et in Apocal.* 6. *cap. docet*, illos quo-

1.Cor.8.

que

que homines æternum perituros, qui non resipuerunt ab operibus manuum suarum, vt ne adorarent Dæmonia & Simulachra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possint, neque audire, neque ambulare.

Angeli & Sancti noluerunt adorari: ergo multo minus eorum Imagines sunt colendæ.

Ad hæc neminem latere arbitror, non modo Apostolos in terris adhuc agentes coli & adorari noluisse, sed etiam Angelum in Apocalypsi bis reprehendisse Ioannem, quòd se voluerit adorare. Quod si neque homines, neque angeli adorandi sunt, multo minus ipsorum Imagines ad Cultum & Adorationem sunt proponendæ. Nec Petrus Actor. 10. *id absque ratione prohibuit, dicens:* Surge, nam & ipse homo sum: *& Angelus,* Similis tui sum, & fratrum tuorum, qui restimonium habent Iesu Christi, *id est, qui ei credunt. Cùm itaque omnes simus eodem gradu, nec alter præstet alteri, ideò nequit adoratio inter nos locum habere, non solum qua vinentibus, sed multò magis qua Imaginibus ipsorum exhibetur & præstatur.*

Imaginũ cultum nõ tradidit Apostolica.

Ex his meridianâ luce clarius perspici posse arbitror, putidissimum mendacium esse, quòd in Nicæna 2. Synodo finxerunt, Apostolos in Antiocheno Concilio decreuisse, vt loco Idolorum Imago Christi proponeretur, ad quam conuersi ablegarentur. Falsissimum etiam esse puto quod Damascenus, eximius imaginum patronus, aliique nonnulli affirmare non erubuerunt, Cultum Imaginum esse traditionem Apostolorum non scriptam. Quasi verò Apostoli tam leues & inconstantes fuerint, vt aliud viuâ voce docuerint, aliud verò in literas retulerint. Atrocissimâ ergò injuriâ sanctissimos viros & fidelissimos Dei seruos afficiunt. Et quis obsecro vel mediocriter bonus hanc sibi maculam inuri pateretur?

De quibus imaginibus loquantur Apostoli.

Sed objiciunt, Apostolos hoc loco non de Christianorum, sed de Ethnicorum Imaginibus & Simulachris loqui. Quod perinde mihi videtur, ac si quis diceret Diuum quoque Petrum modò citato loco, vbi abominandos Simulchrorum cultus damnat, non loqui etiam de lasciuiis, concupiscentiis, vinolentiis, comessationibus & compotationibus Christianorum, sed Ethnicorum tantùm, & lasciuias, comessationes ac compotationes Gentilium solùm, non Christianorum reprehendi & damnari ab Apostolo. Quod non tam absurdum quàm ridiculum esset dicere.

Imagines damnarunt Apostolorũ successores Clemens Romanus.

Idem verò etiam Apostolorum successores & discipuli fecerunt, vt qui non minorem operam, studium & laborem Imaginibus constantandis & impugnandis, hominibusque ab earum Cultu & Veneratione auocandis impenderunt. In libro enim Recognitionum, qui licet falsò, Clementi Romano *attribuuntur, exstat libro quinto, ad Iacobum fratrem Domini generalis disputatio contra Imagines, vbi refutatur præcipuum argumentum Ethnicorum, quo etiamnum hodie Pontificij Imaginum & Simulachrorum cultum defendunt, quando dicunt,* ad honorem inuisibilis Dei imagines visibiles se adorare. *Respondet Clemens,* Cæsaris nomen nulli alii audetis imponere, quia reum suum statim punit: Dei verò audetis, quia reum suum punire propter pœnitentiam differt. Et si verè velitis Dei Imaginem colere, homini benefacientes, veram in eo Dei Imaginem coleretis. In omni enim homine est Imago Dei, non in omnibus verò similitudo, sed vbi benigna anima est, & mens pura. Si ergò verè vultis honorare Imaginem Dei: nos verò vobis quod verum est aperimus, vt homini qui ad Imaginem Dei factus est benè faciatis, honorem & reuerentiam deferatis, esurienti cibum, sitienti poculum, nudo indumentum, ægro Ministerium, peregrino hospitium, & in carcere posito necessaria ministretis: & hoc est quod verè Deo delatum reputabitur. Hæc autem in tantum ad honorem Dei Imaginis cedunt, vt qui ista non fecerit, contumeliam Imagini diuinæ intulisse credatur. Quis ergo iste honor Dei est, per lapideas & ligneas formas discurrere, & inanes, atque exanimes figuras, tanquam numina venerari: & hominem, in quo verè Dei Imago est spernere? *Et mox:* Intelligite ergò, quia latentis intrinsecus serpentis est ista suggestio, quæ persuadet pios vos videri posse, cùm insensibilia colitis, & non videri impios, cùm sensibiles & rationabiles læditis. *Item:* Quid certè tam impium, tam ingratum, quàm à Deo beneficium consequi, & reddere lignis ac lapidibus gratiam? Propter quod expergescimini & intelligite salutem vestram, *&c.*

Irenæus *libro primo capite vigesimo tertio, inter errores Basilidis & discipulorum eius, recenset,* quòd venerentur Imaginibus, inuocationibusque. *Et cap.* 24. *inter hæreses Carpoeratis & Gnosticorum, hanc etiam numerat,* quòd Imagines haberent Christi & Apostolorum, atque Philosophorum, easque coronarent ac colendas proponerent. *Irenæus.*

Iustinus *in Dialogo cum Tryph. & in Apologia* 2. Omnes Imagines ad cultum propositas, simpliciter damnari dicit. *Iustinus.*

Tertullianus, *vetustissimus author, testatur aliquot locis in Apologetico, Christianos suo tempore maximè odisse Statuas cum suis ornamentis: hinc etiam ille in Deorum Idola toties inuehitur capit.* 9. 11. *& alibi. Ac in libro de Corona militis, Altius, inquit, Ioannes: Filioli custodite vos ab Idolis, non iam ab Idololatria, quasi ab officio, sed ab idolis, id est, ab ipsa effigie eorum. Indignum enim vt Imago Dei viui, Imagini Idoli & mortui fiat. Contra Gnosticos voluntatem Dei hanc esse demonstrat,* vt non tantùm *Tertullianus.*

tantùm ne adorentur Imagines, sed neque fiant & habeantur: & tam Idololatras esse qui eas faciunt retinentque (*ad Cultum videlicet*) quàm qui eas colunt. *Clarius id etiam demonstrat in libro de Idololatria, vbi non solùm grauißimè inuehitur*, in omnes Imaginum cultores, sed ipsas etiam artes sculpendi & pingendi *damnat*, quòd artifices, qui se Christiani profitebantur, Imagines Idololatris venderent. *Et in libro de Spectaculis pulchra ex loco Apostoli in* 1. *Corinth*. 10. *Argumentatur*, Si abstinendum est ab Idolothytis (*id est, cibis Idolis consecratis*) quia quæ immolantur Idolis, non Deo, sed Dæmonibus immolantur: *Ergo* etiam ab Idolis ipsis suspiciendis & colendis abstinendum est: quia in illis non Deus, sed Dæmones inhabitant. *Et cap.* 30. *Apologetici inquit*: Nos adoramus oculis ad cœlum sublatis, non ad Imagines seu picturas. *In hunc Apologeticum B. Rhenanus ex verbis & argumentationibus Tertulliani colligit*, Tertulliani argumentationem nihil concludere, nisi statuatur, Christianos tempore illo imagines omnes odio maximo habuisse, cum suis ornamentis. *Vnde apparet, nullas tunc temporis fuisse prorsùs in Christianorum Templis Imagines.*

Cyprianus. Clemens Alexandrinus.

Cyprianus *quoque contra Demetrianum disputans*, idola non tantùm contra legem Dei, sed etiam cum hominis natura & conditione pugnare *existimauit*.

Et Clemens Alexandrinus, *qui circa annos Christi* 200. *floruit, libro* 6. *Strom. clarè dicit*, Nobis (*Christianis nimirum*) NVLLVM est Simulachrum in mundo. Quoniam in rebus genitis NIHIL potest referre Dei imaginem. *Idem in Parænetico scribit*: Nobis apertè vetitum est artem fallacem exercere: Scriptum enim est, Non facies cujusuis rei similitudinem. *Appellat quoque* speciosum quidem, sed improbum artificium, quod postquam floruerit, auctus sit error: *Et prophetiam citat, quæ dicit*, Res hîc se habebunt infeliciter, quando crediderint Statuis. *Et mox*: Nobis non est Imago sensilis, de materia sensili, *&c. Quid obsecro clarius contra Imaginum vsum apud Christianos veteres dici poterat?*

Adrianus Imp. Christo Templa sine imaginibus condidit.

Referunt etiam de Adriano Imper. quòd cùm cogitasset Christum inter Deos recipere, in honorem eius Templa exstrui iusserit, sed sine vllis Simulachris seu Imaginibus, quæ etiam ob eam causam longo tempore post, nimirum vsque ad tempora Constantini Magni Adriani Templa *dicta fuere. Quod equidem factum non fuisset, si tunc temporis aliquis saltem apud Christianos Imaginum vsus fuisset. Sed & ex Ælio Lampridio in vita Alexandri Seueri demonstrari possee, eum morem illius Imperatoris ætate Christianis fuisse, vt neque in domibus suis priuatis, neque in publicorum congressuum locis vlla Simulachra haberent. Quo factum est, vt ex differentiis, inter religionem Gentium & Christianorum, hæc non minima semper fuerit, quòd Gentes idolis Deos suos colerent Christiani verò sine Idolis, in spiritu & veritate.*

Ex ea etiam concertatione quæ Origeni *cum Celso fuit, apparet, inter præcipua accusationis capita, hoc etiam Christianis Ethnicos obiecisse, quòd Religionem absque Simulachris haberent. Respondet Origenes, non ita, vt Simulachrorum Gentilium loco, vel Christi vel Apostolorum substituat Imagines, adeoque asserat, Christianis atrocem iniuriam fieri, si de illis spargatur, quòd in externo cultu Imaginibus prorsus careant, quod fecisset vtique si vel vnam Imagunculam Christiani eo tempore habuissent. Sed* sunt, *inquit*, nobis Simulachra, non per impuros opifices aliquos fabricata, sed per Dei verbum in nobis edita & formata, virtutum scilicet exempla & structuræ, quæ imitatrices sunt Christi. *Allatum etiam fuerat à Celso dictum Heracliti, quo ille indicabat*, stultè facere eos, qui Simulachris preces offerunt nisi norint Deos & heroas qui nam sint: *Respondet Origenes*, sciri posse Deum & ipsius vnigenitum, & eos, quicunque à Deo honorantur Deorum appellatione, deitatis ejus participes, diuersos esse à Diis Gentium, qui sint Dæmonia Impossibile tamen esse, vt quis Deum nouerit, fiat supplex Statuis: nec hoc tantùm stultum esse, si quis preces Simulachris offerat, sed etiam cùm id aliquis simulat vulgi opinionibus se attemperans: nihil enim adulterum debet esse in anima hominis verè pij erga Deum. Nos verò ideò quoque non honoramus Simulachra, quia quantum possumus cauemus, ne incidamus in eam credulitatem, vt ijs tribuamus diuinitatis aliquid: *libro* 7. *contra Celsum: Sed longum esset commemorare quæ in hanc sententiam apud hunc Patrem contra Celsum extant.*

Origenes. *Lib.* 8. *contra Celsum.*

Et si verum est quod Metaphrastes de Procopio Martyre *refert is, Idola Gentilium eorumque Cultum ita damnauit in Oratione ad Flauianum Præfectum paulò ante Martyrium habita, vt facilè appareat, Imagines earumque Venerationem tunc temporis Christianis prorsus incognitam fuisse. Ita enim inquit*: Ego sacrifico Deo meo Sacrificium laudis per eam, quæ est in ipsum, confessionem & fidem. Si enim pulchra res est lapis, quem tu adoras, & tanquam Deus est à te existimatus, noli eum secare & diuidere: & cùm eum in multas partes diuiseris, vnam quidem tanquam Deum adorare, & ei thus offerre & Sacrificia: altera autem vti ad domum ædificandam, quin etiam ad excrementa, & quosdam vsus profanos. Hoc ipsum autem sæpè

Procopius Martyr.

fecisti in auro & ligno,& eis obrulisti Sacrificiũ & thus. Cujusnám est ergo sapiétię,aut quodnám est arcanum in vestra Religione, auro & ligno offerre Sacrificia,& ea postea in lutum projiecere: tanquam Deum honorare,& deinde comburere: vitam petere & salutem à ligno putrido, & à lapide (proh dolor) nullo sensu prædito, quæ postquam vos diis similia effinxeritis, nihil habent amplius? Quamobrem magis esset rationi consentaneum, vt vos ferro sacrificaretis. Sed vides ipsum quoq; igni fieri mollius, & minus habere vitium quàm priùs. Quid ergo? Ignis est Deus vobis existimandus? Sed is quoq; extinguitur, quando caret materiâ: nonnunquam autem aqua quoq; eo euadit potentior. Ergo oportet reliquis rebus materialibus, quæ ad interitum per se inuicem tendunt, putisfactis & solâ oratione eum, qui est verè Deus, colere: non enim igne opus est, non lignis ad illius nutrimentum, neque omninò cęde animantium: nullius enim horum egena est diuina natura, imò verò nullâ re omninò indiget: *&c. Laur. Surius tom. 4. de vitis Sanctorum.*

Lactantius. Lactantius *Firmianus grauis in primis author, qui sub Imperatore Constantino vixit, quoque demonstrat, non solùm vllum vsum Simulachrorum sui seculi Christianis, sed ita etiam tum visum fuisse, vt ne liceret quidem Simulachris vti. Nam lib. 2. Diuinarum institutionum cap. 2. simpliciter asserit,* Dei Imaginem semper superuacuam esse, quippe cujus numen & spiritus vbique diffusus abesse nunquam possit. Quæro, *inquit* si quis Imaginem hominis peregrè constituti contempletur sæpius, vt ex ea solatium capiat absentis, num idem sanus esse videatur, si eo reuerso, atque præsente in contemplanda imagine perseueret eaque potius, quàm ipsius hominis aspectu frui velit? Minimè profectò. Etenim hominis imago necessaria tum videtur, cùm procul abest, superuacua futura cùm pręsto est. Dei autem cujus spiritus ac numen vbique diffusum abesse nunquam potest, semper vtique imago supervacua est. Et Simulachrum Dei non esse illud quod digitus hominis ex lapide aut ære aliáue materia fabricatur *docet*, sed ipsum hominem, quoniam sentit & mouetur; & multas magnasque actiones habet. *Quin* amentiam esse *indicat*, effingere quæ postmodum vereamur, aut vereri & colere quæ finximus nos ipsi. *Sed & ineptissimos esse*

Nota. *homines qui non intelligunt, ipsa Simulachra, si sensu donarentur magnam gratiam habitura artificibus, & non seipsas, sed artifices potius, à quibus & per quos essent, adoratura, vt quorum manibus nata speciem figuramq; ac pulchritudinem accepissent, idque fuissent, quod fuisse se Priapus apud Horatium fatetur, cùm inquit:*

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cùm faber incertus, scamnum faceretne Priapum?
Maluit esse Deum: Deus inde ego furum auiumque.
Maxima formido *&c.*

Sed hæc, *inquit Lactantius*, nemo considerat, infecti sunt enim persuasionem homines ac mentes eorum penitus succum stultitiæ biberũt. Adorant igitur insensibilia qui sentiunt: irrationabilia qui sapiũt: exanima qui viuunt: terrena qui oriuntur è cœlo, *&c. Adorare autem Latinis est genu flectere, coram vereri, honorem exhibere, honore exhibendo procumbere. Suetonius in Caligula de Artabano Parthorum rege supplice,* Venit, *inquit*, ad colloquium legati Consularis, & transgressus Euphratem, Aquilam & signa Romana Cæsarumque Imagines adorauit. *Rursum eodem capite Lactantius*, Nam ista, *inquit*, mortalium digitorum ludicra & fragilia figmenta, ex quolibet materię genere formata, quid aliud sunt, nisi terra ex qua nata sunt? Quid ergo rebus inferioribus subjaceris? quid capitibus vestris terram super imponitis? *&c. Alloquitur quidem his verbis Gentes, cùm Christianis nulla tum essent Simulachra. Demus autem tum fuisse, vt sunt & prostant hodiè, humanis itidem manibus de fragili materia artificum ingenijs enata, quis negare ausit, etiam aduersus nostra tam quadrare Lactantij verba, quàm aduersus Ethnicorũ Statuas scripta sunt? Certè nihil nostra ob illorum Idolis origine materiâ effigie & artificum manu differunt, etiamsi contendamus nihil horum à nobis adorari. Iam negat Lactantius, Dei Simulachrum rectè de vlla materia posse constitui, quoniam ipse Deus coram vbique prastò sit, nec verius exprimi possit, quàm ipse se expresserit, hominem ad Imaginem suam condendo. Nam & Paulus Rom. 1. palàm testatur,* Dei immortalis gloriam imminui, quoties per mortalis hominis Imaginem aut similitudinem effingitur. *Idem Lactantius cap. 4. ejusdem libri:* Vbi ergo, *inquit*, veritas est? Vbi nulla vis adhiberi potest Religioni: vbi nihil quod violari possit apparet: vbi Sacrilegium nullum fieri potest: Quicquid autem oculis manibusque subjectum est, id verò quia fragile est, ab omni ratione immortalitatis est alienũ. Frustrà igitur homines auro, ebore, gemmis Deos excolunt & exornant, quasi verò ex his rebus vllam possint capere voluptatem. *Capite autem 18. inter causas vana Religionis Idolorum duas potissimum adducit: Alteram,* quòd Simulachra quæ coluntur, effigies sunt hominum mortuorum: *alteram*, quòd Imagines sacræ quibus inanissimi homines seruiunt, omni sensu carẽt; quoniam terra sunt. *Proinde cap. 19.* Quare, *inquit*, non est dubium quin

RELI-

RELIGIO NVLLA SIT, VBICVNQVE SIMVLACHRVM EST. Nam si Religio ex diuinis rebus est, diuini autem nihil est nisi in cœlestibus rebus, carent ergo Religione Simulachra, quia nihil potest esse cœleste in ea re quæ fit ex terra. Quod quidem, *inquit*, de nomine ipso sapienti apparere potest: Quicquid enim simulatur, id falsum sit necesse est, nec potest vnquam veri nomen accipere quòd veritatem fuco & Imagine mentitur. Si autem omninò imitatio non res, potissimùm seria, sed quasi ludus ac iocus est: non Religio simulatio sed Mimus religionis est. Præferendum est igitur verum omnibus falsis, calcanda terrestria, vt cœlestia consequamur. *Hucusque Lactantius, non Cultum modò, sed & fabricationem Simulachrorum exagitans, indignumque existimans ad speciem Religionis trahi quod fragile, caducum terrenumque & sine sensu est.*

Refutatio communis erroris Idololatrarũ. *Refutat idem auctor communem & vsitatam Idololatrarum obiectionem & excusationem: Quæ amentia est, aut ea fingere, quæ ipsi post modum timeatis, aut timere quæ finxerint? Respondent,* Non ipsa, *inquiunt*, timemus, sed eos, ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt. *Respondet Lactantius*: Aut in cœlis sunt vestri Dii, aut non. Si non essent in cœlis, eos non coleretis. Quod si sunt in cœlis, cur non in cœlos oculos tollitis, & aduocatis eorum nominibus, in aperto sacrificium celebratis? Cur ad parietes, & ligna, & lapides potissimùm, quàm illo spectatis, vbi eos esse creditis? *Deinde inquit,* Quid sibi Templa, quid aræ volunt, quid denique ipsa simulachra, quæ aut mortuorum, aut absentium sunt monumenta. Nam omnium fingendarum similitudinum ratio idcirco ab hominibus inuenta est, vt posset eorum memoria retineri, qui vel morte subslati, vel absentiâ fuerunt separati. Ergo Dii vestri aut mortui sunt, cur ergo eos colitis? Aut sunt viui. Ergo superuacua sunt hæc mortuorum monumenta. *Item*, Dij vestri aut sunt absentes, aut sunt præsentes. Si sunt absentes, ergo non sunt colendi: si nec vident, quæ facimus, nec audiunt, quæ precamur. Si sunt vbique præsentes; ergo semper vacua sunt Simulachra, *&c. Qua fronte verò hæc dicere aut scribere ausus fuisset, si ecclesia Lactantij & Constantini M. seculo Imagines & Simulachra aurea, argentea, lignea vel ex alia materia caduca & fragili vel Christi, vel Apostolorum, vel aliorum Sanctorum habuissent? Nónne illud Catonis iure optimo illi obijcere potuissent?*

Quæ culpare soles, ea tu ne feceris ipse.
Turpe est doctori cùm culpa redarguit ipsum.

Nec profectò magis quàm propheta deridere Idola, Imagines & Simulacra tanta cum libertate primitiuæ Ecclesiæ Doctores potuissent, si ex lege vti illis licuisset. Hoc enim quod exclamat Psaltes, Simulachra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum: Os habent, & non loquuntur, *&c. tam contra Iudæorum Simulachra fecisset, quàm faciebat contrà Gentium idola. Nihil enim est horum omnium quæ sunt à propheta aduersus statuas eo loco instinctu Spiritus sancti prodita, quod non dictum videatur in vniuersum contra omnia Simulachra. Nisi probauerint, nostris quadam Simulachra esse, quæ de nulla terrestri materia, nec vllius hominis manu facta constare possit.*

Elibertinæ Synodal. *Accedit his omnibus manifestum edictum contra picturas & Imagines Christianorum, cap. 36. Elibertini Concilij Constantini Magni temporibus celebrati quo sancitur,* picturas in Ecclesiis fieri non debere: ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur. *Eiusdem Concilij can. 41. sic habet*: Admonere, placuit fideles, vt quantum possunt prohibeant, ne idola in domibus suis habeant. Si verò vim metuunt seruorum, vel seipsos puros conseruent. Si non fecerint, alieni ab Ecclesia habeantur. *Exstat apud Burkardum Vuormatiensem Episcopum lib. 3. Decret. c. 35. & Carranzam in Epitome Conciliorum.*

Et vt summatim dicam, Non solùm Doctores veræ primitiuæ Ecclesiæ Imagines cunctas & omnem illarum cultum damnârunt, sed etiam quando in probatis authoribus describuntur ritus, quibus vetustissimi Christiani in conuentibus Ecclesiasticis & exercitiis Cultus diuini vsi fuisse leguntur, nulla omninò fit mentio adhibitarum Imaginum seu Statuarum vel Christi vel Apostolorum.

Authores imaginum apud Christianos hæretici. Hodiè contrarium fit. *Imò qui inter Christianos vel ipsum Christum in statuis seu per Imagines colebant & adorabant, à Doctoribus primitiuæ Ecclesiæ tanquam hæretici damnabantur, Theodoretus enim & Augustinus de hæresibus referunt*, Simonem Magnum discipulis suis dedisse suam & scorti sui Selenes Imaginem colendam, & adorandam, ad figuram Iouis & Mineruæ, *Irenæus quoque contra Valentinianos, libro primo, capite vigesimo quarto*, Gnostici, *inquit*, Imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam à Pilato, illo tempore, quo fuit Iesus cum hominibus. Et has coronant & proponunt eas cum Imaginibus mundi Philosophorum, videlicet cum Imagine Pythagoræ, & Platonis, & Aristotelis, & reliquorum. *Ex Irenæi autem hoc loco, ea mutuo accepisse videtur, quæ Beatus Rhenanus insigni eruditione vir, in Annotationibus suis ad librum Tertulliani contra Valentinum, sic consignata reliquit*: Gnostici

Imaginem Christi Servatoris iconicam venerabantur. Cujus exemplar ad Pilatum illum Iudææ præfectum referebant, qui curârit Christum, vt homo Romanus, quod Iudæis alioqui prohibitum erat, ad vitam effigiem exprimi per insignes pictores sculptoresque. Eam ergo habebant non pictam solum, verùm etiam ectypam, per plastas atque statuarios elaboratam. *Hæc ille. His per omnia congrua scribit etiam Epiphanius Cypri Episcopus, in sua illa Panaria, de Carpocratianis disserens, ac dicit:* Habent Imagines per colores depictas. Quidam etiam ex auro & argento, ac reliqua materia. Quas sanè Imagines Iesu esse dicunt, & has Iesu Imagines sub Pontio Pilato factas esse, quando inter homines versabatur. Habent autem eas Imagines occultè: insuperque Philosophorum quorundam, Pythagoras, Platonis, Aristotelis & aliorum, cum quibus Philosophis etiam alias Imagines Iesu collocant, collocatasque adorant, & Gentium mysteria perficiunt. Erectis enim his Imaginibus de cætero Gentium mores seruant. Qui verò sunt Gentium mores alii, quàm Sacrificia atque alia? *Idem in hæresim Collyridianorum scribens, Epistolam ponit scriptam ad Arabes in qua commemorat*, mulieres quasdam posuisse Mariæ virgini Sellam quadratam, & obtulisse in nomen Mariæ panem, omnesque pane participâsse. Quem ritum ille nuncupat hæresim Simulachrificam, & negotium nepharium atque blasphemum, alienum item à prædicatione Spiritus sancti (*verbis eius vtor*) opus impium, & totum diabolicum Spiritusque immundi doctrinam. *Hæc clarissima verba Epiphanij, vt eludat Bellarminus, dicit, eum, sicut etiam alios Patres, cultum Imaginum tantùm Gentilem damnâsse. Duplicis autem generis imagines Iesu Carpocratitas habuisse, apertè Epiphanius refert: Vnas sub Pontio Pilato factas, quas occultè habuerint: Alterius eiusdem Iesu, quas cum aliorum Philosophorum Imaginibus erectas adorârint. Vtrarumque Cultum ab eo fuisse damnatū, contextus manifestissimè declarat. Collyridianos autem refellens quid aliud agit, quàm quòd omnem tum imaginum Mariæ, tum ipsius Mariæ cultum religiosum confutet? Huic manifestæ veritati Bellarminus contradicere & asseuerare audet: Collyridianos Epiphanium reprehendere, non quòd imaginem B. Mariæ, & ipsam Virginem honorarint (intellige* λατρεύειν*) sed quòd Mariam haberent pro Deâ, eique sacrificarent: quasi non Dominam Deam Cardinalis Beniūs vocarit Mariam & quasi non quotidianis ei illi Papistæ sacrificent? Sed & Augustinus in Catalogo hæresewn imitans Epiphanium*, Sectæ Carpocratianę fuisse traditur, *inquit*, socia quædam Marcellina, quæ colebat Imagines Iesu & Pauli, & Homeri & Pythagoræ, adorando incensumque ponendo. *Nicephorus etiam Callistus, cui alioqui Imaguncula Christi Domini, non displicuerunt libro Ecclesiastica Historia decimo octauo, capite quinquagesimo tertio, commemorās hæreses à Iacobitis Armeniorum inuentas*, Imagines, *ait*, etiam Patris & Spiritus sancti effigiant. Quod perquam est absurdum. Imagines enim corporum eorum sunt; quæ videri & circumscribi possunt, non eorū, quę inuisibilia sunt & intelligentia comprehendi nequeunt. *Hæc ille. Authores igitur primi Imaginum in Nouo Testamento hæretici sunt. Hodiè verò qui eum Sacris Literis, & veteribus Doctoribus Imagines earumque cultum damnant, pro Hæreticis: ô tempora ô mores.*

Quæ cùm ita sint, haud immeritò Nicolaus Clemangis, Magister Parisiensis & Archidiaconus Baroensis, qui floruit circa annos Domini 1416. *testatur etiam in libro quem de Nouis Sanctorum Festis edidit*, Imagines in primitiua Ecclesia prohibitas inusitatasque fuisse.

Imaginē suam an Christus Abagaro miserit.

Quod autem de Abagara Damascenus & Nicephorus referunt, Christum nimirum Imaginem suam Abagaro cupienti misisse, *falsum est: nec cum Eusebii narratione, quæ in fine libri primi, Histor. Ecclesiasticæ exstat, consentit. Ibi enim Eusebius indicat*, se in Archiuis Reipubl. Edessenæ legisse, Abagarum per literas rogâsse Iesum seruatorem nostrum, vt Edessam veniret, & se à graui morbo liberaret: Iesum Dominum nostrum literis respondisse, se post assumptionem suam missurum aliquem, qui hoc præstaret. Misisse igitur post Ascensionem in cœlos Taddæum Apostolum, qui impositis Abagaro manibus ipsum pristinę valetudini restituerit. *Huic narrationi Eusebiò Damascenus libro quarto, capite decimo septimo, & Nicephorus libro secundo, capite septimo, multa affingunt, quæ Eusebius in Archiuis Edessenis nec inuenit, nec legit*: Abagarum *nimirum hunc*, misisse pictorem ad depingendam Imaginem Christi. Cùm verò pictor ille propter claritatem, quæ ex vultu illius resplendebat, hoc præstare non posset, Christum ipsum vestem diuino & viuifico vultui admouisse; & quasi abstergendo vesti Imaginem suam impressisse, & Abagaro eam cupienti misisse.

Damasceni & Nicephori fraudes.

His adde, quod in narratione huius fabulæ non consentiunt: alii enim ita rem se habere aiunt: Cùm, *inquiunt*, Christus esset iturus ad salutarem passionem, quandò humanam ostendens imbecillitatem, visus est animo anxius & orans, quo tempore eius quoque sudorem tanquam guttas sanguinis distillâsse significat Euangelium, tunc dicunt eum, cùm accepisset à quodam ex discipulis

hoc

hoc,quod nunc videtur, frustum lintei, stillantes imbres in eo abstersisse,& statim fuisse expressam hanc,quæ videtur,divinę illius formæ effigiem. Quod cùm apud Thomam deposuisset, postquam ascendisset in cœlos, per Thaddæum iussit mitti ad Abagarum, implens id, quod erat ei literis pollicitus. *Exstat apud Surium tomo quarto, de vitis Sanctorum: Sed cum prioribus hæc non congruunt. Scriptura autem diuersæ, & fidem sibi invicem derogantes, nihil habere firmitatis possunt: & duæ orationes pugnantia continentes, veræ esse non possunt. Vnde etiam Gelasius Papa distinctione decima quinta, hoc figmentum inter apocrypha numerat: & à Carolo Magno etiam libro quarto, capite decimo, contra Nicænam secundam Synodum, tanquam à veritate Euangelica alienum reiicitur.*

De Veronica fabula. Legenda aurea.

Eiusdem monetæ est altera fabula de VERONICA, *vt vocant, quæ habetur Legenda illa, quam immeritò, Viue etiam teste,* Auream *vocant, cùm scripta sit ab homine plumbei cordis, & ferrei oris. In ea indicatur,* Dominum Sudarium suum,cùm ad mortem subeundam duceretur,dedisse mulieri,quam profluuio sanguinis liberaverat, cui, *si fabulis credere volumus,* Teronica nomen fuit. *Valdè autem mirum est, Euangelistas huius* Veronicæ *nullam mentionem facere, cùm de mulieribus omnibus loquātur, quæ Christum ad crucem comitatæ sunt: Qui fit vt res non adeò magni momenti referant, hanc verò silentio prætereant? Equidem si tale editum fuisse Miraculum, vt vulgò imponitur, accusandus esset Spiritus sanctus, aut inconsiderantiæ, qui prudenter eligere nequiuisset ea quæ referri magis conducebat?*

Quibus etiam tertia annumerari debet, quam superiori de Abagaro assuit Nicephorus, quâ Persarum rex pictorem misisse, & per hunc Christi & Mariæ Matris ejus depictam Imaginem accepisse narratur.

De Imagine Christi à Nicodemo picta

Historiam quoque de Imagine Christi, à Nicodemo olim facta, vsurpata verò à Gamaliele, Iacobo Simeone, Zachæo aliisque, Hierosolymis autem delata in Syriam, & tandem abducta in ciuitatem nomine Berytum, non procul à Tyro & Sidone, quæ inter Athanasii opera habetur, suppositiam esse, ne ipse quidem Nannius Louanensis, qui Athanasii opera in tomos digessit, negare audet. Qui enim locum illum paulo diligentius inspexerit, nisi vehementer hebes fuerit, istius fabulæ futilitatem, mox perspexerit. Homo quidam Christianus aliò cum familia sua concesserat: is cùm domi suæ Imaginem Christi haberet, ipsi Christo & longitudine, & latitudine, & cæterâ magnitudine æqualem, eam in loco quodam occulto obliuione reliquit. Iudæus postea eam domum longo tempore inhabitat, nec Imaginem videt: alius quidam peregrinus Iudæus discumbens in prandio, eam statim aspexit apertam,& ad parietem inclinatam. *Hæc isto modo refert fictus ille Athanasius. Ita & stat aperta, & tamen occulta est: & occulta cùm sit, tamen aperta & ad parietem inclinata est: nec eam vnquam vidit, qui longo tempore donum illam, in qua lauit, inhabitauit, alius quidam peregrinus mensæ accumbens, mox illam conspexit. Scilicet ista conueniunt.* Deinde Sacerdotes & Magistrat. Iudæorum eò conueniunt, & Imaginem indignissimis contumeliosissimisque modis tractant, spinâ coronant, myrrham & fel ad bibendum porrigunt: denique cor lanceâ perfodiunt: sanguis abundè effluxit: potestates cœli commouentur: sol obscuratur, luna amittit lumen suum: *plura & quidem maiora miracula fiunt in passione imaginis mutæ, surdæ, cacæ, quin omni sensu & motis carentis, quàm cùm verus ille Iesus, verus ille Deus & homo crucifigeretur.* Atque inde fluxit etiam *(inquit nouus ille Athanasius)* cùm Halisii, tum alius omnis per orbem terrarum sanguis. *Mirum autem est, Eusebium, Sozomenum & Theodoretum, qui de Athanasio multa scripserunt, hoc tamen quod ab istis iactatur, omninò præteriisse. Mirum etiam est, alios multos doctos & præclaros Episcopos, qui eodem tempore vixerunt, & quorum scripta nostra adhuc ætate exstāt, mentionem huius fabulæ ne verbo quidem facere: qui certè si tanta res eo tempore contigisset, eam in suis libris & Historiis nequaquam silentio præteriissent. Sigebertus scribit hanc fabulam accidisse circa annum Christi* 765. *Lombardica verò historia in Legenda* 130. *annotat annum* 750.

Imago à D. Luca picta.

Theodorus denique Lector libro primo indicat, Eudociam misisse Mariæ Imaginem, quam Lucas Euangelista fecerit, Hierosolymis Pulcheriæ Imperatrici. *Eidem Lucæ tribuunt,* ipsum quatuor Imagines Virginis Mariæ Romæ depinxisse, in eo loco vbi nunc Templum est Mariæ, quæ dicitur Inuiolata. *Earum vna illic in Sacrario monstratur, eamque deuotioni suæ, vt aiunt, aptauit Lucas. Altera ostenditur Romæ, ad* Mariæ Nouæ, *quam Lucam Troade effinxisse ferunt, ac postea ab Angelo illuc importatam. Tertia, ad* Mariæ *quæ dicitur* Ara Cœli, *eâ formâ quâ propè crucem erat. Verùm ad Augustini, præcipuam omnium se habere iactant: nam si fides ipsis adhibeatur, ea est* quam Lucas secum perpetuò gerebat, ita vt eam in sepulchro suo defodi voluerit. *Sed quâ fide hæc referant, incertum est. D. enim Paulus Coloss. 4. ait,* Lucas Medicus, *non Lucas pictor. Etsi fuit Iudæus ac vnus ex 70. Discipulis, non est verisimile pictorem fuisse eum, cùm apud Iudæos hæ artes non fuerint in vsu, vt ex libro quarto Origenis contra Celsum intelligitur. Is verò beatissimam Virginem orationis & eloquentiæ suæ, quâ*

cæteris omnibus præstare visus est, coloribus depinxit: alio autem modo eam depingere ne illi haud fuit otium: Nam quòd etiam Lucam pictorem fuisse, & Christi Matrisque ipsius imagines fecisse Nicephorus *scribit lib.14 cap. 2. eadem fide facit, quâ ibidem refert, Eudociam Pulcheriæ ἀγραπτον, τὸν θεῖον ἐκείνης (Mariæ scilicet) γάλα misisse.* *Meta-phrastes quis.* *Quod idem ex Simeone Metaphraste, quem fallendi gratiâ authorem Græcum vocant, probare volunt, puerile est. Fuit enim trivialis Constantinopoli Ludimagister, & Sanctorum vitas scripsit, quæ non immeritò* Mendaciorum Legendæ *dici possunt, vixitque ducentis viginti non amplius ab hinc annis: quemadmodum Volateranus clarè testatur libro decimo nono. Nam quòd exstat apud Surium tomo sexto, de vitis Sanctorum Pselli oratio Encomiastica Simeonis Metaphrastis, videtur aut alius esse Metaphrastes ab hoc, aut falsa inscriptio: vixit enim Psellus ille Constantini Duca tempore, hoc est, circa annos Domini* 1065. *Laur. Surij error.* *Vbi etiam Laurentij Sury error notandus, qui tomo sexto, de vitis, putat, hunc Metaphrastem authorem esse vitæ Alypij Cionitæ, qui circa annos incarnati Christi* 630. *vixit: vbi enim author dicit;* Ego quoque qui sum tuæ plantationis vilissima, ô pater, & tarda propago, hanc funebrem orationem ausus sum tibi dedicare, *&c. Surius ad marginem annotat,* Simeon Metaphrastes discipulus Alypij fuit: *sed falsum est: & vita quidem Alypij exstat apud Metaphrastem, verùm alium habet authorem.*

Sed satis abundè has aliasque huius generis fabulas confutare videtur Eusebius Pamphili Cæsareæ Palestinæ Episcopus, qui tempore Constantini Magni vixit: Is in Epistola ad Constantiam Augustam: Quoniam, *inquit,* de Christi Imagine ad me scripsisti, vt tibi mitterem, velim mihi significes quam nam putes Christi Imaginem, vtrum illam veram & incommutabilem naturæ illius characteres ferentem, hanc quam propter nos assumpsit seruilem formam pro nobis induens? *Et mox:* Sed omninò serui requiris Imaginem formæ, & carnis quam propter nos induit: sed & hanc gloriæ deitatis suę commixtam & passam mortuamque. Quis igitur gloriæ ejusmodi & dignitatis splendores lucentes & fulgurantes effigiari mortuis & inanimatis coloribus & vmbratili picturâ posset? *En disertè fatetur, nullam prorsus exstare Imaginem Christi, quæ ipsum vel secundum deitatem, vel secundum humanitatem etiam exprimere possit. Et si aliquæ fuerunt maximè, quæ vtcunque repræsentârunt Christum, eò quod non misit eas Augustæ, satis declarauit, quòd inutiles sint ad verum Dei Cultum, quodque sine illis coli Deus possit: sin aliter statuisset, misisset vtique.*

Quod verò de Iudæis suprà diximus, ipsos accepisse Idola, eorumque Cultum mutuatos esse à Gentibus, idem etiam nonnullos Christianorum fecisse, extra tamen Templa, extra etiam easum Cultus & adorationis, Eusebius testatur libro septimo, capite decimo octauo, vbi refert, *Imagines Christiani à Gentibus mutuati sunt, extra tamē cultum.* mulierem illam hæmorrhousam, quam à Saluatore curatam Euangelistæ tradunt, ex ciuitate Cæsareæ Philippi oriundam fuisse, domumque illius ibi ostendi, & admiranda quædam Christi in eam beneficij, quasi trophæa ibi durare. *Imago Christi & hæmorrhousæ.* Pro foribus enim (*inquit*) domus ipsius, basis quędam in loco editiore collocata monstratur, in qua mulieris ipsius velut genibus prouolutæ, palmasque suppliciter tendentis Imago ære videtur expressa. Adstat verò alia ære nihilominus fusa statua, habitu viri stolâ comptè circumdati, & dexteram mulieri porrigentis. Hujus ad pedem Statuæ, è basi, herba quædam noua specie nascitur, & ad æneam Imaginis fimbriam vsque excrescens, omnis generis morbis medetur. *Et mox:* Hanc Statuam ad similitudinem vultus Iesu formatam tradebant, quæ permansit ad nostra vsque tempora, sicut ipsi oculis nostris inspeximus. Et nihil mirum, si hi qui ex Gentilibus crediderant, pro beneficijs quæ à Saluatore fuerant consecuti, hujusmodi velut munus videbantur offerre: cùm videamus etiam nunc Apostolorum Petri & Pauli, & ipsius Saluatoris Imagines designari, tabulasque depingi. Sed & antiquas Ipsorum Imagines à quibusdam conseruatas nos vidimus: quod mihi videtur ex gentili consuetudine indifferenter obseruatum, quòd ita soleant honorare, quos honore dignos duxerint. Insignia etenim veterum reseruari ad posterorum memoriam, illorum honoris, horum verò amoris indicium est. *Hæc Eusebius: quæ multa ad institutum nostrum pertinentia vtiliter monent. Inter quæ illud præcipuum est, quòd apertè fatetur, vsum Imaginum Christi & Sanctorum, ab illis originem trahere, qui iam primùm è Gentilismo ad Christum conuersi fuerant.* *Imaginū vsus ab ijs est qui è Gentilibus Christiani facti.* Opus autem erat olim multa Christianis Indulgere, *teste Beato Rhenano in Tertulliani lib. de Corona militis,* qui plerunque jam senes de paganismo ad nostram Religionem conuertebantur, ideoque difficulter ea relinquerent, quibus per totam vitam assueuerant. *Non ergo Eusebius dicit, neque aliquis ex nostris vnquam affirmauit, vt Sanderus calumniatur,* Ethnicos statuam hanc seu Imaginem Christi, & hęmorrhousę fabricâsse: *Sanderi calumnia.* *sed concedimus mulierem Christianam fieri eam curâsse, verùm ex gentili superstitione & consuetudine, vt quæ nuper admodum Ethnicismo valedixerat. Id enim clarè testatur Euse-*

Eusebius, ὡς (*inquit*) εἰκὸς τῶν παλαιῶν ἀπαραλλάκτως οἷα σωτῆρας ἐθνικῇ συνηθείᾳ παρ' ἑαυτοῖς τοῦτον τιμᾶν εἰωθότων τὸν τρόπον. *Hoc est*, Credibile est, priscos illos homines, nondum relictâ auitâ superstitione, ad hunc modum consueuisse colere illos Ethnicâ consuetudine, tanquam Seruatores.

Imagines Eusebij tempore nondum in Oratoria recepta.

Deinde apparet ex hoc Eusebiano testimonio, Imagines seu Statuas has Christi & Sanctorum, suâ adhuc ætate, circa annum Domini 330. *nondum in Oratoria receptas esse. Statua enim illa Christi, quam mulier hæmorrhousa fieri curauit, pro foribus domûs eius super editum lapidem erat collocata: vbi adhuc Iuliani apostatæ tempore posita fuit, teste Sozomeno libro* 5. *capite* 20.

Statuæ hæmorrhousæ nullus cultus habitus.

*Præterea adeò nullus cultus eo ipso in loco huic Statuæ Christi habitus est, vt incognitum fuerit aliquandiu, cuiusnám ea formam referret, & cuius rei gratiâ ibi esset collocata. Quia enim sub dio steterat, corpus fuit mutatum, & imbres ex locis superioribus limum secum trahentes, statuæ ipsi aggresserunt, vt literæ non apparerent, sicut Nicephorus indicat lib.*10. *capite* 30. *Fallitur ergò Sanderus, qui vult*, hanc Statuam pertiouisse ad veram Religionem, & ideò non modò plausibilem, verumetiam venerabilem antiquitus extitisse. *Quî enim hoc illi credere passumus, cum diu incognitum fuerit cuius nam illa Imago esset? Quî etiam venerabilis ijs esse potuit, qui eam limo & musco obduci sic passi sunt, vt agnosci non potuerit? Sequeretur certè, illos, quicunque fuerint, Religionis suæ parùm amantes fuisse. Argumentum autem, quo probare nititur, Imaginem istam magnâ veneratione dignam indicatam, sumit à miraculo quod circa eam contigit, in cuius narratione quædam assuit, quæ apud Eusebium non leguntur. Miraculum autem illud, & operationem herba eius, vult Statua illi omninò adscribendam. Ego verò ex superioribus nego, Christianos tunc temporis vel Statua vel herba illi diuinam tribuisse virtutem, sed potius soli Deo: alioqui non sub dio stare, & limo eam obduci passi fuissent. Deinde nullius Cultûs meminit Eusebius, quo hanc Imaginem prosecuti fuerint. Sin verò Sanderus hoc facit, errat. Miracula enim quæ per externa quædam media eduntur, non ad creaturam, sed ad creatorem referenda. Ita mulier illa hæmorrhousa non in Christi veste hæsit, sed potius in saluificam Christi virtutem respexit. Quin ipse Dominus, quasi errorem hunc confutare voluerit, testatur*, virtutem illam ex se egressam esse, *& ita omnem huius Miraculi gloriam sibi soli vendicauit. Sudaria & Semicincta Pauli ad absentes delata, morbos pellebant, & dæmones fugabant. Act.* 19. *Nemo tamen Sudariis aut Semicinctis vim hanc diuinam tribuebat. Huc etiam pertinet, quòd de Petri vmbra Act.* 5. *refertur. Non enim credendum est, quòd vmbra hominis tam fuerit efficax, sed quòd virtus Dei, quæ se secundum dispensationem minutis rebus ita insinuat, egregia ista effecerit. Et ex capit.* 3. *eiusdem libri satis constat, omnem virtutem Miraculorum Dei esse, non rerum externarum, per quas secundum dispensationem apud nos agit. Sequitur ergo, media illa per quæ agit Deus non adoranda. Per Solem enim, herbas & alia, admiranda multa agit Deus: at quis tam stolidus, vt eius gratiâ censeat ea adoranda & colenda?*

Illæ etiam imagines Petri & Pauli quarum meminit Eusebius, non in Oratoria siue Templa sunt relatæ, nec ab omnibus quoque Christianis receptæ, sed à quibusdam priuatim, nec aliam ob causam, quàm propter studium & amorem tantùm sunt asseruatæ.

Politicus Imaginũ vsus non damnãdus.

Ex his & aliis quæ adduci possent, constat, fuisse quidem in primitiua Ecclesia aliquem Imaginum seu Statuarum vsum, verùm non Ecclesiasticum, sed politicum seu Historicum tantùm, neque tamen in Templis, sed extra. Huiusmodi vsum non legimus ab vllis patribus damnatum, ne ab ipso quidem Lactantio Simulachrorũ insectatore acerrimo. Imò Athanasius & Basilius à politicis Regum Imaginibus similitudines mutuati sunt, cùm de æqualitate gloriæ & Majestatis patris & filij disputârunt.

Cõstantini M. tempore nullæ adhuc Imagines in Templis.

Durauit hic vsus Imaginum adhuc Constantini M. ætate. Nam etsi multis pretiosis anathematis ex auro, argento & gemmis Templa ornârit, imagines tamen in Templa non recepit, vt apud Eusebium legitur. Idem quoque lib. 3. *&* 4. *de vita Constantini, refert*, ipsum & suas & suorum imagines, Danielis etiam & boni pastoris symbola fieri curâsse, sed in medio foro apud fontes, non in Templis collocâsse. *Patet hoc etiam luculentissimè ex Lactantio, qui Constantini M. tempore vixit: item ex Nicephori lib.* 7. *cap.* 30. *&* 49.

Falsum quod de Imaginibus in Templis Constantini tempore refertur.

Quocirca valdè mirandum est, vnde Damasus & Platina in vita Sylvestri habeant, quod de Statuis & Imaginibus Christi, Angelorum, Apostolorum aliorumque à Constantino Magno in Basilicis Romæ positis, iudicant: Ita manifestè hoc falsum est, vt ne ipsi quidem Pontificij testimonio tali ad Imaginum in Templis antiquitatem defendendam, vtantur. Nec etiam injuriâ miretur aliquis, vnde Adrianus Papa habuerit illud, quod ad Nicænam 2. *Synodum scripsit*: Constantinum scilicet Imagines Christi & Sanctorum in Templis collocâsse, vt hoc pacto Ethnicos ab Idolorum cultu auocaret: *cùm certissimum sit, primitiuæ Ecclesiæ Doctores imagines in Oratoria recipere noluisse, ne in illorum animis, qui à Gentibus ad Christianorum Religionem transibant, seminaria Idololatriæ relinquerentur, & ne Christiani facti, eo modo verum Deum colere vellent, quo antèa Idola coluerant. Legitur quidem in Constantini Do-*

Digitized by Google

natione, Syluestrum Papam suum Diaconum Imagines Petri & Pauli Constantino M. exhiberi præcepisse, quas cum aspexisset Imperator, eorum quos in somno viderat figuratos, in ipsis Imaginibus cognouisse vultus: *Sed has in Templis positas Imagines fuisse, non indicatur. Deinde totam hanc narrationem de Constantini M. Donatione, esse falsam, fictam & supposititiam, vel ipsorum Pontificiorum testimoniis lib. 5. probabimus.*

De S. CRVCE & eius SIGNO.

QVia apud veteres Scriptores sæpe fit mentio Signi Crucis, non abs re erit, prius quàm ad reliqua pergamus, videre quale fuerit signum.

Crucis signum Tertulliani tempore nil fuit subsistens Signo Crucis cur veteres se signârint.

Tempore Tertulliani & postea, Crux nihil fuit subsistens, sed Christiani digitis in aëre formabant tantùm figuram quasi Crucis transuersam, & hoc signo se muniebant, frontem etiam eo signabant, ad omnem progressum, aditum, exitum motum, vestitum, calceatum, ad lauacra, mensas, lumina, cubilia & sedilia. Causam huius assignare non est facile. Attamen illam duplicem fuisse opinantur aliqui Prima, *quòd hoc facto testarentur se Christianos, quasi eos Crucis Christi minimè puderet. Atque hanc ex Augustino de verbis Apostoli Serm. 8. colligunt. Etenim insultabant Ethnici Christianis, facultatem eis exprobrando, qui Christum affixum Cruci adorarent: quibus ita respondet Augustinus:* Cor quidem, *ait*, habemus, non tamen quale vos habetis: Nec pudet nos crucifixi, sed in parte vbi signum pudoris est, signum crucis eius habemus. Alia *est, quòd voluerint quadam* κακοζηλίᾳ *Ceremonias legales imitari: & quia post Christi aduentum sacrificare non licet Iudæorum more, qui sanguine Agni Paschalis jussi erant illinere postes domorum, nostri ad eam similitudinem Cruce frontem signârunt, vt perhibent Lactan. lib. 4. de vera Sapientia c. 26. & August. de Catechizandis rudibus c. 20.*

Periphrasis est fructis.

Crux ab initio non fuit effigie sculptilis.

Sed demus fuisse Crucis signum subsistens aliquid Tertulliani ætate, & vel ex ligno factum, vel in parietibus pictum, non tamen crucifixi effigies sculptilis aut picta, membris expansis, Cruci clauis id temporis affigi solita fuit: multóque minus in Templa receptum, & ad Cultum & Adorationem propositum erat signum illud. Patet hoc ex cap. 16. Tertul. Apologetici, vbi ita legitur: Pars crucis est omne robur, quod erectâ statione defigitur, nos si fortè integrum & totum Deum colimus. *Et mox:* Alij planè humanius & verisimilius Solem credunt Deum nostrum. Ad Persas si fortè deputabimur, licet Solem non in linteo depictum adoremus, habentes ipsum vbique in suo clipeo. *Id à Gentilibus natum videtur, conniuentibus sanctis Patribus, vt vel sic ad Christianismum pertraherentur, sicut Beatus Rhenanus annotat ad citatum Tertulliani locum. Arnobius etiam qui vixit circa annos Domini 330. libro 8. contra Gentes, apertè dicit,* Cruces nec colimus, nec optamus. Vos planè qui ligneos Deos consecratis, Cruces ligneas, vt Deorum vestrorum partes, forsitan adoratis. Nam vexilla castrorum quid aliud sunt, quàm inauratæ Cruces: trophæa verò vestra non tantùm simplicis Crucis faciem, verùm & affixi hominis imitantur. *Cyrill. etiam lib. 6. contra Iul. disertè negat*, signũ Crucis à Christianis vel coli vel adorari.

Constantini M. tempore cœpit crux materialis fabricari. Labarũ Romanũ vexillum in crucis formam mutatũ.

Sub Constantino verò M. cœpit signum crucis duobus lignis transuersim coniunctis repræsentari seu fabricari. Narrat enim apud Eusebium Constantinus, se eùm solicitè cogitaret, an Idololatriam Gentilem abijcere, & Cultum Christi amplecti vellet, vidisse supra Solem in cœlo signum crucis, cum inscriptione: In hoc signo vinces, *idipsum tamen paulò aliter recitat Paulus Diaconus lib. 11. Rom. rerum, quo Miraculo Deus ipsum in agnita semel veritate confirmare voluit. Hac igitur visione motus Constantinus, iussit Labarum Romanum in vexillum crucis transformari hoc modo: Hastile oblongum, auro obductum, quod cornu habuit transuersum, ad formam Crucis constructum. In fastigio corona gemmis & auro circumtexta, in qua nota Seruatoris duabus primis literis nominis Christi inscripta erat. In transuerso autem cornu velamen quoddam appensum adhæsit, gemmis resplendescens. Sub velamine verò deorsum, in oblongo hastili, aurea Constantini & liberorum effigies, ad pectus vsque depicta, continebatur.*

Labarum quid.

Fuit autem Labarum (*quod Sozomenus Græcus author, nec Latinæ idcirco satis peritus linguæ* Laborum *appellat, cum dicit libro 9. capite 4.* δύτερον τῶν σημείων, ὃ λάβωρον ῥωμαῖοι καλοῦσι. *nisi forsan exemplari Græco mendi aliquid insit) vt rectius quæ diximus intelligantur, apud Romanos, reliquis signis militaribus omnibus præstantius, quod Imperatorem præcedebat, & à militibus in bellis præferebatur aciebus, vtque adoraretur ab ijsdem legibus cautum erat. Quam ob causam etiam Constantinum puto, celeberrimum hoc Romani imperii vexillum in Christi signum mutâsse, vt frequenti eius spectaculo & cultu subditi in desuetudinem pristinæ superstitionis venirent. Hoc igitur signum præferri, & laborantibus periclitantibusque cohortibus adesse, atque à satellitibus per vices in humeris gestari, ordinesq; cum eo circuire iusserat, in prælio cum Maximino commisso. Nicephorus lib. 7. cap. 36. Hæc res sine dubio in causa fuit, quòd Crucis signum ab illius ætatis hominibus magno in pretio haberi cœperit, quod sequentibus temporibus magis magisque in consuetudinem abijt. Refert enim idem author eodem lib. cap. 46. quia Cõstantino à Cruce plurimùm honorum prouenerit varijs modis, iccircò eam summopere in veneratione*

Crucis signum quare in pretio haberi cœperit.

Digitized by Google

tione habuisse, in numis suis & imaginibus omnibus insculpi inscribique fecisse. In ipsis etiam armis militum signum hoc insculpi iussit, vt esset partim signum professionis, partim vt milites sensim ita pertraheret ad Religionem Christi crucifixi. Quod factum piissimi Imperatoris mox alii quoque imitati sunt: Ruffinus enim indicat, Alexandrinos thoraces Serapis, quos in parietibus, in ingressibus, & in fenestris habuerant Ethnici, jam Christianam Religionem amplexos abrasisse, & pro iis Crucis dominicæ signum in ijsdem locis appinxisse. Idem Imperator Constantinopoli tres ex ære Cruces ingentes fieri curauit: non tamen eas in Templa collocauit, ad cultum & adorationem: sed primam, cui nomen Iesus inditum, quæque auro mirificè exaruata fuerat, posuit super fornicem seu arcum triumphalem in foro. Alteram vero Christi nomen præferentem in porphyretica Romana statuit columna, in loco qui φιλαδέλφιον, hoc est, fraternus amor dicitur. Tertiam, quam Constantinus Νίκην, id est, victoriam, Heraclius Imperator autem postea ἀνίκητον, hoc est, inuictam nominauit, in alta marmorea columna posuit, in loco cui nomen est ἀρτοπώλιον, id est, forum panarium, vt Nicephorus testatur libro 8. cap.32. Signum quoque illud militare, quod ad Crucis similitudinem fieri jussit, non in Templis ad cultum proposuit, sed eo pro militari vexillo tantùm vsus fuit, quod postea priuatim in palatio Imperatorio asseruatum, ipse Eusebio ostendit. Cui verò dubium erit, si Imagines, Simulachra & Statuas eo tempore habuissent in Templis, quin Imperator etiam Signum hoc & Cruces illas in Templa repositurus fuisset? Neque legimus his Crucibus & vexillo huic militari extra Templa quoque, vel Constantinum Imperatorem Cultum aliquem diuinum exhibuisse, vel alios id facere iussisse. Etsi enim Eusebius dicat, cruce vsum fuisse Constantinum tanquam ἀμυντηρίῳ διὰ παντὸς hoc est, quasi propugnaculo quodā & præsidio vitæ suæ, certissimum tamen est, spem eius atque fiduciam, non in Crucis ipsa materia, sed in vnico Christo defixam fuisse. Nicephorus enim scribit lib.8.cap.2. Constantinum hæc verba in tribus illis Crucibus incidi curâsse, Ἰησοῦς, Χριστὸς, Νικᾷ, Iesus, Christus, vincit, non Crux. Ambrosius etiam in Oratione funebri Theodosii Imperatoris testatur, Helenam Constantini matrem, cùm sanctam Crucem, in qua Christus pependit, inuenisset (verúmne hoc sit an non hîc non inquiro, cùm alibi commodior ea de re disputandi occasio futura sit) Regem adorâsse: non lignum vtique: quia hic Gentilis est (inquit Ambrosius) error & vanitas impiorum. Eius porrò Crucis Helena partem Hierosolymis reliquit, ad memoriam his qui eam Videre (non adorare) vellent: partem etiam quam ad filium detulit Constantinus in Foro (non in Templis) posuit, vt Socrates testatur lib. 1. cap. 17.

Cruces pictæ, aut sculptæ neq; in Tēplis Constantini temporeneq; extra Templa illis cultus diuinus exhibitus.

Quando & quomodo IMAGINES in Templa receptæ.

HActenus itaque per annos à nato incarnato Filiò Dei 370. Imagines Christiani nullas prorsus in Templis suis habuerunt. Cùm verò circa hæc tempora Memoriæ Martyrum maximo studio celebrarentur, & Templa magnificentissimè splendidissiméque exornarentur, cœpit simul in ipsis demùm Templis etiam Imaginum esse vsus: nondum tamen ad Cultum & adorationem, sed partim ad historicam admonitionem, partim etiam ornatûs causâ. Cœpit hoc potissimùm fieri in Orientalibus Ecclesiis circa annos Christi 380. Et quidem, quod obseruârunt aliqui, inter Græcos primùm reperiuntur descriptiones picturarum in ipsis Templis apud Gregorium Nyssenum, Basilij fratrem, vt est videre in eius Oratione in Theodorum Martyrem, in qua & figuram rerum animantium à sculptore factam commendat, & marmoris à lapicida politi tanquam argenti lauitatem, & viuam ipsius Martyris effigiem, omniumque eius præclarissimorum factorum adumbrationem expressam, & oculis propositam excellentissimè à pictore in opere sculptili, vnà cum Christi imagine, in quibus imaginibus pugnas martyris non minus ad viuum expressas agnoscit, quàm si in libro descripta & commemorata essent. In Synodo Nicena 2. refertur, eundem Nyssenum collacrymatum esse, dum iuxta Simulachrum Abrahæ filium suum immolantis, transiret. Cæterùm an illud Simulachrum in vita aut foro fuerit, aut in Templo, non exprimitur. Habetur etiam ibidem, Martyrium Euphemiæ virginis in Templo vrbis Chalcedonensis fuisse depictum, sed quātum conjicere licet, in porticu illæ picturæ fuerunt.

Imaginibus quādiu Christiani in Templis caruerint.

Imagines quando primùm, & cur in Tēpla relatæ.

Imaginū in Tēpla Orientalium quis primus mētionem fecit.

Sozomenus quoq; lib.5 cap.20. indicat, cùm Iulianus Statuam Christi ab hæmorrhoussa positam, dejecisset, & Ethnici eam in ignominiam Christianorum confregissent, fideles nonnullos fragmenta collegisse, ac in Ecclesia posuisse, atque ibi suo etiamnùm tempore asseruata fuisse scribit. Quòd verò Sanderus inde colligit, magnam scilicet reuerentiam delatam fuisse adhuc integræ & stanti, quæ vel fracta in tanto honore habita fuerit, non sequitur. Quando enim hæc fiebant, longè alia erant tempora ac mores, quàm vel Constantini ætate, vel ante illam fuerint. Deinde non indicatur, quo in loco Templi collocata fuerit. Præterea, ex nullo fide digno authore probare poterit, vel hanc, vel alias Imagines & picturas hoc adhuc tempore vel adoratas, vel positas & collocatas fuisse in Templis vt adorarentur. Quod enim Niceph.lib.10.c.10. dicit, Christianos Statuam hanc in Diaconico Ecclesiæ loco honoratiori posuisse, & Cultu conuenienti prosecutos fuisse, id suo more facit, posteriorum nimirum temporum superstitiones veteribus historiis assuens.

Hæmorrhoussa statua.

Nilus vetat imagines in Templis pingere.

Nicena 2. Synodus sub Irene celebrata, vt antiquiorem vsum in Templis Orientalium Imaginum & picturarum faciat, Nili cuiusdam Episcopi inducit Epistolam. in qua, cùm Olympiodorus, qui nuper Templum de nouo exstruerat, quæsiuisset, an decorum esset Templum illud Imaginibus varij generis animantium exornare, respondet, puerile, imò stultum hoc esse: sed potius in loco sacro Crucem esse effigiandã, & parietes Veteris ac Noui Testam. historiis opera docti pictoris replendos. *An verò Olympiodorus illi paruerit, aut quis ille Nilus Episcopus fuerit, non est compertum. Martyr quidam est dictus hoc nomine qui pro Christo, tempore Diocletiani, obijt. Verùm is esse non potest: tam enim abest vt tum fuerit permissum Christianis publicè Templa ædificare, eaq; Imaginibus & variis picturis exornare, vt potius, si quæ tum fuere Templa, funditus euerterentur ac solo æquarentur. Deinde in illa Nicena Synodo multa ficta leguntur: & quæ citata fuerunt ab illis patribus, maiori ex parte in libris Orthodoxorum non exstant.*

Imagines quando in Ecclesias Occidentales irrepserint. Ecclesias Occidentales quis primus pinxerit.

Apud Occidentales verò, pinxit Ecclesiam fortasse primus, Pontius Paulinus *Episcopus Nolanus, qui juxta Trithemium, circa annos Christi 420. celebris fuit. Is facti huius causam hanc reddidit.* Cùm fideles die festo conuenirent ad celebrandum Felicis Martyris memoriam, religiosè excipiebantur conuiuio, & cùm plus æquo epulis genioque indulgerẽt, pingi curauit ille pater in parietibus Templi Veteris Testamenti Historias, nec non & Noui, quo populus illis intuendis, frugalius & sobrius in conuiuio se gereret. *Hæc res mox in aliis quoque Ecclesiis magno cum applausu recepta fuit: meminit enim Prudentius Poeta Christianus in passione Cassiani Martyris pictæ Imaginis in Templũ, hisce verbis:*

Erexi ad Cœlum faciem, stetit obula contrà
Fucis colorum picta Imago Martyris.
Æditius consultus ait, quod prospicis hospes,
Non est inanis aut anilis fabula.
Historiam pictura refert, quæ tradita libris
Veram vetusti temporis monstrat fidem.

Crucis signum vt primo in Ecclesiis Occidentalib. pictum fuerit.

Idem Paulinus Crucis signum vndique coronâ floribus contextâ cinctum in ingressu Basilicæ suæ depinxit etiam, subiectis his versiculis, qui symboli illius notionem explicant:

Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare Crucem, celso spondentem celsa labori
Præmia, tolle Crucem, qui vis auferre coronam.

Cruci quoque insidebant columbæ, quem typum his versibus aperuit:

Quæque super signum resident cœleste columbæ
Simplicibus produnt regna patere Dei.

Imago Christi apud veteres.

Apparet etiam ex aliquot veterum locis Christum ab initio, quando picturæ in Templa fuerunt receptæ, magis in typum agni, quàm effigie humanâ depingi consueuisse: quod vsque ad tempus sexti Concilij generalis obtinuisse videtur, in quo statuitur, vt mox pluribus indicabo, vt pastores in posterum non in agni typo, vt hactenus fieri consueuit, sed humano charactere Christum exprimant. sicut ipse quoque Georgius Cassander *in sua Consultatione ad Ferdinandum & Maximilianum Imperatores fol.* 151.

Paulinus peccauit pingẽdis Ecclesiis.

Bifariam autem peccauit Paulinus. Principio enim contra manifestum Pauli præceptum conuiuia in Templo publica instituere permisit. D. Augustinus in quadam Epistola improbat ea conuiuia, quæ fiebant suo adhuc tempore in Basilicis, propter veteres agapas, ad hospites pauperes excipiendos & benignè tractandos; quanto minus probâsset ea quæ in Encæniis Paulinus instituit? Deinde, quod æquè fuit inexcusabile, homines Imaginibus ad temperantiæ studium cohortari voluit, cùm idem doctrinâ salutari & exemplo magis Christiano conari potius debuisset. Vnde liquidò apparet Episcopum hunc pio spiritu hoc consilij nequaquam cœpisse.

Crucis signum in Tẽpla illatum Orientalium. Crux quid hoc adhuc tempore fuerit. Crucis signo cacodæmones fugãtur. De Cyrillo Hierosolymitano iudicium.

Mox etiam signum Crucis apud Orientales in Templa illatum est, vt ex locis aliquibus patet. Fuit tamen eo adhuc tempore lignum tantùm transuersum, in forma crucis factum. Hoc etiam Cyrillus contra Iulianum lib. 6. ostendit. Exstat quidem aliquid l. 2. c. 3. de visitatione infirmorum de addita super Crucem hominis patientis Imagine. verùm id posteà demùm accessit: nec sunt illi libri Augustini, sed diu post Augustinũ conscripti.

Iisdem quoque temporibus ea superstitio confirmata & longius propagata videtur, vt nimirum crederent homines, signo Crucis cacodæmonas fugari. Vnde Cyrillus Hierosolymitanus ait Catheches. 4. Tu manifestè signa te cruce in fronte, vt dæmones signum Regis videntes trementes procul fugiant. *Obseruãdum verò quod Ruffinus lib. 1. capit. 23. de hoc Cyrillo memoriæ prodidit, eum scilicet aliquando in fide, sæpius autem in confessione variâsse: & Macedonianum eum fuisse in adolescentia, quando libros Catheches. scripsit, & ante Synodum Constantinop. ei demùm hæresi renunciâsse. Lactantius tamen lib. 4. cap. 27. de vera Sapientia, testatur quoque*, imposito frontibus signo Crucis Deos Idolorum fugatos, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. *Et Hieronymus ait in Epist. ad Heliodorũ:* Intus inclusum est periculũ, intus est hostis, expedite rudentes, vela suspendite: crux antennæ figatur in frontibus.

Hîc

Hic ad arcendum periculum quod à Dæmone imminet, hortatur Heliodorum, vt instar nautarum spiritualium ad arma sua confugiat. Quod autem in tempestate nautis est antenna, id Christianis in tentatione vult Hieronymus esse Crucem in frontibus fixam. Quæ res pasterioribus seculis multis falsis ac mendacibus signis ac Miraculis confirmata, magis magisque in superstitionem abijt. Refert enim Gregorius M. lib. 3. Dial. Iudæum noctu ingressum Templum idoli, vt ibi dormitet, visis noctu permultis in eo loco cacodæmonibus, cùm vehementer expauisset, se muniuisse signo Crucis: cúmque princeps malorum spirituum cognouisset hominem adesse, Diabolo cuidam jussit, vt illum accederet, & explóraret quisnam esset: qui cùm eum contemplatus fuisset, rediit, ac dixit, vas quidem inueni vacuum, sed signatum, Iudæumque reliquit prorsus illæsum. Quod ille secum reputans, Christianam Religionem amplexus est. *Quasi verò Iudæi soliti sint Idolorum Templa ingredi, quæ summoperè horruerunt. At quis Dæmon Iudæo isti significauit, quid malignus ille spiritus principi Dæmoniorum renunciârit? Nugatur etiam Vincentius lib. 23. cap. 103.* Diabolum Agilo Galliæ Doctori in specie draconis apparuisse, ac erecto capite virus suum aduersus ipsum euomuisse: quem ille signo Crucis facto fugârit. *Simile commentum de Sulpitio eodem lib. cap. 29. narrat. Sunt igitur hæc & similia partim fabulosa & vana, cujus generis plurima, non tantum Vincentius in Speculum suum historiarum, sed & in libros Dialogorum, & præsertim tertium Gregorius M. congessit, quæ non tantùm risum mouere possunt lectoribus, verùm etiam à Christiana religione valdè sunt aliena, ideoque etiam scripta ejus omnia à Clero populoque Rom. inprimisque Pont. M. Sabiniano digna iudicata sunt, quæ comburerentur, quòd scilicet viderent nimis multa fabulosa ijs inserta, & puritatem Religionis non parùm per ea contaminatam esse. Partim superstitiosa sunt: fingit quidem Diabolus interdum se cedere conspecta signa Crucis, vt ea fictione sese magis ac magis insinuet nobis. In bello si hostis cedat, tum maximè cauere nobis debemus, ne in insidias, quas parauit, incidamus. Vis autem & potestas Crucis non sita est in signo, sed in vera solidaque fide in crucifixum.*

Mendacia signa pro cultu Crucis signi.

Iisdem ferè temporibus circa Crucis signum miracula quoque alia accidisse Historici nonnulli indicant. Cùm enim Heraclius Imperator circa annos Domini 631. deuicta Persâ cum sancta Cruce vrbi Hierosolymorum appropinquâsset, eamque regio vestitu ornatus, per portam, per quam Seruator ad crucem subeundam exiuit, transportare voluisset, porta miraculosè clausa fuit, lapides enim concurrentes occluserunt transitum, *vt Vincentius fabulatur lib. 23. cap. 12. seu vt Blondus refert Decadis 1. lib. 9.* Imperator in porta immobilis substitit, non valens, licet conaretur enixè, progredi amplius. Cúmque Imperator admiraretur rei causam, audita est vox angeli: Rex regum non sic intrauit cultu regio, quando passurus erat pro omnibus, sed humili insidens asello, humilitatis exemplum reliquit. *Sunt tamen qui putent Zachariæ Patriarchæ, quem Heraclius Hierosolymam reducere voluerit, hanc admonitionem fuisse.* Tunc Imperator lachrymis perfusus discalceatus & vsque ad camisiam exutus, Crucem Domini accipiens, vsque ad portam portauit, eaque vltrò aperta est, & Imperatori transitum concessit. *Referunt etiam Sigebertus in Chronica: Gotfridus Viterbiensis parte 16. Durandus in Rationali libro 7 cap. 29. Antoninus titul. 13. cap. 4. §. 3. Petrus de Natalibus lib. 8. cap. 76. Haumar etiam Saracenorum Dux cùm ædificare cœpisset Hierosolymis Templum, & subinde extructa corruissent, sciscitabatur causam à Iudæis: qui respondebant, crucem, quæ erat super Templa montis Oliuarum, eam impedire ædificationem: cruce igitur ablatâ, ædificium processit, vt testantur Sigebertus & Paulus Diaconus lib. 19. rerum Romanarum.*

Miracula falsa pro confirmatione multitudinis Crucium.

Hæc & similia etsi fabulosa videantur, tamen occasio fuerunt multarum grauissimarum errorum: nimirum adorationis Crucis, quam Gregorium Magnum instituisse Zegedinus in suo Speculo indicat: deinde solennis ritus exaltationis Crucis, & vanissimæ opinionis, quòd scilicet Crucis signum contra omnis generis mala prosit: tum etiam multitudinis Crucium intra Templa Christianorum, vt accuratissimus historicus Funccius in sua Chronologia annotauit, sed etiam extra ea, in vijs passim & compitis, ad Ethnicorum imitationem. Fuit enim hoc priscis temporibus apud nonnullos in more positum, vt Mercurij Statuas vbique in vijs collocarent, quòd hunc Deum itineribus præesse arbitrarentur. Hi verò quùm fidem Christi amplexi postea fuissent, deiecerunt Statuas istas Mercuriales, & earum in locum erexerunt Statuas Christi crucifixi, vt etiam fatetur Hasius Tom. 1. c. 11. Confessionis Christianæ fidei.

Non defuerunt autem his ipsis temporibus pietate & eruditione præstantes viri, qui vsum hunc historicum Imaginum, picturarum & Crucis in Templis, fortissimè impugnarent, magisque probarent primitiuæ Ecclesiæ morem, quæ Religionem absque Simulachris, Statuis, Imaginibus & picturis exercuit & habuit. Notissimum est factum Epiphanij Salaminæ Cypri Episcopi, *in doctrina Catholicæ fidei in orbe celeberrimi, Augustino teste: de quo ipsemet in fine epistolæ ad Ioannem Hierosolymitanum Patriarcham ita scribit:* Cùm venissem ad villam quæ dicitur Anablatha, vidissemque ibi præteriens lucer-

Imaginū vsus historicus in Templis damnatus.

Imaginū vsum damnauit Epiphanius.

lucernam ardentem, & interrogâssem quis locus esset, didicissemque esse Ecclesiam, & intrâssem vt orarem, inueni ibi velum pendens in foribus ejusdem Ecclesiæ tinctum atque depictum, & habens imaginem quasi Christi vel Sancti cuiusdam. Non enim satis memini cuius Imago fuerit. Cùm ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi contra authorem Scripturarum hominis pendere Imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, vt pauperem mortuum eo obuoluerent & efferrent. *Et mox:* precor vt jubeat in Ecclesia Christi, istiusmodi vela, quæ contra Religionem nostram veniunt, non appendi. Decet enim honestatem tuam hanc magis habere solicitudinem, vt scrupulositatem tollat, quæ indigna est Ecclesiâ Christi & populis qui tibi crediti sunt.

Epiphanij tempore nullæ aut rarissimæ in Templis Imaginũ vsus.

Ex hoc Epiphanij facto constare satis arbitror, eius adhuc seculo aut nullas, aut rarissimas in Ecclesiis Sanctorum Imagines fuisse, adeoque morem illum tum demùm incepisse: & quæ fuerunt, non ad cultum sed propter historicum vsum, commonefactionis gratiâ, collocata in Templis fuerunt, & tamen à Doctoribus eorum temporum damnata sunt.

Sanderus quidem, probare volens, diu ante Epiphanium Imagines in Templa receptas fuisse, primò ad Constantinum M. confugit, qui eas in Ecclesiis collocârit: sed hoc falsum esse ex superioribus patere arbitror. Deinde Epiphanio longè antiquiorem facit Gregorium Nyssenum, qui Imaginum & picturarum in Templis meminit. Quod itidem falsum est. Socrates enim lib. 4. cap. 26. testatur, obijsse Gregorium Nyssenum posteriorem Basilio, vt qui Hexaemeron Basilij tanquam imperfectam post fratris obitum, absoluerit. Obijt autem Basilius M. vt ex Amphilochio Vincentius indicauit, anno 6. Valentiniani, qui est Christi annus 387. Ipsemet quoque Epiphanius in Ancorato indicat, quòd librum illum scripserit anno Valentiniani & Valentis 10. Gratiani 6. quo tempore quoque Gregorius Nyssenus & Hieronymus floruerunt. Fuerunt ergo, σύγχρονοι: eorumque tempore Imagines in Templis collocatæ sunt primò, sed ab Epiphanio, tanquam saniore, rejectæ à Gregorio autem approbatæ.

Quod locum Gregorij M. attinet, vbi dicit, Vetustatem admisisse, vt Sanctorum Historiæ in locis venerabilibus pingerentur: *Respondeo, Epiphanium trecentis ferè annis Gregorium antecessisse. Cōcedo igitur, Vetustatem, quâ ratione à Pontificijs accipitur, hoc admisisse: ipsis enim non solùm vetustum, sed vetustissimum & antiquissimum semper est, quod ante ducentos, quadringentos aut quingentos ad summum annos institutum & approbatum est. Quod verò Sanderus inde concludit, veram vetustatem hoc admisisse: falsum est: neque enim Gregorius ipse alicubi hoc affirmauit, multoque minus id Sanderus probare poterit.*

Idem quod Epiphanius reliqui etiam eius temporis Doctores de Imaginibus & senserunt & docuerunt.

Athanasius contra Imagines.

Athanasius *enim contra Gentes ait,* ἡ τῶν εἰδώλων εὕρεσις οὐκ ἀπ' ἀγαθοῦ ἀλλὰ ἀπὸ κακίας γέγονε. τὸ δὲ τὴν ἀρχὴν ἔχον κακὴν, ἐν οὐδενί ποτε καλὸν κριθείη ὅλον ὂν φαῦλον. *Id est,* Imaginum inuentio, non de bono, sed de malo exiuit. Quod autem principium malum habet in nulla re bonum judicari potest, vt pote totum malum. Et cur, dicant quæso, *inquit*, quo pacto per Simulachra noscatur Deus? An per circumpositam materiam illius, an per indoctam materiæ formam? Si ob materiæ formam? Si ob materiam, quæ jam formæ necessitas, vt non priùs etiam quàm ista fingerentur, per omnem prorsus materiam apparuit Deus, cùm omnia testentur gloriam ejus? Porrò si superinducta effigies diuinæ cognitionis causa est, quid jam pictura, cæteraque materia opus est, ac non magis per ipsa vera animalia, quorum formæ Simulacbra sunt, Deus cognoscitur? Nam clariùs profectò Dei gloria innotesceret, si per animata rationabilia manifestaretur. Cùm ergo intelligendi Dei gratiâ sculptis aut fingitis Imagines, rem profectò minimè dignam facitis. *Idem,* Quomodo non miseratione, *ait*, prosequendi sunt, qui creaturas adorant: quòd illi vident, non videntibus cultum exhibent: & audientes non audientes orant precanturque? Creatura enim à creatura nunquam seruabitur.

7. Synod. Constantinop. tom. 5.

Amphilochius.

Amphilochius Iconij Episcopus, Non nobis, *ait*, Sanctorum corporales vultus in tabulis coloribus effigiare curæ est, quoniam his opus non habemus, sed politiæ illorum virtutum memores esse debemus. *Vbi ad Carpocratianorum errorem respicere videtur, qui illo tempore, Imagines Iesu, Pauli & aliorum, in tabulis per colores depictas habebant: id verò in vsu non esse Christianis dicit Amphilochius, quòd ijs opus non haberent.*

Gregorius Nazianzenus.

Similiter Gregorius Nazianzenus *in versibus suis dicit:* Flagitium est fidem habere in coloribus, & non in corde. Ea enim quæ in coloribus existit, faciliter eluitur: quæ verò in profundo mentis, illa mihi amica.

Ambrosius.

Ambrosius *de obitu Theodosij:* Inuenit: *inquit*, Helena titulum Regem adorauit non lignum vtique, QVIA HIC GENTILIS EST ERROR ET VANITAS impiorum: Sed adorauit qui pependit in ligno, scriptus in titulo, *&c.*

Hieronymus.

Hieronymus *in cap. 2. Ieremiæ,* Homo, *inquit*, rationale animal, æs adorauit & lapidem: vnde possumus secundum Anagogen & hoc dicere, quòd omne dogma contrarium

rium veritati; adoret opera manuum suarum,& constituat Idola in terra sua,*&c. Quibus verbis Pater hic sanctus clarè, opinor, docet, non solùm Gentium, verùm in genere omnium hominum, quicunque illi sint, doctrinam contrariam esse veritati, quæ iubeat constituere idola, Simulachra & Imagines in Templis, atque adorare opera manuum suarum. Quod vtique non scripsisset vir sanctus, si apud Christianos tritum fuisset eo tempore Imagines in Templis collocare easque adorare. Et in cap.* 10. *docet*; Idola à Gentibus ad nos vsque transiisse, vt Religionem in diuitijs arbitremur. *Idem tom.* 1. *in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum pag* 276. *de Egesippo refert*, quòd cùm disputaret aduersus Idola, vnde etiam originem illa habuerint, aperuerit: nempe inde, quòd homines cœperint mortuis tumulos Templaque facere, indeque ad Imagines quoque ipsorum descendisse. *Tomo* 3. *quæstione in Paral. causam indicat, cur Amasias Idola coluerit*? quia *scilicet* Sathan multos in Idolis decipit, in illis dando responsa, ostentaque faciendo. *Et Trad. Hebr. in lib. Regum ait*, Idola appellari Idola flenria, quia fletu digna sint, & qui ea colunt, hos ad fletum miseriarum ducere.

Imagines in Altari poni re vetita. abominanda vocitata. *Quàm etiam abominandum duxerint primitiuæ Ecclesiæ Christiani, si in Altari Simulachrum vel Imago poneretur, quod hodiè Papistis vsitatissimum est*, liquet ex Optato Mileuitano, *qui Ambrosium & Hieronymum antecessit: nam Donatistæ, vt odium Catholicis concitarent, iactabant, venturos qui interessent Sacrificio, vt Altaribus aptatis ante Sacrificij oblationem prolatam Imaginem in Altari ponerent, quod qui audiebant dicebant:* Qui degustat de sacro gustat, & rectè (*inquit Optatus*) dictum erat, si talem famam similis veritas sequeretur, verùm nihil tale visum est ex eo, quod fuerat paulò ante mentita fama, nihil viderant oculi Christiani quod horrerent, visa est puritas & ritu solito, solennis consuetudo perspecta est. *lib.* 2. *contra Parmenianum*.

Commodè etiam hic subit contra signum crucis & Imagines Theodosij & Valentis edictum, quod ex libris Augustalibus multæ lectionis vir, Petrus Crinitus recitat lib. 9. *De honesta disciplina his verbis:* Theodosii & Valentis contra imagines edicta. Valens & Theodosius Augusti Imperatores, Præfecto prætorio scripserunt: Cùm sit nobis cura diligens in rebus omnibus superni numinis religionem tueri, Signum Saluatoris Christi nemini quidem concedimus coloribus, lapide aliáue materiâ fingere, insculpere aut pingere, sed quocunque reperitur, tolli iubemus, grauissimâ pœnâ eos mulctando, qui contrarium decretis nostris & imperio quicquam tentauerint. In quo si quis fortè authorem desiderat, is Imperatorum decreta & edicta legat, quę à viris doctissimis Triboniano, Basilide, Theophilo, Dioscoroque, & cæteris per Satyram collecta sunt, imperante hoc Maximè Augusto Iustiniano. *Hactenus ex Crinito: Refert M. Bucerus in libro in quo probat non esse ferendas in Templis Christianorum Imagines & statuas coli solitas. In Codice quidem, lib.* 1. *tit.* 11. *L.* 1. *Lex illa habetur diuersa: sic habet enim*, Ne Christi signum pingeretur aut sculperetur, vel in solo, vel in silice, aut in marmoribus humi positis: nimirum ne pedibus conculcaretur. *Sed Petrus Crinitus scribit, vt dictum est*, se vidisse ipsam legem in antiquissimis Codicibus, qui simpliciter habebant, ne pingeretur, nullâ mentione soli aut marmorum humi positorum factâ. *Ac si, quæ tum quæstio de Imaginibus in Ecclesia agitata fuerit, inspiciamus, facilè intelligemus, quo sensu Imperatores illi cauerint, ne imago Christi pingeretur vel sculperetur. Quæstio erat*, an deberent vllâ affici veneratione, eoque in Templis haberi Imagines. *Ergo non alio sensu intelligenda est hæc lex, quàm ne in Templis, vbi facilè adorari possunt, haberentur Christi imagines aut statuæ. Hanc deinde sanctionem, vt de expresso verbo & lege Dei nihil jam dicam, & confirmârunt & exercuerunt* Philippicus, Leo, Constantinus *Pater & Filius*, Nicephorus, Stauratius, Michael, Leo Armenius *aliique Christianissimi piissimique Imperatores*.

Liquet igitur hinc non solum Epiphanium aliosque Ecclesiarum Doctores, sed ipsos Imperatores etiam, ante Philippicum & Leonem III. Isaurum, solicitè cauisse, ne Simulachrorum impietas quoquo modo Christianorum Ecclesias fœdaret ac pollueret: & proinde fraudem seu imposturam esse, quod Sanderus dicit, si vel maximè id scripsisset Epiphanius ad Hierosolymorum Episcopum contra Imagines sanctorum, tamen vnius hominis vocem à cęteris Patribus dissentientem in re, quam tota Christi Ecclesia tam celebriter toties definierit, nihil omninò quenquam mouere debere. *Nos potius jure optimo ex his quæ hactenus commemorauimus ita concludere possumus: Cùm Patres primitiuæ Ecclesiæ Imagines in Templis non solum Gentilium, sed & Christianorum vnanimi consensu damnârint, ideò Pontificiorum clamores à doctrina veteris Ecclesiæ dissentientes, in re quam vera Christi Ecclesia tam clarè, tam dilucidè, tam perspicuè definiuit, nihil prorsus pios & fideles homines mouere debere.*

IMAGINES quando in Templis multiplicatæ sint.

Imagines quã tem- *Circa hæc verò tempora passim per vniuersum orbem seditiones, cædes, persecutiones & bel-*

N

Digitized by Google

casione in Templa recepta.

& bella cruenta exorta sunt, ipsumque Imperium Romanum Gothorum, Vuandalorum, Hunnorum, Francorum, Alemannorum aliarumque ferarum ac barbararum Gentium irruptionibus populationibusque tantùm non fractum & destructum fuit, quòd tunc nulli Imperatores eximiâ aliquâ virtute ad tuendam Imperij majestatem præditi, sed tantùm suæ tranquillitati & voluptatibus dediti essent, & veros graues constantesque verbi Dei ministros, tanquam homines inquietos, ambitiosos, rixandique & omnia turbandi cupidissimos odissent: quo factum est, vt & Ministerium sacrum vilesceret, & numerus virorum pastorum magis magisque minueretur. In has igitur occasiones intentus hostis humani generis, horribiles & perniciosas tenebras, ceu nubes quasdam atras, totum cœlum occupantes, in Ecclesiam Christi simul induxit, per ipsos doctores & Ecclesiarum antistites maximè: quorum aliqui viribus humanis nimiùs tribuerunt, nimiùm etiam varijs ἐθελοθρησκείαις Cultibusque ab hominibus excogitatis frena laxârunt, & ceremonijs ac Ritibus accumulandis mirum in modum occupati fuerunt: alij palàm impios & blasphemos errores amplexi sunt, & philosophicis rationibus argutijsque defenderunt: nonnulli quoq; securitatem quibusuis tam superstitiosis quàm palàm impijs permiserunt, ita vt tanquam in naufragio dormitãtes, suæ solùm trãquillitati & ocio consulerent, imminentia pericula non multum curarent, haud aliter quàm si ociosi tantum spectatores alienæ fabulæ in theatro consedissent. Hoc rerum statu deploratissimo imagines quoque non tantùm Christi, & Apostolorum sed aliorum etiam, sensim cœperunt in Templis accumulari & augeri. Ac crediderim sanè, hoc tempore primùm aureas vel argenteas illas columbas quibusdam in Templis, super baptisteria & Altaria appensas fuisse, quarum Clerici & Monachi Antiocheni meminerunt, in accusatione contra Seuerum suum Episcopum in Constantinopolitana quadam Synodo habita.

Imaginũ vsus in Templis ne hoc quidem tempore ab omnibus probatus.

Obseruandum tamen hic quoque diligenter, quòd hoc ipso adhuc tempore multis celeberrimis in Ecclesiis ne ad historicum quidem vsum vllæ prorsus Imagines fuerunt. Deinde etsi in aliquibus receptæ, nondum tamen vbique & ab omnibus, præsertim saniore parte, adoratæ fuerunt. A multis etiam horum temporum præstantissimis sanctissimisque viris; cùm Imagines per se, tùm earum adoratio damnata fuit. Vnde simul apparet, quâ fide dignum sit, quòd Nicephorus libro 16. c.28. scribit, Xenaiam quendam circa annos Christi 500. primùm cœmouisse, non debere adorari Christi & Sanctorum Imagines

Chrysostomus contra Imagines

Chrysostomus *enim homil. 57. in verba illa Labani Gen 3.* Quare Deos meos furatus es? excellentem, *inquit*, insipientiam. Tales sunt Dij tui, vt quis eos furari queat? Non erubescis dicens: quare furatus es Deos meos? Vide quanta fuerit erroris grauitas. Hi qui ratione prædiri solunt lapides & ligna. Et sunt hi Dij tui ô Laban? *&c. Quæ certè Pater hic in genere de omnibus Imaginibus pronunciauit, cùm Imaginum adhuc hodie ea sit conditio, vt æquè ac Labani homines eas suffurari queant. Quod si vllæ Imagines in Constantinopolitanis Templis ejus ætate fuissent, non licuisset ei hoc modo Deos alienos & Imagines irridere. Idem in eadem homilia ait:* Scitis quando Gentes eratis, ad Idola muta quomodo euntes adducebamini? Et rectè dixit muta. Qui vocem inquit habetis & aures & sermonis estis participes, ad ea quæ nullum sensum habent, sicut bruta abducimini. Et quidem qui talis est, veniam meretur? *Et alibi inquit:* Nos per scripta Sanctorum utimur præsentiâ, non sanè corporum ipsorum, sed animarum Imagines habentes. Nam quæ ab ipsis dicta sunt, animarum illorum Imagines sunt. *Vbi nihil mouere nos debet quòd in Oratione de Meletio Antiocheno Episcopo inquit:* Quomodo fecistis in nominibus, hoc etiam fecistis in illius (*Meletij*) Imagine: etenim in palis annulorum, & in Simulachris, & in phialis, & in thalamorum parietibus, & vbique sacram illam multi expresserunt Imaginem, vt non solùm audirent sacram illam appellationem sed etiam vbique viderent figuram corporis, & ejus excessûs duplicem haberent consolationem. *Nam D. Chrysostomus hoc loco de Meletij Imagine à populo non intra, sed extra Templa posita loquitur, nullius cultûs, sed tantùm gratæ memoriæ causâ. Nec obstat etiam, quòd in ea Liturgia, quæ Chrysostomi nomine circumfertur,* Imaginis crucifixi mentio fit: *Nam ibidem etiam meminit Nicolai Papæ, pro quo orat, his verbis:* Nicolai sanctissimi & vniuersalis Papæ longa sint tempora. *Nicolaus verò Papa ejus nominis primus, secundus fuit à Ioanna Papa fœmina, anno Domini 857. quingentis ferè pòst annis, quàm Chrysostomus è vita excessisset: eadem etiam Liturgiâ pro imperio atque victoria Alexij Imperatoris vota facit: primus autem Imperator eo nomine appellatus, anno Christi 1080. vixit, annis pòst Chrysostomi mortem septingentis. Nullus verò dicet opinor, Chrysostomum nominatim pro illis hominibus orâsse, septingentis annis, priusquam nascerentur. Proinde qui ista confinxit primus, non suis temporibus & locis satis commodè distribuit.*

Lyturgia Chrysostomi.

Cartaginen. Synodus 5.

In Synodo etiam Carthaginensi quinta, *cui D. Augustinus præsedit circiter annos Christi* 420. *sancitur capite decimo quinto*, vt petatur ab Imperatoribus, quò omnes reliquiæ Simulachrorum & Idololatriæ, in quibuscunque locis, vel lucis, vel arboribus deleantur. *Hoc etsi de Ethnicorum Simulachris & Imaginibus decretum fuerit, de Christianorum tamen statuis quoque intelligendum est. cùm de similibus idem sit judicium. Et nota diligenter, quòd non*

petunt

petunt vt Gentium Idola eâ conditione destruantur, vt eorum loco Christianorum Imagines substituantur.

Augusti-nus. Augustinus *quoque in Psal.113. scribens, ità de Simulachris & idolis Gentium loquitur, vt simul quoque de Christianorum Imaginibus loqui videatur. Apparet etiam ex eodem loco D. Augustinum in sua diœceseos Templis nullas prorsus habuisse imagines: quod ipse quoq; Georgius Cassander apertè fatetur in sua Consultatione fol.*151. *Sic enim inquit Augustinus:* Hoc venerantur, quod ipsi ex auro argentóque fecerunt. Sed enim & nos pleraque instrumenta & vasa ex hujuscemodi materia vel metallo habemus, in vsum celebrandorum Sacramentorum: quæ ipso Ministerio consecrata, sancta dicuntur, in ejus honorem cui pro salute nostra seruitur. Et sunt profectò etiam ista instrumenta vel vasa, quid aliud, quàm opera manuum hominum? *Non dicit, Habemus quidem & nos perinde vt Gentes in Templis nostris Simulachra & Statuas, opera manuum hominum, verùm nostrarum Imaginum longè alia quàm Ethnicorum est ratio.* Sed habemus, *ait*, instrumenta & vasa ad celebranda Sacramenta, ex eadem quidem materia fabrefacta, qua Gentium Idola, adeóque opera manuum hominum: Veruntamen, *ait*, numquid os habent, & non loquuntur? numquid oculos habent, & non vident? numquid eis supplicamus, quia per ea supplicamus Deo? Illa causa est maxima impietatis insanæ, quòd plus valet in affectibus miserorum similis viuenti forma, quæ sibi efficit supplicari, quàm quòd eam manifestum est non esse viuentem, vt debeat à viuente contemni. *Vnde intelligimus Simulachra in Augustini templis nulla fuisse, alioqui se fateretur inexcusabilem esse. Et contra Manichæos lib.*1.*de Moribus Ecclesiæ*, Nolite, *inquit*, mihi colligere professores nominis Christiani, neque professionis suæ vim aut scientes, aut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera Religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, vt obliti sint quid promiserint Deo. Noui multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores: noui multos esse qui luxuriosissimè super mortuos bibant, & epulas cadaueribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, & voracitates ebrietatesque suas deputent Religioni. Nec mirum est in tanta copia populorum, *&c. Fatetur hîc sanctissimus Pater, esse quidem aliquos inter vera Fidei professores, qui picturas habeant easq; adorent, nec non & alia flagitia designent, non tamen ex malorum Christianorum moribus vituperandam & condemnandam Ecclesiam ac veram Religionem à Manichæis. Vnde mox hæc subjicit:* Admoneo vos, vt aliquando Ecclesiæ Catholicę maledicere desinatis, vituperando mores hominũ, quos & ipsa condemnat, & quos quotidiè tanquam malos filios corrigere studet. *En vsum picturarum earumque adorationem in Ecclesia Christi D. Augustinus disertis verbis inter mores & consuetudines eas numerat Christianorum, quas Ecclesia Catholica ipsa condemnet, & quotidiè corrigere conetur.*

*Idem c.*7.*de Fide & symbolo ait,* Quòd sedere Pater dicitur, non flexis poplitibus fieri putandum est, ne in illud incidamus Sacrilegium, quo execratur Apostolus eos qui cõmutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim Simulachrũ Deo nefas est Christiano in Templo collocare, multo magis in corde nefarium est, vbi verè est Templum Dei, si à terrena cupiditate atque errore mundetur. *Et c.*13. *contra Adimantum Manichæum dicit,* Adimantũ videri velle fauere Simulachris, vt hac ratione miserrimæ ac vesanæ suæ sectæ, etiam Ethnicorum conciliet beneuolentiam. *Quod mehercle Manichæis nequaquam exprobâsset Augustinus, si suis in Templis Imagines habuisset. Idem Pater* Non solùm, *inquit*, pictoribus quidvis suo arbitratu pingendi licentia permissa est, sed & Statuæ & Simulachra eadem licentiâ exsculpta, non Templa modò, verùm etiam ipsas Aras occupârunt. *Quod quanti periculi sit, ostendit epistolâ* 49. *ad Deogratias:* & Idola quidem, *ait*, omni sensu carere quis dubitat? veruntamen cùm his locantur sedibus, honorabili sublimitate, vt à precantibus atque immolantibus attendatur, ipsa similitudine animatorum mẽbrorũ atque sensuũ, quamvis insensata atque exanima, afficiunt infirmos animos vt viuere ac spirare videantur, accedente præsertim veneratione multitudinis. Imagines in altu locare quanti periculi. *Et lib.*1.*c.*10.*de Consensu Euangelist. de Gentibus scribens, quæ Christum ad Petrũ & Paulũ scripsisse fingebant.* Credo, *inquit*, quod pluribus locis simul eos cum eo pictos viderũt, sic omninò errore meruerunt, qui Christum & Apostolos ejus non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsiuerunt.

*De Ciuit. Dei lib.*4.*cap.*31. laudat *Augustinus* Varronẽ, quòd Religionẽ Dei sine Simulachris judicârit castiùs obseruari posse, *dicitque*, Varronem hanc ob causam veritati valdè approximâsse. *In qua sententia tria obseruatu dignissima sunt* Primum *est, quòd Augustinus inquit*, Romanos sine Simulachris Deos longo tẽpore coluisse. Alterum *est, quòd ait*, Varronem dixisse, puriorem tum fuisse Religionem, & castiùs fuisse cultos Deos, quàm cùm habuerũt Simulachra. *Et hanc rationem affert:* Quoniam, *inquit*, qui primi Simulachra introduxerunt, Simul etiam duo mala intulerunt: vnum, quia suis ciuitatibus metum nu-

N 2

numinis ademerunt: Nam, *vt Augustinus exponit*, stoliditate Simulachrorũ facilè contẽnitur Deus. Alterũ, quoniam errorem addiderunt: *Hoc exponens Augustinus*; Quòd verò, *inquit*, non ait, errorẽ tradiderunt, sed, addiderunt; jam vtique fuisse etiam sine Simulachris intelligi vult errorẽ. Tertium *est, quòd ideò ait Augustinus*, Varronem veritati appropinquâsse, quia sensit Religionẽ puriorem & castiorem esse sine Simulachris, quàm cum Simulachris. *Quæ scribere Augustinus nõ potuisset, si ejus tempore Christiani Imagines in suis Tẽplis habuissent. In Serm. de verbis Domini*: Declarant (*infideles*) quo loco & existimatione habeant Simulachrum, quum illi aram ponunt. Nisi enim putarent aut Numen, aut diuinitatis aliquid in se habere, Aram vtiq; illi non erigerent, *Reputent ergo secum Papistæ, quantum tribuant Imaginibus; quum illis exstruunt Aras & Templa. Nulla apud ipsos Ara est, super quam non sint posita Simulachra tanquam Dij, quibus Sacrificia offerunt, suffitum faciunt, genua flectunt*, &c. *Ex Augustini igitur sententia, aut Numina illa esse putant Papistæ, aut saltem aliquid numinis eis inesse.*

Cyrillus. Cyrillus *quoque in Euangelium Ioan. lib.* 11. *c.* 16. Multi, *ait*, creaturã prętermisso creatore coluerunt, nec veriti sunt ligno dicere: Pater meus es tu: & lapidi, tu genuisti me. Eò enim imperitię, proh dolor, multi, imò ferè omnes delapsi sunt, vt sensum experti materiæ ineffabilem Deitatis gloriam attribuerunt. *Cumque Iulianus Apostata objecisset Christianis, quòd ancylia, quæ Iupiter demisisset, non adorarent nec colerent, interim verò lignum Crucis adorarent, Imagines illius in fronte & ante domos pingentes* (*Templorum non meminit*) *Cyrillus respondens lib.* 6. *non concedit aut fatetur, signum Crucis coli & adorari à Christianis, sed historicum vsum Crucis & Imaginum eleganter describit.*

Theodoretus. Ancyræ Episcopus. Theodorus *etiam Ancyræ Episcopus, qui paulò ante annum Domini* 500. *vixit*, Sanctorum formas, *inquit*, & species ex materialibus coloribus formari minimè decorum putamus: horum autem virtutes, quę per scripta traditæ sunt, veluti viuas quasdam Imagines resficere subinde oportet. Ex his enim ad similium imitationem & zelum pervenire possumus. Dicant enim nobis, qui illas erigunt Statuas, quęnam vtilitas ex illis ad se redit? an quòd qualiscunque recordatio eos habet ex tali speciali contemplatione? Sed manifestum est quòd vana sit ejusce modi cogitatio, & DIABOLICÆ deceptionis inuentum. *Catalogus test. verit. fol.* 51.

Serenus Massiliẽ. Episcopus Serenus *denique Massiliæ, florentissimæ celeberrimæque vrbis, Episcopus, circa annos Domini* 600, Imagines, *quòd eas à suis adorari videret*, confregit & è Templis ejecit: *satius esse judicans, Imagines prorsùs nullas esse, quàm ijs diuinum honorem exhiberi.*

Ex his omnibus clarissimè intelligitur Deum ipsum, S. Prophetas, Apostolos & omnes deniq; puriora doctrinæ Patres primitiuæ Ecclesiæ vltra sexcentos à Christo in carne nato annos Imaginũ in Templis vsum, præcipuè verò adorationem illarum damnâsse, & proinde falsum esse, quod ex sententia Tharasij, qui ex laico repentè Patriarcha Constantinopolitanus factus est, quique Nicænæ 2. Synodo interfuit, Sanderus dicit, Imaginum reprehensionem in Christiana Religione Manichæorum superstitionis partem fuisse. *Sanderi mendacium.* *Quis enim ex veteribus siue Augustinus, qui ex professo contra Manichæos scripsit, siue alius hoc in ijs reprehendit, quòd Imagines damnarent? Adeoq; putidissimum etiam mendacium est, quòd idem dicit*, Iconomachiam Manichæorum hęresi acceptam ferri debere. *Dei verbum & Patres primitiuæ Ecclesiæ damnant Imagines: id si Manichæorum hæresis est, Manichæus erit Deus ipse, Manichæi fuerint necesse est S. Apostoli, Origenes, Lactantius, Epiphanius Augustinus, Cyrillus & alij.*

Ex præcedentibus quoque perspici posse arbitror, falsum esse, quòd dicunt, Xenaiæ Persæ hæresim esse, docere, Christi & eorum qui illi placuere, Imagines venerandas non esse: *hoc enim Xenaiam illum primum omnium euomuisse Nicephorus scribit lib.* 16. *cap.* 27. *Fieri tamen potest vt injuriam homini faciant. Quid enim, si Catholicorum nostrorum primus euomuisset, non esse adorandas imagines eã adoratione tantùm quæ soli Deo debetur? Ita enim Sanderus interpretatur nouo quodammodo illa Gregorij M. verba, quæ ad Massiliensium Episcopum scripsit.* Quòd eas adorari vetuisti, omninò laudamus, *&c. quasi non nisi eam adorationem quæ Dei, non autem quæ sanctarum rerum propria sit, Gregorius prohibendam intellexerit. Erant ergo & eodem modo Xenaiæ Hæretici verba interpretentur, & in suum gregem eum recipiant, non nobis annumerent.*

Et notet hîc diligenter Lector fraudem Pontificiorum. *Nota fraudem Pontificiorum.* *Cùm enim progressu temporis adoratio Imaginum recepta, & defensio ejus publicè suscepta esset, quia animaduerterunt illam à tota Antiquitate per annos sexcentos, aut ampliùs eò, constanter reprobatam & damnatam, finxerunt vetustam hæresim esse, docere, quòd Sanctorum Imagines non sint adorandæ. Sic enim Niceph. lib.* 16. *c.* 27. *describens impietatẽ Xenaiæ, qui Petri Gnaphei socius fuit*; Iste, *inquit*, Xenaias primus vocem hanc euomuit, ὡ δεῖν προσκυνεῖν, non debere adorari Christi & Sanctorum Imagines. *Vixit autem Xenaias iste circa annos Domini* 500. *Idem autem ante ipsum Augustinus cũ vniuerso Choro Patrum fecerat; & Elibertina Synodus publicum decretum quoque contra adorationem hanc ediderat. Et Gregorius adhuc anno*

no 600. adorationem Imaginum expressè prohibuit & damnauit. Imò Deus ipse longè antè legem tulerat, Non adorabis nec coles Imagines. *Ex his etiam quæ hucusq; commemorauimus facilè animaduerti potest, fabulam esse, quod de origine Iconomachiæ in fine Act. 5. Nicænæ 2. Synodi dicitur, vt etiam à Zonara annotatur*, perfidum quendam Iudæum persuasisse cuidam Arabum Tyranno, & postea etiam Leoni Isauro, vt Imagines è Christianorum Templis ejiceret.

Vsus IMAGINVM in Templis à quo primùm palam defensus.

TVlit factum Sereni pijssimi Episcopi grauiter admodum Gregor. I. & cognomento M. qui iisdem temporibus Episcopum Romæ agebat, & propterea acriter illum reprehendit. Nam libro septimò, Epistolâ 109. sic scribit ad eum: Peruenit ad nos, quòd fraternitas vestra quosdam Imaginum adoratores aspiciens, easdem Imagines confregit atque proiecit. Et quidem zelum vos habuisse, ne quid manu factum adorari possit, laudauimus, sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus. Idcirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur, vt hi, qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua igitur fraternitas & illas seruare, & ab earum adoratu prohibere debuit, quatenus & literatum nescij haberent, vnde scientiam historiæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret: *Eandem sententiam prolixius repetit & explicat libro nono, epist. 9. ad eundem Serenum:* Peruatum ad nos fuerat, quòd inconsiderato zelo succensus Sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem, quia eas adorari vetuisses, omninò laudauimus: fregisse verò reprehendimus. Aliud enim est picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum, addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura. Frangi verò non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesijs, sed ad instruendas solummodò mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sanctorū depingi historias non sine ratione vetustas admisit, hortamur, vt eorum animos, quos à tua disiunctos vnitate cognoscis, reuocare festines. Conuocandi enim sunt Ecclesiæ filij, eisque Scripturæ testimonijs ostendendum, quia omne manu factum adorare non liceat, quoniam scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Ac deinde subjungendum est, quia picturas Imaginum, quę ad ędificationem imperiti populi factæ fuerant, vt nescientes literas ipsam historiā attendētes, quid actum sit discerent, quia transijsse tu adorationem videras, idcircò cōmotus es, vt eas Imagines frangi præciperes. Atque eis dicendum: Si hanc instructionem, ad quam Imagines antiquitus factę sunt habere vultis in Ecclesia, eas modis omnibus & fieri & haberi permitto. Atque indica, quòd non tibi ipsa visio historię, quæ pictura teste pandebatur, displicuerit: sed illa adoratio, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita. Et si quis Imagines facere voluerit, minimè prohibe: adorare verò Imagines omnibus modis deuita. Sed hoc sollicitè admoneas, vt ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius Trinitatis humiliter prosternantur. *Adeoque Gregorius hic primus est, qui vsum in Templis Imaginum palàm propugnârit: apud Patres enim orthodoxos qui ante ipsum fuerunt, nihil simile reperitur. Neque verò mirum: fuit enim Superstitionum, Monachus, egregius Patronus, ac Ceremonijs & ritibus plus quàm Iudaicis Ecclesiā Christi veramque Religionem mirum in modū onerauit.*

Obseruatione verò dignum est, quo argumento Gregorius M. Imaginum vsum in Templis defenderit, quòd nimirum essent LIBRI LAICORVM. *Nam in eadem epistola, Aliud est, inquit, picturam adorare: aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa etiam ignorantes vident, quod sequi debeant, in ipsa legunt qui literas nesciunt: vnde & præcipuè gentibus pro lectione pictura est. Item, Frangi verò non debuit, quòd non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sāctorū depingi historias non sine ratione vetustas admisit si zelum discretione condiisses sine dubio & ea quæ intendebas salubriter obtinere & collectum gregem non dispergere, sed potius dispersum poteras congregare. Et: Quia picturas Imaginum quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, vt nescientes literas ipsam historiam attendentes, discerent quid actum sit: quia transisse in adorationem videras, iccircò commotus es, vt eas Imagines frangi præciperes. Atqui eis dicendum: Si hanc instructionem ad quam Imagines antiquitùs factæ sunt, habere vultis in Ecclesia, eas modis omnibus, & fieri & habere permitto. Atque indica, quòd non tibi ipsa visio historiæ (quæ pictura teste pandebatur) displicuerit: sed illa adoratio, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita. Ac libro 7. indict. 2. Epist. 53. Dum nobis, ait, ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet: Ex quibus haud obscurè intelligi simul potest,* Gregorius M. quibus rationibus Imagines in Templis defenderit.

quamvis Gregorij ætate superstitio in cultu Sanctorum non parum inualuerat, tamen picturas tantum in multis Ecclesiis illo adhuc tempore admissas fuisse, non item Statuas vel Simulachra: qua de re ipsa quoque Georgius Cassander in sua Consultatione fol.151. nos admonet.

Ethnici quibus rationibus Imagines suas defenderint.

Cæterum eodem fuco quo Gregorius, Ethnici quoque suarum Imaginum vsum defenderunt, à quibus procul dubio Gregorius superiora illa, vt & alia quædam, habet. Sic enim de Imaginibus & Signis scribit Maximus Dyrius *Philosophus, qui sub Commodo Imp. Romæ egit,* instituta *scilicet* hæc esse, vt admoneamur diuinæ naturæ: perinde ac pueri soleant tenuibus quibusdam notis à præceptoribus expressis, constituta memoria ad ediscendam artem manu quodammodo perduci. Visi sunt enim legumlatores, *inquit*, quasi cuidam gregi puerorum dicationes has sacras tradidisse, *&c. Clarè verò admodum hoc intelligitur ex* Athanasio, *qui in libro contra Gentes,* Philosophi, *inquit*, Gentium, & qui apud eos eruditi dicuntur, cùm vrgeri à nobis cœperint, non negant hominum & mutorum animalium formas atque effigies esse, qui apud eos videntur Dij: verùm hanc afferunt rationem, idcircò se illas imagines fingere, vt per eas sibi Deus respondeat & reueletur: non posse enim inuisibilem aliter nosse, quàm per hujusmodi signa & τελετάς. Alij sapientiora his & altiora se dicere arbitrantes, *aiunt*, ideò hæc fingi atque formari, vt per ea cœlestes inuocentur & appareant angeli atque virtutes, sicque apparentes veram illis Dei insinuent notionem. Esse enim ea hominibus veluti literas, quæ relegentes possint per eam, quæ ex illis insinuatur cœlestium spirituum reuelationem & Dei intelligentiam consequi. *Nónne vides Gentes eodem argumento quo Gregorius M. Imaginum vsum in Templis propugnâsse? Sed audi quid de hoc argumento judicet Theodoretus Serm. 7. de sacrificijs, Scom. 7. ad Græcos infideles:* Simulachra, *inquit*, Satan curauit fieri in vsum eorum, qui literarum sunt expertes, vt ijs ad SVPERSTITIONEM incitarentur. *Ergo ab imaginibus nil nisi superstitiones disci posse judicauit Theodoretus. Audi etiam quid ad hoc respondeat Athanasius, Catholicæ Ecclesiæ Oculus vulgò dictus. Num probat? Num laudat? Minimè vero. Sed ait,* per quàm fabulosè, & non rationabiliter hæc dicere Gentes: *Imò subjungit mox,* Gentes hac in re maximam impietatem in perniciem suam operari. *Non repetam hîc Athanasij rationes, quibus hoc probat, euidentissimas, sed alias ipse in medium afferam.*

Imagines an libri Laicorum.

Cùm enim Ieremias capite decimo, lignum esse doctrinam vanitatis *pronunciet: & Habacuc* conflatile esse demonstrationem seu doctrinam mendacij *capite secundo, doceat: certè hinc generalis doctrina colligi potest, futile nimirum, adeoque mendax esse quicquid de Deo ex Imaginibus homines didicerint. Si quis objiciat, eos hîc à Prophetis damnari, qui idolis ad impiam superstitionem abutebantur, non abnuo, non nego: modò ipse vicissim mihi concedat, quod omnibus conspicuum est, in totum hîc damnari à Prophetis, quod Pontificij pro certissimo axiomate sumunt, imagines videlicet esse pro libris. Mendaces libros esse non nego: pollicentur enim Dei formam, quæ tamen nullâ Imagine exprimi, quid dico Imagine exprimi? imò nec ratione humanâ comprehendi, nec linguâ exponi potest. Vnde Propheta Isaias capite 40. cùm immensam Dei potentiam descripsisset, tandem exclamat:* Cui ergo similem facietis Deum? aut quodnam Simulachrum parabitis ei? *Equidem pudet me quoties cogito Ethnicos homines à Christiani nominis hominibus superstitione & audaciâ longè superari. Illi enim cùm Dijs suis imagines ponerent, saltem aliquâ maiestate venerabiles fingebant. Nostri verò illi, cùm verum Deum, supremum illud numen, immensam illam essentiam exprimere volunt, Patri senecionis cujusdam Imaginem tribuunt, Filium saucij ac mortui instar in patris gremio collocant, Spiritum verò sanctum volucrem faciunt: quâ ratione nostram Religionem Turcis & Iudæis deridendam propinant. Damnauit hujusmodi quid jam olim etiam S. Augustinus, qui, vt antea quoque meminimus, capite septimo, de fide & symbolo, ait:* Quod Pater sedere dicitur, non putandum est flexis poplitibus fieri: tale enim Simulachrum Deo nefas est Christiano in Templo collocare. *Non dicit, quòd suo tempore collocata sit talis imago in Templis Christianorum, sed si fieret, nefas & impium, adeoque nequaquam ferendum esse. Quid igitur dicturum putas sanctissimum virum, si hodiè in Templis Christianorum videret imaginem Dei non poplitibus flexis, sed ita vt modò descripsimus? Proinde non solùm horribiliter peccant, sed etiam miserè deluduntur omnes, qui Dei cognitionem ab imaginibus petunt. Quòd si verò hominum Imagines in Templis proponuntur, in has quoque illa prophetarum conueniunt, qui eas doctrinam vanitatis, & mendacij doctores dicunt. Homo etenim ex corpore & anima constat: hæc verò depingi aut sculpi nequaquam potest: illud autem minimè prodest, licet ad viuum exprimas. Imò vel hoc ipso nomine potissimum mendacij Doctores dici merentur Sanctorum Imagines, quòd sanctos eo ingenio præditos fingunt, qui contra Dei præceptum sibi Simulachra poni voluerint: cùm tamen satis constet, ipsos mori maluisse, quàm vt Dei præceptis & gloriæ quicquam decederet.*

Deinde quæro illos, qui hodiè quoque nouam hanc docendi rationem per Imagines cum Gregorio defendunt, vnde illam habeant? Verbum suum

suum nobis dedit Dominus, ex eo communem omnibus doctrinam proponi iussit : in eo continentur omnia quæ ad salutem sunt necessaria: in eo (*inquit Basilius*) & rerum argumenta inueniuntur, & vitæ beatorum virorum præscriptæ, velut Imagines quædam animatæ, secundum Deum politicâ imitatione operum exhibentur. *Præterea si hic modus docendi per Imagines est optimus hominibusque vtilissimus, infelix fuerit populus Iudaicus necesse est, qui nullas prorsus imagines habuit : præsertim cùm fuerit populus rudis, puerili ac seruili spiritu præditus, adeoque magis, quàm vlli alij, crassâ hac docendi ratione eguerit. An Deus illis inuidit hanc commoditatem? an verò nos Deo sapientiores sumus? Insuper, si erudiunt imagines, vel absque interprete erudiunt, vel opus habent interprete. Absque interprete mutæ sunt. Quid verò Idolum mutum & omni motu sensuque carens te erudiat? Sin autem verbis docendum est, potest id fieri commodius sine pictura. Ideoque rectè Erasmus in Ecclesiaste hos concionatores, vt ineptos, reprehendit,* qui pictas tabulas secum in pulpitum adferunt, vt ex ijs populum doceant. *Denique sacræ literæ Imaginibus non doctrinam, sed obliuionem Dei attribuunt. Quoties Israëlitæ imagines fecerunt & coluerunt,* Dei sui obliti esse dicuntur. *Iud. 3. Oseæ 2. & 8. cap. Ex his omnibus haud obscurè intelligi posse arbitror, ineptè Gregorium M. hoc fuco imaginum vsum in Templis defendere voluisse, quòd libri Laicorum sint.*

Ante Imaginem qui repræsentatur adorandus iuxta Gregoriũ M.

Neque verò in hoc solùm errauit Gregorius, sed etiam in eo, quòd primus docuit, ante imagines illum adorandum, qui imagine repræsentatur: quo ipsa imaginibus nimiùm tribuere, & seminaria superstitionis de adoratione Imaginum spargere cœpit. Sic enim ad Secundinum cui petenti miserat Imagines Christi, Mariæ, Petri & Pauli, li. 7. Epistolâ 53. scribit: Scio quidem quòd imaginem Saluatoris nostri non ideò petis, vt quasi Deum colas, sed ob recordationem filij Dei in eius amore recalescas, cuius te Imaginem videre consideras. Et nos quidem non quasi ante diuinitatem, ante illam prosternimur: sed illum adoramus, quem per Imaginem aut natum aut passum, sed & in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsas pictura quasi scriptura ad memoriam filium Dei reducit, animum nostrum, aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet.

Quâ occasione IMAGINES Gregorij Magni tempore in Ecclesijs multiplicari, ac mox adorari cœperint.

Gregorius M. promouis

P*Romouit Gregorius Magnus hac suâ doctrinâ duos maximos & grauissimos errores.* *Primus est*, quòd imagines in templis magis quàm vnquam antea collocari, ac multiplicari cœperunt. *Eius enim doctrinâ & authoritate, quæ sanè non vulgaris fuit, permoti Occidentales Ecclesiæ, Italica inprimis ac Gallica, Imaginum vsum, quo pleræque huc usque caruerant, receperunt, non expendentes Gregorij sententiam, sed satis esse putantes, quòd vir tantæ sanctitatis censuerit habendas esse imagines in Templis. Quæ res in causa fuit, vt iam tum Gregorij ætate Imaginibus nimiùm tribui, & seminaria secuturæ superstitionis spargi cœperint. Mox enim Bonifacius 4. à Gregorio hoc Papa tertius Pantheon Romæ hactenus occlusum, concessu Phocæ Imperatoris aperuit, & pro Dijs Ethnicis, Mariam sanctissimam Christi Matrem, & omnes sanctos ac Martyres, Ethnico prorsus more ibi Imaginibus ac Statuis coli instituit, vt referunt Sigebertus, Regino & Platina. Factum hoc anno 610. quo Machomet Damasci in regem Ægypti, Syriæ & Aphricæ coronatur. Nec etiam carere mysterio videtur, quòd Bonifacius hic Pantheon, omnium Deorum gentilium fanum, in D. Mariæ & omnium Sanctorum honorem repurgari curauit. Debebat enim Antichristus, vero Deo reiecto, Deum alienum Maosim colere, & omnis generis idolomanias accumulare, ac longè lateque disseminare, ad seducendum Gentes. De Sergio quoque 1. Papa refertur in libro Pontificali,* quòd imaginem Petri auream fecerit. *Idem,* quòd in Sacratio magnam portionem ligni Dominicæ Crucis reppererit, eamque in Basilica Constantiniana collocârit. *Regino lib. 1. Sed fides penes authorem esto. Neque verò solum Christi, Apostolorum & Martyrum imagines passim in Ecclesias importârunt Rom. Pontifices, sed etiam illorum qui de ipsarum dignitate benè fuerunt meriti. Ita enim impij Phocæ & coniugis eius Leontiæ, in ipso Oratorio Lateranensis Ecclesiæ collocârunt Statuas: quod non fecissent isti parricidæ, nisi eis priuilegium de principatu super omnes Ecclesias concessisset. Blondus libro 9. Dec. 1.*

duos maximos errores

Crucis signũ cũ affixa Christi imagine quando primùm fieri & in Templis collocari cœperit

Cùmque ab initio Crucis signum, quo sese muniêrunt Christiani, nihil subsistens fuerit, posteà verò lignum transuersum factum, & in Ecclesiis reconditum, pluribus etiam in locis in Cruce Agnus Dei depictus sit, vt indicat Glossa de Consecrat. dist. 3. cap. Sextam sanctam, improbat id Constantinopolitana Synodus 6. vniuersalis, & præcipit, Imaginem Christi crucifixi, *id est, vt Canon loquitur,* figurâ seu specie humanâ repræsentantem humiliationem, passionem & mortem ipsius, deinceps loco Agnus Dei in Cruce depingi. *Hoc post Gregorij Magni tempora primò cœpit fieri, circa annos nimirum Domini 681. verba enim Canonis 82. ita habent.* In quibusdam sacrarum Imaginum picturis agnus, digito præ-

curſoris monſtratus exprimitur, qui in typum gratiæ receptus eſt, adumbrans verum illum, per legem nobis demonſtratum agnum, Chriſtum. Veteres igitur figuras & vmbras, & veritatis ſymbola & adumbrationes Eccleſiæ traditas retinentes, gratiam illis præponimus, & veritatem, vt legis complementum, ſuſcipimus. Vt igitur id, quod ſecundum legis vmbras perfectum fuerit, in Chriſto, etiam colorū picturis ſeu pictorum artibus, omnium oculis ſubijciatur aut præſcribatur: definimus, illius Agni Chriſti Dei noſtri, qui tollit peccatum, picturam ſecundum humanum Characterem in Imaginibus in poſterum, pro veteri Agno erigendam, per quam ea quæ ad humiliationem Dei verbi pertinent contemplamur, ad memoriam ſeu recordationem conuerſationis eius in carne, & paſſionis mortiſque eius ſalutaris, ac quæ inde mundo facta eſt redemptionis quaſi manu ducimur.

Polydori Vergilij error.

Fallitur ergò Polydorus Vergilius, qui ſcribit in hac Synodo vniuerſali ſexta decretum fuiſſe, vt Imagines Diuorum in Templis haberentur, magnaque veneratione colerentur, vtpote quæ imperitioribus loco ſacrarum literarum forent. *Nihil enim in hoc toto Canone de cultu & adoratione Imaginum agitur, ſed tantum, ſicut diximus, vt in poſterum loco Agnus Dei Chriſti Imago depingatur, vt hac ratione præter doctrinam ſignis ſeu picturis etiam oſtendatur, figuras legis in Chriſto impletas eſſe: ideoque hiſtoricus tantum vſus Crucis cum affixa imagine Chriſti in eo tantum probari & declarari videtur. Exſtat quidem in Gratiano de conſecrat. diſt. 3. cap Venerabiles. Canon, qui citatur nomine Synodi huius ſextæ, quique ita ſonat*: Venerabiles Imagines Chriſtiani non Deos appellant, neque ſeruiunt eis vt Dijs, neque ſpem ſalutis ponunt in ijs, neque ab eis exſpectant futurum iudicium, ſed ad memoriam & recordationem primitiuorum venerantur eas & adorant, ſed non ſeruiunt eis cultu diuino. *Sed falſa eſt inſcripsio: neque enim inter Canones huius Synodi exſtat tale quid: habetur autem in Synodo Nicæna 2. idololatrica, Act. 6. tom. 2. Vide etiam de hoc canone judicium Caroli M. in confutatione Synodi Nicænæ 2. lib. 2. cap. 18.*

Gratiani error

Iudicium de Canonib. 102 Conſtantinop. Synodi 6. vniuerſalis.

Ac ſi rem diligenter mecum expendo, facilè adduci poſſum, vt credam, nec Canonem illum 82 de Crucifixi imagine, Synodi ſextæ vniuerſalis eſſe, ſed aliquot annis poſt eam fictum fuiſſe. Primùm enim Synodus hæc nullos edidit canones. Exſtant quidem in libro Conciliorum excuſo Coloniæ nouem Canones qui huic Synodo adſcribuntur, verùm ab ipſis quoque Pontificijs illi rejiciuntur, nec etiam in ijs continetur id quod in 82. Canone præcipitur. Poſt quatuor verò aut quinque annos ſub Iuſtiniano Imp. conuenientes 227. Patres in Trulla regio palatio Conſtantinopoli, canones ediderunt 102. vt teſtatur quoque Epiſcopus Petrus ad Nicomediæ Epiſcopum in Nicæna 2. Synodo, quæ à Papiſtis pro ſeptima vniuerſali numeratur, actione 4. non in ſexta vniuerſali, vt Gratianus falsò annotauit diſtinct. 16. cap. Sextam Synodum. quod etiam à Gloſſatore ibidem obſeruatum fuit. An verò hi Canones 102. qui hodiè iſtius Synodi nomine circumferuntur, illi ipſi ſint, qui à Patribus in Trullo congregatis, promulgati ſunt, non immeritò dubitatur. Cùm enim, *vt Hugo de Conſilijs indicat,* Imperator Canones illos Romam miſiſſet, & à Sergio Pontifice Max. Poſtulâſſet confirmationem eorum, eam ille recuſauit prorſus, quòd quidam Canones Eccleſiæ Romanæ aduerſarentur, imò ne legere quidem Acta dignatus eſt. Quare non iniuriâ offenſus Imperator, Sergium Conſtantinopolim captiuum adducere iuſſit: *vt eſt videre in libro Pontificali in vita Sergij: apud Blondum Dec. 1. libro 10. Bedam de Ratione temporum in Iuſtiniano: Sabellicum Enn. 8. libro. 6. Paulum Diac. libro 6. cap. 4. de geſtis Longobard. Sabellicus autem alijque hiſtorici dicunt,* ſe non potuiſſe reperire, quænam in his Canonibus iſtius Synodi, qui hodiè quidem exſtant, ceremonijs Romanis contraria eſſent conſtituta. *Oportet igitur vt alij quidam fuerint quos Rom. Pontifex confirmare noluit, quàm qui nunc vulgò circumferuntur, quoſque Adrianus Papa citra vllam controuerſiam recipit & approbauit, in Epiſtola ad Tharaſium Patriarcham, de conſecrat. diſt. 3. cap. Sextam ſanctam. Credibile igitur circa Nicænæ 2. tempora hos canones confictos, & pro veris ſuppoſitos, qui ſi exſtarent hodie ſine dubio de multis nos admonere poſſent, non enim ſine cauſa à Romaniſtis expuncti & reiecti ſunt. Idē etiam de his canonibus iudicat Bellarminus Ieſuita tom. 1. Diſputationum fol. 79.*

Gratiani error

Alter error quem ſuâ doctrinâ promouit Gregorius M. eſt, Adoratio Imaginum. *Ubi ſingulari obſeruatione dignum eſt, quâ ratione ſenſim huc peruentum ſit. 1. Primò cœperunt homines ab initio, amore ſatis propenſo erga Chriſtum & Apoſtolos, aliquas illorum domi habere imagines, cùm vera Chriſti Eccleſia ijs penitùs vltra trecentos annos à nato Chriſto feliciter caruerit. 2. Deinde, non contenti priuato earum vſu, non quidem in templis, verùm in porticibus Templorum eas collocârunt. 3. Tertiò, ita ſecum reputârunt: Quid? Si reponerentur in Templis, nonne reuocarent & hæc & illa nobis in memoriam? Abſit vt adoremus eas, commonefactionis ſaltem loco nobis erunt. 4. Quartò, ante Imagines proſtrati, illos adorârunt qui per Imagines repræſentabantur. 5. Tandem ipſarum imaginum adoratio ſequuta eſt. Quæ res ſatis magno documento nobis eſſe debet, ne in Religione & vero*

2. Inclinatio ad Imaginum Adorationem, ab hiſtorico carũ vſu.

ro

ro Cultu Dei rationem carnis nostræ sequamur, neue existimemus, illa benè fieri & Deo placere quæ à bona animi intentione proficiscuntur, sed ea tantùm, quæ iuxta Dei verbum fiunt vtcumque videantur nobis. Nam, vt Chrisostomus inquit Orat. 1. contra Iudæos, quod fit iuxta Dei voluntatem, quamuis videatur improbum esse, tamen omninò Deo gratum est & acceptum: Contrà, quod fit præter Dei voluntatem, ac secus quàm ille vult fieri, quanquam existimatur acceptum Deo, tamen est omnium pessimum & iniquissimum.

Mahometis blasphemiæ Imaginũ cultus simul spargi incipiunt.

Neque verò prætereundum hoc loco videtur, quòd à Gregarij Magni pontificatu inito, hoc est, ab anno Domini 591. *vsque ad annum* 713. *quo cultus alienorum Deorum, id est, imaginum earumque adorationis & venerationis fundamẽta iacta sunt, non solùm Antichristus Romanus in lucem editus fuit, sed & Mahomet natus, ipseque & eius successores, breui hoc temporis spatio Arabiâ, Palæstinâ, Persiâ, Ægypto & Aphricâ potiti sunt. Quin etiam traiecerunt in Hispaniam ex Aphrica: quam cùm decem annos tenuissent, in Galliam vsque ad Turonum trecenta & septuaginta millia Saracenorum infusa sunt, suaque religionis blasphemias horrendas simul cum Imaginum cultu, ipsi quoque longè lateque, sic Christianarum Idololatriâ alijsque peccatis merentibus, sparserunt & propagârunt.*

Certamina de IMAGIMVM Cultu & Adoratione.

Ex Adoratione Imaginũ quæ certamina orta

ADoratio Imaginum earumque cultus, qui mox post Gregarium Magnum cœpit, peperit inter Orientales & Occidentales primùm, deinde inter ipsos quoque Occidentales, non tantùm dissensiones, sed & horribilia ac tantum non cruenta certamina: quamuis Orientales primò optima causa, iungebant pessimam, Monothelitarum nimirum erroris defensionem.

Insultat hîc nobis Sanderus, quod eiusmodi causa nostra suffragatores & patronos habeamus. Inquit enim fol. 93. valdè notandum contentionem illam de sactis Imaginibus, quæ diu postea vexârit Ecclesiam, non nisi ab Hæretico, *nempè à* Philippico *Imperatore* Monothelita esse motam. *Id verò falsissimum est. Neque enim nunc primùm Imagines sunt damnatæ & ex Ecclesijs Christianorum eiectæ à* Philippico *Imperatore eiusque successoribus, sed idem ante illos fecerunt multi pietate & sanctitate præstantissimi viri, qui non tantum vinâ voce & scriptis, sed etiam factis Imagines improbârunt, & ex Templis amouerunt. Non igitur à Philippica Imp. sed ab Iconolatris nuper admodum natis, contentio hæc de Imaginibus contra orthodoxum consensum totius primitiuæ Ecclesiæ mota & agitata fuit: quemadmodum ex præcedentibus clarissimè intelligi posse arbitror. Deinde ex particulari seu vnico aliquo errore, non vniuersale quid est colligendum. Fateor* Philippicum *fuisse Monothelitam, & in eo grauiter errâsse: at non sequitur; Ergo in omnibus reliquis suis actionibus errauit. Iustinus, Irenæus, & Lactantius Chiliastarum errore impliciti fuerunt, & senserunt corporale aliquod regnum mille annis in terris, tanquam in campis Elysijs futurum, antequam in regnum cæleste traducerentur fideles: vt omittam quòd de Lactantio referunt, eum nec personam, nec officium filij Dei vnquam satis rectè intellexisse. Tertullianus Montani insanam prophetiam amplexus est. Origenes ita interdum à vero aberrauit, vt Hieronymus eius scripta & dogmata in aliquibus venenata appellet, & aliena à scripturis, imò sacræ scripturæ vim facientia. Cyprianus non aliter quàm per baptismum ab Hæreticis redeuntes recipiendos & admittendos censuit. At quis propterea quæ illi rectè de summis fidei articulis docuerunt & scripserunt, tanquam hæretica, falsa & erronea damnanda censeat? Aut quia caput Ecclesiæ Catholicæ, nimirum Liberius Pontifex Romanus, Arianam hæresim professus est, iccircò Ecclesiam Romanam in omnibus fidei articulis errâsse concedet Sanderus? Licet igitur Philippicus Monothelita fuerit, attamen quòd Imagines destruxit in Templis, earumque adorationem improbauit, in eo Dei præceptum exequutus est, ideoque rectè & piè egit. Quibus adde, quòd non solus Philippicus, sed circiter duodecim Imperatores alij à Philippica, quarum plerique fuere Catholici ac rectè sentientes, continuatâ serie, per annos ferè 160. ex professo Imaginum cultui & adorationi, sub ipsorum regimine pullulanti & excrescenti demùm, summis viribus restituerunt. Vt nihil dicam de sanctissimo Rege Ezechia, qui serpentem æneum comminuit: deque excellentissimo Propheta Mose, qui aureum vitulum confregit.*

Ac si verum esset maximè quod Sanderus dicit, Philippicum primò controuersiam de imaginibus delendis mouisse, *haut obscurè inde colligi posset, eius antecessores vsum in Templis, cultum & venerationem Imaginum approbâsse. Heraclius autem antecessor Philippici & ipse Monothelita fuit, imò errorem illum primus ex Imperatoribus defendit: neque solum hoc fecit, verùm etiam post mortem Fabiæ Eudoxiæ, fratris filiam Martinam duxit, ex quo incestu Heraclionas ei natus est. Constans filius Constantini iunioris, nepos Heraclij, domi fratrem Theodosium interfecit, & fauens ipse quoque Monothelitis, pios aliquos taxantes errorem, necauit. Ipsius mandato Theodorus Calliopa Exarchus fraude cepit Martynum Rom. Pontificem, vinctumque Constantinopolim misit, quem Constans in Thraciam Chersonesum inclusit,*

clusit, vbi Martinus fame & squalore carceris aliquanto post extinctus fuit: Romam etiam ita spoliauit, vt nullus vnquam barbarorum fœdius. An non etiam mihi clamare licebit, Hic habetis iconolatriæ patronos, sanè præclaros, pios & honestos viros, ô dignos iconolatrarum Principes. Viderint, viderint inquam Pontificij, malintne verbum Dei sacrosanctum, an decreta & commenta hominum sequi. Hæc inquam & similia iure optimò dicere nobis liceret, si Philippicus primus imaginum in Templis vsum & venerationem damnâsset: quod tamen verum non est, nihil enim proferent ex veris approbatísque historiis, quo probent ante Philippicum Imperatores Idololatriam defendisse.

Caterùm, vt intelligatur rectius quo pacto singula gesta sint, integram Belli huius sacri (deß Götzenkriegs) *historiam ordine persequar.*

Constãtinopolitana Synodus cõtra Imagines à Philippico conuocata.

Dolebat vehementer Orientalibus errorem suum de vna voluntate in Christo damnatum ab vniuersali 6. Concilio Constantinopolitano Ideò Ioannes Monachus & vates, Philippico *prædicens imperium, jurejurando eum deuinxerat, vt Sextam hanc Synodum, quam malè factam esse asserebat, abrogaret. Eius promissi memor* Philippicus, *cùm ad imperium venisset, synodum cogit ex Episcopis plurimis anno Domini 713. Patres autem huius Synodi, iuxta Imperatoris voluntatem, Sextam illam Synodum vniuersalem, in qua duæ voluntates & operationes in Christo contra Monothelitas asserta fuerant, damnant, & Cyrum Patriarcham ab officio remouent, & Ioannem Monachum istum ordinant. Imperator decretorum executorem strenuum se præbet: ac scribit ad Romanum Pontificem Constantinum, eique imperat, vt & ipse decreta suæ synodi approbet, clerumque suum cogat, vt de homousio cum Ecclesia Constantinopolitana consentiat, Narrant hæc Beda libro secundo de Ratione Temporum. Paulus Diaconus libro sexto capite vndecimo, de Longobard. & libro 20. rerum Roman. Adon Vienen. ætate 6. Frisingen. libro quinto, capite decimo quinto. Zonaras tom. 3. Platina in Constantino 1. & alij: circiter annum 712. juxta Sigebert. primo anno. Philippici juxta Erphordiens. capite 63. Et quia numerum Imaginum, earumque cultum & adorationem quotidiè animaduerteret inualescere, idololatriæ omnem aditum præcludere volens, Imagines Patrum, qui sex Synodis vniuersalibus interfuissent, quíque jussu Constantini Pogonati & Iustiniani F. depicti fuerant Constantinopoli in Sophia Templi porticu abradi, omnesque alias amoueri jubet: idemque vt faciat Romanus Pontifex præcipit.*

Romana Synodus pro Imaginibus.

Constantinus *Papa, acceptis literis Philippici, continuò Synodum conuocat anno 712. juxta Sigebert. juxta alios verò 713. & quid faciendum sit deliberat. Ac tandem omnium consensu* Philippicum Imp. & Ioannem Patriarcham damnat hæreseos. *Deinde quia Imperator picturas sex Synodorum vniuersalium abrasione damnârat,* ipse publico consensu, beatorum Patrum icones, qui 6. Oecumenicis Conciliis interfuerant, pingi jubet in porticu B. Petri Romæ, *quâ re, ceu trophea, in Græcorum & omnium Orientalium ignominiam vterentur. Beda lib. 2. P. Diac. lib. 6. capite 11. de Longobardis. Adon ætate 6. Platina. Imò contra manifestum Dei verbum, imagines non modo habendas in Templis, sed etiam summâ veneratione colendas, Constantinus Papa in eadem Synodo primus decreuit. Belaus in vita eius.*

Cõstantinus Papa Imaginum cultum primus instituit

Et hac quidem occasione inter Græcos & Latinos cæptum est acriter disceptari, de vsu, cultu & adoratione Imaginum in Templis. Quia verò Orientales bonæ alioqui causæ conjungerent malam, minus illa de Imaginibus fauoris apud Italiæ, Galliæ & Germaniæ Ecclesias inuenit. Quæ causa fuit, quòd etiam imagines in his regionibus magis quàm alibi receptæ & adoratæ fuerunt.

Constantinus Papa quis.

Fuit hic Constantinus *Papa ille ipse, cui primò omnium pedes exosculari cæperunt: quod Iustinianum Imperatorem populo aspectante Nicomediæ fecisse, liber Pontificalis in vita Constantini testatur: idem etiam de eo refert Platina: vt mirum non sit, quòd adorationem imaginum primus quoque & instituere & probare ausus fuerit. Et ex hoc quidem tempore Pontifices Romani inuidiâ, seu potius petulantiâ & improbitate quadam, aduersus Græcos Imperatores, signorum & imaginum vsum, aut abusum veriùs, tueri mordicùs cæperunt.*

Eguuinus præstigiis diabolicis deceptus in suis Ecclesiis adorationẽ Imaginũ instituit

Cùm enim hoc modo esset mota controuersia de cultu Imaginum, diabolus ad idololatriæ confirmationem omnem lapidem mouit, vtens ad id operâ mancipiorum suorum: nimirum Pontificum Roman. & Monachorum. Inter alios autem Eguuinum *Monachum Benedictinum, nuper Vuicciis designatum Episcopum, hominem ex superstitionum colluuie compactum, excitat: eique per illusiones & præstigias suas in somnis instillat, quasi à Maria Virgine jubeatur in Ecclesia sua collocare imaginem eius, & populo venerationem atque adorationem istius Idoli persuadere. Is verò quiescere non potest, sed rem in actum deducere instituit, librumque de suis visionibus conscribit. Res defertur ad Pontificem Romanum Constantinum: quâ verò occasione id factum sit, non est annotatum: fortè quia aliqui boni sese impietati illi & vanitati opposuerunt, quos Satan Apostolicâ authorite refringendos censebat. Pontifex prius hominem accersit, & jurejurando obtestatur, vt veritatem dicat. Videbat enim ipse scripturam sacram imaginum cultui refragari, & opus esse nouis reuelationibus ad eam idolomaniam stabiliendam. Ille verò in sua sententia constanter perseuerat, atque Pontifici fidem facit. Ergo Apostolicâ suâ authoritate*

Londinensis Synodus pro Imaginibus.

tate approbat visiones Eguuini: ac Banifacia legato suo imperat, vt in Britanniam abeat, atque Londini cum consensu Brithunaldi Archiepiscapi Anglorum Synodum celebret: Isti igitur Pontifici obsequentes, Episcopos & Reges sub anathematis pœna conuenire Londinum jubent. In eo congressu non disputatiani & collatiani lacus datur, vt par erat: sed visiones Eguuini simpliciter proponuntur de cultu imaginum, & indicatur eas à Pontifice Maximo esse approbatas. Denique promulgatur decretum de Imaginibus in Templa callocandis, Missarumque celebratiane & adoratione honarandis. Tali moda cultus Imaginum in Anglicanas Ecclesias authoritate Antichristi, & illusionibus diabolicis, & apprabatione superstitiasæ vanitatis primùm sunt introducta: paucis piis frustrà gementibus & cantradicentibus: circa annum Domini 714. Nauclerus, & Balaus Cent. I. capite 91. 94. & 99.

Imagines in Angliæ Ecclesias quando receptæ primum & adoratæ.

Prodigia circa hæc tempora.

Has turbas ac tempestates horrendas, quas hac modo Romanus Pontifex & alij homines superstitiosi concitârunt, ob defensionem cultûs Imaginum circa annos Christi 727. videtur æstus ille terribilis, & nunquam antea visus denatâsse, de quo Paulus Diaconus scribit libro 21. rerum Roman. Anno enim 10. Leanis Imperat. æstiua tempore, vapor vt ex camino ignis visus est ebullire inter Theram & Therasiam insulas ex profundo maris, per aliquot dies: quo paulatim incrassato & dilatato, igniti æstus incendia totus fumus igneus monstrabatur. Porrò crassitudine terrena substantia petrinos pumices grandes, vt cumulas quosdam transmisit per totam minorem Asiam, Lesban, Abydum, & maritima Macedoniæ, ita vt tota superficies maris his pumicibus esset repleta. In media autem tanti ignis, insula ex terra cangerie facta, insulæ quæ Sacra *dicitur copulata est cùm prius nondum fuisset. Romæ quoque per 7. dies Tyberis exundauit, vrbis muros transcendit, domas euertit, agros dissipauit, arbusta & segetes eradicauit: quod ipsum exundationem perniciosam & detrimentum ingens, Ecclesiæ à Roman. Pontificibus imminens minitabatur. Paulus Diac. lib. 6. cap. 12. de gestis Longob. Platina. Sigeb. & Beda lib. 2. de Tempore.*

Imagines restituuntur Constantinopoli.

Constantinopoli verò sublato Philippico *per* Arthemium, *&* Arthemio *rursus per* Theodosium, *mandauit is sanctorum Imagines deletas hactenus, pristino loco rursus pingi: quo intra anno spatium mortuo, successit ei* Leo III. *Isaurus. Is cùm ab Haumaro Saracenorum Duce accepisset Epistolam, & ex ea intellexisset, eum id maximè reprehẽdere in Christianis quòd sanctos mortuos inuocarent, & statuas eorum colerent, cœpit cum suis Theologis ea de re conferre. Germanus Patriarcha vt ab Imaginum abrogatione auerteret Imperatorem fingebat falsum quoddam vaticinium, Antichristi præcursorem & diuinæ incarnationis euersorem sub imperio Canonis Imagines aboliturum esse: cùm potius ex Daniele debuisset contrarium nouisse, illũ fore Antichristum, qui auro, argenta & gemmis Deos alienas eorumq́; Statuas honaraturus esset.*

Constantinopolitana Synodus alia contra Imagines conuocata à Leone Isauro.

Verùm Imperator non mouetur commentitio illa vaticinio, sed conuocat tandem Synodum Constantinopolim anna Christi 730. juxta Sigebertum. Conuenerunt igitur Patres ad 7. Id. Ian. tertiâ feriâ 13. indictionis: ac interest ei cœtui Germanus etiam Patriarcha. Cæterorum verà namina in literas non sunt relata, haud dubiè propter historicorum inuidiam, aut negligentiam. Controuersia autem de Imaginum cultu & veneratione, deque intercessione Mariæ virginis & sanctorum, ac de reliquiis mortuorum, prapanitur discutienda. Disputatur in vtranque partem acriter, & conferuntur sententiæ: tandemque ex mutua collatione manifestum fit sanctorum intercessionem fabulam, Imaginum & Reliquiarum cultum atque adarationem esse meram idololatriam verbo Dei contrariam. Germanus Patriarcha ita in angustias redigitur, vt nihil amplius habeat quo suam sententiam plausibiliter saltem tueatur. Damnatur igitur à Patribus, ex regula verbi diuini, cultus & veneratio imaginum. Huic decreto omnes subscribunt. Germanus verò se id facere posse negat & Episcopatu sese abdicat. Paulus Diaconus lib. 21. Rom. rerum. Imperator cùm intelligeret, cultum imaginum damnari à S. Scriptura & Patribus Synodi, mox Constantinopoli omnes Imagines & Statuas in medio vrbis congestas comburi iussit, & picturas parietibus illitas albario obtexit: & Gregorio III. Romano Pontifice per literas imperat, vt nisi gratiâ suâ excidere velit, idem faciat. Regino lib. 1. Chronic. Adarationis autem imaginum Patroni in Oriente, cùm non possent sententiam suam ex verbo Dei contra Leonem, *ejusque Episcapos & Doctores tueri, armis rem tentare instituunt Agallianus itaque Turmarcha & Stephanus quidam, nauales Helladicorum & Cycladum insularum exercitus, quasi diuino zela, verùm non secundum scientiam, concitant, eósque Canstantinopolim ducunt, appressuri Imperatorem, & Sanctorum Imagines restituturi. Sed Deus ex alto seditiosos illorum conatus fregit. Congressi enim cum Byzantijs, superantur, & naues earum concremantur: in quibus alij quidem demerguntur nolentes, Agallianus verò armatus seipsum in mare præcipitat. Ex captiuis autem ad Leonem perductis, Stephanus & Cosmas capite plectuntur, juxta Sigebertum, & Paulum Diac. lib. 21. rerum Ram.*

Imagines Constantinopoli remouentur.

Romana Synodus contra Imagines.

Gregorius III. *autem (qui secundum aliquos fuit 2.) acceptis* Leonis *edictis de Imaginibus damnondis & tollendis, indicit Romæ, seu (vt alij volunt) Rauennæ Synodum. Conueniunt 903. Episcopi juxta Sigebertum: seu mille, juxta Bonfin. lib. 8. decad. 1. de Vngaris.*

Digitized by Google

ris. Inter eos autem fuerunt Pontifex ipse Gregorius, vt præses, & Antoninus Gradensis Archiepiscopus, Ioannes Rauennas Archiepiscopus, & alij Hesperiæ partis Episcopi. Liber Pontific. Adstat pro more omnis clerus Romanus, nobiles, consules & populus, anno imperii Leonis 16. Domini verò 733. Sigebert. Tractatur autem in illa Synodo de Imaginum veneratione, déque Leonis decreto: ac juxta Antichristi nutum, cultus Maosim & deorum alienorum approbatur: & tandem communi decreto sancitur, quod in hunc modum referunt: Si quis deinceps Catholicam consuetudinem & vsum fidelem contempserit, & venerabilium ac sanctarum imaginum Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, Beatæ Mariæ, Apostolorumque & aliorum Sanctorum depositor, destructor & prophanator exstiterit, aut blasphemus: ipse communione sanctæ Ecclesiæ sit priuatus. Antoninus tit.14.cap.1.§.1.dist.3.cap. Perlatum est. Deinde damnatur Leonis decretum, atque ipse simul communione fidelium priuatur, eò quòd imagines sanctas ex Templis abrasisset, statuasq; demolitus esset; Platina in Gregorio III. & Bergomen. lib. 10. Tertiò, idem Pontifex etiam totam Hesperiam, Æmiliam, Liguriam, Italiam & alias terras in Occidente, à Leonis obedientia discedere fecit: & vectigalia, quæ Christus solui iussit, interdixit, Cum Francis quoque fœdus iniit, quibus occupandæ vrbis Romæ, & imperij Occidentis occasionem præbuit, vt præsidium aduersus Imperatorem haberet, Paulus Diaconus lib.21. rerum Roman. Zonaras tomo tertio. Antoninus. Idem paulò ante Gregorius II. quoque designauit. Sigebert. Vide Balæum in vita Gregorii II.

Ioan. Damasc. in Synodo Imagines defendit.

In Syria etiam circa hæc tempora Ioannes Damascenus cum Episcopis quibusdam & Monachorum grege imaginum adorationem in Synodo defendit, & Leonem anathemate ferijt. Paulus Diaconus libro vigesimo primo, rerum Roman. & libro sexto, capite decimo quarto, de Longobardis. Leo verò Imp. illorum terriculamenta nihil curat, sed in suo instituto pergit & perseuerat, moriturq; anno 24. sui imperij.

Prodigia horum temporũ.

Notata sunt hæc quoque tempora diuinitùs multis prodigiis & miraculis. Luna enim, imago Ecclesiæ, defecit. & ad mediam vsque noctem sanguineum colorem præ se tulit. Anno etiam Domini 733. illo ipso nimirum, quo Gregorius Romæ Synodum pro imaginum adoratione celebrauit, Sol ecclipsim passus est. Et anno Domini 729. apparuerunt Cometæ duo circa solem, multum intuentibus terrorem incutientes. Vnus namque Solem manè præcedebat Orientem, alter vespere sequebatur Occidentem, quasi Orienti simul & Occidenti magni alicuius mali præsagium. Liber Pontificalis, & Marianus Scotus.

Cōstantinopolitana Synodus Generalis 7 contra Imagines conuocata à Constant. 5.

Succedit Leoni Constantinus V. cognomento Copronymus. Is permotus Romanâ Synodo Constantinopolim quoque Synodum conuocat, anno 13. Imperij sui, juxta Diaconum: aut 14. juxta Sigebertum: Domini verò 755. Ac conuenerunt Episcopi 338. vt patet ex definitione eius Synodi, quæ recitatur actione sexta Nicæna 2. Sigebertus in Chronic. tantum 330. habet. In Pauli Diaconi libro vigesimo secundo tantum 38. numerantur: sed scriptorem vitio fortè trecenti sunt omissi. Vel dedità operà Paulus Diaconus, homo superstitiosus & cultui Imaginum nimium addictus, tam exiguum posuit numerum Patrum, vt hac ratione authoritatem Synodi huius minuat. Inter illos præcipui fuerunt Theodosius Ephesinus, Pastilas Pergamenus, Constantinus Patriarcha Constantinopolit. Gregorius Neocæsarien. Basilius Pisidiæ. Romanus Pontifex cum suis inuitati, non venerunt, eò quòd jam pridem ab Imperatorum Orientis obedientia defecerant: & quòd intelligebant contra suos Deos eorumque cultum deliberatum iri in eo Concilio. In palatio Hieriæ 4. Id. Febr. agi cœptum est: & durauit Synodus vsque ad 6. Idus Augusti. Controuersiâ autem de Imaginum cultu, vt par erat diligenter discussâ ex Sacris literis, Imagines damnantur, & fieri prohibentur: Germanus Patriarcha, Gregorius Cyprius, & Ioannes Damascenus nepos Manzur, imaginum patroni, anathematizantur: & Constantinus Sylæi Episcopus Patriarcha Constantinopolit. designatur. Gregorius Neocæsariens. Synodi sententiam peculiari libro complectitur, qui in foro, in præsentia Imperatoris & Patriarchæ vniuersalis, reliquorumque Episcoporum, coram populo recitatur, promulgatur & comprobatur, reliquisque Synodi actionibus tanquam commune quoddam decretum inseritur. Libellus ille in actione sexta, Nicæni 2. Concilij assignatus est, licet videatur esse corruptus in 15. & 17. canone, vbi intercessio à sanctis peti, & postulari jubetur. Constat enim ex historia Constantini Copronymi, eo tempore etiam Sanctorum intercessiones pro ficulneo præsidio habitas & damnatas esse. Exstat idem libellus impressus typis, & à Ioanne Sagittario Burdegalensi vulgatus, in libro qui inscribitur, Canones Conciliorum.

Gregorij Neocæsarien. Episcopi libellus cōtra Imagines.

Tomo tertio.

Argumenta autem & rationes quibus contra Imaginum vsum in Templis, Synodus hæc vniuersalis vtitur, de verbo ad verbum sic habent: Sanctorum Patrum, & vniuersalium Synodorum puram & inuiolatam, & à Deo traditam fidem nostram obseruantes, dicimus, non debere quenquam diuisionem aut confusionem, vltra verum sensum & voluntatem inexprimibilem & incognoscibilem illam vnionem duarum secundum hypostasin vnam expressæ personæ naturarum commisci.

Quænam est hæc insana opinio pictorum, vt lucri turpis & miseri causâ, ea quæ effici nequeant, studeant conficere: vt & ea quæ ore & corde sunt tantummodo confessa, im-

ſa, impiis manibus figurare intendant?

Arbitratus etiam ſic eſt, ipſam imaginem Chriſtum vocando. Eſt autem Chriſtus hoc nomine Deus & homo: ſequitur, vt & imago Dei ſit & hominis. Et conſequens eſt, vt aut juxta opinionem vanitatis ſuæ, deitatem, quę circumſcriptione creatæ carnis circumſcribi non poteſt, circumſcripſerit: aut inconfuſam illam vnitionem, impietatis confuſione confuderit: & geminas blaſphemias in deitatem, & per deſcriptionem & confuſionem intulerit. Iiſdem ergo blaſphemiis earum adorator inuoluitur, & væ illud vtriſque præmium, quòd ſcilicet & cum Ario, Dioſcoro, Eutyche, & Acephalorum hæreſi errauerint.

Damnati autem à cordatis viris in eo, quòd incomprehenſibilem & incircumſcriptibilem diuinam Chriſti naturam ipſi depingere ſtuduerunt, ad aliam aliquam prauâ inuentione apologiam confugiunt, quòd ſolius carnis, quam vidimus & palpauimus, & cum qua verſati ſumus, illius inquam Imaginem exhibemus: quod ſanè impium eſt, & Neſtoriana diabolica inuentio.

Conſiderandum eſt & hoc: Quòd ſi juxta orthodoxos Patres, ſimul caro, ſimul Dei verbi caro, nunquam partitionis notitiam ſuſcepiſſet, ſed totaliter tota natura diuina aſſumpta, & totaliter & perfectè deitate arrepta fuiſſet: quomodo in duas diduceretur, & ab impiis illis, qui iſtud facere conantur, priuatim ſeparabitur? Conſimiliter verò & de ſacra ejus anima ſe habet: poſtquam enim aſſumpſiſſet deitas Filii in propria hypoſtaſi carnis naturam, inter deitatem & carnis craſſitudinem, anima mediam ſe interpoſuit: & quemadmodum ſimul caro, ſimul verbi Dei caro, ſic ſimul anima, ſimul verbi Dei anima. Et ambabus ſimul conſpectis, videlicet anima & corpore, inſeparabilis ab ipſis deitas exſtitit, & in ipſa etiam defunctione animæ à corpore in voluntaria paſſione. Vbi enim anima Chriſti, illic etiam Deitas: & vbi corpus Chriſti, & ibi quóque Deitas conſiſtit.

Si quidem igitur in paſſione inſeparabilis ab his manſit deitas, quomodo inſani iſti, & quauis imprudentiâ irrationaliores, carnem deitate conjunctam & deificatam diuidunt: & hanc, vt nudi hominis Imaginem pingere conantur? Et ex hoc in aliud impietatis barathrum labuntur. Nam carnem à deitate ſeparantes, & per ſe ſubſiſtentem eam inducentes, aliamque perſonã in carne conſtituentes, quam in imagine repræſentari dicunt, quartam perſonam Trinitati adjiciunt, & diuinam aſſertionem prædicant impiam. Itaque fiet illis qui Chriſtum depingere nituntur vt ad deitatem circumſcriptibilem, & cum carne confuſam dicant: aut corpus Chriſti expers deitatis & diuiſum, prǽterea perſonam per ſe ſubſiſtentem in carne aſſerant: & ità Neſtorianæ Deo repugnanti hæreſi ſimiles exiſtunt. In talem igitur blaſphemiam & impietatem cadentes, pudore ſuffundantur, auerſentur ſeipſos, & talia facere deſinant: nec hi ſolum qui faciunt, verum etiam qui falſo numine factam & dictam ab ipſis Chriſti Imaginem venerantur. Abſit à nobis ex æquo & Neſtorii diuiſio, & Arii, Dioſcori, Eutychis & Seueri confuſio, malè ſibi ipſa repugnantia, & quæ vtraque ex æquo impietatem procurant.

Exultent & lætentur, & libertate linguæ fruantur, quicunque veram Chriſti Imaginem ſynceriſſimâ mente facientes, deſiderant & venerantur, & ad ſalutem animi corporiſque adferunt: quam ipſe Dominus noſter Deus ſummus Sacerdos, ex nobis integrè maſſam aſſumens, circa paſſionis tempus in typum & recordationem efficaciſſimam ſuis ſacerdotibus & myſtis tradidit. Nam cùm ſe ſponte morti objiceret, glorioſæ inquam illi & viuificanti, ſumens panem, benedixit, poſtquam gratias egiſſet, & fregit, tradenſque diſcipulis dixit: Accipite manducate in remiſſionem peccatorum, hoc eſt meum corpus. Similiter & calicem tradens, dixit: Hic meus eſt ſanguis, hoc facite in mei memoriam. Veluti, ne eſſet vlla alia ſpecies electa ab illo: aut quaſi non poſſet vllo alio typo eorum quæ ſub cœlo ſunt, incarnatio illius repræſentari. Ecce igitur viuificantis corporis illius imaginem, quæ honorificè & glorioſè exhibita eſt. Quid enim aliud in his egit Chriſtus Deus? Non ſanè aliud, quàm vt oſtenderet & exhiberet nobis hominibus apertè myſterium illud, in diſpenſatione ſecundum illum operatum. Quia quemadmodum id quod è nobis aſſumpſit, materia ſola eſt ſubſtantiæ humanæ, juxta omnia non perfectè expreſſa, quæ per ſe exiſtit perſona, ne adjectio in diuinitate accidat: ita & totam imaginem electam, videlicet panis ſubſtantiam, mandauit apponi, ne ſcilicet humanâ effigie figurata idololatria induceretur. Quemadmodum igitur ſecundum naturam Chriſti corpus (vtpote quod à Deo eſſet) ſanctum eſt: ſic & poſitione, videlicet Imago ejus ſancta, vt quę per quandam ſanctificationem ipſa Dei gratia manet. Hoc enim vt diximus, Dominus Chriſtus tractauit, vt ſicuti carnem quam aſſumpſit, propriâ ſecundum naturam ſanctificatione ex ſua vnitione deificauit; ſimiliter etiam panem Euchariſtiæ, veluti veram imaginem naturalis carnis, per

O ſancti

sancti Spiritus aggressionem sanctificatam, diuinum corpus esse voluit, illiq; sic placuit. Medius autem venit Sacerdos, qui ex communi sanctum id facit Sacrâ illâ suâ anaphorâ. Cæterùm juxta naturam animata & intelligibilis caro Domini, per Spiritum sanctum diuinitati juncta est. Eodem modo & à Deo tradita imago carnis ejus, panis scilicet diuinus, impletus est Spiritu sancto, cum poculo quoque sanguinis lateris illius viuificantis. Hæc igitur vera incarnatæ dispensationis Christi Dei nostri Imago, quemadmodum prędictum est, quam ipse nobis verus naturæ viuidus creator, propria voce tradidit.

Tom.4. Imaginum autem falsi nominis praua appellatio, neque ex Christi, neque Apostolorum, neque Patrum traditione cœpit: neque precationem sacram vllam, quâ sanctificari possit, habet: sed manet communis & inhonorata, quemadmodum ab artifice pictore absoluta est.

Quod si autem quidam ex eo errore existentes dixerint, rectè & piè à nobis dictum esse, in subuersione imaginis Christi à nobis factâ, propter indisseparatam & inconfusam essentiam duarum naturarũ in vna hypostasi conuenientium: tamen iterum dubitare oportet, propter imagines ter inculpatæ & supergloriosæ Dominæ Deiparæ, Prophetarum, Apostolorum & Martyrum, cùm sint meri audique homines: neque ex duabus naturis, diuinâ scilicet & humanâ, & in vna hypostasi consistant, quemadmodum in solius Christi Imaginibus fieri renunciauimus.

Dubitare autem oportet propter Imagines inculpatæ & supergloriosæ Deiparæ Dominæ, Prophetarum, Apostolorum & Martyrum, cum fuerint nudi homines, & non ex duabus naturis constituti, quidnám conueniens aut commodum ad has dicere potuerint, subuerso priore argumento. Profectò nihil est quod hic habent.

Sed quid dicimus de subuersione? Quandoquidem Catholica nostra Ecclesia, media existens inter Iudaismum & gentilitatem, neutram illius consuetam sacrificationem accepit: verùm nouam pietatis & mysticæ constitutionis à Deo datæ, formam & viam ingreditur. Nam cruenta Judæorum Sacrificia & Holocaustomata non admittit, & gentilitatis in sacrificando omnem idololatriam & statuarum copiam auersatur. Hæc enim caput & inuentrix abominabilis istius artis fuit. Nam cùm spem resurrectionis non haberet, dignum sibi ludicrum excogitauit, vt per eum lusum absentes tanquam adhuc præsentes exhiberet. Siquidem igitur nihil noui sapit hæc res, profectò tanquam alienum dæmoniacorum hominum inuentum ab Ecclesia Christi longissimè abjiciatur.

Cessent itaque ora omnium, quæ loquuntur impia & contumeliosa contra hanc nostram Deo gratam sententiam & decretum. Sancti enim qui Deo placuerunt, & qui ab eo dignitate sanctitatis honorati sunt, etiamsi hinc transmigrauerint, non tamen eos odiosa mortua ars vnquam faciet rediuiuos. Sed quicunque ex gentilium errore illis Statuas aut imagines erigere fuerit conatus, blasphemus judicabitur.

Quomodo autem & valdè laudatam Dei matrem, quam obumbrauit plenitudo deitatis, per quam nobis eluxit lumen quod adiri nequit, matrem inquam ipsis cœlis altiorem, sanctiorem Cherubim, vulgaris gentilium ars pingere audet? Rursus, quomodo eos qui cum Christo sunt regnaturi, & in sedibus cum eo sedebunt judicaturi orbem terrarum, conformes ejus gloriæ, quibus non erat dignus mundus, vt diuina miracula asserunt: quomodo inquam eos non timent per artem gentium exhibere? profectò non fas est Christianis, qui spem resurrectionis habent, dæmonum culturæ consuetudinibus vti. Et eos qui in tanta & tali gloria resplendebunt, non decebat ignominiosâ & mortuâ materiâ ignominiâ afficere. Nos autem ab alienis, nostrę fidei demonstrationes non recipimus, & in dæmonibus testimonia non requirimus.

Adhæc exquisita & exputata nostra sententia, tum ex Scriptura diuinitùs afflata, tum ex Patrum electorum testimonijs efficacibus conuenientibus nobis & asserentibus piam nostram intentionem, exhibebimus nostram definitionem, quibus non contradixerit is qui conatur hæc in dubium vocare: qui verò ignorat, discatis, & erudiatur, quòd scilicet à Deo sint. Principiò verbum diuinæ vocis, sic dicentis, præmittimus: Deus est Spiritus: Quicunque Deum adorauerit, in Spiritu & veritate adoret. Et iterum: Deum nemo vidit vnquam, neque vocem ejus audiuisti, neque formam ejus vidistis. Beati sunt qui non viderunt & crediderunt. Et in veteri Testamento ait ad Mosen & populum: Non facies tibi Idolum, neque omnem similitudinem quæcunque sunt in cœlo suprà, & in terra infrà. Quam ob causam in monte in medio ignis, vocem verborum vos audiuistis: similitudinem autem non vidistis, sed tantummodò vocem. Et mutauerunt gloriam immortalis Dei per Imaginem non solùm ad mortalis hominis similitudinem effictam: & venerati sunt, & colue-

coluerunt ea quæ condita sunt, supra eum qui condidit. Et rursum: Si enim cognouimus Christum secundum carnem, jam non cognoscimus: per fidem enim ambulamus, non per speciem. Et hoc quod ab Apostolo apertè dictum est: Igitur fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Si enim cognouimus Christum secundum carnem, jam non cognoscimus. Per fidem enim ambulamus, non per speciem.

Tom. 5. Eadem etiam & Apostolorum discipuli & successores diuini Patres nostri tradunt. Epiphanius enim Cyprius, inter antesignanos præclarus, sic inquit: Attendite vobis, vt seruetis traditiones, quas accepistis. Ne declinetis neq; ad dextram, neq; ad sinistram. Quibus infert hæc: Estote memores, dilecti filij, ne in Ecclesiam imagines inferatis, neq; in Sanctorum cœmiteriis eas statuatis, sed perpetuò circumferte Deum in cordibus vestris. Quinetiam neque in domo communi tolerentur. Non enim fas est, Christianum per oculos suspensum teneri, sed per occupationem mentis. Idem in aliis quoque sermonibus suis de Imaginum subuersione multa dixit, quæ studiosi quærentes facilè inuenient.

Similiter & Gregorius Theologus in versibus suis dicit: Flagitium est, fidem habere in coloribus, & non in Corde. Ea enim quæ in coloribus existit, faciliter eluitur: quæ verò in profundo mentis, illa mihi amica.

Iohannes autem Chrysostomus sic docet: Nos per scripta Sanctorum fruimur præsentiâ, non sanè corporum ipsorum, sed animarum Imagines habentes. Nam quę ab ipsis dicta sunt, animarum illorum imagines sunt. Maxima verò ad recti inuestigationem, inquit M. Basilius, meditatio Scripturarum diuino afflatu nobis datarum. In his enim & rerum argumenta inueniuntur, & vitæ beatorum virorum perscriptę, veluti imagines quædam animatę secundum Deum politica imitatione operum exhibentur.

Et Alexandriæ lumen Athanasius, dixit: Quomodo non miseratione prosequendi sunt, qui creaturas adorant: quòd illi, qui vident, non videntibus cultum exhibent: & audientes, non audientes orant, precanturque? Creatura enim à creatura nunquam seruabitur.

Similiter Amphilochius Iconij Episcopus sic inquit: Non enim nobis Sanctorum corporales vultus in tabulis coloribus effigiare curę est, quoniam his opus non habemus: sed politiæ illorum virtutum memores esse debemus.

Consentanea his etiam Theodotus Ancyrę Episcopus sic docet: Sanctorum formas & species ex materialibus coloribus formari, minimè decorum putamus: horum autem virtutes, quæ per scripta traditæ sunt, veluti viuas quasdam Imagines reficere subinde oportet. Ex his enim ad similium imitationem & zelum peruenire possumus. Dicant enim nobis, qui illas erigunt statuas, quæ nam vtilitas ex illis ad se redit? an quòd qualiscunq; recordatio eos habet ex tali speciali contemplatione? Sed manifestum est, quòd vana sit eiuscemodi cogitatio, & diabolicę deceptionis inuentum.

Similiter & Eusebius Pamphili ad Constantiam Augustam, petentem Christi Imaginem ad se ab illo mitti, talia dicit: Quoniam autem de Christi imagine ad me scripsisti, vt tibi mitterem: velim mihi significes, quam nam putes Christi Imaginem? Vtrum illam veram & incommutabilem, naturâ illius characteres ferentē: aut hanc quā propter nos assumpsit seruilem formam pro nobis induens? Sed sane de diuina forma non arbitror etiam ipse ego te esse sollicitam, cùm fueris ab ipso edocta, neminem Patrem cognouisse præter Filium: neque ipsum Filium condignè quempiam cognouisse, nisi qui illum genuit Pater: Et post alia: Sed omninò serui requiris Imaginem formæ, & carnem quam propter nos induit: sed & hanc gloriæ deitatis suæ commixtam esse didicimus & passam, mortuamque. Et post pauca: Quis igitur glorię ejuscemodi & dignitatis splendores lucentes & fulgurantes, effigiare mortuis & inanimatis coloribus, & vmbratili picturâ posset? cùm neque diuini illius discipuli in monte illum contemplari quiuerint: qui cadentes in faciem suam, non posse se ejuscemodi spectaculum inspicere confessi sunt. Igitur si carnis illius figura tantam ab inhabitante in ea diuinitate accepit potentiam, quid porrò dicere tunc, cùm mortalitatem exuit, & corruptionem abluens, formam serui in Domini & Dei gloriam transtulit, post mortis scilicet victoriam, post ascensum in cœlos, post cum Patre regio in throno à dextris consessum, post requiem in ineffabilibus & innominandis finibus Patris, in quam ascendentem & desidentem cœlestes potestates illi benedictis vocibus acclamabant, dicentes: Principes tollite portas vestras, aperiamini portæ cœlestes, introibit Rex gloriæ.

Hæc igitur ex multis pauca Scripturæ Patrumque testimonia, hac definitione nostra, parcentes sanè copiæ, ne in longū res protraheretur, collocauimus: reliquis enim, quæ infinita sunt, volentes supersedimus: vt qui velint, ipsi requirant. Ex his igitur

à Deo inspiratis Scripturis,& beatorum Patrum sententijs stabiliti, & super petram cultus diuini in Spiritu pedes confirmantes, in nomine sanctæ,& supersubstantialis viuificantis Trinitatis, vnanimes, & ejusdem sententiæ nos, qui sacerdotij dignitate succincti sumus,simul existentes,vnâ voce definimus, omnem imaginem,ex quacunque materia improba pictorum arte factam, ab Ecclesia Christianorum rejiciendam, veluti alienam & abominabilem.

Tom.6. Nemo hominum, qualiscunque tandem fuerit, tale institutum & impium & impurum posthac sectetur. Qui verò ab hoc die Imaginem ausus fuerit sibi parare, aut adorare, aut in Ecclesia, aut in priuata domo constituere, aut clam habere, si Episcopus fuerit,aut diaconus,deponitor:si verò solitarius,aut Laicus,anathemate percellitor,Imperialibusque constitutionibus subjicitor,vt qui diuinis decretis repugnet, & dogmata non obseruet.

Determinamus & hoc,Ne quis hominum ex ijs qui præsunt Ecclesiæ,aut sacratis ædibus, sub prætextu exterminationis aut eleuationis, talis Imaginum erroris, manus in ea quæ sunt Deo sacrata injiciat, quia possunt transferri in alios vsus ejuscemodi idola. Neque etiam in sacras vestes,aut alia vela, aut quicquid consecratum est in sacrum Dei Ministerium,ne quâ ratione in abusum conuertantur.

Si quis autem potestatem à Deo nactus, hæc ipsa vasa aut vestes in meliores vsus cõuertere voluerit,non ausit hoc sine sententia & voluntate sanctissimi & beatissimi Vniuersalis Patriarchæ,& Imperatorum nostrorum pioru͂ jussu:ne diabolus sub eo prætextu Ecclesias Dei humiliet. Neque aliquis Ducum,aut Magistratus,aut laicorum cohortes sub illis constitutæ, in diuinas ædes manus injicient,easque veluti captiuas prophanent: quemadmodum à quibusdam indecenter antehac factum est.

His ita se probè habentibus, & Dei gratiâ confirmatis,justum esse decreuimus hoc nostro catholico & Deo grato scripto, definitiones breues, veluti in summam edere: quandoquidem & nos videtur Apostolicè dicere. Quin etiam credimus nos Spiritum Christi habere, & quemadmodum qui antea in illum crediderunt, & Synodos congregauerunt,decretaque & definitiones ediderunt, ita & nos quoque idipsum credimus. Quamobrem post sacras aliquot præmissas Patrum definitiones consequenter & conuenienter nostra determinabimus. *Et post septem priores definitiones Octaua sic habet.*

Si quis diuinam Dei verbi secundum incarnationem figuram: materialibus coloribus studuerit effigiare,& non ex toto corde oculis intellectualibus, ipsum sedentem à dextris Patris,super splendorem solis lucentem,in throno gloriæ adorare,anathema.

*Nona:*Si quis incircumscriptibilem verbi Dei essentiam,& hypostasin,propterea quòd incarnatus est, naturalibus coloribus in Imaginibus ad formam hominis depinxerit, & qui non Theologicè sensit eam post carnem non minus incircumscriptibilem remansisse,anathema.

*Decima:*Si quis indiuisam Dei verbi naturæ & carnis secundum hypostasin vnitionem, videlicet ex vtrisq; vnam inconfusam & impartibilem perfectionem factam, in imagine depingere conatur, vocatque eam Christum (Christus enim nomine vno & Deum & hominem significat) & ex ea re confusionem duarum naturarum monstrosè asserit,anathema.

*Vndecima:*Si quis carnẽ hypostasi verbi Dei vnitam diuiserit, & in nuda excogitatione mentis eam habens ex eo conatus fuerit illam in Imagine depingere, anathema.

Duodecima: Si quis vnicum Christum in duas hypostases diuiserit, ab vna parte Dei filium, & ab altera parte Mariæ filium collocans, neque continuam vnitionem factam confitens, & ob id in Imagine tanquam per se subsistentem Mariæ filium depinxerit,anathema.

Decimatertia: Si quis ex vnitione ad diuinum verbum deificatã carnem in Imagine pinxerit,veluti diuidens eam ex assumpta & deificata deitate, & indeificatam ex hoc eam conficiens,anathema.

Decimaquarta: Si quis in forma Dei existentem Deum verbum, serui formam in propria hypostasi assumentem,& per omnia nobis similem factum sine peccato, conatus fuerit materialibus coloribus figurare, veluti si nudus homo fuisset, & hoc modo ab inseparabili & incommutabili deitate sejungere, veluti quaternitatem inducturus in sanctam & viuificantem Trinitatem,anathema.

Decimasexta: Si quis Sanctorum omnium ideas, in Imaginibus inanimatis & mutis materialibus coloribus depingere studeat, cùm nullum omninò vsum afferant picturæ, anathema. Vana enim est excogitatio, & diabolicæ insidiationis inuentio. Nonne enim satius fuerit illorum virtutes & virilia facta,quæ nobis per scriptas historias tradita sunt, veluti viuas quasdam Imagines in seipso depingere, & ad eadem ista seipsum zelo istiusmodi excitare, quemadmodum sancti Patres nos docuerunt?

Decimanona: Si quis hanc nostram sacram vni-

vniuersalem septimam Synodum non receperit, sed eam quocunque modo calumniatus fuerit, & cum satisfactione omnia quę in ea definita sunt doctrina à Deo afflata, non amplexus fuerit, anathema illi sit à Patre & Filio & Spiritu sancto, & à septem sanctis vniuersalibus Synodis.

His à nobis cum omni diligentia & industria decretis, definimus, nullam aliam fidem præter hanc asserendam, aut conscribendam, aut componendam, aut docendam. Qui secus facere ausint, docendo scilicet aliam fidem, aut asserendo, aut tradendo illis qui ex quacunq; hæresi ad cognitionem veritatis redeunt, aut quicunque nouam aliquam vanitatem aut verborum inuentionẽ, ad destructionem eorum quæ à nobis determinata sunt, adferunt, si Episcopi fuerint aut Clerici, ab Episcopatu aut clericatu deponuntor: si verò Monachi aut Laici exstiterint, anathemate deueuentor.

Diuinissimi Impp. Constantinus & Leo dixerunt: Dicat nunc sacra & vniuersalis Synodus, num ea quæ nunc lecta est definitio, ab omnibus sanctissimis Episcopis collaudetur.

Sancta Synodus exclamauit: Omnes sic credimus, omnes idem sapimus, omnes approbando volentes subscripsimus, omnes orthodoxè credimus, omnes intellectualiter intellectualem diuinitatem colimus, adoramus. Hęc est fides Apostolorum. Hæc est fides Patrum. Hæc est fides orthodoxorum: sic omnes latriam exhibentes adorant.

Constantinus Imo non Monothelita. *Vbi simul obseruandum, quòd Constantinus hic Imperatorem Monothelitarum hæresi non fuit infectus, acta enim sex vniuersalium Synodorum recepit & approbauit, vt ex actis septimæ Synodi videre licet.*

Gentiliacomillana Synodus. *Idem Imperator legatos suos ad Pipinum, Regem iam, misit, cum decretis suæ Synodi contra imaginum cultum. Celebratur itaque Synodus in villa* Gentiliaco *apud Parisios anno Domini 766. juxta Sigebertum, locum vocat Salmoniacum villam Vrspergen. Iuxta Adonem & Reginonem lib. 2. & Annales Francorum celebrata est anno 767. Contulerunt in ea inter se Græci & Romani, seu Orientales & Occidentales inter alia quoque de Imaginibus Sanctorum, vtrùm igne cremanda, an in Ecclesiis ferendæ essent. Adon Viennen. ætate 6. & Annonius lib. 4. cap. 67. de Francis. Quid constitutum tandem sit non est satis manifestè indicatum.* Græcos *tamen* Oratores jussos esse Imperatorem suum admonere, vt cum aliis sentiat, *Æmilius lib. 2. de Francis refert. Et Ioannes Tolosanus dicit,* post longam altercationem, circa Imaginum venerationem constitutum esse, Christi & Sanctorum Imagines esse colendas: plurimos tamen in id non consensisse.

Lateranensis Synodus. *Anno Domini 768. iuxta Sigebert. (Sabellicus adhuc vnum annum addit) Romæ quoque in Laterano celebratur Synodus, cui præsedit Stephanus III. Occasio autem eius fuit, quòd Romanus clerus & populus Constantinum Papam, Desiderij Longobardorum Regis fratrem, eò quòd visus fuisset vero Magistratui Imperatori Constantinopolitano fauere, & cultum Imaginum improbare, à pontificatu deiecerat, & Stephanum substituerat: & restabat illud, vt acta eius abolerentur, & cultus imaginum confirmaretur, ac seditiosæ defectionis & perfidiæ prætextus & plures occasiones quærerentur. Conuocauit autem Stephanus, illos qui eius parti addictissimi erant, nimirum Thusciæ, Campaniæ & Italiæ Episcopos. Antoninus. Primùm autem tractatur de Constantino Papa eiusque depositione. Deinde examinant acta Synodi Constantinopolitanæ & sententiam ejus damnant, contrariumq; asserunt: nimirũ* sacras Imagines Iesu Christi, B. Virginis Mariæ, aliorũque Sanctorũ magno honoris affectũ ab omnibus coli debere. *Et Græcis edicunt,* vt, nisi velint impij declarari, sanctorũ statuas Tẽplis restituant, *vsi hoc potissimùm argumento,* Quòd si liceat Imperatorũ & aliorum hominum Statuas in ciuitatibus ponere, Dei verò & sanctorum non liceat habere, conditionem Dei priorem fore hominum. *Quasi verò Deus iuxta hominum placitum, & non potius secundum verbum suum coli velit. Platina in vita Stephani. Sabellicus Enne. 8. Liber pontificalis. Hæc decreta Stephanus Pontifex, & reliqua assectarum eius turba, pedibus prodeambulans à Lateranensi basilica cum hymnis & canticis, in ædem S. Petri deportat, quæ ex ambone à Leontio Scriniario clarâ voce recitantur. Quibus finitis, Episcopi tres, Gregorius de Candida Sylua. Eutracius Albanus, Theodosius, ex eodem suggestu anathema promulgant in omnes transgressores & violatores huius Synodi. Platina, & liber Pontificalis.*

Steph. Papæ decretum de Imaginib. *Balæus refert, Stephanum III. instituisse quoque,* vt idolis & Imaginibus thura adolerentur. *Centuria 2. folio 105. in vita Stephani. Hanc verò Idololatrarum superstitionem ac stultitiam grauiter taxat Carolus Magnus lib. 4. contra Synodum Nicænam secundam edito,* quòd *nimirum* rebus odore carentibus odorifera thymiamata offerant, & luce carentibus luminaria incendant, adeoque ea quę Deo dignè offerrentur, rebus sensu carentibus offerant, & offerre hortentur: vnde etiam nullâ authenticâ electione, vel alicujus sancti exemplo fieri debere probari possit.

Leo IV. Imperator Imaginum cultum etiam prohibuit. *Constantino autem III. vitâ functo, Leo IV. eius filius Imaginum adorationem etiam prohibuit: cumque eius edictũ Iacobus Protospatharius, & Papias, & Strateius, & Theophanes, cubicularij eius, aliique violâssent, grauiter in eos animaduertit publicâ contumeliâ, & tonsurâ, & carcere,*

juxta Zonaram tom.3. & Petrum Diaconum lib. 23. rerum Rom.

P Cyprius Episcopus Constantinopol. Imaginũ cultum promouet

Interea Paulus Cyprius, seu Almisicus, vt à Paulo Diacono appellatur, in Salamine natus, à Leone Copronymi filio anno eius vltimo post longam deliberationem, cùm simulatè professus esset, non esse adorandas Imagines, Episcopus Constantinopolitanus constituitur in locum Nicetæ, qui Constantino successerat. Fuit is homo placido ingenio, animo abjecto, & propemodum seruili ac desperabundo, judicio intricato & superstitionibus fascinato. Mortuo enim Leone IV. cùm Irene ejus conjunx imperaret, eaque imaginibus magis propitia videretur, cœpit suam sententiam de Imaginum adoratione prodere, & cum alijs consilia tractare, quo pacto possint in Templa restitui. Interea verò in morbum incidit, qui animum ejus ægrum ita exercet, vt opinionem illam concipiat, se non posse bonâ conscientiâ in ministerio suo defungi, nisi imagines restituantur. Vitam ergo monasticam elegit ex superstitione, quasi eâ suas sordes eluere possit: & desertâ suâ Ecclesiâ, clàm sese subducit in monasterium Flori, & amictu mutato, in album eorum recipitur. Quâ re cognitâ Irene & Constantinus, ad eum accedunt, & interrogant cur id fecisset: respondet ille lamentans, Ob dissidium quod propter imagines sit ortum, & ob quod Ecclesia illa sit anathematizata. Ac planè asserit, nisi Synodus vniuersalis fiat, & imagines restituantur, non posse Constantinopolitanos saluari. Hac suâ præposterâ pœnitentiâ, occasionem majorem præbuit ad disputationes de Imaginum cultu: qui paulò post in Synodo Nicæna 2. assertus & stabilitus fuit: Ac non ita multò pòst vitam cum morte commutauit, anno Irenes 4. Domini 785. Zonaras tom.3. Orthodoxus & catholicus hic Paulus in Synodo Nicæna 2. pronunciatus est, ob pœnitentiam quam egisset: verùm in Frankofurdiana Synodo, in qua acta Nicæna sunt rescissa, & cultus imaginum damnatus, & ipse declaratus est, non secundum scientiam, sed secundum superstitionem pœnitentiam egisse, & sibi peccatum, vbi reuera nullum esset, finxisse.

Tarasius Episcopus patronus Imaginũ Constantinopolitana Synodus.

Mortuo igitur Paulo eligitur Tarasius, qui hactenus in aula Imperatoria militem & scribam egerat, homo facundus, sed audax: is negat se consensurum in vocationem nisi Imperatrix & Imperator promittant Synodi vniuersalis conuocationem. Factâ promissione res in actum deducitur. Anno enim 6. imperij Irenes, Domini verò 787. omnes conuocantur antistites. Adrianus Româ mittit Petrum Vicedomum, & Petrum Hegumenum: Antiochiâ venit Ioannes, & Alexandriâ Thomas, qui postea Thessalonicæ factus est Archiepiscopus. Septimâ Idus Augusti indict. 9. in Templo Apostolorum, Archiepiscopi, Episcopi & Sacerdotes congrediuntur: adsunt etiam Imperatores & Catechumeni. Instituitur disputatio & collatio de imaginum cultu ex sacris literis, & in vtranque sententiam disceptatur. Summus sacerdos, Episcopi & Abbates quidam cum monachis imaginum venerationem conantur tueri. Magna pars Episcoporum (inter quos fuerunt Basilius Ancyræ, Theodorus Myrorum, Theodosius Amorij & alij, qui in Nicæna 2. ad pœnitentiam adiguntur, & populus Scholariorum, & satellitum atque cæterorum ordinum, qui sub Imperatore Constantino fundamenta ex verbo Dei, & Patribus perceperant de impietate idololatriæ, quæ esset cum imaginum veneratione conjuncta) contrariam sententiam defendunt. Pontificij & alij, & videntes se parum posse promouere, alteram partem conantur excludere ex congressu & disputatione. Ea res tumultui occasionem præbet: qui tamen statim compescitur. Nam populus molestè ferebat, eos qui pro altera parte pugnabant, excludi ex disputatione. Sed cùm iterum admissi essent, turba quiescebat. Redeunt itaque ad disputationem, & illa pars Episcoporum, quæ Imaginũ cultum oppugnat, alterã verbo Dei ita retũdit, vt illa victoriam desperans, Synodũ dissoluãt, excogitatis insidijs, quibus veritatis assertores opprimantur prius, quo postea errori locus esse possit. Diaconus lib.23. rerũ Roman. Ignatius Monachus in vita Tharasij apud Metaphrastem Tom.5. paulò aliter rem hanc narrat, pro suo affectu erga illam partem, quæ Imagines colit: quasi altera illa pars prorsùs seditiosè Synodum turbauerit, asserendo se nec posse nec velle pati, vt res in disceptationem deducatur. Quod verum non est. Nam & ipsi, vt in libero Concilio, voluerunt Episcopos sua sententia admitti & audiri: vt facilè est colligere ex P. Diacono, qui tamen nec ipse satis verè & plenè rem exponere videtur.

Nicæna Synodus 2. quæ & Græcis vniuersalis 7. vocata est, pro imaginibus.

Irene ergo videns Papisticis rebus & superstitioni consuli non posse, nisi exercitui regio arma adimerentur, & aliquot potentes familiæ pellerentur vrbe regiâ, tandem dolis & fraude effecit, vt Iconomachis arma adimerentur, & quædam eorũ familiæ ablegarentur. Id vbi factũ esset, Imperatrix exercitum proprium principesque ad omnia paratos & sibi obsequentes diligit, iuxtaq; consilia legatorum Rom. Pontificis, quos apud se retinuerat, mense Majo, anno 7. imperij sui, legatis & literis indicit Nicææ Synodũ Diaconus lib. 23. rerum Rom. Ad eam ergo vrbem anno 8. Irenes, Domini verò 788. confluit illa prior multitudo Episcoporum, Abbatum & Monachorum circiter 350. vt Sigebertus indicat. Synodus ista incipit celebrari 8. Cal. Octobr. indictione 11. in Templo Sophiæ, & durat vsq; ad Nouem. Adeò facilè fuit, remotis contradicentibus, consensionem in errore & superstitione institui. In prima actione Tarasius sũmus Sacerdos, rector & præses, præfatur, & indicat quam ob causam Synodus hæc sit conuocata, nimirum vt de Imaginum cultu & veneratione agatur, quæ tractatio anno superiore in Synodo Constantinop. sit impedita. Deinde Basilius Ancyræ Theodorus Mirorum & Theodo-

Theodosius Amorij, alijque nonnulli, qui in Synodo Constantinopolitana Imaginum venerationem impugnârant, suam sententiam reuocantes à Synodo recipiuntur, & in Cathedras suas sedere iubentur. Et imago Christi eiusque cultus approbatur à tribus Episcopis. Post biduum secundò coit Synodus: ac Gregorius Neocæsarien productus asserit, se cum Synodo velle sentire. Patres autem causa eius cognitionem reijciunt in alium conuentum. Deinde literæ Adriani Pontificis Rom. ad Constantinum & Irenem leguntur, in quibus impudentissimas fabulas fingit de Constantini somnijs ad Imaginum originem indicandam. Tertiò recitantur literæ Adriani Papæ ad Tharasium, in quibus commendat Tarasij sententiam de Imaginibus: & hortatur eum, vt deinceps etiam venerandas Imagines *(hæc sunt verba eius)* primùm iuxta humanam figurationem Christi Dei nostri secundum nos & pro nobis & per nos incarnati, deinde inuiolatæ & veræ Deiparæ, postremò omnium Sanctorum suorum colere & adorare pergat. *Postea commendat etiam eius studium in promouenda Synodi conuocatione: ac omnino præcipit ei, vt efficiat,* quò Synodus illa, sub Constantino congregata sine authoritate, consensu & præsentia Pontificis Romani, contra cultum Imaginum, damnetur. *Quartò, Patres ex ordine testantur singuli,* se probare sententiá Adriani, & imaginum picturas recipere, & desiderio suo adorare, vt in nomine Christi & Mariæ Virginis, & omnium sanctorum factas. *Atqui D. Gregorius Sereno Massiliensi, vt suprà meminimus, scribit:* Quòd Imagines adorari vetueris, Laudamus, &c. *Et ante Gregorium Hieronymus inquit:* Nos nec Angelos, nec sanctos, nec Martyres, nec ipsorum Reliquias, nec vllam creaturam, SED SOLVM DEVM ADORAMVS.

In tertia actione, quæ sub 6. Cal. Octob. indict. 11. facta scribitur, post receptionem Gregorij Neocæsarien. qui damnabat suam priorem sententiam, & approbabat alteram de cultu & adoratione Imaginum, leguntur literæ Orientalium sacerdotum ad Tharasium, in quibus Imagines Sanctorum earumque venerationem comprobant: tandem legatorum Rom. instinctu, Episcopi simul omnes qui aderant testantur, se in adorationem Imaginum consentire: & anathema pronunciant in eos qui diuersum sentiant & affirment.

In Confessu 4. Synodus de confirmanda adoratione Imaginum laborat, & ad comprobandam eam torquent primùm testimonia ex Sacra Scriptura, deinde ex Patribus: id quod etiam in congressu quinto fecerunt: vbi multa ficta citant, quæ apud Patres non leguntur,

In Confessu 6. qui fuit prid. Non. Oct. leguntur sex tomi Gregorij Neocæsarien & decreta Synodi Constantinopolitanæ sub Constantino Copronymo, cum refutatione Epiphanij, non Salaminæ Cypri illius orthodoxi Episcopi sed alius cuiusdam, quæ non verbi Dei, sed consuetudinis & Patrum nititur fundamentis. Deinde sub finem subijciunt breuem declarationem, quantopere in Ecclesia vtiles sint Imagines, quæ historias veteris & noui Testamenti repræsentant. Inter alia, à temporibus, *aiunt,* itaque illis vsque ad tempora Constantini, primi ex Imperatoribus plenè Christiani, anni propemodum trecenti acti sunt, ante illum ferè gentilibus tyrannicè regnantibus. Per illa autem tempora Christianorum plurimi certamen præclarum certantes non sine Martyrio vitam hanc liquerunt: idque dum idolorum statum studiosè oppugnant. At verò Christianorum cœtus diuinâ æmulatione ducti, Templa construxerunt, partim Christi nominis gratiâ, partim Sanctorum Martyrum causâ. Atque illi quidem historiam humanæ Christi dispensationis in ijs pinxerunt, hi verò martyrum gestis effigiandis operam collocârunt. Alij id tabellis expressere; quo martyrum memoriam in oculis perpetuò ferrent, &c. *Confitentur hi proprio testimonio, Imagines ante Constantinum M. nondum fuisse, sed earum vsum post eius tẽpora demum cœpisse, hoc est, post annum Christi 300.*

In septimo & vltimo congressu, qui fuit 3. Id. Oct. Patres promulgant decretum Synodi, idque corroborant subscriptionibus & acclamatione publicâ. Omnibus his peractis mense Nouemb. tota Synodus Nicæâ discedens Constantinopolim ingreditur: & in Magnaura præsente Imperatore & cunctis Episcopis, clero item & populo vniuerso decreta Synodi publicè proponuntur: quæ Constantinus & Irene approbant & subsignant, & Adriano Pontifici exemplum mittunt Græco sermone, quod Latinè factum in bibliothecam Romanam est reconditum: Liber pontific. Et statim sacræ Imagines Templis restituuntur, & Ecclesia in errore nonnihil coalescunt, verùm non sine contradictione plurimorum. P. Diaconus lib. 23. Rer. Rom.

Hanc Synodum pro septima vniuersali habendam Græci statuerunt, ac etiamnum hodie Pontificij contendunt. Id verò eleganter confutauit Carolus M. lib. 4. Cap. 28. vt infra Cap. 6. huius libri indicabitur.

Hîc iam diligenter considerandum, quorum auspicijs hoc Concilium, quo Pontificij non habent aliud sanctius, sit celebratum. Irenes ergò & Constantini decreto indictum est, qui Nicæam Episcopos conuocârunt, non Adrianus Papa, in quo etiam idem Pontifex Romanus non præsedit, nec se generalem aut vniuersalem Monarcham, sed Seruum seruorũ, & Imperatores Dominos *Nicæna 2. Synodus quorum auspicijs celebrata.*

*minus suos piissimos & serenissimos vocauit. Sin autem verum est, quod de Marcello, Iulio, Damaso & Gregorio referunt, statuerunt illi, irri*ta haberi debere Concilia non à Pontifice Romano conuocata. *Qualis verò Irene illa fuit? Mulier furiosa, superstitiosa, in cæde & sanguine bonorum & innocentium sese volutans: quæ filium suum Constantinum oculis, imperio, vitâ denique priuauit: quæ Astrologis nimiùm credendo, regni vires & opes exhausit: quâ regnāte Nicephorus & Alexius iniustissimè excæcantur, multis linguæ præciduntur: Sol horum scelerum spectator obtenebrescit, & ad dies septendecim radios suos, ita amittit, iuxta Eutropium, vt errarent maris naues, omnesque dicerent, Vrspergense teste, quòd propter excæcationem insontis Imperatoris hoc acciderit, quoque homines tenebris digni sint, quoniam in luce ambulare nolint. Terra, vt quæ ferre diutius non posset eiusmodi monstrum adeò vehementer concutitur, vt de ruina Constantinopoleos metus esset, & omnes ciues extra domos fugerent in hortos & agros, ibique tentoria figerent. iuxta Diaconum lib. 23. rerum Romanarum. Sed Idolatra nihil tantis permoti miraculis, in superstitione perseuerārunt. Insuper etiam soceri Constantini Copronymi cadauer exhumatum concremauit: & Orientale imperium prodidit. Cùm enim metueret tyrannidem suam non fore diuturnam, coniugium Caroli Magni ambijt, ac ideò coronam Romani imperij transtulit etiam in Carolum, sperans scilicet tyrannidem suam fore incolumē, si imperio Græcorum ad Gallos proditoriè translato, Carolum hoc insigni beneficio deuinciret. Mutius in Chron. fol 55. Qualis autem fuit filius Irene? Mali corui malum ouum, Constantinus enim parum constans adolescens qui Leonis patris & Constantini aui sui damnandis iconolatris zelum non sequutus, matris cæco, affectui obtemperat, quam post ab imperio remouet & rursus constitutionem suam de Imaginibus abrogat sicut Platina in Adriani 1. vita scriptum reliquit. Hanc fœminam, hunc puerum quis instigauit Imagines, quas Leo deleuit, restituere? Orbis totius perturbator Adrianus Papa, qui hortator & adiutor fuit conatuum perditissimæ mulieris. Alter deinde versipellis Episcopus Paulus Cyprius iam delirans, qui Leone imperante profitetur apertè,* Imagines non esse adorandas. *Irene verò suffectâ mutatur, morbo excruciatus & lecto affixus, sicut diximus, vitæ monasticæ se deuouet & addidit, vt sordes eluat, credique se non posse bonâ conscientiâ suo ministerio defungi, credit Ecclesiam totam esse excommunicatam, & nisi Irene & Constantinus vniuersale Synodo errorem illum corrigant, & Imaginibus locum & honorem suum reddant, nec ipso, nec se, nec patritios Constantinopolitanos posse salutem consequi. Quis verò ex Episcopis huic præsedit Synodo? Tarasius, qui, vt fertur, à populari conuersatione ad Episcopale culmen, à militari habitu ad religiosum, à circo ad Altaria, à forensi tumultu ad prædicationem, & ab armorum strepitu ad sancta mysteria peragenda extraordinariè, & contra sanctorum Patrum canones promotus fuerat. Vbi non abs re fueris audire à Gregorio M. quantum huiusmodi Episcopis & Doctoribus tribuendum sit. Is igitur lib. 7. ep. 114. Theodorico & Theodeberto* Francorum *regibus inter alia sic scribit:* Quidam instinctu gloriæ inanis illecti, ex laico repentè habitu Sacerdotij honorem arripiunt: & quod dicere pudet, & tacere graue est, regendi, Rectores: & qui docendi sunt, doctores nec erubescunt fieri, nec mutuunt. Ducatum animarum impudenter assumunt, quibus via omnis ignota doctoris est, & quo vel ipsa gradiantur, ignari sunt. Nam dum dux exercitus non nisi labore & solicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse debeant, qui Episcopatus culmen immaturâ cupiunt festinatione conscendere, huius saltem rei comparatione considerent, & aggredi repentè inexpertos labores timeant, ne cæca honoris ambitio & ipsis in pœna sit, & alijs pestifera erroris semina iaciant, quippe qui non dicere quod doceant. *Ita muliebris superstitio, & iuuenilis inscitia, & Pontificis audacia, vana doctrina & suasio, vilis Apostatæ febrile deliramentum, neophyti ignorantia, Imaginum vsum & cultum prudenter abolitum, inconsideratè & impiè reuocârunt. Primis siquidem his authoribus, statuæ & Imagines, quicquid sunt, meritò debent.*

Anno autem Domini 794. iuxta Religionem lib. 2. & Lupoldum apud Irenicum lib. 11. Synodus Francofurti conuocatur. Occasionem præbuit tum Felix hæreticus, tum Adrianus Pontifex Rom. qui acta Synodi Nicænæ 2. de Imaginum adoratione miserat Carolo approbanda. Conuenerunt igitur Episcopi, Sacerdotes, Abbates, & Monachi ex omnibus prouincijs Caroli, nimirum ex Gallijs, Italia & Germania. Adrianus etiam eò suos legatos misit Theophylactum & Stephanum: interest etiam huic Synodo Carolus ipse. Ac primùm tractatur de Felicis & Elipandi opinione: de quibus falsò Pontificij referunt, quòd ipsorum hæresis, de non adorandis Imaginibus in ea damnata sit, atque ita septimam Synodum vniuersalem Nicænam receptum & approbatam ibi fuisse. Damnata sanè fuit hæresis Feliciana in Synodo Francofurdiana: Verùm ea non fuit de Imaginibus, sed docuit, Christum secundum humanitatem esse adoptiuum Dei filium, *quemadmodum acta testantur. Post hæc vero offeruntur acta Synodi Nicænæ 2. quam Adrianus per suos vicarios rexerat, & postea etiam approbauerat. Patres non statim assentiuntur, sed disceptationem de ijs, vt par erat, instituunt, & sententiam illam de imaginibus adorandis examinant,*

Francofortensis Synodus contra Nicænā 2. à Carolo M. cōuocata.

Feliciana hæresis quæ.

examinant veritatemque deprehendunt ex collatione vtriusque Synodi, nimirum illius quæ sub Constantino Copronymo damnauerat & abiecerat imagines, & huius quæ sub Irene non modò habendas, honorandas, venerandas, salutandas, amplectandas, osculandas, & vestitu, suffitu, candelis, geniculationeque colendas esse adseuerârat. Igitur contra Adriani & legatorum eius sententiam decernunt, Imaginum cultum & adorationem esse impiam, Synodum porrò Nicænam secundam, quam septimam vniuersalem appellauerat Pontifex, damnant, & nec septimam, nec vniuersalem dici debere pronunciant. *Testis est eorum quæ diximus Eginardus in vita Caroli Magni apud Erphordien. capite 69. Regino libro 2. Adon Vienensis ætate sexta. Georgius Cassander in Consultatione ad Ferdinandum & Maximilianum Imperatores. Et Vrspergensis abbas in Chronicis suis hac de re ita scribit:* Anno 793. Carolo in Francofurt Pascha celebrante, Synodus Episcoporum magna est collecta ex omnibus regni prouincijs. Legati quoque Adriani Papæ in eius vice affuerunt. In hac Synodo hæresis cuiusdam episcopi Felicis nomine damnata est, qui Christi secundum hoc, quòd homo est, adoptiuum Dei filium dicebat. Synodus etiam, quæ ante paucos anno Constantinopoli (*legendum Nicææ*) congregata sub Irene & Constantino filio eius, septima & vniuersalis appellata est, vt nec septima nec Aliquid diceretur, quasi superuacua ab omnibus abdicata est. *Hæc ijsdem propemodum verbis leguntur apud Annonium libro 4. capite 85, de Francorum gestis. Et Auentinus authenticus historicus libro 4. Annalium,* Scita Græcorum, *ait*, de Imaginibus adorandis in Concilio Francofurtensi rescissa & abolita sunt. *Idem author testatur, exstare peruetustos Francorum annales, in quibus hæc legantur de Actis Francofurtensis Synodi:* Pseudosynodus Græcorum pro adorãdis Imaginibus habita, & falsò septima vocata, ab Episcopis damnatur.

Decretũ Francofurtensis Synodi cõtra Imagines.

Hoc ipsum quoque fateri cogitur Baronius in Epitome Annalium: non videtur, inquit, posse dubitari, quin in Synodo Francofurdiensi septima Synodus damnata sit: tam multi antiqui & graves id asserunt authores: Ex chronicis quidem vetustissimum hac ætate, sub Ludouico Imperat. Caroli Filio, descriptum, cuius verba descripta leguntur apud Aimoinum: alterum eodem tempore Scriptum, & à Pitheo nuper editum. Ex Ecclesiasticis tractatoribus, Ionas Aurelianensis, Walfridus, Amalarius, & alij plures.

Blondus inter adulatores Pontificios non postremus scribit: In Francofurtensi Synodo condemnatam esse Synodum de imaginibus deponendis, quàm Græci falsò appellabant Septimam. Atqui eum non latuit, Nicænam condemnatam fuisse. Blondo non dissimilis Carolus Sigonius, Felicianam tantùm hæresin condemnatam fuisse ait in Synodo illa Francofurtensi, ne verbo quidem mentionem faciens Synodi Nicænæ condemnatæ. Hinc simul intelligit Lector, quantam Italicis historijs de Religionis Negotio Scribentibus tribuendum sit.

Vrspergensis historicus refert; in hac Synodo Francofurtensi communi Episcoporum authoritate librum compositum esse contra Nicænam secundam, cui omnes subscripserint Episcopi. *Editus est etiam ante aliquot annos liber in Gallia, & postea in Germania sub Caroli Magni nomine, vel quòd illum conscribi Imperator iusserit, vel ipsemet, pro sua pietate, doctrina & diligentia eum post Synodum Francofurtensem composuerit. In eo refutat Synodum Nicænam secundam, & præsertim Statuarum adorationem damnat, prolixè & accuratè rejiciendo vestitum, suffitum, lumina, & alia ornamenta Statuarum, item geniculationem ante eas. Et inter alia dicit:* Nos denique Propheticis, Euangelicis & Apostolicis scripturis contenti & Sanctorum orthodoxorum Patrum, qui nullatenus in suis dogmatibus, ab eo qui est via, veritas & vita, deuiârunt, institutis imbuti, & sanctas & vniuersales sex Synodos, quæ pro varijs hæreseon infestationibus à sanctis & venerabilibus Patribus gestæ sunt, suscipientes; omnes nouitates vocum & stultiloquas ad inuentiones abijcimus: & non solùm non suspicimus, verum etiam tanquam purgamenta despicimus. Sicut & eam, quæ propter adorandarum imaginum impudentissimam traditionem, in Bithiniæ partibus gesta est, Synodum. Cuius scripturæ textus eloquentiâ sensûque carens ad nos vsque peruenit. *Hæc Carolus.*

Caroli M. confutatio Nicænæ 2. Synodi.

Sed quia dignum est obseruatione, quomodò & ex quibus fundamentis Germanici & Gallici Episcopi argumenta secundæ Nicænæ pseudosynodi refutârint, ex iustis & prolixis refutationibus, quæ exstant in his libris Carolinis, nos hoc loco præcipua tantùm capita refutationum annotabimus, vt ex ijs Lector facilius dijudicare possit, cuius Synodi sententia vera sit & cum verbo Dei congruat.

Primò igitur rectè dicunt, quòd illa testimonia, quæ ex Scriptura & Patribus verè & rectè citat Pseudosynodus, nihil aliud probent, quàm Imagines posse haberi, vel ad vsum historicum, vel ornatus gratiâ. Nullo verò modo inde probari, imagines esse colendas & adorandas. *Et tamen illum ipsum historicum vsum accuratis limitationibus intra certas metas circumscribunt.* Verus, *inquiunt*, decor Ecclesiæ seu Domus Domini non in materialibus imaginibus, sed in

Carolinorum librorum summa contra Imagines.

virtutibus

virtutibus spiritualibus refulget. Paulus enim, Antonius, Hilarion, & alij, Imagines non habuerũt, & tamen decorem Domus Domini dilexerunt. *Item*: imagines non volunt æquiparari libris diuinę Scripturæ. Hęc enim arcano ac præsago Dei consilio prædestinata, & ad humanæ salutis emolumentum patefacta est. Imagines verò Gentilium authorum vanitate sunt probatæ, & nullam salutis exhibitionem adducunt. Dauid enim ad agnitionem Christi, per legem, non per Imagines peruenire anhelabat, cùm aiebat, Reuela oculos meos. Item mysteria fidei non in picturis, sed in diuinis literis sunt inuestiganda. & fide potius quàm oculis intuenda. Quodque dicitur, in picturis virtutes & conuersationis Sanctorum videri, *hoc Francofurtensis Synodus negat. Dicit enim*, fidem, spem, charitatem, & reliquias virtutes esse inuisibiles. Imitationem verò à Paulo ita præscribi: Imitatores mei estote, sicut & Ego Christi. Esse igitur Apostolicam traditionem; non in picturis, sed in virtutibus Sanctorum conuersationem videri posse, & eorum imitandam esse fidem, non Imaginum fucis, sed operibus bonis. *Addunt & hoc*: vetus Testamentum plenum fuisse præfigurationibus, quæ opertæ fuerunt typicis vmbris, & significationibus futurorum: Nouum verò Testamentum habere figurarum impletionem, & veritatem spiritualem. Non itaque consequens esse: si verus Testamentum habuit figuras, arcã, Cherubim, Serpentem, &c. Ideo necesse esse, vt nouum Testamentum habeat Imagines. Imò multitudine imaginum conditionem noui Testamenti deteriorem reddi, quàm fuit veteris, vbi figuræ diuinitùs institutæ fuerunt, non sicut nunc Imagines ab hominibus excogitatæ.

Secundò ostendunt, Pseudosynodum, ad probandam Imaginum adorationem, quædam dicta Scripturæ falsò allegare, vt quòd dicunt, Iacobum adoràsse virgam seu sceptrum Iosephi. *Item*: Patres in veteri Testamento adoràsse Arcam, Cherubim, montem sanctum, *&c.* cùm textus Scripturæ hoc non dicat. Solum enim Deum adorârunt.

Tertiò demonstrant, multa peregrina Scripturæ dicta, violenter ad adorationem Imaginum detorta, quæ de picturis nihil prorsus dicant. Vt faciem tuam requirãt; Vultum tuum deprecabuntur.

Quartò indicant, multa apocrypha, supposititia & falsa, sub nomine & titulo Patrum allegari: vt Epistolam Iesu ad Abgarum, & alia multa.

Quintò ostendunt, ad adorationem Imaginum falsò detorqueri quædam Patrum dicta, quæ vel de historico Imaginum vsu, vel de politicis Imperatorum Imaginibus, vel de Christo, qui est Imago Patris, in qua ipse Pater videtur, loquuntur.

Sextò decretum faciunt his verbis: Si quis cum Pseudosynodo dicat de pictura, hoc est Christus, is proculdubio mentitur, peccat, & insaniens sceleste agit.

Septimò reijciunt & illud, quòd Pseudosynodus prætendit, per Imaginem Dei fortitudinem adorari, & dicunt: Deus non est quærendus in Imaginibus, nec adorandus in depicta tabula.

Octauò reprobant, & hoc, quòd Pseudosynodus decernit, osculationem, complexum, & adorationem idem esse, cùm adoratio longè aliquid maius sit quàm reuerentia, Imò quàm ipsa deprecatio. *Et contendunt* dictum illud Scripturę: Dominum Deum tuum adorabis, exclusiuè intelligendum cõtra Pseudosynodum.

Nonò, repudiant & illum prætextum, quo Pseudosynodus plurimùm vtitur. Honorem *scilicet* Imagini exhibitum referri ad prototypum. Quia Christus non dixit: Quæ imaginibus, sed quæ vni ex minimis meis fratribus fecistis, mihi fecistis. *Item*, non dixit, Qui imagines, sed qui vos recipit, me recipit.

Decimò, quòd Pseudosynodus adorationem Imaginum inde conatur probare, quia Abraham Filios Heth, Moses Iethronem, adoràsse scribitur; Ad hoc Francofordiana Synodus ita respondet; Aliud est hominem adorare, *hoc est*, salutationis officio & humanitatis ac reuerentiæ obsequio salutare, aliud picturam adorare. Fraternitatem enim, dilectionem & reuerentiam erga proximos exhibendam, Scripturarum docemur exemplis, Imagines verò adorare vel salutare inhibẽtur, *Exod.* 20.

Vndecimò de miraculis imaginum respondent. Ea nulla habere, vel veteris Testamenti, vel Noui testimonia, sed esse incerta, dubia & falsa.

Duodecimò, quando veteres de Cruce Domini magnifica prædicant, dicunt, significari non lignum, sed totum opus Christi in cruce peractum, deinde etiam afflictiones piorum.

Decimotertiò, quia Pseudosynodus Sacramento corporis Christi comparauerat Imagines, & earum dedicationem; Respondent Germani; Eucharistiam à Christo institutam, & per inuocationem nominis diuini confici. De Imaginibus verò, vel per impositionem manuum, vel mysterio aliquo consecrationis dedicandis, nullum traditum esse verbum.

Decimoquartò dicunt, ridiculum esse Imagini

gini oculos habenti & nihil cernenti lumen offerre.

Meminit etiam huius libri Caroli Hincmarus Remorum Archiepiscopus, qui circa Caroli Magni tempora floruit, capite decimo, contra Hincmarum Iandunensem Episcopum, & testatur quod illum adolescentulus in regio Palatio legerit*: citat etiam ad verbum integrum ferè caput vigesimum octauum, libri quarti. Facit etiam huius libri mentionem Eccius in suo Enchiridio. Sed is qui edi illum librum curauit, multis firmisque rationibus euidenter probat, non esse suppostitium aut adulterium: prout hodie à Pontificijs eius libri suppressionem cupientibus traducitur. Dicit inter alia*, etiam Romæ in Lateranensi Bibliotheca idem exemplar vetustis Longobardicis literis descriptum exstare*: id quod Augustinus Steuchus eius Bibliotheca præfectus, publico etiam scripto testatur.*

Est verò illud quoque obseruatu dignissimum, quòd Papa Adrianus Francofurtensem hanc Synodum descriptis literis ad Imperatorem Constantinop. & Tharasium Patriarcham probauit: legatos etiam suos ibi habuit, qui omnia decernere & comprobare adiuuerunt. Authoritate itaque Francofurtensis Synodi, imaginum veneratio nonnihil repressa fuit.

Adrianus in sua sententia perstat.

Sed tamen Adrianus & alij ipsum sequentes Pontifices in sua opinione perseuerârunt. Et quoniam Imagines nihilominus in Ecclesijs, approbante Carolo, retenta sunt, non quidem vt adoranda, sed tanquam ornamenta & rerum gestarum memoracula: ideò mortuo Carolo Imaginum cultum Rom. Pontifices vehementius promouerunt: adeò vt Ludouicus F. Caroli libro longè acriore insectatus sit Imaginum cultum, quàm ipse Carolus. Catalogus testium veritatis.

6. *Ludouicus Pius contra Imagines.*

7. *Constantinus Imp. sententiã suam de venerandis Imaginibus mutat.*

Constantinus verò Imperator Constantinopolitanus cùm ex actis Synodi Francofurtensis percepisset, decreta Synodi Nicana verbo Dei esse contraria, sententiam suam mutauit: & plures alij doctores sub eo, cœperunt iterum cultum Imaginum improbare. Platina & Bergomensis lib. 10. *Necem igitur Irene, mater filio intentat: & primò ipsum insidijs & proditione circumuentũ, èmperio deturbat, oculos eruit, squalentibus carceribus includit, & tandem omnibus tormentis excruciatum occidit.*

8. *Nicephorus Imaginum cultum damnat.*

Litis autem filium suum crudeliter sustulisset, eam ipsam, vt videtur, ob causam, vt imperio recepto, dissentientes quoque omnes perimere posset, tamen imperio ad Nicephorum delato, at scelestissimâ muliere in Monasterium detrusâ, imaginum ille cultum damnauit, & Nicolaum Eremitam, aliosque rectè sentientes ea de re defendit contra Patriarcham, & alios iconolatras: prohibuitque is Romano Pontifici literas Synodicas mitteret, non tantum ob Imaginum cultum sed etiam quòd indignè ferret, Romanum Pontificem imperij partem ad Calorum M. transtulisse. Paulus Diaconus lib.24. rerum Rom.

Michael patronus Imaginũ

Nicephoro in imperio successit Michael gener eius: qui in eos, qui Imaginum cultum damnabant sauire cœpit: & Nicolaum eremitam, saciumque eius, eò quòd Imaginẽ Maria ob impiam venerationem remouerant, afflixit. Nicolaum palinodiam canere iussit, & alteri id facere detractanti linguam pracidit, ex quo dolore exstinctus est. Sauitum est etiam in alios, Imaginum cultui iuxta verbum Dei, contradicentes. Zonaras tom. 3. Michael verò cùm apud Adrianopolim à Bulgaris, biennio postquam imperare cœpisset, victus fugatusque esset, ex desperatione imperio cessit, seque in monasterium abdidit.

9. *Leo Imp. primò defensus Imagines, postea vero damnat.*

Regnum inuadit Leo Armeniacus, qui initio imperij, anno nimirum D. 814. *errore de imaginum cultu fascinatus, in dissentientes austerior erat: ac iconolatra eâ occasione aduersarios suos premebant. Sed Leo à monacho quodam (Monachi enim plerique tum clamabant adorationem Imaginum esse idololatriam) veritatem edoctus ex Isaia.* (cui assimulastis Dominum? quam imaginem eius fecit faber? aut aurifex similitudinem eius parauit?) *agnouit illam idololatriam verè esse causam communium calamitatum, & Imagines aboleri edicto iussit. Hac res pijs halcyonia quadam parauit. Sed improbitas iconolatrarum, contra Imperatorem, adeò se exeruit, vt coactus sit Nicephorum Patriarcham qui in concionibus & scriptis adorationem Imaginum contra verbum Dei propugnabat, in exilium mittere, ad seditionem aucriendam. Zonar. tom.* 3. *Successit autem Theodorus qui veram doctrinam de imaginibus professus est: sub quo pij nonnulli respirarunt, ac mitigauit Deus communes miserias, fuitque à Bulgaris & Saracenis mediocris tranquillitas. Id verò Satan more suo molestè tulit: ideoque Michaelem Balbum, aliosque proceres eius, partim regnandi cupidine partim praepostero Zelo, quo Imaginum adorationem tuebantur, exstimulat & inflammat, vt per insidias bonum Imperatorem, in sacrario diuina carmina cantantem, adoriantur: manibusque & capite amputatis, reliquum cadauer in circum equestrem ignominiose trahant, filiosque eius castratos in exilium mittant. Zonaras tom.*3.

Leo nefariè ab iconolatris interficitur.

10. *Michael Balbus iconolatrarum hostis*

Michaelem Balbum, qui Leoni successerat, sperabant imaginum cultum promoturam: ideoque Nicephorus patriarcha ad eum scribit, & rogat vt eas restituat. Verùm ille respondet, se neque in religione neque in statu Ecclesia quicquam mutaturam: neque coactorum quenquam vt aliter, quàm vellet, de Deo sentiret. Cùm autem iconolatra mendacij & cadis spiritu agitati, non cessarent turbas ciere contra rectè sentientes, coactus fuit & ipse in illos animaduertere. Interque alios Euthymium Sardium Archiepiscopum, Imaginum adoratorem in exilium eiecit, & Methodium in carcerem inclusit. Zonaras tom.

tom.3. Facta sunt hæc circa annum Domini 824.

11. Michaeli successit Filius ejus Theophilus: erat is pietatis & iustitiæ acerrimus patronus, nec tantùm cultores, sed & pictores imaginum persecutus est, vt populum ab Idolomania & Imaginum cultu abduceret. Cùm auiam filias suas quinque ad Imaginum adorationem sollicitare intellexisset, non amplius ad eam permisit eas accedere. Vxorem etiam Theodoram, cùm per morionem cognouisset, Imagines clàm adorare, grauiter arguit, & Idololatram appellauit.

Theophilus imperator Imaginũ acerrimus hostis.

Exstincto Theophilo, imperium Theodora vxor eius tutorio nomine administrauit, quòd Filius Michael nondùm esset ad gubernationem idoneus. At licet Theophylus moriturus, vxorem suam Theodoram & Theoctistum grauiter obtestatus esset, ne ob imaginum restitutionem Ecclesias turbarent: tamen illæ cœperunt ea de re mouere turbas: restituerunt enim & Imagines in Templis, & eorum cultum Idololatricum, renocatis ab exilio Episcopis, quos Theophilus, quòd pertinaciter idola tuerentur, pepulerat. Ioannes itaque Patriarcha successor Antonij Cassinata, qui & ipse successerat Theodoto, ab officio suo remouetur, & Methodius homo superstitiosus, & imaginum venerator, ac patronus ei surrogatur: qui Synodo institutâ Imaginum venerationem acriter defendit atque restituit. Pij contradicentes affliguntur: inter quos præcipuus est Ioannes Patriarcha: cui Theodora jussit oculos effodi, eò quòd statuæ Mariæ oculos euulsisset: sed irâ illius mitigatâ, ducentis plagis cæsus, & in Monasterium detrusus est. Eadem pœnâ quidam Episcopus Thessalonicen. affectus est. Zonaras.

Theodora mulier superstitiosa imaginum cultum promouet.

12. Filius verò Theodoræ Michael, remotâ matre, suscipiens imperium, per Bardum suum auunculum iconolatras vicissim deijcit, & Ignatius ab officio Patriarchatus, in quo Methodio successerat, deponitur, & Photius substituitur. Zonaras de Imperatoribus Græcis.

Michael. Imp. Iconolatriã prohibet.

Dum hæc in Oriente fiunt, floret circa annum Domini 820. Carolo & Ludouico imperantibus, Claudius in Occidente, qui presbyter in palatio Caroli Magni, & postea à Ludouico Episcopus Taurinensis constitutus fuit. Is veritatem cælestem sedulò docuit & propagauit: & errores, corruptelas & superstitiones de adoratione Imaginum, intercessione & Reliquiis Sanctorum, de peregrinatione Romam versus ob pœnitentiam, de primatu Pontificis Romani fortiter oppugnauit. Inprimis autem Imagines & Cruces remouit ex Ecclesia, propter adorationis abusum. Ob quod Paschalis Pontifex & Thodomirus Abbas aliique Pontificij eum hæreseos insimulârunt. Pontificij asserebant Imaginum adorationem, eamque fucare volebant, quòd tantùm esset recordatio Christi & Apostolorum aliorumque Sanctorum, ac quòd talis cultus non esset prohibitus in verbo Dei. Claudius contrà dictum Mosis, imò Dei vrget, Non faciendam similitudinem omnium quæ in cœlo sunt, aut quæ in terra: idque non tantùm de idolis gentium, sed de omnibus creaturis dictum contendit. Deinde, cùm sancti viuentes non passi sint se adorari, colligi inde, nullo modo eos velle, vt post mortem Imagines eorum adorentur. Tertiò, cùm Imagines Deus non sint, colligit eas esse creaturas: ac postea ostendit, prohibitum esse creaturas colere. Roman. 1. Quartò, per absurdum colligit, quod si ideò adoranda sit crux, quia Christus in ea pependerit: etiam sequi aliarum rerum adorationem, vt virginum & puellarum, quia virgo Christum in vtero gestauit & peperit: præsepis pannorúmque, quia in eis jacuit: & nauium, quia in eis nauigauit: & agnorum, quia dicatur agnus, & petrarum ac leonum, quia dicatur petra & leo: & alia huiusmodi affert in epistola ad Theodomirum abbatem. Sed præstat ipsa verba Claudij inspicere: sic igitur inquit: [Nec mirum est, si de me ista dixerunt Diaboli membra, qui ipsum caput nostrum & seductorem & dæmoniacum proclamauerunt. Ego enim non Sectam doceo qui veritatem teneo, & veritatem proclamo. Sed sectas & schismata & superstitiones atque hæreses (in quantum valui) compresse, contriui, expugnaui, & expugnare, in quantum valeo, prorsus Deo auxiliante non cesso. Et quia, quod homines colebant, ego destruere solus cœpi; cum enim distinctè dicatur, non faciendam similitudinem omnium quæ in cælo sunt, aut quæ in terra: non de solis similitudinibus alienorum Deorum intelligitur, sed & de cælestibus creaturis. Dicunt isti, contra quos Ecclesiam defendenda suscepimus: Si scribas in pariete vel pingas imagines Petri & Pauli, Iouis & Saturni siue Mercurij, nec isti sunt Dij, nec illi Apostoli; nec isti, nec illi, homines. At per hoc nomen mutatur: error tamen & tunc & nunc idem ipse permanet semper. Certè si adorandi fuissent, viui potiùs, quàm vt tu posuisti adorandi esse debuerant: non effigie pecorum, vel (quòd verius est) lapidum siue lignorum, vitâ, sensu & ratione carentium. Ex qua re summopere pensandum est. Quia si opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda: quantò magis opera manuum hominum adoranda & colenda non sunt prorsus, nec in honorem eorum quorum similitudines esse dicuntur? Quia, si imago, quam adoras, Deus non est (quia non solùm, qui visibilia figmenta atque imagines colit, sed etiam quamlibet siue cælestem, siue terrenam, siue spiritualem siue corpoream creaturam, vice nominis Dei colit, & salutem animæ suæ, quæ à Deo sola est, ab illis sperat, de illis est, de quibus dicit Apostolus: Et coluerunt & seruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori) quid te ad falsas imagines humilias & inclinas? Quid ad inepta Simulachra & figmenta terrena captiuum corpus incuruas? Rectum te Deus fecit; & cùm cætera animа-

Claudius Taurinensis Episcopus contra Imagines scribit.

Argumenta Claudij Taurinensis contra Imagines

nimalia prona & ad tergam situ vergente depressa sint, tibi sublimis status & ad cælum atque ad Dominum vultus erectus est; illuc intuere: illuc oculos tuos erige. In supernis Deum quære; ut carere inferis possis; ad alta & cælestia suspensum pectus attolle. Quid te in lapsum mortis cum insensata imagine, quam colis, sternis? Quid in ruinam Diaboli per ipsam & cum ipsa cadis? Sublimitatem serua, quâ natus es: persevera talis: qualis à Deo factus es. Sed dicunt illi falsæ religionis atque superstitionis cultores: Nos ob recordationem Saluatoris nostri crucem pictam, atque in ejus honorem imaginatam, colimus, veneramur & adoramus. Quibus nihil aliud placet in Saluatore nostro, nisi quod & impiis placuit: Opprobrium passionis & irrisio mortis. Hoc & illi credunt, quod & impii homines, siue Iudæi, siue pagani, qui eum resurrexisse diffidunt: & non nouerunt de eo aliud cogitare, nisi eum totum & mortuum. & semper in passione positum in corde suo credunt & retinent: & non attendunt neque intelligunt, quod ait Apostolus: Etsi noueramus secundum carnem Christum, sed nunc jam non nouimus. Contra quos respondendum est: Quia si omne lignum schemate crucis factum, volunt adorare pro eo, quòd Christus in cruce pependit, & alia multa eis conueniunt quæ Christus egit per carnem. Vix enim sex horis in cruce pependit, & tamen novem mensibus lunaribus, super undecim diebus in utero Virginis fuit, qui simul sunt dies lunares ducenti septuaginta sex, id est, nouem menses & suprà sex dies: adorentur autem puellæ virgines, quia virgo peperit Christum: adorentur & præsepia, quia mox natus in præsepio est reclinatus: adorentur & veteres panni, quia continuò cùm natus esset, pannis veteribus involutus: adorentur, & naves; quia frequenter in navibus navigavit, & de navicula turbas docuit, & in dextra nauigii rete mittere jussit, quando prævedius illa magna captura facta est piscium: adorentur asini; quia asello insidendo ad Hierusalem usque pervenit. Adorentur Agni; quia de illo scriptum est; Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Sed isti peruersorum dogmatum cultores, agnos vivos volunt vorare & in pariete pictos adorare. Adorentur & Leones; qui de illo scriptum est; vicit Leo de tribu Iuda. Adorentur & Petræ, quia, quando de cruce est depositus, in saxeo sepulchro est positus: Et de illo dicit Apostolus, Petra autem erat Christus. Sed Christus Petra, Agnus, Leo, tropicè, non propriè est dictus: per significantiam, non per substantiam. Adorentur & spinæ ruborum, quia exinde corona tempore passionis capiti eius imposita est. Adorentur & Arundines; quia ab eis colaphis à militibus caput eius cæsum. Postremò adorentur & lancea; quia unus militum lanceâ latus ejus aperuit, unde effluxit sanguis & aqua, Sacramenta, unde formatur Ecclesia. Hactenus Claudius.] Ex qua epistola quædam excerpta. Ludouicus Imperator ad Ionam Aurelianensem Episcopum misit, ac ei præcepit, ut suam sententiam de iis exponeret. Sed ille metuit, ne posset veritatem expugnare, ideoque cunctanter rem peragit. Interea Ludouicus & Claudius moriuntur. Tum verò ille confidentissimè prodit, & ad Carolum secundum tres libros pro defensione imaginum scripsit: ac in eo reprehendit, quòd superstitiosæ ac perniciosæ imaginum adorationi, quâ plebs Taurinensis laborabat, non eo quo debebat modo restituerit, nimirum institutione & veritatis demonstratione: sed scandalosâ abolitione & exturbatione Imaginum, picturarum & crucium. Quasi verò credibile sit, Claudium non prius verbis refutâsse imaginum & statuarum adorationem, quàm eas ex Templo eiecerit. Qui plura de sententia Claudii circa Imaginum venerationem & adorationem cognoscere cupiat, legat Catalogum testium Verit. 94. Non audet etiam Ionas Imaginum adorationem apertè defendere sed expressè inquit: Creaturam adorari eique aliquid diuinæ seruitutis impendi pro nefas ducimus, hujusque sceleris patratorem detestandum & anathematizandum liberâ voce proclamamus, lib 1. Et quidem Galliam dicit Imagines habere, sed eas non adorari.

Reuertamur hinc ad res in Oriente gestas. Cùm Ignatius successor Methodii, & adorationis imaginum patronus Constantinopoli ob excommunicationem Bardæ auunculi Michaëlis Theophili F. ab officio esset depositus, & Photius substitutus, ut supra diximus, at alii aliter ea de re judicarent, Michaël Imp. petiit à Pontifice Romano, ut legatos suos ad dissidij compositionem mitteret. Pontifex ergo conuocat suos in cœtum; & re deliberatâ Rodoaldum Portuensem [?] Episcopum, & Zachariam Anagninum eligit, eisque literas & mandata tradit, ut ibi tantùm rem cognoscant, & à Photij communione abstineant, cultumque imaginum sacrarum restituant: ut patet ex epistola Nicolai Pontif. tom 2. Concil. Synodus Romana.

Romani legati cùm Constantinopolim venissent, in consessu Episcoporum & Sacerdotum tractatur de Ignatij depositione, Photij ordinatione, & cultu Imaginum: rebusque diu disceptatis, tandem legatos pontificios persuasos in suam sententiam deducunt, & cultus Imaginum approbatur quidem, sed in æde Apostolorum promulgatur, quòd Ignatius iustè amotus, & Photius justè riteque surrogatus esset. Zonaras tom.3. [?] in vita Michaëlis. Liber Pontif. Epist. Nicolai tom.2. Con. Constantinopolitana Synodus pro Imaginibus.

Pontificiis legatis reuersis, acta Synodi Constantinopolit. ab Imperatore mittuntur, & petitur approbatio per literas in quibus quædam contra principatum Romani Pontificis obiter scripta erant. Pontifex autem obnixè cauens, ne quid de sua authoritate & principatu imminuatur, Synodum Romana Synodus.

dum colligit, & suos legatos malè abitu legationis accusat, acta illa omnia, præsertim autem Ignatij depositionem & Photij ordinationem, rescindit, ac Donatum Hostiensem Episcopum, Marinum Diaconum, Stephanum Nepesinum Episcopum Constantinopolim amandat, ad eam Ecclesiam parandam, & Amathodium ac Ignatium consecrandum. Liber Pontificalis in vita Adriani II.

Synodus Constantinopolitana 8. Generalis appellata pro Imaginibus.

Cùm itaque legati Adriani Constantinopolim venissent, aduocantur Orientis Patriarchæ, Metropolitæ & Episcopi ad Synodum. Excogitauerat autem, vt in libro Pontificali indicatur, Romanus Pontifex ad suam tyrannidem stabiliendam, huiusmodi artificium. Libellum legatis suis dederat, quo omnes ad subiectionem, obedientiam, reuerentiamque Romanæ sedis obligabantur, qui vellent Synodo illi interesse. Istum libellum porrigunt singulis ad confessum accedere cupientibus. Illi qui subscribebant intromittuntur: qui verò id facere recusant, cum ignominia foris relinquuntur. Cùm hoc modo mancipia Pontificis Romani essent collecta, & optimi quique exclusi, sessionibus 10. Conciliabulum illud finitur. In decima & vltima sessione Canones 27. recitantur, quorum tertius, qui est de veneratione Imaginum, ita habet: Sacram Imaginem Domini nostri Iesu Christi & omnium Saluatoris, æquo honore cum libro sanctorum Euangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per syllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, salutem consequuntur omnes: ita per colorum imaginariam operationem & sapientes, & idiotæ cuncti, ex eo quod in promptu est, perfruuntur vtilitate. Quæ enim in syllabis sermo, hæc & scriptura quæ in coloribus prædicat & commendat. Dignum est enim vt secundum congruentiam rationis & antiquissimam traditionem propter honorem, quia ad principalia ipsa refertur, etiam deriuatiuæ imagines honorentur & adorentur: vt sanctorum Euangeliorum sacer liber, & typus pretiosæ crucis. *Caranza Dominicanus Monachus huius Synodi Canones collegit: fatetur tamen Codices ita depravatos fuisse, vt noluerit eos describere, sed in Epitomen tantùm redigere: Alioqnin acta huius Synodi in tomis Conciliorum non exstant, & Zonaras patronus adorationis Imaginum, ejus nullam prorsus facit mentionem. Quidam etiam referunt, non conuenisse in hac Synodo inter Græcos & Latinos, ideoque sine fructu discessum. Annonius verò lib. 5. c. 28. de Francis etiam narrat, in hac Synodo Græcos: in fauorem Romani Pontificis, adorationem Imaginum, & alia quædam contra antiquos canones approbâsse.*

Constantinop. 8. Synodi decretum pro Imaginibus.

Iudicium de Constantin. 8. Synodo.

Mysterium iniquitatis vincit.

Atque ita factum est, post acria certamina, Imagines tandem in omnes Orientis & Occidentis Ecclesias receptæ fuerint circa annum Domini 900. Cumque aliquandiu pro memorabilis tantùm haberentur, paulatim tamen, vt natura humana ad superstitiones procliuis est, cultus diuinus ipsis exhiberi cœpit: quod vt progressu temporis magis magisque inualuit, ita etiam numerus Imaginum indies auctus & multiplicatus est, Romæ inprimis, cui vrbi semper Idolorum cultus adeò, nescio quo fato, insitus & innatus fuit, vt vel nostro tempore Pius V. Papa, qui à Pontificiis pro Sancto colitur, Romam adhuc magis gentilizare, quàm Christianizare (verba sunt Pij) fateri coactus sæpè fuerit. Post hæc tempora etiam in Græca Ecclesia non admodum amplius publicè pugnatum fuit contra adorationem Imaginum. Imò Zonaras & Nicetas scribunt, pro hæresi suis temporibus habitum, si quis non adoraret imagines. At cùm scire rerum causas vtile sit, iccircò iam in sequentibus de ea aliquid agemus. Prius tamen silentio non prætereundum videtur, quod anno 1561. in Gallia accidit: Iussi sunt à Regina, Matre vtriusque religionis tam Pontificiæ quàm Euangelicæ Doctores in Sangermanum conuenire, de Imaginibus inter se acturi & collaturi. Sorbonici erant Mallarius Sorbonæ Decanus, Salinacus, Espensæus, Botilerius, Demochares, Vigor, Fornerius: Iesuitarum Generalis Iustinianus Franciscanus, adhibito Petro Picherello. Euangelici erant, Beza Marloratus, Petusellus, Barbastus. Aderant collationi Regina ipsa Rex & regina Nauarræ; Cardinales Ferrarien. Borbonius, Turnonius, Castilionæus. Primo die Beza ad duas horas contra Imagines disseruit: Sequentibus diebus reliquorum singuli continuata oratione vsi sunt pariter, nullâ altercatione aut reprehensione adhibita. Risum præbuêre toti cætui Demochares & Iesuitarum Generalis. Hic enim omnia ad salutem necessaria non contineri in verbo Dei scripto, duabus de causis dicebat: Primùm, quòd in nimiam molem liber excreuisset: deinde, quia alioquin nulla fuisset quidcunque postea mutandi libertas. Ille autem probaturus, Imagines fuisse in Templis Christianorum ætate Dionysij Pauli discipuli, produxit in medium vitreas fenestras, quæ erant Lutetiæ in Templis S. Stephani & Benedicti; in illis enim aiebat, depictas cerni non nullas imagines. Quod ridiculum argumentum jocosè, vtpote responsione seria indignum, eludit Beza, fragilissimum & debilissimum dictitans, ac tantum coloratum & vitreum. Vno consensu Euangelici Ministri, omnes Imagines à Templis Christianorum eliminandas probabant. Sorbonici in duas sententias scissi sunt. Monlutius, Espensæus, Betilerius, Salinacus & Picherellus, Imagines Trinitatis damnabant: Reliquas etiam à Templis amouendas, exceptâ solâ crucis figurâ, sed cultum omnem omnibus negandum. Reliqui abusus quosdam Imaginum & in earum cultu, emendandos, dicebant: Cæteroquin laudabilem & retinendam esse Imaginum vsum.

Signa & Miracula falsa ac mendacia pro confirmatione Cultus & adorationis IMAGINVM.

IMaginum adoratio & cultus confirmatus primò, & deinde propagatus est non solùm Romanorum Pontificum effreni audaciâ, quâ quiduis attentare ausi sunt & summâ authoritate, quæ paulatim ita excreuit, vt ab ea vel latum vnguem recedere, summum piaculum fuerit: sed aliis quoque modis ac rationibus, inquer quas MIRACVLA, *quæ circa imagines earumque cultum accidisse dicuntur, facilè primum locum obtinent. Quia enim abiecerunt in primordiis statim regni Antichristi veram doctrinam verbi Dei superstitiosi homines, ideò digni erant, quibus, ad confirmandas omnis generis Idolomanias ac impias opiniones, aut plurimæ fascinationes à malo spiritu obiicerentur, aut multa falsa, & inferioribus demùm seculis conficta pro veris nimiùm credulis hominibus obtruderentur.*

1. *Ejuscemodi enim miraculum est quod ex Procopio Euagrius commemorat.* Edessæ vrbis ciues in summa rerum desperatione, cùm jam jam vrbs à Chrosroe Persico rege capienda esset, Imaginem quam Christus ipse fecerit, & ad Abgarum miserit, ad fossam adduxisse, & immersam aquæ contra rogum & ligna objecisse: quo facto, mox struem lignorum in cinerem redactam, & aggerem, quem Chosroes exstruxerat, vt pedestri impressione vrbem inuaderet, combustum fuisse. *Supra autem indicauimus hanc historiam de Imagine à Christo facta, & Abgaro transmissa, non literis traditam ab Eusebio, qui Epistola Christi mentionem facit, sed eam inferioribus seculis Eusebianæ narrationi à Damasceno & Nicephoro assutam, vt non tantum cineres defunctorum, sed etiam picta Imagines maiori studio colerentur.*

2. *Paulus Diaconus libro duodecimo Roman. rerum prodigia cuncta quæ Leonis III. Imp. tempore acciderunt, Leonis impietati ascribit, quâ sacras imagines sustulerit, non iræ Dei, quam istiusmodi pœnis aduersus Idololatriam demonstrauit: è contra verò, liberationem vrbis Constantinopolitanæ sub eodem Imperatore factam intercessioni Mariæ attribuit. Qua de re etiam Vincentius libro vigesimo tertio, capite 147. ita nugatur:* Fertur, *inquit*, Saracenos hoc modo periisse apud Constantinopolim. In monasterio sanctæ Dei genitricis juxta palatium, propè S. Sophiam, erat imago B. Mariæ, quæ tenebat infantem in brachio, quam depinxit in tabella S. Lucas, cùm adhuc viueret S. Maria. Hæc Imago vocatur Odigitria, id est, Deductrix: quia duobus cæcis apparuit S. Maria, & deduxit eos ad suam Ecclesiam, eosque illuminauit. Cum ista imagine faciunt processionem omni die Martis, per totam ciuitatem. Cùm ergo obsessa esset ciuitas, & ciues jejunarent & orarent, simulque pugnarent: quidam ciuis admonuit, afferri illam Imaginem, & ab omnibus orationem ad illam fieri hoc modo: Sancta Dei genitrix, quæ toties nos liberâsti, libera nos modo de inimicis filij tui: & si vis vt Imaginem tuam non mergamus in mari, merge illos. Et cùm hæc dixisset, ille secretè Imaginem tenuit sub vndas, & statim procella surrexit, & omnes naues Saracenorum aut mersit, aut fregit. *Hanc fabulam finxit Vincentius, qui claruit circa annos Christi* 1240. *inde quòd P. Diaconus, qui post Leonis Isauri tempora annis circiter* 50. *floruit, scriptum reliquit,* Constantinopolim B. Mariæ liberatam intercessione.

In hunc finem etiam Pontificiorum nonnulli commemorant illud, quod anno 24. *Constantini Copronymi acciderit in Berytto vbi Imago Christi à Iudæis contumeliosè tractata, aperto latere sanguinem & aquam effuderit. Sed quid de hac fabula sentiendum supra monuimus.* 3.

P. Diaconus lib. 21. *rerum Rom.* Constantinus quidam, *inquit*, Strator Artabasdi videns Imaginē Dei Genitricis stantem, apprehensum lapidem aduersus eam projecit & contriuit, & cùm cecidisset, calcauit. Et vidit in somnis astantem sibi Dominam nostram & dicentem, Nosti quàm fortem causam in me operatus fueris? verùm contra caput tuum hoc fecisti. *Posteà verò dum Saraceni aduersus murum congressionem facerent, & ageretur bellum, currens ad murum vt fortis miles infelix ille, eijcitur à lapide transmisso ex Mangone, & contritum est caput ejus & facies.* 4.

In Nicæna 2. *Synodo ad comprobandam Imaginum adorationem inter alia ad Miracula etiam confugiunt, quæ per Imagines edita fingunt, quo nouum dogma plus authoritatis ac roboris habeat. Nam Actione* 4. *Constantinus Cypri Episcopus narrat*, armentarium quendam, qui Imagini Mariæ stimulo dextrum oculum euulserat; postea in agrum egressum, cùm percuteret pecus sibiipsi oculum elisisse. 5.

Et alium quendam, eò quòd per caput imaginis ejusdem in pariete depictæ clauum infixisset, ingenti dolore capitis affectum fuisse: quo non prius liberari potuerit, quàm clauum extraxisset, *ibidem nugatur Episcopus idem.* 6.

Agarenum etiam Conto oculum statuæ Mariæ in Gabala ciuitate Syriæ euellere conantem, sibi oculum effodisse, & ardenti febre correptum esse, *ibidem asseritur.* 7.

Indicant etiam, quòd Sanctus Anastasius apparuerit mulieri paralyticæ, & dixerit: descende ad Tetraphylum, sanctiq; Anastasij intercessionem apud Deum posce: quæ ad Templum illud delata, cum sancti imaginem conspiraretur, dixit: Hic est, 8.

qui in somnis mihi apparuit. Et in terram se prosternens, & Martyrem flebili oratione placans, sana surrexit.
9. *Et alius quidam addit*, muliercusam obsessam, Romæ ad Imaginem Anastasij sanatam.
10. *Ex Sophronio tale miraculum in eadem Synodo citant*: Ingressi Templum, vidimus picturam, repræsentantem in medio Imaginem Christi. Mariam à sinistris, à dextris autem Baptistam. Præterea cœtus Sanctorum, qui ante Imaginem procidebant & intercedebant. Christus verò commiseratus annuit, & ante Imaginem inquit: illi date. Et sancti ad me aiunt: Ecce gratiam Deus tibi dicit. *Ac alius quidam Episcopus subijcit*: hæc imago adhuc hodiè Alexandriæ existit, & omnes morbos sanat.
11. *Alius quidam vxori ægrotanti dixit*: si domi essem, possem cerea Sanctorum meorum Cosmæ & Damiani imagine omnes dolores tuos auferre. In somnis Sancti illi apparuerunt mulierculæ, quæ expergefacta rogauit virum de forma illorum Sanctorum. Vir verò recordatus, quòd soleret peregrè Imaginem illam secum ferre, ostendit eam vxori, quæ cùm vidisset, adorauit, &
12. sanata est. *Manzon quidam dicit*: Ego in morbo jussi, vt inferrent ad me Christi Imaginem, quam cùm vidissem, dixissemque Domine, qui das Sanctis gratiam respice me, imposui eam loco dolenti, & morbus re-
13. pulsus est. *Item* muliercula ægrotans, cùm præ torminibus ingredi non posset, repsit ad illum locum, vbi in parietibus effigies Cosmæ & Damiani depictæ erant. Et quia fide pro scipione vtebatur, confestim sanitati re-
14. stituta est. *Aliud ibi recitatur*, quòd dæmon dixerit ad quendam Monachum, se eum missum facturum, si non amplius adoret Imaginem Mariæ. *Vnde colligunt cæci homines, cultum Imaginis Mariæ prodesse contra Satanam. O insignem consequentiam. Aliaq; multa in hanc sententiam ibi commemorantur*, quomodo pictæ Imagines inuocantibus se distillârint guttas roris & vnguentorum, quibus morbi sanati, & quomodo Imagines læsæ, vltæ fuerint contemptores suos.
15. *Actione* 5. Muliercula quædam *dicitur* fodiens puteum, cùm aquam non inueniret, vidisse in somnis quendam ad se dicentem: Mitte vt Simulachrum Abbæ Theodosij afferatur, & Deus tibi dabit aquam. Cumque Imago esset allata, demiserunt eam in puteum, & confestim aqua scatu-
16. rijt. *Rursus*, Abbas quidam habebat in spelunca Imaginem Mariæ, habentem in vlnis Christum. Quando verò abiturus erat ad loca sancta, candelam parabat, eamque pro more suo accendebat. Cùm verò accinctus ad iter preces funderet, dicebat ad Dominam, totus in Imaginem ejus intentus: Sancta Domina Deipara, quia longum mihi restat iter, candelam tuam cura, eamque inextinctam serua: nam ego tuo fretus præsidio longum iter ingredior. Et hæc cùm ad Imaginem dixisset, abjit. Reuersus autem post menses quinque aut sex, candelam tamen semper ardentem, nec vnquam exstinctam inuenit.

Marcum *præterea quendam fabulantur* crucem argenteam fabricâsse, eumque illam erigeret, tres in illa Imagine per se enatas apparuisse, & Hebraicè scriptum fuisse in superiore parte Emanuel: vtrinq; verò in summitate alarum, Michael & Gabriel. Ac Ducem quendem visis illis Imaginibus, cùm virtutem quandam in his esse cognosceret, protinus crucem adorâsse. 17.

Zonaras in vita Michaëlis Balbi refert, vnũ ex filijs Leonis Armenij Imp. qui Sabbatius Constantinus dicebatur, cùm vocem amisisset, Deum feruentissimis precibus orâsse, & magni patris Gregorij Theologi statuã continenter accessisse, vt sibi loquendi facultas restitueretur: Sanctum autem aliquando in somnis ei astitisse, jussisse vt surgeret, ac illud (*Iesus meus*) iterum legeret: eo igitur viso, fretum Ecclesiam ingressum esse, & citra vllum impedimentum vocis legisse. 18.

Huc etiam pertinet fabula quæ in vita Damasceni exstat fuisse *scilicet* Damasceno, eò quòd adorationem Imaginum defenderet, dextrá manum, procurante Leone, abscisá. Ipsum verò ad virginis Deiparæ quandam Imaginem confugisse: ab illa cujus causâ in tantam calamitatem esset conjectus, opem atque auxilium maximis precibus contendisse, & vt stupendo aliquo miraculo declararet, causam quam defenderet piam & justam esse petijsse. Et ecce in somno manus ipsi subitò restituta est, & in somnis cœlitùs sibi admoneri visus est, ne à defensione adorationis Imaginum desisteret. 19.

Vrspergensis in Chron. & Annonius lib. 4. *cap.* 110. *de Francis indicant*, in vico Grabadona, ad ciuitatem Cumetensem Italiæ, in Ecclesia Ioannis Baptistæ, Imaginem Mariæ gestantis Iesum depictam in absìde, & ob vetustatem obscuratam, per triduum magno splendore effulsisse. *Et Luithprandus lib.* 1. *c.* 8. *de rebus Europæ nugatur*, sacras Imagines salutâsse Formosum Pontificem Romanum ad Petri Ecclesiam deportatum. 20 21.

Robertus Gaguinus libro sexto, de Francis, Dum, *ait*, de pace inter Henricum Anglorum & Philippum Francorum Reges agitur, quidã introducti à Ricardo Henrici Anglorũ regis filio satellites, quos illa ætas Cotorellos appellauit, dum aleâ ludunt, quidam perditis nummis blasphemus in Deum, dum Simu- 22.

Simulachtum virginis filium dextrâ gestantis in Templi vestibulo aspicit, jacto in Imaginem lapide brachij partem à filio abrupit: ex quo profluens cruor, multis ægrotantibus remedium præstitit. Satelles autem virginis contemptor à dæmonio mox abreptus, eodem die spiritum miserabiliter efflauit.

Mercator quidam Scheidamum attulerat Imaginem B. Virginis Mariæ, venditurus in nundinis Antuerpienfibus. Naui igitur etiam imponit, nautę se ad soluendam nauim comparant: sed eam nullâ vi aut ratione mouere possunt. Aduolant multi ad nouę rei spectaculum. Stupent omnes, tandem suspicantur id fieri propter Imaginem matris Dei, orant mercatorem, vt propter miraculum justo accepto pretio à fabricæ præfectis, Imaginem illic relinquat: quo facto soluta est nauis: *Surius tom. 2. de vitis Sanctorum. Idem refert tom. 5.* Heduuigæ Ducissę Poloniæ, Imaginem Crucifixi, coram qua orabat, à Cruce retractâ manu & brachio dextero, benedixisse, vocéque clarâ dixisse ei: Exaudita est oratio tua: impetrabis ea quæ petiisti.

Aliaque hujus generis multa miracula invenire licet in Pontificiorum scriptis, in quibus de Imaginibus fingunt, quòd sudârint, lachrymârint: riserint, ab vno loco in alium migrârint, locutæ sint, & similia fecerint, quæcunque nimirum eorum custos seu æditimus, & sacerdos vel Monachus quispiam versutus ac fraudulentus voluisset. Et conscripsit annis abhinc 178. Ioannes Herold *Dominicanus Monachus librum, cui titulum fecit*, Sermones Discipuli de Tempore & Sanctis, *ac in lucem prodiit anno Christi* 1510. *in quem tot ridicula, vana, falsa & ficta miracula ab Imaginibus Sanctorum, & præsertim Mariæ virginis edita congessit, vt ijs hic annotandis bonas chartas commaculare pigeat.*

De Miraculis Imaginũ quid sentiendum. *His autem & similibus miraculis putant se egregiè euincere posse Imagines esse competendas, salutandas, osculandas colendas, adorandas & in summa veneratione habendas. Nec aduertunt se ea omnia, partim ex Martyrologijs & Vitis Patrum, quæ ab ipso Gelasio Pontifice Rom. dist. 15. apocrypha pronunciantur, partim ex alijs suspectis, authoribus citare, quibus ne ipsi quidem fidem in omnibus habeant: Deinde cùm dogma de adoratione Imaginum nouum sit sine authoritate scripturæ, & absque veris primitiuæ Ecclesiæ testimonijs superstitiosè inuectum: scriptura disertè monet, ne ad suscipiendum nouum dogma, vel signis vel prodigijs nos promoveri patiamur, quia hoc prætextu soleat Satan mendacia & falsa sua dogmata spargere ac disseminare. Deut. 13. Matt. 24. 2. Thess. 2. Et veritatem Deus non vult à mortuorum spectris, nedum à lapideis aut ligneis atque adeò mutis Imaginibus, sed ex Lege & Evangelio inquiri, Esa. capite 8. Luca capite 16.*

De Imaginum miraculis Caroli M. judicium. *Carolus Magnus cùm ad ea, quæ in Nicena 2. Synodo de miraculis apud vel per Imagines editis fuerunt proposita, responderet in libro à se contra Synodum illam edito, primò* negat ex vllo probato authore demonstrari posse, Miracula aliqua per Imagines Christianorum edita vnquam fuisse: vel si maximè posfit, dubitandum, ne per Angelos tenebrarum aut eorum seruos seu ministros facta sint. *Nam & vsu compertum est; & exemplis testimoniisque probari potest, à demonibus plurima Miracula fieri, similia Miraculis quæ fiunt per sanctos servos Dei. De iis verò D. Augustinus ait:* Non oportet moueri, cùm magicis artibus Miracula fiunt plerunque similia Miraculis quæ fiunt per sanctos seruos Dei, sicut scriptum est in Exod. quòd Magi Pharaonis fecerunt nonnulla similiter sicut fecit Moses. Non ergo hæc oportet mirari, quia omnia quę visibiliter fiunt, etiam per inferiores potestates aëris hujus non absurdè fieri posse creduntur. *Et Gregorius Magnus, Miraculorum alioquin eximius tum admirator tum præditor,* Nolite, *inquit*, fratres mei amare signa, quæ possunt etiam reprobis haberi cõmunia. Aut si nec Diaboli, sed Dei operatione facta sint Miracula, non tamen sequi *docet Carolus*, vt ea omnia, in quibus vel per quæ facta sunt propterea adorari debeant. Vel quia Dominus de rubo in igne Mosi locutus est, ideò rubi adorandi sunt? non enim ideò in rubo apparuit, vt rubi materiam adorandam censeret, sed vt per ejus spinas peccata, pro quibus lex venerat, demonstraret. Aut quia in igne Dominus apparuit, ideò ignem adorandum decreuit? Vel quia in monte dignatus est apparere, montẽ adorationem creditur statuisse? Nunquid quia virga Mosis in serpentem conuersa, eademque maris rubri aquas diuisisse legitur, ideò virgę adorandæ sunt? Aut quia aquę amarę ligno dulces redditæ sunt, icirco ligna adoranda erunt? vel quia ænei Serpentis inspectio populũ à serpentum morsibus liberauit, propterea aut æs aut serpentes adorandi creduntur? Et quia percussa silex exustis in aruis laticum fluenta produxit, & sitientem populum sitis ariditate liberauit, quæq; Christi figuram gessit, sicut etiam virga Aaron, quâ B. Virginis partus innuitur, floruit & fructus protulit, ideò virgæ adorandę sunt? Numquid quia Samson mandibula asini mille viros peregit, ejusdemque mandibulæ molare euulso aquarum fluentis satiatus est, typum gerens nostri Mediatoris, qui morte suâ aërias potestates deuicit, & spiritualibus fluentis fidelium, qui vtiq; mẽbra ejus sunt, arentia corda irriga-

irrigauit, idcirco mandibulæ asinorum, aut molares adorandi erunt? Aut quia Helias pallio suo, dominicæ incarnationis figura, Iordanem diuisisse legitur, ideò pallia adoranda creduntur? Vel quia Neaman Syrus in flumineo lauacro lepræ contagio ablutus est, per quem Gentilitas Christi baptismate ab Idolorum contagione abluta figurata est, propterea flumina adoranda erunt? Aut quia fimbria Dominicæ vestis, cujus attactu fœmina sanitatem recepit, ideò fimbriæ adorandæ sunt? Vel quia Petri vmbra infirmi sanati sunt, idcirco vmbræ adorandæ nobis? Non igitur, vt diximus, omnes res per quas vel in quibus Miracula quædam Dei ordinatione edita sunt, adorari debent. Quod si hæres in quibus Miracula apparuêre adorandæ non sunt, multò minus Imagines adorandæ creduntur, in quibus vel per quas quædam Miracula apparuisse, nullâ authenticâ lectione monstratur. *Hucusque Carolus Magnus.*

Denique si absque Scriptura, & contra Scripturam ex solis Miraculis ac prodigijs de cultu & Adoratione Imaginum statuendum esset, jamdudum vicisset Ethnica Religio. in qua apud Imagines præsertim, similia: aut longè majora etiam miracula acciderunt, sicut Ethnici authores ea magno numero proferunt: ex quibus aliqua salutem hic commemorare libet. Narrat Lucianus in Philopseudo miraculum, quòd dicit fuisse celeberrimum, statuæ Memnonis, in Templo Serapidis, Ægyptijs Thebis: ea sponte sua mane cum radijs solis tangeretur suauem emittebat sonum & nescio quib lachrymabile sub ejusdem occasum, cùm matris aduentu lætari, tristari discessu putaretur, *vt testatus est etiam Cornelius Tacitus, Strabo libro 17. Natalis Comes Mythol. lib. 6. capite 3. Hanc statuam reddere etiam responsa consueuisse antiqui dixerunt. Palladium, seu Palladis Simulachrum antiquissimum fuit in arce Troiana, quod eo tempore quo arx Templumque Mineruæ ædificabatur, de cælo cecidisse creditū fuit, & in eo Templo nondum tecto sibi locum delegisse. Quæ res cùm omnibus maximo esset Miraculo, ab Apolline responsum est, tamdiu vrbem incolumen fore, quandiu Simulachrum illud intra mœnia seruaretur. Itaque tempore belli illius, quod communibus viribus Græcia tota aduersus Troianos gessit, cùm alia spes capiundæ vrbis non esset, nisi prius sublato Palladio, datum negotium est Vlyssi & Diomedi, vt per cloacas in vrbē ascenderent, fataleque Mineruæ Simulachrū aufferrent. Quo facto, vrbē tutelari nomine Palladis spoliatā, infirmam, captuq; non admodum difficilem reddiderunt. Suidas, & Augustinus lib. 1. c. 2. de Ciuit. Dei. Herculis quoque Simulachrum suâ sponte rate delatum ferunt ad Promontorium quoddam, inter Chios & Erethrios, & vtriq; ad se illud trahere certabant, sed frustrà tentatum: nam dimoueri inde non poterat, donec Phormio senex piscator cacus factus est morbo: qui nocturno visi monitus, jussit mulieres comas incidere, & exinde funem conficere, sic enim fore vt nauis sequeretur: nobiles mulieres id facere abnuerunt: Thressæ quædam libertæ paruerunt, & ex capillis contortâ reste, nauis ad Erethriēsium vsque vrbem secuta est, & visus etiam Phormioni restitutus. Quare deinceps Simulachrum hoc summâ veneratione totius Græciæ & Ioniæ cultum est: eiq; Templum, quod solis Thressis ingredi fas fuit, conditum est, & consecratum. Athenienses cùm ad statuas oleaginas Damiæ & Auxesiæ repetendas triremem in Æginam misissent, conati sunt circumdatis funibus statuas in nauim vi pertrahere: sed dum trahunt, statuæ in genua procubuêre, & ex eo tempore eo gestu semper permanserunt: interea cùm tonitru terræmotus exstitit, & remiges in amentiam versi, mutuis cecidère vulneribus, vno duntaxat cladis nuncio relicto, qui ad Phalerum se recepit: Herodoto auctore lib. 5. Eurypilus etiam ob arcam, in qua Liberi patris Simulachrum inerat, temerè apertam, mente captus dicitur. Artabazus Persa æstuatione maris magnam copiarum partem amisisse ab Herodoto lib. 8. memoratur, quòd in Templum Neptuni ingressus, ejus Simulachrum, quod est in suburbanis Potideæ, contumelia affecisset. Q. Cælius Metellus Pontifex Max. Romanorum Palladium ex Vestæ Templo incenso eripiens, statim oculis captus est: sed placatâ mox Deâ, visum recepit, vt refert Aristides Milesius de rebus in Italia gestis, & Plutarchus in Parall. itemque Plinius lib. 7. capite 43. Iapygum Duces Imagines Deorum diripientes è Templis, cùm dicerent potentioribus eas cedere oportere, eā propter de cælo igni & telis percussi dicuntur: apparebant enim procul tela, quæ de cælo mittebantur. Atque omnes eorum posteri in hodiernum vsque diem ad cutem detonsi, stolamque lugubrem gestantes viuunt, omnibus qui vnquam fuerunt viris bonis rariores: Athen. lib. 12. c. 7. Valerius Max. lib. 1. c. 2. refert,* quòd in direptione Carthaginis, quidam Templum Apollinis ingressus, ejus Simulachrum veste aureâ indutum spoliare tentârit: sed eâ re indignatum Apollinem id egisse, vt sacrilegæ manus inter fragmenta vestis & fimbrias à corpore abscissæ repertæ fuerint. *Idem auctor lib. 1. c. 102.* Capitis, *inquit*, à Furio Camillo Veijs, milites jussu Imperatoris Simulachrum Iunonis Monetæ, quod ibi præcipuâ Religione cultum erat, in vrbem translaturi sede suâ mouere conabantur: quorum ab vno per jocum interrogata Dea, An Romam migrare vellet, velle se respondit. Hâc voce auditâ, lusus in admirationem versus est. Iamque non Simulachrum, sed ipsam cœlo Iunonem petitam portare se credentes læti in Auentino collocârunt. *Fortunæ etiam mulieris*

Miracula apud Imagines Ethnicorum edita.

literis simulachrum non semel, sed bis loquutum idem author est eodem libro cap. 103. vbi Iodocus Badius Ascensius rectè annotat, mutorum non esse loquelam: quòd si igitur simulachra hæc loquuta sint, dæmonum fraude id factum, qui in simulachris Gentium subinde loquuti fuerint. *Sed quid vetat, quo minus idem de Christianorum etiam Imaginibus & Statuis dicamus? Refert idem cap. 106.* Penates Deos Æneam Troiâ aduectos Lauinii collocâsse: inde ab Ascanio filio ejus Albam, quam ipse condiderat translatos, pristinum Sacrarium repetiisse: & quia id humanâ manu factum existimari poterat, relatos Albam voluntatem suam altero transitu significâsse. *Quibus hæc addit Valerius*: Nec me præterit de motu & voce Deorum immortalium humanis oculis auribusque percepto, quàm ancipiti opinione existimatio versetur: sed quia non noua dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem authores vendicent, & nostrum sit inclytis literarum monumentis consecrata perinde ac vana non refugisse. *Videtur hic Valerius homo Ethnicus dubitare veráne sint an non quæ de penatibus Troianorum & simulachris Gentilium authores referunt: & nostros, hoc est, Christianos non modò non pudet, de similibus prodigiis ac Miraculis apud Imagines editis nihil dubitare, sed etiam ex iis de doctrina veritate judicare non erubescunt. Testatur idem capite* 110. quòd de eo Sacrario Saliorum, nihil in eo præter lituum Romuli integrum repertum sit: Et quòd Seruii Tullii statua, cùm ædes Fortunæ conflagrâsset, inuiolata permanserit: *Item*, quòd Quintæ Claudiæ statua in vestibulo Templi Martis Deûm posita bis ea ædе incendio consumpta, priùs P. Nasica Scipione & L. Bestia: item M. Seruilio & L. Lamia Consulibus, in sua basi flammis intacta steterit.

I doci studii de simulachris mutis vera sententia.

Valerii Max. sententia.

Refert etiam Valer. Max. In æde Fortunæ virilis fuisse Statuam ligneam Servii Tullii, auro superfusam, quæ otto incendio, cęteris concrematis, sola incorrupta permanserit.

Eusebius quoque lib. 9. cap. 3. testatur, quòd statua Iouis hæc verba clarè proloquuta sit: Christiani omnes procul ablegentur. *Zonaras etiam Annal. lib. 3. recitat*, sub Anastasio simulachrum æneum Fortunæ vrbanæ muliebri specie, quod alterum pedem in naui ante se posita, ænea & ipsa, haberet, alicubi in vrbe stetisse, cujus nauis vel vetustate corruptæ, vel per insidias contusæ fragmenta quædam ablata fuerint. Ex eo naues onerarias Byzantium non amplius appulisse: sed cùm prope accessissent, violentia ventorum repulsas esse: ac nisi longæ naues multis concitatæ remigibus, sarcinas earum in vrbem peruexissent, populum fortasse fame periturum fuisse. Quæ res cùm ad tempus durâsset, curæ fuit Magistratibus causâque mali à quodam soletti conjecturâ indagatâ, fragmentis nauis illius æneę studiosè conquisitis, & in suum locum restitutis, expeditam nauigationem, & mare nauigiis repletum fuisse.

Hæc si diligenter conferantur, mox apparebit signa vel Miracula apud Statuas Ethnicorum edita maiora esse, quàm quæ Christiani vnquam proferre possint. Si finem vtrobique spectes, propterea facta sunt, vt errores & superstitiones confirment, & incautos à Deo ejusque filio, qui veritas & vita est, abducant. Proinde etiam vnum eundemque authorem habent Satanam, qui patet superstitionum atque mendaciorum à Seruatore nominatur. Testē habeo Lactantium qui lib. 2. de Origine erroris ca. 17. ait, vagos & incestos spiritus, exstructis simulachris frequenter sese insinuâsse, & quorum illa nomina erant, quasi personas aliquas sibi induisse, veritatemque mentitis nominibus inuolutam ex oculis hominum abstulisse, ne Deum neo Dominum suum cognoscerent. Omnibus Sacrificiis præsentes se occultâsse in Templis, & Prodigia seu Miracula frequenter edidisse, quibus obstupefacti homines fidem commendarent diuinitatis atque numinis.

Permisit autem ista non tantum apud Ethnicos, sed etiam apud Christianos fieri Deus, multas ob causas. Primò, *vt suorum fidem tentet atque probet, de quo Moses scribit Deut. 13. ad hunc modum*: Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium somniet, dederitque tibi signum aut portentum, quod prædixit tibi, atque dicat tibi: Eamus post Deos alienos, quos non nouisti, ac seruiemus eis: Non audies verba Prophetæ illius, aut eius qui somnium ejusmodi somniauerit, quia tentat vos Dominus Deus vester, num sitis amantes Domini Dei vestri in toto corde vestro, & in tota anima vestra. Deinde *propter reprobos ista fieri sinit Deus, vt efficaci illusione decipiantur, qui veritatis doctrinam amplecti nolunt. Vnde & Gabriel Biel in Canon. lect. 49.* concedit *quidem* apud Imagines interdum Miracula fieri, sed operatione Dæmonum, ad fallendum inordinatos cultores, Deo permittente, & exigentе talium infidelitate. *Ea re nequaquam in Miraculis obstupescere debent homines Christiani: vt propter ea doctrinam nouam & Euangelij veritati contradicentem admittant, sed potius ad verbi Dei canonem Miracula illa examinent, veráne an falsa sint. Nam etsi reuerà fiant, quoad opus externum, falsa tamen & mendacia sunt, cùm in finem malum fiant. Itaque verbo Dei ita nos assuescere oportet, vt ne Angelo quidem è cœlis*

Cur Deus permittat apud Imagines Ethnicorum & Christianorum Miracula fieri.

lis delapso credamus, qui prædicârit præter id, quod olim Apostoli tradiderunt: nedum vt propter signum fallax & incertum de vera fide in Christum dubitemus.

IMAGINVM Cultus & Adoratio promota etiam à Monachis.

P*Romouerunt etiam Cultum & Adorationem Imaginum ac picturarum in Templis mirandum in modum Mendicantes Monachi, qui circa annos Christi* 120. *exorti sunt, inertes, audaces, ceruicosi, peruersè religiosi, & ad superstitionem plantandam mirificè idonei. Hi simplicitate & stultitiâ vulgi abutentes ad suum quæstum, Picturis, Imaginibus, Statuis, Sculptilibus, Ornamentísque, quibus mundus delectatur, validè ipsum induxerunt in errorem, & vanißimis nugis in eodem retinuerunt. Plurimi enim ex illorum turba vastißimos libros scripserunt, quibus vix orbis totius plaustra vehendis sufficerent, de Diuis vel Sanctis, de Imaginibus, de Cultu & Veneratione Diuorum, Reliquiarumque, de vitis & miraculis Sanctorum, digni mehercle libri qui simul omnes in imum barathrum proÿciantur. Sed illis fidem habuit simplicitas, vtinam in tanta luce Euangelÿ non amplius haberet.*

Rationes quibus *Adoratio* IMAGINVM à Pontificiis, partim defenditur, partim excusatur: Earúmq; confutatio.

S*Vprà indicaui, cùm Imagines semel in Templis fuissent collocatæ, & ex ciuili earum vsu Ecclesiasticus & Sacer factus esset, quâ viâ paulatim ad illarum adorationem peruentum fuerit. Ea verò in Nicæno* 2. *Concilio publicè primò fuit defensa & confirmata, adeóque Idololatria tum demùm quoque primò in Christi Ecclesia fuit approbata & recepta, quæ progressu temporis magis magísque inualuit. Obseruatione autem dignum est quibus argumentis & rationibus Idololatriæ crimen à se depellere frustrà conentur. Magnam in adorandi ratione differentiam fingunt, & imagines suas se non adorare vt Deos clamant, sed potius eam adorationem quæ soli Deo debetur, expreßè negare se sacris Imaginibus dicunt: tribuere autem illis genus quoddam inferius reuerentiæ atque adorationis, quod nihil aliud sit quàm recognitio virtutis aut excellentiæ alicuius, externo signo, veluti religiosè osculando, corpus inclinando, genu flectendo aliísque eiusmodi testata, sic enim Hardingus contra Iuellum Episcopum Sarisburiensem scribit: & hoc quidem* δυλίας, *illud verò* λατρείας *fuco defendere nituntur. Hanc distinctionem D. Augustinus primus confinxit, nec enim ante illũ apud vllos Patres legitur: non quòd eâ Imaginum Cultum & Adorationem palliare voluerit, vt hodiè à Pontificiis fieri solet, sed in genere tantum inter Cultus religiosos hac ratione distinxit, & eum qui debetur vni Deo,* λατρείαν *vocauit:* δυλίαν *verò nominauit eum, quem etiam creaturis impendere licet. In Epistola* 40. *ad Deogratias, & contra Faustum lib.* 20. *cap.* 21. λατρείαν *vocat* eam seruitutem, quæ Deitati solum exhibetur, *ibique addit*, vno vocabulo à Latinis enunciari non posse: *de Ciuitate quoque Dei lib.* 20. *cap.* 1. *de his rebus multa præscripsit. Quibus Pontificÿ recentiores tertium addiderunt,* ὑπερδυλίαν *scilicet, quam excellentißimis creaturis, Mariæ inquam, & humanæ Christi naturæ attribui volunt.*

Primum argumẽtum à differẽtia Duliæ & Latriæ sumptũ.

Augustinus author differentiæ

Duliæ & Latriæ.

Latria quid Augustino.

Hyperduliæ quid.

Hîc non alienum ab instituto nostro fore arbitror, si probauerim, hanc distinctionem non esse veram, Grammaticam & Theologicam, sed vanam, & ex inscitia linguarum natam, eaque nihil nisi superstitiones & idolomanias sine causa, sine ratione, sine judicio, sine authoritate defendi. Faciam hoc autem non meis, sed doctißimi viri verbis Laurentii Humfredi *S. Theologiæ apud Oxonienses in Anglia professoris Regÿ. Is igitur in libello de Iuelli Episcopi vita fol.* 156. *Dum nos, inquit, velut seruos & mancipia in Sanctorum obsequium addici volunt vt Sanctis* δυλίαν *exhibeamus, quid aliud à nobis quàm grauißimam seruitutem, humillimam subiectionem erga homines exigunt? Nam* δυλία *Græcè acerba & dura est seruitus, vt* Abodah *apud Hebræos, apud quos inter* Shereth & Abad, *id est, inter ministrare & seruire, hæc est differentia, quòd illud prius Ministerium sit liberorum, seruorum posterius. Genes.* 9. Cham erit servus servorum fratribus suis: *qui titulus hodiè non seruilis est sed papalis, & hæc Domini maledictio à Papa in opimam benedictionem versa est. Exod.* 2. gemuisse Israëlitas *legimus*, ac propter seruitutem suspirâsse, *Esaias* 14. *vaticinatur* populum ab onere, tributo, dolore & seruitute dura immunitatem & requiem consequuturum: *quæ grauißima Seruitus à Septuaginta* δυλία *conuertitur. Augustinus de Ciuit. Dei lib.* 10. δυλίαν *notat esse*, quâ quis suis juris non est, sed planè seruit alteri. *Hesychius admonet*, Pholoxenum Musicum propterea Dulona cognominatum, & Ciuitatem quandam Dulon, valdè *scilicet* oneribus seruilibus oppressam, & diem captiuitatis appellare apud Poetas Dulion. *Græci quoque inter* λατρείαν & δυλίαν *hoc solum discrimen statuunt*, quòd alterum sit propter mercedem operam locare, alterum planè seruiliter & gratis sine pretio aut pręmio vllo seruire. *Eustathius in suis Parabolicis in Homeri Iliada refert,* λάτρον mercedem vocari apud veteres: *Vnde latrones antiquitùs, mercenarÿ milites dicebantur, quos nescio quàm rectè, ali-*

Differentia Duliæ & Latriæ ex inscitia linguarum.

qui sic dictos putârunt, quasi Laterones, *vt qui Regum ac Principum latera stiparent: & λάτρω apud Aristophanum famulum, λάτρειν verò ancillam significat. Suidas λατρείαν definit,* esse δουλείαν & seruitutem propter mercedem *: atque hoc sensu sacræ literæ λατρεύειν interpretantur etiam. Vbi enim præcipitur,* Ne seruile opus die Sabbathi fiat, *λατρευτὸν in Græco scribitur. Rectè itaque Pontificij δουλείαν sibi sumunt, quandoquidem & duriter & gratis seruiunt. Vt enim à Sanctis non sunt conducti, ita nec à Deo, nec ab ipsis, quorum serui esse volunt, vllum salarium, vllum stipendium accipient.*

Dulia & Latria pro iisdē vsurpantur.

Ex quibus simul perspici potest, Duliam & Latriam sæpè confundi & synonyma esse. Ad hæc cultum diuinum, & contrà, omnem seruitutem humanam vtraq; voce denotari, quis est vel mediocriter doctus qui ignoret? Deut. 28. ca. λατρεία Diis alienis, lapidibus & lignis tribuitur. Eodem capit. ait Dominus, ἀνθ' ὧν οὐκ ἐλάτρευσας κυρίῳ τῷ θεῷ σου λατρεύσεις τοῖς ἐχθροῖς σου. Et vt Moses Deuteronom. 34. nominatur seruus Iehouæ, *ita Paulus aliquoties se Christi δοῦλον vocat. Ac quod idem Paulus Rom. 1. dicit, μάρτυς μου ἐστὶν ὁ θεός, ᾧ λατρεύω, id Oecumenius ita interpretatur, λατρεύω ἤτοι δουλεύω. Et in Actis ait, se apud Ephesios perseuerâsse δουλεύοντα τῷ θεῷ. Ad Colossenses inquit, δουλεύετε τῷ θεῷ. In Matthæo scribitur capite 6. οὐ δύνασθε θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ, vbi verbum δουλεύειν scribitur, vt commune vtrique Cultui. Quin ipsemet Augustinus non videtur constanter hanc distinctionem retinuisse. Etenim quæstione in Exodum 94. tractans in 23. cap. hæc verba:* Si seruieris Diis alienis, tibi erunt offendiculum, Hoc loco, *inquit,* est δουλεύσῃ non λατρεύσῃ.

Dulia & Latria soli Deo debetur.

Cæterum vt hæc clariora sunt, quàm vt dissimulari possint, & firmiora quàm vt refelli queant, & notiora quàm vt negari debeant, ita illud potius agendum nobis, vt probemus hanc siue λατρείαν siue δουλείαν prout à nobis modò descripta est, semper Deo, nunquam Sanctis mortuis aut ipsorum Imaginibus accommodari, ne tantùm verbis inhærere videamur. Deut. 10. Moses dicit, κύριον τὸν θεόν σου φοβηθήσῃ καὶ αὐτῷ λατρεύσεις. Quam Emphasim Christus Matth. 4. sic expressit, αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Contra Duliam Sanctorum aut Diuorum Exod. 20. clamat Dominus οὐ προσκυνήσεις αὐτοῖς, οὐδὲ μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς. Et Deut. 11. vult, vt Dominum toto corde nostro, & totâ animâ nostrâ colamus & diligamus. *Vult Lucæ* 1. vt liberati de manibus inimicorum nostrorum, benedicto Deo Israëlis omnibus diebus vitæ nostræ in sanctitate & iustitia seruiamus. *Non vult Israelitas Deum colere & Baal, id est, vllum alium sponsum seu maritum eligere, aut vllum alium Dominum habere: nam hoc modò colere Helias dicit esse claudicare. Gentes quæ Deum timuerunt, & simul Deos suos coluerunt, in lib. Regum obiurgantur: & qui iurant per Dominum & per Melchom apud Sophoniam excinduntur. Qui Deum solum nominat, & ipsum emphaticè exprimit, & totum cor & animam, & omnes dies vitæ nostræ, & omne genus seruitutis & cultus, omnem δουλείαν & λατρείαν à nobis requirit, & cæteras creaturas ab hoc honore excludit, & omnem in vtranque partem claudicationem prohibet, quæso quem tandem Cultum, aut cujusmodi seruitutem Diuis eorúmque Imaginibus reliquam facit? Internum Cultum iis negant Pontificij: externum, quia sine interno nihil est, & quia eum mortui non petunt, imò quia Scriptura non dat ipsis Angelis, nos illis non concedimus. Quem enim honorem illis deberi contendis? Si Templa condi, si sacra fieri, si Sacrificia illis constitui volueris, id Augustinus de Ciuit. Dei lib. 8. c. 27. non permittet. Aram illis extrues? idem non probabit, De verbis Domini secundum Matthæum. serm. 6. cùm ait:* Nemo mihi dicat, non est numen., non est Deus, *&c.* pro qua re isti Idololatræ habeant, Ara testatur. *Si incuruationem, genu flexionem, adorationem coram Imagine postules, non assentietur Dominus, qui hoc modo summam venerationem significauit, cùm dixit,* septem millia virorum esse relicta, qui Baal genu non curuauerunt, *nec hoc vnquam Sancti expetiuerunt, non Petrus à Cornelio, non Paulus à Gentibus, non Angelus à D. Ioanne, sed omnes vetuerunt: Solus Satan inuentus est, qui audebat hanc prostrationem flagitare. Sed neque in illorum jurabis nomine, nam Deut. 10. dicitur:* Adhære ei, & jura per nomen ejus. *Et Ierem.* 4. Iurabis, viuit Dominus. *Si Imagines Sanctorum honorare desideres, reclamabunt Origenes contra Celsum lib. 4. & Clemens Alexandrinus, Lactantius & alij. Nec fieri potest, vt quis & Deum & Simulachra colat, aut vt vbi Simulachrum est, ibi sit Religio.*

Secundū argumētum quo Imagines non per se, sed quod repræsentatur Imagine adorari dicunt.

Sed videamus quantum ponderis reliqua ipsorum argumenta habeant, quibus Idololatriæ crimen à se depellere volunt. Se non nescire, *aiunt,* Imaginibus nomen non esse inclusum, multò minus Deos esse: *fatentur,* se scire Imagines esse creaturas corruptibiles, ideoque se nec vti, nec habere eas pro Diis affirmant: *Clamant* se non adorare Imagines per se & in se consideratas, *hoc est,* ligna, lapides, aurum, argentum, aut similem materiam, sed id ipsum quod repræsentatur Imagine. *Hanc verò rationem nunquam inter Christianos valuisse ipse etiam Georgius Cassander testatur in Consultatione sua,* eò quòd Ethnici quoque de suis Idolis ita profiteri consueuerint. *Iouem lapidem, non esse Deum Cicero confitetur. Apud Lactantium dicunt ad eundem prorsus modum:* Non ipsa adoramus, sed eos ad quorum Imagines

facta

facta, & quorum hominibus consecrata sunt. *Et apud Arnobium inquiunt:* Non materias æris, auri, argenti & alias ex quibus signa conficiunt, eos per se Deos esse & religiosa numina discernimus, sed eos in his colimus eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra. *Similia apud Augustinum in Psa.* 113. *Athanasium contra Gentes, Sozomenum lib.7.cap.15. aliosque reperire licet. Atque huiusmodi defensiones tum Ethnicis sufficere putabantur, quemadmodum etiamnùm hodiè Pontificiis. Augustinus verò respondet in Psal.* 113. Quis puer, *inquit*, interrogatus non hoc certum esse respondeat, quòd simulachra Gentium os habent, & non loquuntur, oculos habent, & non vident? *Cur ergo tantopere Spiritus sanctus curat scripturarum plurimis locis hæc insinuare atque inculcare, velnti nescientibus? Respondet:* Quia species membrorum in eminenti collocata suggestu, cùm honorari atque adorari cœpit à multitudine, parit in vnoquoque sordidissimum erroris affectum: vt quoniam in illo figmento non inuenit vitalem motum, credat numen occultum: & effigiem viuenti corpori similem, seductus formâ, & commotus autoritate, quasi sapientium institutorum, obsequentium turbarum, sine viuo aliquo habitatore esse non putet. *In Epistola* 49. *inquit:* Cùm in his sedibus locantur, honorabili sublimitate, vt à precantibus atque immolantibus attendantur, ipsa similitudine animatorum membrorum atq; sensuum, quamvis sensu & animâ careant, afficiunt infirmos animos, vt viuere atque spirare videantur. *Et iterum:* Quis adorat vel orat Simulachrum intuens, qui non afficitur, vt ab eo se exaudiri putet, ac ab eo sibi præstari quod desideret, speret?

Prototypo in Imagine adorare contra scripturã est. *Hæres* 79. *cõtra Collyrid.*

Sed esto. quòd Imagines non adorent. sed Prototypum, hoc est, vt aiunt, id quod Imagine repræsentatur, Sanctos nimirum mortuos, quorum typi Imagines sunt: non tamen illud quoque cum verbo Dei & veteris Ecclesiæ doctrina conuenit. Notum est ex superioribus quid D. Epiphanius de adoratione beatissimæ Virginis Mariæ docuerit: Reuera (*inquit*) sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus. Reuera Virgo erat ipsa Virgo & honorata, sed non ad adorationem nobis data, sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa, carne genitus est, de cœlis verò ex ipsis finibus paternis accessit. *Et mox:* Quæ verò Scriptura de hoc narrauit? Quis Prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem? *Item:* Sit in honore Maria: Pater & Filius, & Spiritus sanctus adoretur. Mariam nemo adoret, *&c.*

Sed quid multa? Hunc Cultum qui Deo per Imagines exhibetur, non satis castum & conuenientem esse Deo, sed à superstitiosis hominibus excogitatum, ex Paganis quoque prudentissimi agnouerunt: auctor est enim D. *Augustinus, Varronem dixisse, cuius & suprà meminimus,* Romanos plus quàm annos 170. Deos sine simulachro coluisse. Quod si, *inquit Varro*, adhuc mansisset, castius Dij obseruarentur: *atque huius sententiæ testem adhibebat inter reliquos etiam gentem Iudaicam. Hanc veterum Romanorum in colendis Dijs cõsuetudinem, etiam Tertullianus & Clemens referunt.*

Verbis negant re ipsa autem adorant Imagines

Deinde, verbis quidem negant se Imagines pro Dijs habere, re ipsa autem contrarium profitentur. Primò enim Imaginibus Templa & Aras ædificant: atqui is honor SOLI *Deo debetur. Nam vt Augustinus ait de verbis Domini Serm.* 6. Ara est, quæ testatur pro numine illud haberi, cui erigitur. Nam illi (*de Ethnicis loquitur*) quòd numen habeant, & pro numine accipiant illam statuam, Ara testatur. Quid illic faciat Ara, si illud non habeatur pro numine? Nemo mihi dicat, Non est numen, Non est Deus. Iam dixi: vtinam ipsi sic norint hoc, quomodo nouimus omnes nos. Sed quid habeant pro qua re habeant, quid ibi faciant, Ara illa testatur. *Hæc (inquam) de Gentium Aris & Statuis sanctus ille Pater pronunciauit, quæ Papistæ à suis Imaginibus reijcere non poterunt, nisi hodiè alium Altarium vsum esse Dei verbo doceant, quàm olim fuerit. Nec Aras modò simulachris statuunt, sed illis sacrificant quoque, & (si verum est quod de suo Missæ Sacrificio nugantur) ipsius Christi corpus & sanguinem in Diuorum honorem offerunt. Hæc omnia Dijs competere non solus Augustinus censuit, sed Ethnici etiam agnouerunt. Callisthenes enim Olynthius, auditor & propinquus Aristotelis cùm audisset Anaxarchum suadere Alexandro M. vt diuinos honores oblatos susciperet, Alexandro dixisse legitur:* Ad Deos, Alexander, pertinent Templa, Statuę, Luci, Sacrificia, Libationes, diuini item Hymni. *Adhæc omne externi cultus officium Imaginibus suis exhibent. Illas enim vestiunt, auro & argento exornant, capite nudato & flexis genibus venerantur, cereos eis accendunt, & thura adolent. Imò quasi hæc parum sit, preces quoque apud illas faciunt, quos propter Imagines facilius exaudiri sibi persuaserunt. Hinc etiam est, quòd ejusdem Diui Imago alia alijs præstantior & ad gratiam impetrandam efficacior seu dignior putatur. Ideò in periculis constituti vota Diuis nuncupant, quæ tunc demùm rata fore credunt, si locum exprimant, vbi Diui illius gratia magis quàm alibi refulgeat. Vnde verò hoc? Nónne ex Imagine quæ colitur? Hinc illa peregrinationum insania, quâ multi exagitati, relictis conjugibus & liberis per terras & maria mutas Imagines inuisunt. Eodem ergo cum Gentibus reatu tenentur, nisi quòd eò atrocior illorum culpa est, quòd sub eorum nomine & prætextu I-*

Nota Callisthenis dictum.

dolo-

Digitized by Google

dololatriam suam tuentur qui vnius Dei Cultum & inuocationem infinitis laboribus atque periculis, imò sanguinis quoque sui pretio asseruerunt. Vt verissimè Ludouicus Viues in Augustinum de Ciuit. Dei scripserit, Se non videre, quid sit discriminis inter plerosque Christianos statuas colentes; & Ethnicos sua Idola adorantes.

Nota Lud. Viuis dictū

Imaginū adorationem, alii fatentur.

Quæ quum ita sint, ingenuè fatentur Pontificiorum nonnulli contra priores, se non tantum id quod Imagine repræsentatur, sed ipsas Imagines adorare. Etenim Constantinus Episcopus Constantiæ in Nicæna 2. synodo dixit: Ego Imaginibus cultum honoris exhibeo eundem, qui debetur viuificæ Trinitati: *Et*, si quis nolit idem facere, eum anathematizo vt Marcionem & Manichæum, *sicut in Caroli M. libro aduersus hanc Synodum edito legitur. In eodem quoque Concilio Act. 4. ita decretum fuit:* Non sunt duæ adorationes (*Latria scilicet & Dulia*) sed vna adoratio, Imaginis, & primi exemplaris, cujus est Imago. *Scholastici quoque, inprimísque Thomas in 3. Sentent. dist. 2. statuunt*, eandem nec diuersam esse cogitationem, quâ in Imaginem, & rem ab illa expressam ferimur: *inde generalem regulam exstruxerunt*, Imagines *nimirum* eodem cultu, eademque specie adorationis adorandas, quâ res ipsas repræsentatas: & eandem reuerentiam deberi Imagini seu signo, quæ debetur rei signatæ. *Vnde idem Thomas, Ioannes Scotus Minorita, aliique λατρείας cultu adorandam docent, quoniam ipse Christus sic adorandus sit. Thomas secunda 2. quæst. 94. art. 2. affirmat disertè*, Imagini Christi ratione diuinitas Latriam deberi. *Ex recentioribus etiam Iacobus Payua lib. 9. non dubitauit hoc modo scribere*: Non tamen inficiamur, hac nos Latriæ adoratione Christi præclarissimam Crucem colere & venerari. *Nec pudet illos ad hunc modum in Ecclesiis canere*: ô crux aue, spes vnica; Hoc passionis tempore, Auge piis justitiam, Reisque dona veniam: *quibus vtique verbis Crucem, tanquam Christum ipsum, alloquuntur & deprecantur. Cantant etiam in die sancto Parasceues*, Ecce lignum Crucis, venite adoremus. *Dicunt etiam*: Crucem tuam adoramus Domine, resurrectionem tuam glorificamus: *vbi longè plus Cruci, quàm resurrectioni tribuunt. In die Inuentionis Crucis sic canunt*: Ista suos fortiores, semper facit & victores: Morbos sanat & languores: Reprimit dæmonia: Dat captiuis libertatem; vitæ confert nouitatem: Ad antiquam dignitatem Crux reduxit omnia, ô Crux lignum triumphale, Mundi vera salus vale, Inter ligna nullum tale, Fronde, flore, germine, Medicina Christiana, Salua nos, ęgros sana, Quod non valet vis humana, Fit in tuo nomine. *Quin & Gregorius 1. in suis precibus ait*: Concede nobis Domine, vt qui ad sanctam crucem tuam adorandam veniunt, nexibus peccatorum liberentur. *Andreas quoque Episcopus Cretensis in Sermone de Exaltatione Crucis, qui exstat apud Sim. Metaphrastem & Laur. Surium tom. 5. de vitis Sanctorum, inter alia*; Est itaque crux, *inquit*, adoranda, quoniam per ipsam Dominum cognouimus. Crux est adoranda, quoniam in ipsa Dominum benedicimus. Crux est adoranda, quoniam cùm per ipsam amarum ligni inobedientiæ gustum euomuissemus, dulcedinem salutis gustauimus. *Et Crucem quidem aliqui nonâ diuisione partiuntur*, quòd earum vna sit vera, cui Christus fuit affixus eamque *contendunt* summâ veneratione adorandam, quòd eam Christus contactu suo sanctificârit, deinde quia ipsum Dominum Christum repręsentet. *Si verò contactûs tanta ratio habenda, cur ipsam beatam virginem λατρεία colendam non censent, cuius Imago, juxta Thomam in Sentent. 3. dist. 2. δουλίᾳ tantum honorari debet, cùm tamen Christum nouem menses in vtero gestârit, eique vbera præbuerit? præsertim cùm ille contactus naturalis, alter verò violentus fuerit. Ejusdem contactûs causâ, spinas & lanceam λατρείᾳ colere oporteret. Quod reliquas imagines attinet, non solùm veteres illi Scholastici docuerunt, sed & ex recentioribus Iacobus Nanclantus Clugiensis in Italia Episcopus palàm affirmauit, Imaginem & archetypum vno eodemque Cultu adorari oportere. Hæc enim eius verba sunt in Epistolam ad Romanos cap. 1.* Ergo (*inquit*) non solum fatendum est, fideles in Ecclesia adorare coram Imagine, vt nonnulli ad cautelam fortè loquuntur; sed & adorare Imaginem; sine quo volueris scrupulo, quin & eo illam venerari Cultu, quo & prototypon ejus, propter quod, si illud debet adorari Latriâ, & illud debet adorari Latriâ. *Liber hic excusus est Venetiis anno Domini 1557.*

Crucis diuisio.

Nanclantus.

Sudaria impressa effigies vultûs Christi, quæ Romæ in æde S. Petri asseruatur, & Veronica vocatur, sic inuocatur & adoratur.

Salve sancta facies nostri Redemptoris,
In qua nitet species diuini Splendoris,
Impressa panniculo niuei candoris,
Dataque Veronicæ signum ob amoris.
Salve decus seculi, Speculum Sanctorum,
Quod videre cupiunt Spiritus Cœlorum,
Nos ab omni macula purga Vitiorum;
Atque nos consortis junge Beatorum.
Salva vultus Domini imago beata,
Ex æterno munere mirè decorata;
Lumen funde cordibus, ex vi tibi data;
Et à nostris sensibus tolle colligata.
Salue robur fidei nostrę Christianæ,

Destruens

Destruens hæreticos qui sunt mentis vanæ?
Horum auge meritum, qui te credunt sanè,
Illius effigie qui rex fit ex pane.
Salue nostrum gaudium in hac vita dura,
Labili & fragili, citò peritura:
Nos deduc ad propria, ô felix figura,
Ad videndum faciem quæ est Christi pura.

Hanc Orationem Ioannes XXII. Papa edidit, à quo etiam concessa dicuntur decem millia dierum indulgentiam devotè dicentibus illam inspiciendo Veronicam, vt est videre in lib. Orat. inscript. Antidotarius animæ. Lucius Marineus Siculus quoque, Historiographus regius Caroli V. Imp. lib. 5. de rebus Hispanicis narrat, apud urbem Burgensem Templum esse Augustiniani Ordinis, in quo Christi, inquit, Saluatoris Imaginem crucifixam ADORAVIMVS, *quæ à Nicodemo facta perhibetur, cuius imaginis inuocato numine multos infirmos convaluisse, nobis plures affirmârunt.*

Adoratio & Cultus IMAGINVM ac CRVCIS à multis Pontificiorum damnatus.

HÆc *verò tam pugnant cum Sacris Literis, cum vera antiquitate, cumque omni ratione, vt multos quoque ex Scholasticis eorum pudeat.* Rupertus Holkoth *Dominicanus, qui floruit circa annos Christi* 1346. *in lib. Sapient. lect.* 158. *Thomæ definitionem reprahendit, hac ratione:* Latria ad Deum solùm pertinet: Imago autem Dei Deus non est: quare Latria Imagini non est tribuenda: alioqui, *inquit*, Creator & res creata, eodem cultu adorarentur. Durandus *etiam*, Henricus de Gandauo, Petrus de Aquila, Ioan. de Guierra *aliique Scholasticorum Holkotho consentiunt*, nec volunt vt crux Domini summâ adoratione colatur. *Hac de re disputat quoque* Ioan. Picus Mirandula *conclusione 3. quæ est huiusmodi:* Nec Crux Christi, nec illius Imago adoranda est, adoratione Latriæ, etiam eo modo, quo ponit Thomas. *Hoc sequi videtur* Peres. *quoque, tribuens cruci, nescio quam aliam adorat. Idque multis rationibus. Primùm contendit* falsò dici signi ac rei significatæ cogitationem seu notitiam eandem esse, cùm sint duæ, quę à se inuicem distinguantur: primùm quippe apprehenditur hoc vel illud signum esse, deinde rem intuemur quam significat: hæc fiunt quidem simul tempore, sed naturâ & ratione, vnum eorum alterum pręcedit. Deinde quamuis lapis, marmor aut metallum, fiant signum, non tamen iccircò suam naturam commutant, neque limitem superant insensibilium rerum, neque dignitatem rationalis creaturæ attingunt, vel habent secum conjunctam rem, quam significant. Regem quidem adoramus in purpura sua, quæ si ab Imperatore sejungatur, nequaquam illi regis honorem exhiberemus. Augustinus homil. 58. de verbis Domini Christi humanitatem Latriâ scribit adorandam, quia conjunctam habet divinitatem, quæ si sejungeretur (quod tamen faciendum non est) Latriâ non adoraretur: quantò ergo minus Crux, quæ reuera separata est à Christo, latriâ coli non debet? *Proinde eam Pontificiorum sententiam, & ipse Pontificius, repudiat, quâ statuunt*, & signum & rem significatam eadem Cultûs ratione adorandam esse: *& affirmat*, rei significatæ, *hoc est Christo ipsi*, summam deberi adorationem, Cruci verò nequaquam, sed illum duntaxat honorem, qui tantis rebus tribuitur, quocunque tandem nomine vocetur. *Hîc Peresius quædam rectè dicit, in eo verò errat, quòd Cruci adorationem qualemcunque concedit: vt prudentissimè Erasmus scripsisse videatur*, Multo facilius Imagines posse remoueri, quàm ratio & modus Cultûs earum definiri.

Holkoth. *Durād⁹ &c.* *Ioannes Picus.* *Peresius.*

De Reliquiarum Imaginum Veneratione & Adoratione, contra veterum & recentiorum Scholasticorum sententiam, sic docuit Guilielmus Durandus *Miniatensis Episcopus in Rationali diuinorum:* Si, *inquit*, nec homines, nec Angeli adorandi sunt, attendant quid agant, qui sub prætextu cujusdam Religionis seu pietatis diuersas adorant Imagines: non enim licet aliquid manufactum adorare: vna tantùm Dei Patris est Imago, quam vna cum patris tantùm adoratione adorare debemus. *Gabriel quoque Biel in Canon. Lect.* 49. *eorum sententiam, vt saniorem, probat, qui dicunt*, quòd Imago neque vt consideratur in se, secundum quod lignum est, lapis aut metallum, neque vt consideratur secundum rationem signi & Imaginis, sit adoranda: qualitercunque enim consideretur, *inquit*, est res insensibilis & creatura, cui adoratio λατρείας minimè est exhibenda. Hinc patet quorundam hominum stolidus error, qui adeò ad Imagines afficiuntur, vt in ipsis credant esse aliquid numinis, gratię vel sanctitatis, quibus potentes sint facere Miracula, præstare sanitates, ex hoc assurgentes ad eorum venerationem, vt præmissorum aliquid consequantur. Arguitur, *inquit*, ex eodem nonnullorum indocta simplicitas & indiscretio, quâ reuerentius adorant Imagines pulchras quàm turpes, nouas quàm vetustas: aut è contra ornatas venustiori auro vel purpurâ, quàm nudas, credentes eas sanctiores quo pretiosiores, & vt Bernhardus ait, offerentes libentius auro tectis, vbi magis cernitur

Durādus contra adorationē Sanctorū Imaginum. *Biel.*

tur diuitiarum cumulus. Arguitur & aliorum rudis leuitas, qui improuidè vota emittunt, & ad peregrinandum se obligant, nunc ad illam, nunc ad aliam Ecclesiam intuitu certarum Imaginum, credentes illas maiori in illa, quàm similes in alijs fulgere à virtutibus: clarere Miraculis, & maiore fulciri potestate. Hæc omnia in vanam transeunt superstitionem, in quam non inciderent, si rationem adorationis ac veri Cultûs attenderent: aut si ignorant, informationem humiliter acciperent. Patet siquidem Imagines esse res insensibiles, quæ ex certa partium suarum figuratione & ordine Imaginis nomen sortiuntur: vnde eis conuenit res alias significando repræsentato. Ratio autem ordinationis in Deo, est perfectio summa & vniuersalis præsidentia. In creaturis verò est aliquid diuinum, puta virtus, potestas aut excellentia aliqua singularis à Deo participata: quorum neutrum reperitur in Imagine: nulla talis propter se adorāda est, neq; auxilium quodcunq; ab eis postulandum. Neq; enim vident, neque audiunt, neque se intelligunt venerantes. Sunt enim creaturæ inanimatæ, quibus nec est sensus nec intellectus. *Hactenus Gabriel Biel. Hæc de re prudenter etiā* Gerson *monuit in declarationibus defectuum Ecclesiasticorum, inquiens:* Iudicare si tanta Imaginum & picturarum in Ecclesijs varietas expediat, & an plures simplices non nunquam ad Idololatriam peruertant. *Et Ricardus Vuithus, Sacerdos doctissimus & Anglus, circa annos Christi* 1385. *scripsit librum contra Venerationes Imaginum. Balæus Cent.*7.*cap.*10. Guilhelmus *quoq;* Taylour *Anglus circa annos Christi* 1420. *publicè docuit*, Simulachrorum venerationes, maximas ipsi Deo esse abominationes. *Balæus Cent.* 7. *cap.* 70. *Et* Guilhelmus Vuhyte *eadem tempestate asseruit*, Imagines diuorum è Christianorum Templis tollendas esse. *Ibid. cap.* 76. *Verum vterque exustus propterea fuit.* Ibid.

Gerson.

Richardus Vuithus.

Taylour.

Vuhyte.

Tempore Martini 5. *circa annum* 1420. *quidam Minorita*, Bernhardinus *nomine*, *Senensis natione*, *inuenit quendam*, *qui nomen IESV pictum vel sculptum in magna exornata tabula populo adorandum exhibebat. Hoc etsi simplicibus videretur deuotionem afferre, sapientes tamen arbitrabantur ad Idololatriam, vel saltem ad superstitionem tendere cùm populus magnis veneraretur illas literas, quàm significatum per eas, hoc est, Iesum Christum, Imitati sunt eum plures Minoritæ, eiusmodi tabulas cum tali nomine in processionibus ferentes, & cruci, quæ de more antefertur, præferentes. Hinc ortæ sunt magnæ in populo concertationes, alijs factum commendantibus, alijs contra improbantibus. Bernhardinus igitur ad Curiam Romanam citatus hac de causa fuit.*

Nomen Iesu pictū in tabula non adorandum.

Et Martinus Papa, habitâ prius solemni per Magistros & Prælatos discussione materiæ, & per rationes inuento illo ceu superstitioso ostenso, Pontifex prohibuit illud amplius fieri, nec populo sic ostendi. Antoninus tit. 22. *c.*7. §. 5.

De cultu & adoratione Imaginum his verbis conqueritur etiam Polydorus Vergilius *lib.* 6. *cap.* 13. Optandum esset vt Sacerdotes frequentius populum docerent, quo nam pacto deberent & venerari eiusmodi Imagines, & apud eas offerre sua donaria: quod quia illi tacent, & vulgo ex suo vsu tacere putantur, iccircò eò insaniæ deuentum est, vt hæc pietatis pars parùm differat ab impietate: sunt enim benè multi rudiores stupidioresque qui saxeas, vel ligneas, marmoreas, æneas, seu in parietibus picta variisque coloribus litas Imagines colant, non vt figuras, sed perinde quasi ipse sensum aliquem habeant, & ijs magis fidant quàm Christo; vel alijs diuis, quibus dicatæ sint. Quo fit, vt stultitiam stultitiâ cumulantes, illis offerant aurum, argentum, annulos gemmatos, omniuariasque gemmas ibidem senio perituras. Et, vt ad id faciendum plures inescentur, illi qui talem segetem metunt, nummos perforant, filioque pendentes in collo aut manibus ipsarum Imaginum suspendunt, donaria in locis conspicuis egregiè collocant, titulosque apponunt, quo nomina offerentium & dijs & hominibus notiora fiant. Sic bona pars hominum per hęc magis delirare inducitur, ac insuper lōga aliquoties itinera conficere, vt vnam Imagunculam adeat, ibique donaria sua relinquat, prætermisso cunćto alio aut pietatis aut charitatis officio: &c.

Polydori Vergilii oc̄ contra Imaginū adorationē.

Georgius Cassander *etiam Theologus Pontificius, qui nostra ætate floruit, & magnæ apud suos existimationis fuit, in Consultatione ad Ferdinandum & Maximilianum F. de articulis Religionis inter Catholicos & Protestantes cōtrouersis, cùm ex Niceta historico indicâsset, adhuc tempore Friderici Barbarossæ Imp. circa annos Domini* 1170. *Germanis Imaginum adorationem interdictam fuisse, quanquam dubium non sit, quin iam tum quoque in Germania prouincijs nonnullæ superstitiones & abusus in Imaginum vsum irrepserint*, tamen, *inquit*, optandum esset, vt maiores nostri hucusque in prisca illa maiorum suorum sententia integrè perstitissent, manifestius enim est, quàm vt multis verbis explicari debeat, Imaginum & Simulachrorum cultum nimiùm inualuisse, & affectioni seu potius superstitioni populi plus satis indultum esse, ita, vt ad summam adorationem, quæ vel à Paganis suis simulachris exhiberi consueuit, & ad extremam vanitatem, quàm Ethnici in suis Simulachris & Imaginibus

Georgius Cassander cōtra cultum Imaginum.

effingendis & exornandis admiserunt, nil à nostris reliqui factum esse videatur. Quare & prudentes in Ecclesia Catholica viri, iam olim modum aliquem huic rei ponendum, & superstitioni occurrendum censuerunt. *Idem ad finem verborum Gabrielis Biel,* Hæc omnia in variam transire superstitionem, in quam non inciderent, si rationem adorationis, & veri cultus attenderent, aut si ignorant, informationem humiliter acciperent, *hæc addit,* Ista quidem, *inquit,* rectè dicuntur, sed vtinam illi, à quibus hæc informatio accipienda esset, non ipsi harum superstitionum auctores essent, vel certè eas in animis simplicium hominum aliquando quæstûs causa nutrirent.

Abusus alij circa IMAGINES ab ipsis quoque Pontificijs damnati.

NEque verò solùm Adoratio Imaginum, sed alij quoque abusus circa eas exorti, iam olim à multis etiam Pontificiorum damnati sunt.

1. Imagines non tantum Sanctorum sed & ferarum in Templis.

Cùm enim circa D Bernhardi tempora non solùm picturas rerum sacrarum & Imagines Sanctorum, verùm etiam ferarum aliarumque rerum in Templis haberent (dato enim vno inconuenienti alia multa sequuntur) reprehendit id Bernhardus in Apologia ad Guilhelmum Abbatem: Quid, *inquit,* facit in claustris coram legentibus fratribus illa ridicula monstrositas, mira quædam deformis formositas, mira quædam deformis formositas, ac formosa deformitas? Quid ibi immundæ simiæ, quid feri leones, quid monstrosi centauri, quid semihomines, quid maculosæ tygrides, quid milites pugnantes, quid venatores tubicinantes? Videas sub vno corpore multa capita, & rursus sub vno capite corpora multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda serpentis, illinc in pisce caput quadrupedis. Ibi bestia præfert equum, capram trahens retrò dimidiam: hinc cornutum animal, equum gestat posterius. Tam multa denique tamque mira diuersarum formarum vbique varietas apparet, vt magis legere libeat in marmoribus quàm in codicibus, totumque diem occupare singula ista mirando, quàm in lege Dei meditando.

2. S. S. Trinitatis Imago.

Ioannes 22. Papa eos qui supremam illam Maiestatem, *hoc est,* S. S. Trinitatem Senis, Adolescentis & Columbæ Imagine (*vti adhuc fieri solet*) pingebant, læsæ Religionis accersiuit, Antropomorphitas esse renunciauit, & nonnullos eorum ad ignem condemnauit. *vt Auentinus refert lib. 7. Annal.*

De eadem Imagine Georgius Cassander *in Consultatione sua ita scribit:* Illud quoque *inquit,* inter abusus ponendum est, quòd etiam diuinitati, in Trinitatis deformatione, Simulachrum effingitur, quod veteres absurdum & nefarium iudicâssent. Vide D. Augustinum de Fide & Symbolo cap. 7. non esse arbitrandum Deum humanâ formâ circumscriptum, vt in eo, aut dextrum, aut sinistrum occurrat, ne vel in illud sacrilegium incidamus, quod execratur Apostolus eorum qui commutant gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis: tale (inquit Augustinus) simulachrum nefas est Christiano in Templo collocare, multò magis in corde nefas [illegible] est. Atque hæc absurditas Patrem [illegible] Filium & Spiritum sanctum effigiantium [illegible] is à Nicephoro tribuitur. Et Damascenus quodam loco innuit, Insipientiæ summæ est & impietas, figurare quod est diuinum.

Commodum hoc loco videtur referre contentionem illam, quæ inter Dominicanos & Franciscanos de imagine crucifixi Christi circa annos Domini 1321. exorta fuit. Ioannes 22. qui Imperatorem optimum Ludouicum 4. plus quàm belluinâ rabie insectatus est, quique omnium Pontificum, qui vnquam exstiterunt, pecuniosissimus fuit, reliquit enim 45. millies viginti quinque millia aureorum, Nauclero teste, paupertatem non solùm à Christo eiusque Apostolis, sed & à Philosophis atque Poëtis, à nostra Religione alienis, collaudatam, irrisit, & Franciscanos, suæ opinioni aduersantes, pestiferi erroris condemnauit, excommunicauit, Fraterculos nuncupauit, & multos igne concremauit, iuxta Auentinum libr. 7. Annal. fol. 751. Qua de re vide iudicium Sabellici Enn. 9. lib. 8. Propter hanc de paupertate Christi contentionem, inter Dominicanos, qui partium Pontificis erant, & Franciscanos, affirmantibus his Christum nudum pependisse in Cruce, spineâ corona obseptum, neque habuisse vbi reclinaret caput suum, Dominicani curârunt eodem tempore sculpi, pingi atque parari per Templa passim Imaginem crucifixi Christi (quarum aliquot nostrâ ætate multis in locis etiamnùm visuntur reperiunturque vetustate propemodum erosæ) non nudum quidem Domini corpus Cruci affixum, neque caput eius spineâ circumdatum coronâ, sed ornatum in capite coronâ regiâ & aureâ, indutum verò prætextâ, id est, togâ vel purpurâ ad talos vsque demissâ, & limbis aureis prætextatâ, insuper & cinctum zonâ, aureis pretiosâ bullis, sed & Imaginis pedibus calceos induxerunt auratos vel bracteatos. In nonnullis locis, teste Ioanne Vitodurano Minoritâ, visæ sunt Imagines crucifixi, alterâ quidem manu cruci affixæ, alterâ verò immissâ in crumenulam, quæ ex zona pendebat, veluti inde pecuniam in vsus necessarios & pauperum prolatura. Hoc suo figmento per Templa passim expositas, rudi populo significare, imò inculcare voluerunt, Christum in ter-

2. De Imagine crucifixi Christi contentio inter Monachos.

ris

ris diuitem, non ita pauperem fuisse, sicut à Franciscanis prædicabatur.

4. Imaginũ multitudo. *Petrus de Aliaca Cardinalis Carmeracensis in libro de Reformatione Ecclesiæ, quem Constantiensi Synodo obtulit, anno 1415. grauiter conqueritur de multitudine Imaginum & varietate picturarum in Templis.*

Hi abusus simul omnes qui circa Imagines sensim irrepserunt, in Enchiridio quoque Christianæ Institutionis in Concilio prouinciali Coloniensi (anno Domini 1536. habito) edita, prorsus damnãtur & reijciuntur: 1. Velut, quòd earum etiam rerum Imagines in Ecclesiam inuectæ sunt, quæ in sacris Scripturis, aut in probatis authoribus nullum habent testimonium. 2. Quòd statuæ supra modum plurimæ, magnis sumptibus & impensis in Templis certatim collocatæ sunt, quasi in hoc magna pietatis pars sita esset, neglectis interim Christi pauperibus, qui sunt viuæ Christi imagines. 3. *Deinde*, quòd Iconas sic depictas ac delineatas cernimus, vt non ad Christianæ honestatis formam, sed ad seculi vanitatis incitamenta efficta videantur. 4. Denique quòd rudis plebs permissa est imagines quandam in ipsas collocatã fiduciã colere. Id quod ab Idololatria non omninò immune est. vt ab ea excusari non possint, qui imaginem aliquam sibi ad adorandum eligerint, idque vel ob pulchritudinem, vel deformitatem, vel vetustatem, credentes hanc aliquid præ cæteris habere virtutis aut etiam numinis siue diuinitatis, &c.

Lud. Hetzer. Ludouicus Hetzer *scripsit libellum contra imaginum vsum in templis, verum absque autharis nomine editum. Gesneri biblioth.*

Mart. Bucerus Martinus Bucerus *scripsit librum, in quo probat ex arcanis literis, sententiis Patrum, edictisque religiosarum Cæsarum, non esse ferendas in Templis Christianorum imagines & statuas coli solitas. Excusus Argentinæ anno* 1530.

Turci. *Turci quoque ex Mahometi sui præscripta hodiè adhuc omnis generis imagines, seu pictas seu sculptas, abhorrent ac detestantur, & Christianos, quoniam his oblectantur, idololatras damnumque cultares vocant, vt Cuspinianus indicat.*

In imaginis vsu & adoratione consuetudinem nõ sequendam. *Etsi verò hæc ita se habeant, tamen is qui* Fortalitium fidei *scripsit, communem opinionem & vsum seu consuetudinem totius Ecclesiæ contra valere affirmat: Non memor Nicolai Papæ sententiæ, qui Ignaro Remensi Archiepiscopo in hunc modum scripsit:* Mala consuetudo non minus quàm perniciosa corruptela abijcienda & vitanda est: quæ nisi citius radicitùs euellatur, in priuilegiorum ius ab impijs assumitur, & incipiunt præuaricationes & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ pro legibus venerari, & priuilegiorum more perpetuò celebrari. *Et D. Augustinus de vnico Baptismo lib. 2. inquit:* Veritate manifestatã cedat consuetudo veritati: planè quis dubitet veritati manifestè consuetudinem rationi & veritati præponat, quòd consuetudinem ratio & veritas semper excludit. *Eadem scribit li. 4. & li. 1. de Baptismo paruulorum. Gregor. M. quoque Guilimundo Euersano Episc. ita scribit:* Si consuetudinem fortassis opponas, aduertendum est quod Dominus dicit: Ego sum via, veritas & vita: non dixit, Ego sum consuetudo, sed veritas. *Et certè vt B. Cypriani vtamur sententiâ,* quælibet consuetudo quantumuis vetusta, quamuis vulgata, veritati est postponenda, & vsus qui veritati est contrarius est abolendus. *Idem Cyprianus præclarè admodum,* Si solus, *ait*, Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid, qui ante omnes est, prior fecerit. Neque enim homines consuetudinem sequi oportet sed Dei veritatem, cùm per Esaiam prophetam loquatur Deus, & dicat, Sine causa colunt mandata & doctrinas hominum docentes.

CAPVT XI.

Soluuntur Argumenta Bellamini pro IMAGINIBVS earumque Veneratione & Adoratione.

1. De nominibus *Imaginis*, *Simulachri* & *Idoli*, & quòd *Idoli* nomen à Scriptoribus Ecclesiasticis vsurpetur pro quauis *Imagine* quæ diuino honore colitur.

EXposuimus hactenus ex probatis & veris historijs, Originem, Progressum & Confirmationem Imaginum in Templis, earumque cultûs & adorationis: Nunc igitur hoc capite ea examinabimus quæ Bellarminus Tomo 1. Controuersiâ Septimâ à capite quinta vsque ad finem libri 2. in contrariam partem disputat.

AC PRIMO. quidem, quia vocabulis Idoli, Simulachri *&* Imaginis *promiscuè vsi sumus, ille magnam inter illa differentiam capite quinta ostendere conatur, vt probet sacram Scripturam, adeaque Prophetas & Apostolos: deinde primitiua Ecclesiæ Patres, Idola & Simulachra tantùm Ethnicorum, non etiam Imagines Christianorum damnâsse. Hanc ob causam reprehendit Henricum Stephanum, qui in Thesauro sua in vace εἴδωλον scribit*, apud Ecclesiasticos authores Idolum vocari omne Simulachrum, numen aliquod repræsentans, quod cultu & honore dignamur: indeque sequi, apud eosdem Imagines Christi & Sancto- Henricus Stephanus reprehenditur à Bellarmino. Idolum quid verè.

rum, ac præcipuè Imagines Trinitatis rectè vocari Idola: *Hoc Iesuita falsissimum esse dicit: & probat.*

Bellarminus probat deli nomen non rectè tribui Imaginibus Sanctorum. Bellarminus sibi contrarius est.

Primò, *Septimâ Nicanâ Synodo Idololatricâ, anno Christi* 788. *celebratâ, quæ* Anathema *dicit ijs* qui Imagines Christi & Sanctorum vocant Idola. *Respondeo, Bellarminus sic quidem hoc loco scribit, aliter verò, de Ecclesia triumph. lib.* 2. *cap.* 7. *vbi dicit*, Idolum esse Imaginem, quæ habetur pro Deo: *cap.* 11. *inquit*, Alexandrum Seuerum coluisse Imagines Christi & Abrahæ cum cæteris suis Idolis: *& cap.* 16. *ait*, Carpocratem coluisse Christi imaginem eo modo quo Gentes colunt idola: *Et Damascenum citans cap.* 11. *&* 16. *testantem*, fuisse aliquos Christianos, qui Christi & Sanctorum Imagines quasi Deos colerent, *dicit*; tales accedere ad Idololatriam. *His verbis contra seipsum testimonium fert, nempe*, Imagines, quibus Cultus diuinus exhibetur, idola esse. *Aut ergo Synodus hac fulmen hic in immerentes eiaculata est, aut Bellarminus ipse percutitur illo: quanquam brutum sit, quòd ab Idololatris emissum.*

Secundò, *Origenem & Theodoretum producit Iesuita, ad probandum suam sententiam:* Dicunt illi, *inquit*, inter Imaginem & Idolum hoc interesse, quòd Imago si vera rei similitudo: vt cùm pingimus hominem, equum, &c. Imago enim ab imitando dicta est. Idolum autem est falsa similitudo, id est, repræsentat id, quòd reuera non est: vt cùm gentiles proponebant statuas Veneris aut Mineruæ, illa signa Idola erant, quia repræsentabant Deos generis fœminini, quales Dij nec sunt, nec esse possunt: Atque ita nec verè repræsentabant, sed erant falsæ Imagines: id enim quod non est, repræsentari non potest. Ex quo intelligimus, Imagines Christi & Sanctorum non esse Idola. Sed nec Trinitatis, aut Angelorum Imagines sunt Idola, quia non sunt factæ ad repræsentandam naturam Trinitatis vel Angelorum, sed ad exprimendam formam, in qua apparuerunt, vel certè eorum proprietates. *Hæc. Bellarminus. His verbis non modò Origenis & Theodoreti falsam sententiam pro vera assumit, & ex falso concludit falsum: sed etiam verum falsò illis affingit, quò maior falsa dicentibus fides habeatur, vt Ioan. Reinoldus Oxoniensis Professor doctissimus lib.* 2. *cap.* 2. *& sequ. de Romana Idololatria eruditissimè indicat.*

Explicatur loca Origenis & Theodoreti de differentia imaginis & Idoli.

Videbantur sibi Origenes & Theodoretus apud Septuaginta vnico loco malè intellecto animaduertisse, nullius rei veræ similitudinem & imaginem apud Patres Idoli nomine significari: Vnde, sicut erat consequens, affirmant hominum effigies Idola non vocari, ne si colantur quidem. In hoc verò communi Patrum consensu redarguuntur, Egesippi, apud Hieronymum in Catal. Script. Ecclesiast. Iustini, in Apologet. 2. *Tertulliani, de Idololatria, cap.* 3. *&* 4. *Cypriani, de Idolorum vanitate; Athenagoræ, Apolog. pro Christ. Theophili, ad Antolyc. lib.* 1. *Clementis Alexandrini, Oratione adhort. ad Gent. Eusebij, de vita Constantini lib.* 3. *capite* 25. *&* 52. *Athanasij, Orat contra Idola: Epiphanij, Anaceph. Octog, hæc Philastrij. Catal. hæres. in Baalit. Astaric. & Belit. ac ne plures nominem, etiam suo ipsorum testimonib redarguuntur Origines & Theodoretus. Nam Origenes in Epistola ad Rom. libro* 1. *&* 4. *& Theodoretus curat. Græcar. affect. Serm.* 3. *&* 10. *ex Septuaginta, libri Sapientiæ cap.* 14. *& Apostolorum vsitata phrasi* 1. *Cor.* 12. *Apocal.* 9. *nomen Idolorum simulachris Antinoi & aliorum hominum diuinos honores post mortem adeptos tribuunt. Bellarminus igitur, vt in altero Origenis & Theodoreti errato fucum faciat, alterum emendat, & eorum sententiam, mutatis Cynocephalorum & similium rerum exemplis in exempla hominum, ita recitat, vt affirmare videantur quod apertissimè negant.* Dicunt, *inquit*, inter Imaginem & idolum hoc interesse, quod Imago est vera rei similitudo, vt quum pingimus hominem: Idolum autem repræsentat id quod reuera non est: vt quum Gentiles proponebant statuam Veneris & Mineruæ, illa signa Idola erant, quia repræsentabant Deos generis fœminini, quales Dij nec sunt, nec esse possunt. *Vbi, si Venerem ac Mineruam homines esse meminerimus, quod & alij docent, & Bellarminus ipse perhibet in præfat. de Ecclesia triumph. appellans Venerem meretricem omniaque Gentium Idola Statuas hominum esse pronuncians, de Eccles. triumph. cap.* 8. *lib* 2. *ex Eusebio & Lactantio, videbimus, vt introducat Origenem & Theodoretum pugnantia loquentes: nempe, hominis simulachrum Imagines esse, non idolum; hominum autem simulachra Idola esse, non imagines. Et hanc conclusionem definitioni Idoli, quam illi adhibent, repugnantem infert, ex fallacia Forma dictionis. Hic enim Syllogismus sub eius verbis latet:*

Bellarmini fraus.

Idolum repræsentat id quod non est, ex Origenis & Theodoreti sententia.

Statua autem Veneris & Mineruæ repræsentant eas, vt Deos, quales non sunt.

Ergo.

Statuæ Veneris & Mineruæ sunt Idola ex Origenis & Theodoreti sententia.

Hoc argumentum quod de substantia dicit in Propositione, id in assumptione ad qualitatem transfert: Rectè enim Augustinus contra Faustum Manich. lib. 20. *cap.* 3. Pagani ea colunt quæ sunt, *id est, substantiam veram habent, & in rerum natura subsistunt:* sed pro Dijs colenda non sunt.

De eo

De eo autem, quòd Iesuita Angelorum Imagines sic coniungit cum Imaginibus Trinitatis, tanquam Deum æquè liceat pingere atque Angelos, infra agemus.

Rationes quibus Bellarminus differentiam suã Idoli & Imaginis probare conatur, & ad eas responsio. Ratio 1. Iesuitæ.

Porrò Bellarminus suam differentiam Idoli *&* Imaginis *rationibus probare nititur. Prima est:* Scriptura, *inquit,* nusquam tribuit nomen Idoli vlli veræ Imagini, sed solùm Simulacris gentilium, quæ falsos Deos referebant. *Hoc autem demonstraturus Bellarminus, Primò, ex Apocryphis & Canonicis Scripturis ita argumentatur:* Dei Filius in libro Sapientiæ, & epistolis ad Colossenses & Hebræos vocatur Imago Patris: at idolum Patris nunquam vocatur: & imagines Cherubim ad similitudinem hominum à Solomone dicuntur factæ 3. Reg. item Imagines leonum, boum, palmarum, malogranatorum, florum, *&c.* nec vnquam ista vocantur Idola. Ergo Scriptura nusquam tribuit nomen Idoli vlli veræ imagini. *Respondetur ad antecedens: Nos, quum Imagines, quæ adorantur & coluntur, Idola in Scripturis nominari dicimus, de Imaginibus loquimur artificialibus, & ab hominibus factis: de quibus dicitur* Ne facias tibi sculptile, aut vllam similitudinem. *Dei autem Filius est naturalis Imago Patris, non factus, sed genitus. Nos Idola fieri ex Simulachris affirmamus quando contra præceptum Dei adorantur & coluntur. Tantùm autem abest vt quicquam tale de Filio Dei mandatum sit, vt contra scribat Apostolus,* Adorent eum omnes Angeli Dei. *Ineptissima ergo est argumentatio Iesuitæ, Scriptura Imagines nunquam vocat Idola, quia nunquam Filium Dei vocat Idolum.*

In altera antecedentis parte, rectius loquitur de Imaginibus factis ad hominum similitudinem, leonumque ac boum, aliarumque creaturarum: sed falsò affirmat, Idolorum nomen ipsis nunquam tribui. Nam Imago illa quam Rachel surripuisse dicitur Genes 31. effigies erat hominis, vt patet ex Hebræa voce, quæ hominis statuam significat, & probat etiam Bellarminus de Verbo Dei lib. 1. c. 13. & tamen Idolum *vocatur à Septuaginta & Latino interprete. Liber Sapientiæ perhibens Idola inde orta esse, quòd Imagines primùm filij à patre, tum Regis à populo, factæ, ac diuino honore cultæ sint: eas ter vel quater vocat* Idola, *Sap. 14. Paulus etiam Rom. 1. Imagines hominum & bestiarum pro Deo à Gentilibus cultas indicat. Scriptura itaque Imagines rerum verarum & existentium,* Idola *vocat.*

Idoli nomen non solùm Simulachris Gentiliũ in scriptura tribui.

Sed Iesuita dicit, Nomen Idoli solùm Simulacris Gentilium tribui, quæ falsos Deos referebant. *Respondeo, hoc duplex esse mendacium.* Primum *est, quòd asserit, nomen Idoli solùm Gentilium Simulachris tribui in scriptura* Alterum, *quòd Simulachra omnia, quibus tribuitur nomen Idoli, Deos tantùm falsos repræsentârint. Nam Idoli nomen Israëlitarum etiam Simulachris tribui, testatur Vitulus aureus in deserto formatus, Exod. 32. quem Stephanus Actor. 7. Idolum vocat: testatur Simulachrum Michæ Iudicum decimo septimo, quod vulgata versio* Idolum *vocat: testantur duo vituli in Dan & Bethel, quos Septuaginta & Latina versio* Idola *vocant: 1. Reg. 12. testantur quæ Iudæis passim obijcit Dominus per Ezechielem sexto, cap. & seq.* Idola domus Israël, *&c. testantur etiam plurimi loci apud Isaiam, Ieremiam, Hoseam & alios Prophetas. Hæc autem Idola pleraque repræsentârunt verum Deum. De vitulo enim in deserto dicitur Exod. 32.* Hi sunt Dij tui, Israël, qui eduxerunt te ex Ægypto: *Hæc verba Neh. 9. sic enunciantur,* Hic est Deus tuus, qui te eduxit ex Ægypto. *Deus autem dicitur Simulachrum Dei, per vsitatam Metonymiam, quâ nomen rei signatæ tribuitur signo: sic imagines Cherubim, boum, leonum, dicuntur Cherubim, boues leones: Verus igitur Deus vitulo hoc repræsentatus fuit. Sic mater Michæ dixit, se argentum illud (ex quo Simulachrum factum est) sanctificasse Iehouæ ad faciendum sculptile: & Micha se Iehouam in eo colere ostendit, Leuitâ conducto. Postremò duæ statuæ, quas Ieroboam in Bethel & Dan collocauit, vt specie conuenerunt cum vitulo Israëlitarum in Ægypto: ita iisdem verbis institutionis repræsentando verò Deo destinatæ fuerunt: quia 1. Reg. 16. dicuntur grauius peccâsse qui Baalem, hoc est, Solem, colebant, quàm qui vitulos verum enim Deum illicito modo colere, minoris impietatis est, quàm idem facere Deo falso. His certissimis Scripturæ testimonijs declaratum est Iudæos quædam Simulachra habuisse, quibus verus Deus repræsentatus sit. Et Bellarminus propriâ conscientiâ conuictus fatetur, lib. 2. de Imaginibus Sanctorum capite* 13. non improbabiliter dici, Iudæos vitulum aureum pro Imagine veri Dei habuisse, *idque etiam confirmat testimonio Abulensis, Caietani & aliorum in caput* 17. *Iudicum.*

Simulachra & Idola non repræsentarũt tantùm falsos Deos.

Alterum effugium Bellarmini vanissimum est, quum dicit, Simulachra, quibus tribuitur nomen Idoli, falsos tantùm Deos repræsentâsse. *Nam Simulachris nonnullis etiam Gentilium, repræsentatum esse verum Deum, ex Scriptura probari haud difficulter potest. Athenienses enim Arâ, cui inscriptum erat,* Ignoto Deo, *colebant verum Deum, quem Paulus prædicabat. Quibus autem Aras erigebant Ethnici, eos etiam imaginibus honorare & colere solebant: testantur hoc Chananæorum, Deut. 12. & Græcorum Aræ cum Statuis & Simulachris. Paulus etiam Rom. 1. inquit,* Gentes gloriam incorruptibilis Dei mutâsse in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, *&c. Et ne longior sim, Bellarminum confutat apertissimis verbis* Peresius *Pontificius Theologus & Episcopus*

scopus, qui de Tradit. part. 3. affirmat, multa fuisse Idola, quæ tantùm benefactorem Deum repræsentârint: nec omnia quæ Gentes coluerint, falsum Deum significâsse.

2. Ratio. *Secunda ratio, quâ Iesuita suam differentiam Idoli & Imaginis probare conatur, hæc est:* Scriptura, *inquit*, Testamenti veteris Idola vocat ordinariè vanitatem, mendacium, Leuit. decimo nono, Num. vigesimo tertio, Hos. sexto. Vbi semper Idolum aliquid falsi significat. Habac. secundo, etiam inquit Scriptura; Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus conflatile, & imaginem falsam? Vbi clarissimè definitur Idolum imago falsa. Cui simile est, quod ait Plato in Theæteto: Mendacia & Idola pluris faciunt, quàm veritatem: Vbi Idolum cum mendacio conjunxit & veritati opposuit. *Hæc Iesuita. Respondeo: Argumentum tale est:*

Idolum semper aliquid falsi significat in veteri Testamento.

Ergo

Nusquam ibi designat Imaginem rei veræ.

Negatur antecedens, quod vniuersaliter sumptum verum non est, vt ex ijs quæ hactenus à nobis dicta sunt quiuis intelligit. Deinde, voces Hebrææ non significant vanum, falsum mendacium, quòd denotent res non in rerum natura subsistentes: sed idolis talia nomina tribuuntur ab effectu, quòd fallant expectationem idololatrarum, qui spem in illis ponunt, & se ab eis adiutum & conseruatum iri confidunt, quidcunque demùm repræsentent.

Habacuci locus explicatur. *Ab eodem effectu, non à forma dicitur* Idolum *Imago falsa, in ea quam subijcit Bellarminus sententia Habacuc: nam pro quod vulgata versio Latina habet*, Imaginem falsam, *Hebraica veritas habet*, Docentem falsum: *quemadmodum etiam Hieronymus Isaia 9. has ipsas voces quæ apud Habacucum exstant, rectius vertit* Docens mendacium *atque etiam Septuaginta*, Docentem, *&c. Confirmatur etiam à Francisco Ribera Iesuita, qui hunc locum Habacuc explicans, pro* imaginem falsam, *inquit*, in Hebræo est, Docentem mendacium; id est, rem docentem mendacium. *Appellatia igitur* falsæ Imaginis, *Idolo à Propheta Habacuc attributa, nihil aliud significat, quàm idola docere falsa & mendacia. Docere autem falsum & mendacium possunt, vt nihilominus rerum verarum & subsistentium sint imagines.*

Platonis locus explicatur. Huic simile est, *inquit Iesuita*, Platonis locus in Theæteto, Mendacia & idola pluris faciunt, quàm veritatem. Hîc, *ait, Iesuita*, Idolum cum mendacio conjunxit, & veritati opposuit. *Respondeo, Iesuita non fungitur officio boni & fidelis interpretis: nam* εἴδωλα *vertit* Idola, *quod potius* Simulachra *vertere debuit, vt interpretes Platonis Ficinus & Serranus: & perperam inde concludit*, Quia Simulachrum opponitur veritati, ideò rei veræ imaginem non esse. *Plato enim disputans, animorum sensa in lucem à iuuenibus edi quasi fœtus, magistrorum ope velut obstetricum, ait*, Non contingere mulieribus vt εἴδωλα aliquando patiant, interdum autem veros fœtus; idque haud facilè dignosci possit: quod in fœtibus animorum, qui à juuenibus eduntur, vsu venit: *In his verbis si quis expendat communi vsu tritam* Idoli *significationem, intelliget, hoc nomen alienissimum esse à Platonis sententia ac mente, ac potius* εἴδωλον *per Simulachri nomen reddendum esse & tam abest vt hic Platonis locus pro Bellarmino faciat, vt contrarium potius inferat. Nam Plato veras opiniones & sententias appellat* veros fœtus: *Simulachra autem, quâ voce falsas intelligit, verorum ait fœtuum speciem referre, nec nisi à peritis internosci posse. Euidentissimè igitur Plato* Simulachra, *vel vt Iesuita vertit* Idola, *tum veritati opponit, tanquam nihil vtile prolificumque habentia: tum verarum rerum similitudines tamen, quod Bellarminus de Idolo negat, esse pronunciat.*

Tertia ratio Iesuitæ est: Paulus 1. Corinth. 8. *ait: Scimus, quia Idolum nihil est in mundo.* Vbi Idolum nihil esse dicitur, quia licet sit aliquid secundum materiam, tamen nihil est formaliter, cùm id repræsentet quod nihil est, & proinde nec verè repræsentet, & consequenter nec sit. Cui loco allum similem adducit Hieronymus in cap. 7. Hoseæ, ad probandum Idolum nihil esse: nam Hesteræ 14. secundum Septuaginta dicitur: *Ne tradas sceptrum tuum his qui non sunt*, id est, Idolis. *Respondetur, triplici fallaciâ* Ambiguitatis vocum *Apostoli verbis alienissimum sensum Iesuita affingit. Nam* Idoli *nomen interdum significat Simulachrum, quo numen repræsentatur & colitur: interdum numen, seu Simulachro effictum & cultum, vt plerunque; seu adoratum, vt nonnunquã absq; Simulachro, Verbum autem.* Est, *aliquando significat substantiam ex materia & forma constitutam: aliquando accommodatur ad accidens notandum, quod subjecto adiungitur. Denique particula*, Nihil, *modò propriè simpliciterque accipitur: modò figuratè per emphasin quandam & hyperbolen in comparatione. Iam Bellarminus priorem ex duabus istis quas dixi, significationibus in singulis vocabulis*, Idolum nihil est, *arripit, & quoniam* Idolum, *pro Simulachro etiam acceptum, aliquid est secundum materiam, ait Iesuita*, propterea dici nihil esse, quia nihil est formali-

3. Ratio Bellarmini.

Explicatur locus 1. Cor. 8.

ter,

ter, cùm forma ejus fit repræsentatio, & id repræsentat quod nihil est. *Paulus verò posteriore significatione vnamquanque harum vocum accepit: & falsa gentium numina licet in natura rerum subsistant, tamen efficacià quàm minimùm valere qua inter illa plurimùm possunt, ideoque Deos non esse significauit: quasi dicere voluisset, Deos falsos nihil habere numinis diuini. Hunc sensum ex Apostolici contextûs circumstantijs apertissimè euincit D. Reinoldus pag 512. & seq. de Idololatria Romana.*

Hieronymi locus explicatur. *Quod locum Hieronymi attinet, quem citat Iesuita*, Non esse, *in verbis quæ Hestera affinguntur illic*, Ne tradas sceptrum tuum his qui non sunt, *significat idem ac nil esse: sicut in Isaia dicto c.40. de Iehoua*, Omnes gentes velut nihil sunt coram eo, *Septuaginta & alij reddunt*, velut nihil: *vbi Isaias habet*, velut non, *& Hieronymus*, quasi non sint, sic sunt coram eo: *nimirum creatura cum eo comparata, qui Mosi percontanti quod esset nomen eius, respondit*, Sum, qui sum, *& alibi nuncupatur* Qui est, *reuera non vel nihil sunt. Vnde Augustinus De Ciuit. Dei lib.8. c.11. rectè obseruauit, hoc idem esse ac si dixisset Mosi, dices filijs Israël*, Qui est, misit me ad vos: tanquam in ejus comparatione, qui verè est, quia incommutabilis est, ea, quæ mutabilia facta sunt, non sint. *Quamobrem si maximè putâsset Hieronymus, verbis illis affirmari idola non esse, haud tamen sequeretur, ipsius judicio perhiberi, idola non esse absolutè, propriè & formaliter. Adhac totus contextus*, Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his qui non sunt, neque rideant de casu nostro, sed conuerte consilium eorum in ipsos, *præcipuè declarant, vocibus*, qui non sunt, *significari impios & scelestos homines: qui, quo minus referunt similitudinem & naturam Dei, qui solus per excellentiam* ESSE *dicitur, eò rectius & justius, præ cæteris mortalibus dicuntur non esse. Et quum Hieronymus hunc locum sic verterit*, Ne tradas sceptrum tuum his qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram, *& ansam dederit Dionysio Carthusiano cum de hominibus, non de idolis exponenas: quis credat virum tantum fuisse tam incogitantem, vt in Commentario pertinere assereret ad Idola, eaque lignea, & lapidea, ad qualia refert Bellarminus, tanquam ipsa possent ridere & lætari hominum ruinâ? Et magna est suspicio, annotationem, de idolis ab aliquo in margine primò additam postea in contextum, quod etiam alibi factum, librarij aut typographi culpâ irrepsisse.*

4. Ratio. *Quarta ratio Bellarmini est*, B. Hieronymus in capite secundo Habacuc, & in cap.13. Zachariæ & alibi passim, confert hæreses cum Idolis: quia vt idolum est falsa imago, ita hæresis est falsa imaginatio. *Respondemus,* Explicatur alius locus Hieronymi. *Hieronymum hoc loco pro nobis contra Bellarminum facere. Nam primò in Habacuc*, Dicitur, *inquit c.2.* de Nabuchodonosore, quòd fabricatus sit statuam Idoli Bel, & posuerit eam in campo Dura. *Siue autem hoc ex sententia sua scripserit Hieronymus, siue eam potius opinionem amplexus sit, quæ tradit in c.3. Danielis*, jussisset Nabuchodonosor statuam sibi fieri, vt ipse in illa coleretur: Idoli *certè nomine imaginem vtrobique & similitudinem rei vera denotat.*

Concedat quoque necesse est, Hieronymum etiâ comparatione Hæresis cum Idolo, idem comprobare. Nam postea quam in Habacuc dixerat, Idola tropologicè dogmata peruersa esse, quæ ab his, à quibus ficta sunt adorantur: vt Arius sculpsit sibi Idolum creaturæ (*id est, falsò asseruit Christum Dei filium creaturam esse*) & adorauit quod sculpsit: vt Eunomius conflauit Imaginem falsam (*id est, Filium Patri dissimilem esse blasphemauit*) & conflationi suæ curuauit ceruicem: *addit*, vniuersa hæreticorum Idola, & diaboli figmenta, imaginem diuinitatis & pulchritudinem dogmatum præferre videri, cùm in illis nihil spirans sit & vitale. *Quibus apertissimè ostendit, hæresin etsi diabolicum, turpe & falsum dogma sit, imaginem tamen pulchri: diuini, veri præ se ferre.*

Quinta ratio Iesuitæ est sumpta ex ipsa vocis proprietate Sic enim inquit: Idolum est, vt 5. Ratio. Tertullianus docet libro de Idololatria, diminutiuum ab εἶδος, id est, forma, & significat formam paruam, non quantitate solâ sed perfectione: est enim propriè idolum (vt exponit Eustathius lib.11. Odyss. imago inanis, qualis est, quæ cernitur in vmbra hominis, & qualia sunt phantasmata, id est, Imagines, quas imaginatione fabricamus; quibus explica. sæpè nihil respondet in re: & qualia denique sunt spectra & vmbræ mortuorum, quę videntur quidem esse aliquid solidum, sed inanes sunt. Vnde Homerus 11. Odyss. & Lucianus in Dialogo de mortuis, animas mortuorum vocant εἴδωλα: & Vergilius libro 6. Æneid. Vmbras & cauas Imagines, id est, vanas & inanes. Quoniam ergo Idolum propriâ & primariâ significatione designat imaginem inanem, inde Scriptores sacri, & Ecclesiastici Doctores vocauerunt Idola statuas falsorum Deorum, licet solidæ sint, quoad materiam, quia inanes sunt quoad formam, id est, quoad repræsentationem. *Hac Bellarminus. Argumentum tale est.*

Idolum propriâ & primariâ significatione designat imaginem inanem.

Scriptores autem Ecclesiastici ex primaria significatione vocauerunt Idola Statuas falsorum Deorum.

Ergo.

Idolum apud Scriptores Ecclesiasticos dicitur Imago inanis quoad formam, seu repræsentationem.

Inane quid significet.

Respondetur, vtitur hic Iesuita fallaciâ Ambiguitatis in dictione Inanis. *Nam* Inane *dicitur aliud simpliciter, aliud secundum quid: & rursum, inter ea quæ secundum quid, aliud alio respectu, pro varietate rerum quibus inane aut plenum esse solet subiectum de quo agitur. Physici cùm negant quicquam esse inane, aut vacuum, loquuntur de inani simpliciter, quòd nihil prorsùs continet: Vulgus autem ea inania secundum quid appellat, quæ nihil habent solidi alicuius corporis, aut etsi alicuius, non tamen certi cuiusdam. Iam verò Bellarminus inani solidum sic opponit in eo, quod probandæ propositioni adhibet ex Eustathio de* vmbris mortuorum, quæ videntur quidem esse solida corpora, sed inanes sunt: *tanquam Imaginem inanem eam diceret, quæ sic inanis rei ipsius quam repræsentat, quòd corpus, cuius speciem præ se fert, non habeat. Hoc sensu si asseret in propositione,* Idolum propriâ & primariâ significatione inanem imaginem designare; *tum in Conclusione sola peccare, vbi diuerso vocis sensu infert, quod ex Propositione sic intellecta non sequitur,* idolum esse Imaginem inanem repræsentationis, *hoc est, quæ nihil repræsentet. Nam εἴδωλον, quod Homerus Iliad. 5. suppositum pro Ænea fingit, repræsentabat Æneam, & tamen erat imago inanis rei repræsentatæ, quòd Æneæ corpus, cuius præ se formam ferebat, non haberet. Bellarminus autem, cùm in Conclusione* imaginẽ inanem *dicit, non quæ sit inanis respectu rei repræsentatæ, non respectu repræsentationis, accommodatè loquitur, ad assertionem quam confirmare instituit, nempe,* Idolum falsam esse similitudinem, & repræsentantem id quod non est. *In propositione igitur eadem sensu dicere debuit,* Idolum propriâ & primariâ significatione imaginẽ esse inanem. *Quod videtur item accipi voluisse ex altero Eustathiano exemplo de* Phantasmatis, quibus sæpè nihil respondet in re. *Reuocatâ igitur voce multiplicis sensûs ad simplicem, quem Bellarmini institutum ac ratio postulat, argumentatio eius talis est:*

Idolum propriâ & primariâ significatione designat Imaginem repræsentantem id quod non est:

Scriptores autem Ecclesiastici tribuerunt nomen Idoli propriâ & primariâ significatione, falsorum Deorum statuis:

Ergo

Idolum apud scriptores Ecclesiasticos designat Imaginem repræsentantem id quod non est.

Idolum tam formam, quam formulam significat. Explicatur locus Tertulliani.

Propositionem huius Syllogismi probare conatur ex Tertulliano, Eustathio, Homero, Luciano & Vergilio. Nam, *inquit,* vt Tertullianus docet, Idolum est diminutiuum ab εἶδος, id est, formâ, *&* significat formam paruam, non quantitate solum sed perfectione. *Respondeo, Apud Tertullianum ne vestigium quidem exstat postremæ clausulæ, de perfectionis paruitate. Formulam autem Idolo propriè significari, ac non etiam formam, tam abest vt doceat, vllóue argumento probet, vt ne dicat quidem, imò apertè negat. Et quia verè negat* Idolum *significare propriè paruam formam, quippe quod ad omnem formam iurè extendit: propterea, licet εἴδωλον diminutiuum esse dicat, id tamen à se falsò dici commonstrat. Hæc enim eius verba sunt:* εἶδος Græcè formam sonat: ab eo per diminutiuum εἴδωλον deductum, æquè apud nos formulam fecit. Igitur omnis forma vel formula idolum se dici exposcit. *Harum sententiarum posterior priori contradicit. Si enim εἴδωλον diminutiuum esset, significaret omnem formulam duntaxat. Quod si omnem etiam formam significet, diminutiuum non est. Atqui non solùm in genere infert Tertullianus è vestigio,* Inde idololatria omnis circa omne Idolum famulatus & seruitus: *ac rursum,* Omnia colit humanus error, præter ipsum omnium conditorem, eorum Imagines, idola, imaginum consecratio idololatria: *sed etiam in specie* Idolis, *numerat* Imaginem à rege Nabuchodonosor factam, *quæ sexaginta cubitorum altitudinem habens formula profectò non fuit. Atque ita latè patere Græcæ vocis significationem, ex multorum Græcorum authorum consensu iudicioque probat Reinoldus lib. 7. de Idololatria Romana pag. 539. & seq.*

Etiamsi autem concederetur, Idolum significare propriè paruam formam, *non tamen inde concluderet,* idolum esse imaginem repræsentantem id quod non est. *Nam Cæsaris Imago in numismate, & anulo insculpta, erat forma parua: & tamen repræsentabat rem verè subsistentem.*

Explicatur locus Eustathij de Idoli nomine.

Ad Eustathii locum quod attinet eâdem fraude corrumpit eum Bellarminus, quâ Tertulliani locum peruertit. Eustathius enim ad Homeri verba, quibus hominum mortuorum animæ per necromantiam ab inferis excitatæ, eâdem specie Vlyssi visæ perhibentur, quam dum in viuis agerent, habebant homines ipsi: Sciendum est, *inquit,* phantasma fuisse hæc Vlyssi, quandoquidem genus erat diuinationis Ethnicis vsitatum, quod videbant hominum mortuorum εἴδωλα obscura & euanida, ex aere formata, atque ad Imaginum, quibus prima rei quasi lineamenta & vmbræ exprimuntur, morem sic efficta, vt quâ quisque corporis, ætatis, conditionis, habitûs, aliorumque adjunctorum specie viuus apparuerat, eadẽ repræsentaretur: quemadmodũ & in somnijs scilicet vsu venit. Idcirco anima quoque matris Vlyssis, cùm manus ejus in amplexũ ruentis effugeret, auolâsse dicitur, similis vmbræ aut somnio. *Sic Eustathius, conuenienter sententia Homeri, qui Elpenoris animam Vlyssi ita apparentem εἴδωλον appellat. Ac rursum,* vbi

Digitized by Google

vbi Vlysses, animam matris frustro conatus comprehendere, dubitat, vtrum anima ea sit, an εἴδωλον; *ibi Eustathius;* εἴδωλον, *inquit*, & vmbram & somnium Hominum pro eodem habet, *quod ad euanida* rei rationem attinet; & animam aliud ab his tribus esse ducit. *Ex his duobus locis Bellarminus suam, quam Eustathio tribuit, Idoli interpretationem edolat. Nam quod ab Eustathio planissimè explicatur,* εἴδωλον *esse Imaginem mortui, viuo similem, & repræsentantem id quod est: hoc iste non sophisticè solùm, sed etiam falsè distorquet, vt persuadeat, Idolum imaginem esse repræsentantem id quod non est.*

εἴδωλον quâ ratione phātasma Eustathio.

Sed vt Iesuita sophisma suum aliâ fraude aptius ad seducendum lectorem redderet, interpolat primam vocem Eusthathij, videlicet, phantasma hęc fuisse Vlyssi, *& ex ea hanc conflat sententiam:* Idolum est propriè (vt exponit Eustathius) imago inanis, qualia sunt phantasmata, id est, Imagines quas imaginatione fabricamus, quibus sępè nihil respondet in re. *Verum quidem est, phantasmata esse imagines, quas imaginatione fabricamus, quibus sæpè nihil respondet in re: sed Eustathius alio sensu ait* εἴδωλα *fuisse phantasma Vlyssi, quò scilicet aspectui ejus repræsentarent viuorum hominum speciem. Hujusmodi autem phantasmata imagines esse habentes aliquid sibi respondens in re, manifestum est, vt nullâ probatione egeat.*

In reliquis tribus, Homero nempe, Luciano & Vergilio sophisma idem est, quod in Eustathio.

An Imagines Sanctorū Simulachra dicenda.

Vt autem Iesuita hactenus contendit, Imagines Dei & sanctorum non esse Idola appellandas, ne Romana Ecclesia idololatrica appellari queat: sic jam postremo loco probare conatur, eas ne Simulachra *quidem nominari posse.* Nomen, *inquit*, Simulachri est quidem paulò communius: nam Lactantius lib. 6. de vero cultu, capite 10. & 13. vocat hominem Dei simulachrum: & libro 2. de Origine erroris, cap. 2. dicit Simulachrum dici à similitudine, & proinde omnem veram Imaginem posse dici Simulachrum. Verius tamen est, quod alii dicunt, Simulachrum dici à simulando, non à similitudine: nam in Scripturis simulachra vbique ponuntur pro Idolis. Semper enim vbi Latinus interpres posuit Simulachra; vt Act. 15. Psal. 113. 1. Ioan. vltimo, & alibi, semper in Græco est εἴδωλα: & B. Augustinus in Psal. 135. dicit, Latinos ea simulachra vocare, quæ à Græcis dicuntur idola. Hieronymus quoque in capite 7. Hoseæ dicit, sic opponi Simulachrum Deo, sicut opponitur mendacium veritati, quia Simulachrum Deum falsum refert. Denique sicut Homerus & Lucianus vocant Idola vmbras mortuorum, quæ videntur solida corpora quædam, & non sunt: ita etiam Lucretius libro 4. & Verg. lib. 4. Georg. & lib. 6. Æneid. easdem mortuorum vmbras passim appellant Simulachra.

Lactantius defenditur.

Respondeo, Ineptè Iesuita reprehendit Lactantium, Simulachri *nomen pro* imagine *vsurpantem: fuit enim Lactantius Latinitatis author optimus: Et sequutus est in hac re Ciceronem, qui in Orat. pro Archia inquit*, Statuæ & Imagines non animorum Simulachra sunt sed corporum. *In Epistola* 68. Artifices corporis simulachra ignotis nota faciebant: *Epist.* 143. Simulachrum & vestigium Ciuitatis. *De inuent.* Zeuxis Helenæ Simulachrum pinxit. *In Ver.* Effigies Simulachrumque Mithridatis. *Pro Do.* Mulieris Simulachrum è marmore, *&c. Sic etiam vsus est hac voce Varro lib. 6. de lingua Latina. Cyprianus de Idolorum vanitate: Arnobius contra Gent. lib. 6. & Isidor. lib. 8. c. 11. Simulachra tradis à similitudine nuncupata, eò quòd manu artificis ex lapide aliáue materia eorum vultus imitantur, in quorum honorem finguntur: aliíque multi cùm prophani, tum Ecclesiastici authores, idem Simulachri voce quod Imaginis significari testantur. Quos autem eorum loco sua sententia adstipulatores reponit Iesuita:* Veriùs est, *inquis*, quod alij dicunt, *&c. Qui autem illi sint, non indicat.*

Simulachri nomen non vbiq; in Scriptura pro idolo vsurpatū.

Imperitè quoque scribit Bellarminus, In Scripturis simulachra vbique ponuntur pro idolis: Semper enim; vbi Latinus interpres posuit Simulachra, vt Act. 15. Psal. 113. 1. Ioan. vlt. & alibi: in Græco est, εἴδωλον. Nam Latinus interpres Act. 17. vsus est voce Simulachri: in Græco autem non est εἴδωλα, sed σεβάσματα: *Idem interpres.* Exod. 34. *habet* Simulachra: *In Græco autem non est* εἴδωλα, *sed* θεοὶ: *Latinus interpres Leuit.* 26. *vertit* Simulachra, *quum in Græco sit non* εἴδωλα, *sed* χειροποίητα: *Idem videre licet Numer.* 23. 1. *Samuel.* 19. 2. *Reg.* 15. 2. *Chron:* 34. *Isa.* 10. & 40. & 41. *Ezech.* 6. 30. *Hos.* 10. *Zach.* 10. 2. *Machab.* 2. *Sed Bellarminus ab ipso Bellarmino hac in re confutatur: nam Isa. 40. c. vbi Latina versio habet* Simulachrum, *in Græco habetur* εἰκὼ: *quæ vox Bellarmino de Eccles. triumph. lib. 2. c. 6. fatente*, imaginem *significat.*

Augustini & Hieronymi loca de idolo & simulachro explicantur.

Ad Augustinum, quem etiam allegat Iesuita quod attinet, dicit ille semel quidem in Psal. 135. Latinos ea simulachra vocare, quæ à Græcis dicuntur idola: *sæpius autem eundem Patrem* Simulachrum & Imaginem *pro eodem vsurpare, ex aliis eius testimoniis apparet. In eundem Psal. dicit*, Simulachra oculos habere, & non videre, *&c. quibus Imagines humana specie factas Scriptura designat. In Psal. 113. scribit*, adorari potius debere viuas bestias, quàm hominum Simulachra vi[ta] sensuque carentia. *Contra Faustum lib.*

22.

22.c.17.*dicit*, ex desiderio mortuorum constitutas imagines, vnde Simulachrorum vsus exortus sit.

Hieronymus quoque vt Bellarminus addit, in cap.7. Hoseæ scribit, Sic opponi Simulachrum Deo, sicut opponitur mendacium veritati, quia Simulachrum Deum falsum refert. *Respondeo, Hanc clausulam*, Quia Simulachrum falsum Deum refert, *subjiciendo, Hieronymum ex parte ementitur Iesuita: tanquam Simulachrum, quod Deum verum referat, non item Deo contrarium censeret Hieronymus. Quòd verò dicit*, Mendacium contrarium esse veritati, sicut Simulachrum contrarium est Deo, ac propterea Idolum vocari mendacium ab Hosea: *Idolum quidem seu simulachrum doctorem esse falsi perhibet, sic tamen vt & Imago sit*; *vnde* Imaginem *quoque* falsam *in capite secundo Habacuc vocat. Neque hoc negare poterit Bellarminus, nisi negabit Imaginis nomen rectè tribui bestiarum & hominum Imaginibus, quæ Hieronymo in Isa.46.c.* Simulachra *suet.*

Vergilius de eodem. *Vergilius etiam mortuorum umbras non modò similes facit viuis hominibus, sed & Imagines appellat: Æneid. lib.2. & 6. Et Lucretius* εἴδω *a Epicuri explicans libr.* 4. Simulachra *appellat formas quasdam tenues, figura simili præditas atque solida corpora, à quibus eas vult deflere. Imò Lucretius lib.* 2. Simulachrum & Imaginem *conjungit, tanquam voces idem significant, promiscuèque vsurpat lib. 4. & 6. & hominum effigies* Simulachra *nominat, libro* 2. *Omnes igitur testes, quos Bellarminus producit contra veram* Simulachri *significationem, probant & testantur*, Simulachrum & Imaginem *pro vocabulis idem significantibus ab ipsis haberi.*

Quicunque vel Idolum, vel Imaginem colit peccat. *Postremò, vt maximè demus, Idolum & Simulachrum idem esse & significare, non tamen vult Augustinus lib* 20.*contra Faustum, Cap.* 5. *Idola eo sensu nihil esse, quo vult Bellarminus:* Sunt, *inquit*, & Idola, sed ad salutem nihil sunt. *Deinde non reprehendit Ethnicos, Idola colentes, hoc nomine, quòd coluerint id quod nusquam sit, sed quòd Idola pro Dijs coluerint. Christiani igitur dum colunt Imagines, non eo excusantur, quòd colunt ea quæ sunt, sed quia pro Dijs colunt.* Pagani, *inquit*, ea colunt quæ sunt, sed pro Diis colenda non sunt. *Imagines ergo pro Dijs colentes æquè peccant, ac Ethnici qui Idola & Simulachra coluerunt. Vnde rectissimè subjicit Augustinus*, Cum paganis quando agimus, vt Idola non colant, non eis dicimus quòd nulla sint, sed quòd colenda non sint. Eisque colendum horum omnium conditorem, Deum invisibilem suademus, cujus solius participatione beatus homo fieri potest. *Tota ergo hæc distinctio inter Idola, Simulachra & Imagines Pontificios nihil iuuat: Quicunque enim pro Dijs colit aliquid, peccat, siue Idolum, simulachrum, siue imago sit, quia id prorsus colendum non est.*

Idolorũ Simulachrorum, & Imaginum apud Ethnicos & Christianos eadẽ ratio quoad formam & cultũ. *Sed quid multis opus est? Constat enim tandẽ esse Idololatriæ apud Christianos quæ olim apud Ethnicos fuit ratio, siue ipsa Idola, Simulachra & Imagines, siue eorum vsum cultumque consideres. De gentilium enim Simulachris & Idolis Dauid loquens, ea ad hunc modum describit:* Simulachra & Idola ipsorum sunt argentea & aurea, opus quod manibus hominis producitur. Os habent, & non loquuntur: oculos habent, & non vident: aures habent, nec audiunt: nasum habent, nec odorantur: manus habent, nec palpant: pedes habent, nec ambulant, neque sonum edunt suo gutture, *&c. Psal.* 115. *Quid verò ab his Christianorum Imagines differunt vel materiâ, vel formâ, vel etiam actionibus. Et vt de forma pluribus agamus, fingebant Gentiles alium quidem senili, alium iuuenili habitu. Alius ceu iratus fulmen librabat aut ensem, alius rursum miti & placido aspectu intuentes alliciebat. Inter Deas aliæ matronalem grauitatem referebant, aliæ lasciuiam & intemperantiam non obscurè loquebantur. Accedebant his & brutorum animalium formæ, vt Paulus ad Romanos scribit. Num verò hæc omnia in Templis Christianorum non conspiciuntur? Sed & senili formâ (imò ridiculâ; vt Augustinus in libro de Fide & Symbolo monuit) Deus Pater, & Filium adhuc cruentum atque lacerum sinu fouet. Insidet humero, vel pectori adhæret Spiritus sanctus, adhuc columbæ speciem, in qua semel apparuit, referens. At cùm idem Deus sit, num nos Deo volucris speciem seu formam affingere negabimus? Gladio armatus adstat Paulus. Cultro nudato cernitur Bartholomæus. Eques cataphractus pugnat Georgius. Imò ferè nullus Diuorum inermis fingitur. De Imaginibus Diuarum pudet dicere, sed res ipsa loquitur, tali ferè eas habitu fingi & sculpi, qualem nemo bonus pater in filia, nec maritus probus in vxore ferret, Nec desunt brutorum animalium Imagines in Christianorum Templis, cùm Vuendelino oues bouesque Antonio porci, Martino anseres, Eustachio canes & cerui, ac Gertrudæ mures adstent. Quid quòd asinus, quo aliud non est animal stupidius simulachrum peculiare meruit? Quod si cultum spectes in hoc etiam ab Ethnicis nihil differunt. Nam vt illi olim, ita Christiani hodie, Simulachris & Imaginibus Sacella & Templa exstruunt: aras consecrant, easdem vestiunt. ad has esculenta & poculenta sacrificia vnà cum pecunijs offerunt. Coram illis procumbunt, preces ad eas dirigunt. Cùm ergo eadem sit tam Idolorum & Imaginum, quàm cultus, qui ipsis impenditur, ratio apud Christianos, quæ olim apud Ethnicos fuit, minimè putandum est, horum tantummodo Simulachra prohibita fuisse, nobis verò licere, vt mutatis tantùm nominibus statua-*

statuarum & Deorum eadem faciamus, propter quæ illi olim damnati sunt: sed sic statuendum, cùm similium eadem sit ratio, juxta Dialecticorum regulam, æquè nostra ac Gentilium Simulachra, Imagines, & Idola ab Apostolis damnata fuisse. Et loquitur quidem Ioannes in Apocalypsi 9. cap. non quidem de sui temporis Idololatris, sed de nouissimorum temporum simulachris & simulachrorum cultoribus, cùm inquit: Reliqui quoque homines peribunt & damnabuntur, qui non sunt occisi his plagis, sed non resipuerunt ab operibus manuum suarum, vt ne adorarent dęmonia & Simulachra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare. *Arrigite hìc aures idololatræ. An non Ioannes eodem modo de nouissimorum temporum Simulachris loquitur, quo David & Esaias de suorum temporum Idolis locuti sunt? Obseruate, an non judicium idem denunciet Christianorum Idololatris, quod omnis Scriptura jampridem cunctis simulachrorum cultoribus denunciauit?*

CAPVT XII.

II. De Principibus ICONOMACHORVM.

Historia Iconomachiæ. SVPRA *multis Originem & Progressum Imaginum, earumque cultûs exposuimus, & ostendimus* DEVM *primum fuisse Iconomachum, hoc est, eum, qui Idola, Simulachra & Imagines omnis generis in lege sua ad cultum fieri prohibuerit, vel si facta sint, eas abolere seu destruere præceperit. Mosi successerunt Prophetæ reliqui, & his Apostoli, qui omnis generis Imagines ad cultum expositas, damnârunt simpliciter, & vt ab iis abstineremus grauissimè monuerunt. Patres post Apostolos in tres Classes distinximus. Prima eorum fuit, qui Nicenum 1. Concilium præcesserunt. Secunda eorum, qui hos secuti sunt vsque ad Gregorium I. Papam. Tertia illorum, qui post hos vsque ad apertam Papæ tyrannidem vixerunt.*

De prima *Classe diximus, Omnes vno consensu Imagines improbâsse: & quidem speciatim etiam permultos Imagines Sanctorum reiecisse, vt non dici possit, Idola duntaxat Ethnicorum ab illis damnata fuisse: ac rationes eorum tales esse indicauimus, quæ] etiam contra Christianorum Imagines faciant.* In secunda *Classe omnes sensisse diximus, lege Dei prohiberi Imagines ad cultum, eóque in locis Cultui diuino consecratis, ferendas non esse, propter Idololatriæ periculum.* Quartò *ostendimus, vt post hanc ætatem Satanâ liberius regnante, sed tamen Spiritu Christi Ecclesiam suam non penitus deserente, Episcopi & Imperatores simul in diuersas sententias distracti fuerint: aliis Imagines in Templis approbantibus, aliis improbantibus: Vtque Imperatores Orientales & Occidentales hanc ob causam inter se commissi fuerint; illisque victoriam reportantibus, Imagines sublatæ, contra his superioribus existentibus repositæ sint: Cumque diu vehementer certatum vtrinque esset, demùm extinctâ verâ religione in Oriente, Pontifices Romanos Imagines in toto Occidente obtinuisse; & inde vi potius, quàm vlla ratione, in hæc vsque tempora in Papatu retentas & adoratas fuisse.*

Hæc, quia ex probatis auctoribus à nostris proferuntur, ideóque Bellarminus refutare non potuit, alto silentio ea præterit: Ille verò alios indicat, capite 6. qui primi Imagines earumque cultum reiecerint atque damnârint: sed tamen ita hoc facit, vt dubium incertumque ferè Lectorem dimittat.

Ac primò pro confesso sumit, quod tamen est Iconomachi primi Bellarmino qui *falsissimum, vt ex capite 9. huius libri apparet, Imagines Dei, Christi & Sanctorum jam inde à Christi temporibus in Ecclesiis Christianorum collocatas, & à nemine vnquam prohibitas, aut damnatas fuisse per aliquot annorum Centurias. Deinde commemorat varias Pontificiorum sententias, de iis, qui primò Imagines in Templis prohibuerunt & impugnârunt, sic tamen vt multas earum ipse quidem probet, sed tanquam falsas & erroneas reiiciat.*

Alphonsus, *inquit*, de Castro tribuit Iconomachiam cuidam Felici, quem dicit damnatum in Concilio Franconiæ, teste Platina in Adriano 1. *Sed Iesuita ipse hanc sententiam refutat*: Felix, *inquit*, damnatus in Synodo Francofordensi, est Felix Episcopus Vrgelitanus. Is autem (vt ex Adone in Chronico & Iona lib. 1. patet) solùm docuit, Christum esse Filium Dei adoptiuum; quia tamen eadem Synodus reprobauit eodem tempore Pseudosynodum Græcorum contra Imagines, putauerunt tam Plat. quàm Alphons. hęresim Felicianam esse hæresim Iconomachorum. *Vbi tamen & ipse Iesuita errat, quum dicit, Francofortensem Synodum reprobâsse pseudosynodum Græcorum (Constantinopolitanam 7. intelligit) contra imagines.*

Secundò dicit Bellarminus, Iconomachiam falsò tribui ab Alphonso etiam Sereno Massiliensi Episcopo & Epiphanio. Non enim, *inquit*, sine temeritate, & præjudicio Catholicæ Ecclesiæ tam crassi errores tam magnis viris tribuuntur. *Rectè autem Alphonsum tam Serenum, quàm Epiphanium, inter Iconomachos, hoc est, Imagines prohibentes, & legem Dei contra illas latam defendentes, numerare, ex cap. 9. huius libri apertissimè intelligitur.*

Tertiò, inquit Iesuita, Nicolaus Sanderus libro 1. Capite vltimo de Imaginibus dicit, primos Iconomachos fuisse Manichæos, tum

tum quia id videtur significare Tharasius in 7. Synodo, tum etiam, quia Faustus apud Augustistinum lib. 30. capite 3. contra Faustum, gloriatur, à suę sectæ hominibus Deum sine Simulachris coli. *Verùm ne hanc quidem opinionem Bellarminus probat.* An res, *inquit*, ita se habeat, vehementer dubito. Nam Tharasius in 7. Synodo act. 5. non dicit Manicheos respuisse Imagines, sed dicit, Iconomachos dum Imagines respuunt, similes esse Manichæis, qui asserebant, Christum non habuisse verum corpus: *qui enim negat Christum posse depingi, videtur Tharasio & Bellarmina existimare, Christum non habere verum corpus. Alioquin cum Manichaeorum & similium hæreticorum controuersia & certamina diligenter apud veteres descripta exstent, nusquam tamen Iconomachia illis tribuitur: imò Manichaos Imaginibus aquiores fuisse ex Augustino contra Adimantum cap. 13. liquet.* Adimantus, *inquit*, reprehendit cœlum Dei, quo à cultu simulachrorum prohibemur. Vult ergo videri fauere se simulachris. Quod propterea faciunt, vt miserrimæ & vesanæ suæ sectæ etiam paganorum concilient beneuolentiam.

Quod Faustum attinet, vterque tam Sanderus quàm Bellarminus errant: Sanderus quidem, quòd putat, Faustum gloriatum fuisse, à suæ sectæ hominibus Deum sine simulachris coli: *Bellarminus verò, quòd dicit*, Faustum non loquutum esse de Imaginibus Sanctorum, sed solùm de Imaginibus Dei. *Res autem sic se habet. Faustus orthodoxos Schisma gentium nuncupârat: hoc refellens Augustinus*, Pagani, *inquit inter alia*, aris, delubris, simulachris, victimis atque incenso Deum colendum putant. Ego ab his in hoc quoque multum diuersus incedo, qui ipsum me, si modò sim dignus rationale Dei templum puto viuum viuæ majestatis: Simulachrum, Christum Filium eius accipio: Aram, mentem bonis artibus & disciplinis imbutam: honores quoque diuinos, ac sacrificia in solis orationibus, & ipsis puris ac simplicibus pono: quomodo ergo schisma sum paganorum? *Et paulò post de Fausto & sua secta hominibus loquens Augustinus*, Vos, *inquit*, sacrificia paganorum vertistis in Agapas, Idola in Martyres, quos votis similibus colitis: defunctorum vmbras vino placatis & dapibus. *Quibus verbis Augustinus apertissimè docet, orthodoxos suo tempore, nullas prorsus vel Dei vel Sanctorum Imagines in suis Templis habuisse.*

Primi Iconomachi Bellarmino Iudæi fuiss. *Quartò ait Bellarminus*, Ergo primi Iconomachi sunt Iudæi, qui in suo Thalmud, quod anno Christi 476. prodiit Ord. 2. tract. 1. dist. 1. disertè docent, Christianorum Ecclesias esse domos idololatriæ, *&c. Respondeo, Iudaos circa annos Domini 476. non primos extitisse, qui Imagines omnis generis ad cultum propositas damnârunt: nam diu ante hoc fecit Deus ipse, Propheta, Apostoli & Patres omnes in primitiua Ecclesia. Nec mirum etiam post natum Christum eos ab Imaginibus abhorruisse: nam vt vt indurati fuerint, nouerunt tamen Idolorum, Imaginum, & Simulachrorum cultum maioribus eorum semper infelicissimè cessisse: vide supra cap. 8. huius libri. Nec reprehendit hoc in Iudæis sui temporis Augustinus, sed potius laudat lib. 20. contra Faustum cap. 4.*

An Xenaias Iconomachus. *Quintò ait Bellarminus*, Zenone imperante exstitit Xenaias, quem principem Iconomachorum fuisse dicunt Nicephorus libro 16. Capite 27. & Cedrenus in Compendio. *Respondeo, sic ita, vt Nicephorus, author alioquin fabulosissimus, refert, non tamen sequitur, Xenaias in multis errauit, ergo in omnibus. Nam Iesuita multos fidei articulos corruperunt horribiliter, & falsissima docent, non tamen in omnibus errant. Deinde respondeo, Nicephorus indicat*, Xenaiæ hæresim fuisse, Imagines Sanctorum non esse adorandas: *Idem Gregorius verò M. Papa tanquam catholicam Ecclesia doctrinam defendit.*

An Samaritani primi Iconomachi. *Sextò dicit*, sub Iustino iuniore Imp. Samaritani quidam irruperunt in Ecclesiam quandam & in Imagines Christi, & Sanctorum grassati sunt. *Respondeo, si Ecclesia hac ad Samaritanos istas pertinuisset, & legitimè Imagines abrogâssent, ex zelo erga legem Dei prohibentem imagines, rectè fecissent: sed quia odio erga religionem Christianam, & ex furore bellico hoc factum est illegitimo modo, non rectè fecerunt: Neque inde sequitur, Imagines propterea probandas esse.*

De Mahumeto Imagines damnâtt. *Septimò Iesuita inquit*, post annum Domini 600. exortus est Mahumetus, qui suæ sectæ hominibus nullas Imagines in Templis permisit, *&c. Respondeo, Etsi Mahumetus multa blasphema & horrenda sanxerit, prohibendo tamen Imagines non peccauit, sed id ex lege Mosi didicit.*

Octauò dicit, Post annum 800. Hebræus quidam Ezidi Regi Arabum Mahumetano promisit 300. annos vitæ, si in suo Imperio Imagines Christi & Sanctorum ex Christianorum Ecclesiis auferri & comburi juberet: Iussit ille: sed cùm Christiani non parerent, immisit Arabes & Hebræos in Ecclesias, qui negotium impigrè perfecerunt. *Respondeo primò vt suprà, Si Iudaus ille hoc fecit amore legis diuina, & apud legitimum magistratum instituit, vt imagines è Templis amoueantur, rectè fecit, nam Deus in lege sua hoc mandauit: Sin autem Christiana Religionis odio hoc fecit, peccauit, sicut Nabuchodonosor ob impiè tractata vasa Templi, Arcam & Cherubim peccauit, ideoq; à Deo punitus esse à*

Chry-

Chryſaſtomo non malè dicitur, quia odio Dei & in eius contumeliam hoc fecit: Deinde, citat Ieſuita hoc exemplum, vt etiam priora aliquot ex Nicena 2. Synoda Idololatrica, in qua multa falſa, vana & ficta leguntur, quæque in Orthodoxis libris & probatis authoribus non habentur.

Nonò, Imperatorem pijßimum Conſtantinopolitanum Leonem III. cognomento Iſauricum, Iconomachum facit. Leonis patris quemadmodum in Imperio ſucceſſorem *facit* Conſtantinum Copronymum, ſic & in hæreſi, (*Ieſuita verba ſunt*) quòd coli Imagines à Chriſtianis vetuerit, *quem etiam, pro more ſuo, varijs erroribus alijs onerat. Pergens deinde in Iconomachorum hiſtoria, ſucceſſorem facit Conſtantini Copronymi Leonem Armenium, huius Michaëlem Balbum, Balbi Theophylum Imperatores Conſtantinopolitanos ab anno Chriſti* 815. *vſque ad annum* 840. *In Occidente Claudium Taurinenſem Epiſcopum, quem Sereni Maßilienſis Epiſcopi ſucceſſorem huius doctrina facit anno Domini* 840. *Claudio ſucceßiſſe vult, ſed magno temporis hiatu, Iohannem Vuiclefum anno* 137. *Vuiclefo Hieronymum Pragenſem: Pragenſi Carolſtadium, huic Caluinum. Reſpondeo, hæc vera eſſe vt à Bellarmino commemorantur, non autem primos fuiſſe iſtos quorum hic Ieſuita meminit, qui hoc fecerunt, ſed Deum ipſum, Prophetas, Apoſtolos, & Patres primitiuæ Eccleſiæ. Cumque poſt horum tempora ſenſim in Eccleſias recepta eßent imagines, & ad cultum propoſita, non ſolùm Epiſcopi ſcriptis publicis & viuâ voce, ſed etiam Imperatores Chriſtiani & pij edictis Imagines prohibuerunt, impugnârunt & damnârunt. Fuerunt igitur Iconomachi, ſed non eo ſenſu, quo Pontificii volunt, nempe. ſceleſti, impij & prophani homines: alioquin tales etiam eſſent Prophetæ, Apoſtoli & Patres.*

CAPVT XIII.

III. An ſint prohibitæ IMAGINES Dei.

AD *hanc quæſtionem Bellarminus capite octauo primò reſpondet, Vtrum liceat Imagines Dei pingere an non, eſſe in opinione & incertum: Verba enim eius hæc ſunt;* Non eſt tam certum in Eccleſia, an ſint faciendæ Imagines Dei, ſiue Trinitatis, quàm Chriſti, & Sanctorum; hoc enim confitentur omnes Catholici, & ad fidem pertinet, illud eſt in opinione. *Deinde verò reſpondet affirmatiuè, & ſimpliciter dicit ex authoritate Caietani, Ambroſii Catharini, Dieghi Payua & Sanderi, quum tamen capite præcedente Caietanum & Catharinum grauißimè in hoc argumento errâſſe velit, licere pingere Imaginem Dei. Orthodoxi autem Theologi negatiuè reſpondent.*

PRIMA *autem ratio Bellarmini hæc eſt, quâ ſuam affirmantem ſententiam probat:* Angeli ſunt incorporei, & tamen depicti, & ſculpti ſunt in Teſtamento veteri, Exod. 25. 3. Reg. 6. quare Deus etiam licet incorporeus pingi poterit. *Reſpondeo, Fallacia eſt à Diſparatis, ſeu à diſparitate rerum collatarum, ideoque Ab ignoratione Elenchi. Etſi enim Angeli quoque ſpiritus & incorporei ſunt, ſicut & Deus, non ſunt tamen infiniti & immenſi, vt Deus. Ideò aliquâ imagine circumſcribi poſſunt, quòd certè non conuenit Deo. Quare tolerabilius eſt, ſi pingantur forma Angelorum, quas ſumebant, quàm ſi illa pingerentur, quas aſſumebat, & in quibus apparebat Deus.* *Argumenta Bellarmini, quibus probat, Licere pingere Imaginē Dei.*

SECVNDA *ratio eſt*, Deus viſus eſt corporeâ ſpecie: nam Adæ apparuit tanquam homo deambulans in paradiſo, Geneſ. 3. Iacob vidit Deum innixum ſummitati ſcalæ; & proinde formâ corporeâ, Geneſ. 28. Moſes vidit poſteriora Dei, hoc eſt, terga & humeros, Exod. 33. Iſaias cap. 6. & Micheas 3. Reg. vlt. viderunt Dominum ſedentem in ſolio ad formam hominis Regis. Denique Daniel cap. 7. vidit eum ſedentem in throno, & deſcribit caput, & canos ejus capillos, ac veſtimenta alba. Spiritus etiam ſanctus apparuit in forma columbæ & ignis. Poteſt igitur Deus pingi in ea forma, in qua ſeipſum demonſtrauit. *Reſpondet ad hoc argumentum Zanchius in Tract. Theol. pag.* 350. *Licuiſſe Deo quibus voluit formis ſuam præſentiam patefacere: ſed non licere nobis formas quas non habet, illi affingere, quia nobis hoc prohibet. An non hoc ſatis eſſe debet? Num ſapientiores erimus Deo? Quid diſputamus, an aliquid liceat, cùm exploratam habeamus voluntatem Dei. Duæ autem ſunt cauſæ, cur nolit vllam ſui Imaginem fieri, ſeu ſe imagine aliquâ repræſentari: vna cum alijs communis, quia videlicet non vult in vlla imagine coli: altera propria, quia nullam habet formam, quâ poßit repræſentari. Atque hæc inculcatur à prophetis, vt Iſa.* 40 *& alibi,* Cui me aſſimilabitis, inquit, Dominus? *Satis eſſe debet cuique pio, noſſe Dei voluntatem, ſed quum accedunt etiam rationes, quas dignatur Deus proferre, quanta impietas, velle, an poßimus adhuc facere, quod ille vetat, diſputare? Si ratio valet, quam affert per Moſem, & per prophetas: omnis humana ratiocinatio in contrarium, vana eſt & corruit. Quis verò dicat, rationem Dei nullius eſſe ponderis? Atque hæc ſit generalis reſponſio ad argumentum.*

Nunc in ſpecie reſpondere volumus ad formam argumenti. Fallaciâ peccat Bellarminus, Non cauſa, vt cauſa, vel etiam Accidentis. Apparuit aliquando patribus Deus ſub certis formis, vt daret ſignificationem aliquam ſuæ præſentiæ, aut vt certa etiam Myſteria adumbraret *Cur Deus apparuerit ſub certis formis.*

per illud tempus: sed nunquam, quòd voluerit à patribus & prophetis sub illis figuris & formis depingi. Hoc inde manifestissimè intelligi potest, quòd nunquam vel Moses, vel prophetæ tulerunt Deum ullâ figurâ pingere. Neque etiam vnquam vsi sunt hoc argumento. Deus ostendit se nobis in imagine seu forma humana: ergo nobis licet eum pingere in illa. Cur igitur hoc nos hodie audemus, quibus se sub talibus figuris nunquam visendum exhibuit? Deinde talem figuram non sibi retinuit, sed ad tempus saltem assumsit: non possumus igitur dicere, hæc est Dei imago. Item à fine, vt specialem præsentiam suam significaret, assumsit. At quomodo Papistæ affirmare possunt, vbi imaginem collocant, ibi Deum eadem speciali præsentiâ adesse? Si de generali præsentia omnibus communi quæstio sit, opus non habet Imaginibus aut signis: In ipso enim viuimus, mouemur & sumus, & palpamus sub rebus creatis. Denique aliud est quærere, quid possit probabiliter de aliqua re ab humana prudentia dici, an fieri illa possit: & illud, quid necessariò faciendum sit, aut vitandum. Quæcunque hac de re possunt adferri rationes, si quid concludunt, probabiliter saltem concludunt. Vera autem pietas & Theologia non rationibus probabilibus nititur, sed tantùm necessariis apertoque Dei verbo: quo non solùm vetamur imaginem vllam Deo affingere ad cultum: sed etiam docemur, Deo summoperè displicere, si aliquam ei imaginem simpliciter affingamus, etiamsi non colamus quòd res sit Deo, qui totus est Spiritus, & quidem immensus & inuisibilis, omnium rerum conditor, indignissima. Facessant igitur omnes humanæ futilesque rationes, & pudent homines cum Deo disputare? velleque eo sapientiores haberi.

TERTIA ratio est, Scriptura verbis tribuit Deo omnia membra humana, dum eum dicit stare, sedere, ambulare: nominat ejus caput, pedes, brachia: tribuit illi, sedem, thronum, scabellum, &c. Cur ergo non poterit pictura exhiberi, qualis depingitur in Scriptura? Respondent aliqui, membrorum diuersitatem, quæ in Sacris Literis Deo adscribitur, sacramento quodam ostendisse, naturam diuinam, humanam olim assumpturam fuisse. Sed hæc responsio non satisfacit. Respondeo igitur, in hoc Iesuitæ argumēto malam esse consequentiam, qui omnes, præter Anthropomorphitas Monachos stupidos, intelligūt, istas locutiones figuratas esse. Respōdeo tertiò, In huiusmodi locutionibus Scriptura de Deo, nos spectare debere bonitatem, Dei quâ ita se ad infirmitatem nostram demisit, vt, quum naturam eius intelligere nequeamus, quasdam suas proprietates membrorum hominum viuentium, non statuarum lignearum, aut lapidearum nomine patefacere, seu potius adumbrare voluerit. Prouidentiam siquidem oculo descripsit, omnipotentiam brachio, artificia manibus, iram naribus, capillis canis prudentiam, & cætera huiusmodi. Non autem sequitur, nobis etiam licere ad illum exprimendum, iisdem lineamentis, coloribus & cælaturis vti. Quia Deo non est imposita lex, neque omnia licent hominibus, quæ ipse iustè & rectè facit. Deus quippe vltionem capit de suis hostibus, Parenti mandat vt Filium interficiat, & vult Israelitas auferre secum Ægyptiorum bona, quæ tamen hominibus nefas est vel facere, vel præcipere. Nam ille hominibus, non sibi ipsi leges imposuit. Quumque ille sit legis author, potuit interdum quædam ab ea excipere. Statuendum igitur est, illum non sine ratione fecisse quod fecit: illa autem ratio hæc non fuit, nobis eum licere humano corpore & membris effingere: quum hoc disertè in lege prohibuerit, & Bellarminus ipse fateatur, non sine periculo imperitis huiusmodi Picturas exhiberi.

QVARTA Bellarmini ratio est, Pinguntur, inquit, ea, quæ minus videntur posse pingi quàm Deus, nimirum virtutes, quæ non solùm Spirituales, sed etiam accidentariæ sunt: cur ergo non poterit pingi Deus? Respondeo primò, non quæstio est simpliciter, quid pingi possit, sed quid pingi debeat. Non autem Deum depingi & Imagine effingi debere, lex expressa in promptu est; nulla autem lex exstat de non pingendis virtutibus. Respondeo secundò, notum esse omnibus illud Horatii.

Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Ineptissimè igitur Iesuita hanc pictorum licentiam eorumque commenta contra fidei articulum & expressam Dei legem nobis obiicit. Et ipsemet Bellarminus hanc pictorum licentiam refutat colum. 2104. Non tolerandum est, inquit, quod pictores audant ex capite suo confingere Imagines Trinitatis: vt cùm pingunt vnum hominem cum tribus faciebus, aut vnum hominem cum duobus capitibus, & in medio eorum columbam: ista enim monstra quædam videntur, & magis offendunt deformitate suâ quàm similitudine, &c. Respondeo tertiò, Imaginibus Dei homines perniciosè seduci, vt videlicet aliter sibi Deum imaginentur, quàm deberent: in Imaginibus autem virtutum non puto esse deceptionem, vt seduci possint spectatores.

QVINTA ratio est, Homo est vera Imago Dei: sed hominis potest pingi imago: ergo & Dei. Argumentum tale est:

Homo seu hominis Imago pingi potest.
Homo est Imago Dei.
Ergo
Dei Imago pingi potest.

Respondeo, in Maiore Propositione per Imaginem hominis intelligitur exterior eius figura, facies, color, statura & lineamenta. Minor loquitur

tur de eius intellectu, animo, sanctitate &c. quâ tantum homo Imago Dei dicitur. Hinc ergo malè infertur, Dei Imaginem pingi posse quia exterior facies hominis pingi potest. Non enim homo est Imago Dei, quâ parte pingitur, nempe corpore, sed quâ parte non potest pingi, videlicet intellectu, animo, &c. Astipulatur nobis etiam Polydorus Vergilius, qui lib. 6 c. 13 sic scribit: Moses quidem dicit, Deus fecit hominem, ad imaginem Dei fecit eum: sed hoc ad animam Eusebius de Præparat. Euang. lib. 11. scienter refert: id quod Damascenus ad corporis formam detorquere nititur, *&c.*

At si ita esset, *inquit Bellarminus*, sequeretur hominem non posse depingi: nam homo non est homo ratione figuræ & colorum quæ sola exprimuntur in Imagine, sed est homo ratione substantiæ, & præcipuè ratione animæ, quæ depingi non possunt. *Respondeo, Vocabulum* hominis, *duplici respectu, quod omnes sciunt, homini tribuitur: Primò, propriè & simpliciter, ratione substantiæ & intellectûs: Secundò impropriè, respectu figuræ, coloris & lineamentorum. Si enim hominis Imaginem vides, statim dicis, hic est Homo, non respectu substantiæ & animæ, quæ corporeis oculis videri non possunt, sed figuræ & lineamentorum. Priore modo homo non potest pingi, quod Bellarminus ipse fatetur: posteriore autem potest.*

SEXTO, *probare conatur suam sententiam, Deum videlicet pingi posse, ex usu & authoritate Ecclesiæ.* Iam, *inquit*, receptæ sunt ferè vbique ejusmodi Imagines. Neque credibile est Ecclesiam toleraturam aliquid vniuersaliter illicitum. Adde, quòd Concilium 7. Act. 5. approbat Imagines Spiritus sancti in forma columbæ: & Concilium Tridentinum Sess. 25. admittit Imagines Dei, *&c. Ad hanc rationem multipliciter responderi potest.* Primò, *Non quid fiat, sed quid fieri debeat spectandum est.* Secundò, *Vsus & consuetudo, quæ pugnat cum verbo Dei, nullo modo præscribit Iudæi Idololatræ ad Ieremiam dicebant quoque, Sic fecimus nos, & Patres nostri, Reges nostri, & Principes nostri,* &c. *Deus autem respondebat illis: In statutis Patrum vestrorum nolite ambulare: Ego Dominus Deus vester. Christus Pharisæis quoque dixit: Hypocritæ, quare violatis præceptum Dei propter traditionem vestram? Potuissent etiam objicere longum vsum & consuetudinem suam cum aperto Dei verbo pugnare. In Decretis dist. 8. cap. veritate. Augustinus inquit:* Repertâ veritate, cedat consuetudo: nemo sit, qui ausit consuetudinem præferre veritati & rationi. *Et Cyprianus in Epistola contra Aquarios scribit:* Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est: quoque malis obtinet, tantò magis grauat. Tertiò *vtitur Iesuita fallaciâ Homonymiæ. Quum enim vsus & authoritas Ecclesiæ allegatur, de vera, non falsâ Ecclesia, qualis est Pontificia, quæ à Deo & verbo ejus defecit, hoc intelligi debet. Hunc autem vsum & consuetudinem hanc, cujus hîc meminit Iesuita, non esse veræ Ecclesiæ, inde apparet, quòd citat duo idololatrica Concilia, quæ approbârunt & receperunt Imagines Dei, videlicet Nicænum 2. & Tridentinum: nullum autem profert ex vera antiquitate, & quod approbatum receptumque sit ab Orthodoxis Patribus. Et hæc sunt fundamenta, sanè per quam ruinosa & infirma Bellarmini pro Imaginibus Dei.*

Dei memoria non refricatur & conservatur in animis hominũ Imaginibus.

SEPTIMO, *affertur non quidem à Bellarmino, sed ab alijs Papistis hæc ratio:* Natura, *inquiunt*, quæ à Deo est, docet nos aliquam proponere nobis Imaginem, quæ nobis in memoriam reuocet Deum, nostrique nos admoneat officij. Non solùm enim verbum Dei, sed etiam natura nos docet, Deum perpetuâ memoriâ nobis esse retinendum, colendum, inuocandum, amandum, cùm ille sit inuisibilis, nos verò quæ sub sensus non cadunt, facilè obliuiscamur, in varia distracti negotia, nisi habeamus, qui nobis refricent memoriam, nostrique nos admoneant officij. Ideò Natura huc nos impellit, vt signum aliquod visibile nobis proponamus, quo subinde conspecto, Dei recordemur, eoque mentes nostræ in cœlum subleuentur, ad Deum inuocandum. Nobilius autem signum, eoque dignius inueniri non potest humanâ figurâ atque imagine. Esse autem hoc à Natura, inde liquidò apparet, quòd jam inde à condito mundo, & post hominum memoriam, omnes populi ac nationes ac Deum aliquâ Imagine repræsentandum, non solùm propensi fuerunt, sed etiam incitati atque impulsi. Quæ autem à Natura sunt, à Deo sunt. Quòd igitur imago aliqua fiat, quæ nobis sit instar perpetui monitoris atque stimuli ad Deum recolendum & adorandum, damnari non potest: præsertim cùm nostra (vt vulgò loquuntur) intentio in faciendis Imaginibus alia non sit quàm bona, pia & sancta.

Respondetur, Sumunt hic quidem Pontificij quod verum est, homines videlicet, partim ob infirmitatem, partim ob multiplices & varias curas monitoribus opus habere: sed tamen in eo errant, quòd mutos & surdos, omnique ratione carentes monitores sibi asciscunt, alijsque proponunt, Deus huic necessitati, pro sua bonitate, abundè succurrit atque prospexit, quia omnia opera sua hominibus spectanda proposuit, vt illis perspectis de opifice admonerentur. Quot igitur sunt creaturæ, tot sunt etiam admonitores. Vnde & Dauid sapientissimè cecinit: Cœli enarrant gloriam Dei: & opera manuum ejus annunciat firmamentum. *Et Apostolus:* Inuisibi-

R 2 lia

lia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. *Quoquò igitur te vertas, habes qui te moneant, Deum esse, in quo viuimus, mouemur & sumus. Hanc ob causam etiam Patriarchæ sacrificaturi conscendebant montes, vnde varias Dei creaturas facilius spectare possent, & per illas in memoriam notitiamque Dei creatoris subleuari. Præter has creaturas habemus etiam Sacramenta, à Deo in hunc finem instituta: Habemus verbum Dei, & Spiritum sanctum intus docentem: An vobis non sufficiunt hi monitores? Ierem.* 10. *& Habac.* 2. *cap. Imagines* mendaces doctores & monitores *appellantur.*

Non omnes populi Deum Imagine repræsentarunt.

Quod dicunt de consensu omnium populorum, qui ad Deum aliquâ Imagine repræsentandum, non solùm propensi fuerint, sed etiam incitati atque impulsi: falsum est. Populus DEI *nunquam admisit Imagines: licet decem tribus colerent vitulos. Patriarchæ etiam ante Mosem, Deum coluerunt sine Imaginibus. Imò, si Tertulliano credimus, Enoch contra Idolorum fabricatores & cultores scripsit. Persæ in Templis suis non admiserunt Imagines, Strabone teste. Græci illas semper oppugnârunt, donec vi per quosdam Imperatores illis fuerunt obtrusæ. Romani plusquàm* 170. *annos Deos sine vllo Simulachro coluerunt: vide plura supra c.* 7. *lib.* 2. *Itaque neque ex lege Naturæ, neque ex consensu omnium populorum est, vt hebeamus Imagines quæ Deum nobis repræsentent.*

Bonâ intentione non probantur Imagines Dei.

Quod denique de bona Intentione dicunt, nihil ad rem facit. Qui enim bona hæc esse intentio potest, quæ cum verbo Dei apertissimè pugnat? Fides verbo Dei innixa, bonam gignit intentionem.

Soti argumentũ pro Dei Imaginibus.

OCTAVO *Sotus in* 1. *cap. ad Roman. ait,* non prohiberi, quin possimus imaginem facere Deo, alicujus hominis, quòd in Deut. 4. c. vbi præceptum anteà traditum de Imaginibus repetitur & explicatur, nulla fiat mentio imaginis humanæ, sed tantum brutorum animantium reptilium, & piscium. *Respondetur, Cùm in Exodo Deus dicat,* Ne facias tibi vllam similitudinem eorum, quæ sunt in terra: *an non etiam damnat Imagines hominis? Deinde Deut.* 4. *c. cauetur etiam* ne faciamus Imagines masculinas aut fœmininas: *ergo etiam homines intelligit. Præterea, de hominis etiam Imaginibus loquitur David, cùm eas irridendo & detestando dicit,* Os habent, & non loquuntur: *Nullum enim animal præter hominem loquitur.*

Stat igitur firma & immota sententia, per legem DEI *nobis non licere, vllâ Imagine* DEUM *effingere.*

Argumenta Orthodoxorum quòd Deo nulla Imago facienda sit.

DE Affirmatiua *Bellarmini sententia hactenus diximus: nunc de* Negatiua *Orthodoxorum agemus. Hi, non esse* DEI *vllam Imaginem faciendam, his argumentis & rationibus probant.*

PRIMA *est Lex* DEI *aperta, clara & perspicua quæ vetat fieri Imagines, quibus repræsentetur vel verus* DEUS, *vel falsi* DIJ, *Exod.* 20. Non facies tibi sculptile, neque vllam similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, *&c. Huius prohibitionis duplex ratio fuit, vna peculiaris, altera communis. Peculiaris ratio, cur* DEUS *nolit vllam sui Imaginem fieri, hæc est; quia Spiritus est, nullaque ratione sculpi aut depingi potest. Rationem hanc affert per Mosem* Deut. 40. Locutus est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audistis, & formam ejus penitùs non vidistis. *Et mox:* Non vidistis aliquam similitudinem in die quâ locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel fœminæ, *&c. Ex quibus verbis tale argumentum formari potest:*

Quod Deus verbo & facto in lege promulganda fidelibus ostendit, hoc pro officij regula haberi voluit.

At nullam prorsus similitudinem ostendit Israelitis DEUS *in Lege promulganda.*

Ergo.

Nullam DEI *similitudinem prorsus licet facere.*

Et notanda est obiter in his verbis Mosis, vis Pronominis VOBIS: Ne fortè decepti, *inquit,* faciatis VOBIS similitudinem, *&c. Nam sensus est, quum* DEUS *sit incorporeus & sine vlla forma, certè si aliquam Imaginem ejus faciatis, vobis feceritis ex vestro capite, pro vestra libidine, non* DEO, *qui illud improbat, cùm omni careat figurâ. Apud Isaiam* 40. *ca. addit exaggerationem istius causæ:* Cui, *inquit,* similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei? *Et c.* 46. Cui assimulâstis me, & adæquâstis & comparâstis me, & similem fecistis? Qui confertis aurum de saculo, & argentum staterâ ponderatis, conducentes aurificem, vt faciat Deum. *Similem rationem repetit Paulus Act.* 17. Gentes igitur cùm simus Dei, non debemus existimare, auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis, diuinum esse simile.

Communis autem causa, ob quam non solùm veri DEI, *sed ne falsorum quidem* DEORUM *Imaginem vllam statui voluit ad cultum, hæc fuit, quòd neque hi digni erant, qui colerentur, neque iste voluit in talibus rebus coli, in quibus falsi* DIJ *colebantur, nempe in Imaginibus.*

Paulò post eodem loco Moses hortatur Israelitas, ne obliuiscantur fœderis Iehouæ, quod pepigerit cum ipsis, sibique caueant, ne similitudinem vllam Dei faciant, *duobus additis argumentis: vno ad rem spectante, quam cauendam monet,* Quia interdixit tibi Iehoua *Deut. 4.*

Iehoua Deus tuus: *altera, ad cautionis curam attendam*, Nam Iehoua Deus tuus ignis consumens est. Deus fortis zelotes. *Quorum priore legem in Exodo promulgatam*, Ne facias tibi sculptile aut ullam similitudinem, *declarat, etiam veri Dei Imagines prohibere: posteriore verò* zelotem *Deum apellans, sicut & in lege, ostendit, per Metaphoram à viri zelotypia ductam, fœdus, cum Ecclesia, tanquam sponsa initum, ab illis violari, qui vel Dei Imaginem colunt & adorant.*

Elibertinum Concilii contra Imagines Dei. SECVNDVM *argumentum Orthodoxorum petitur ab authoritate Concilij* Elibertini, *quod Cap.* 36. *ita decreuit*: Placuit in Templis non haberi picturas, ne quod colitur, vel adoratur in parietibus depingatur. *Negari non potest, quin Canon hic loquatur de Imaginibus Dei, qui solus à Christianis colitur & adoratur. Ergo Imagines illæ non sunt depingendæ.*

Patres contra Imagines Dei. TERTIVM *argumentum sumitur ab authoritate* Patrum *primitiuæ Ecclesiæ, qui plerique omnes negârunt, Deum aliquâ Imagine effingi debere.*

Clemens. Clemens. Alexandrinus *Strom. lib.* 1. *&* 5. *affirmat*, Deum ex Mosis disciplinâ, nec hominis effigie, nec vllâ aliâ repræsentari debere.

Origenes. Origenes *lib.* 7. *contra Celsum, negat*, Christianos vllam Dei Imaginem habere, vtpote incorporei & inuisibilis.

Eusebius Eusebius *de Præp. Euang. lib.* 3. *percontatur*, Quid simile habet corpus humanum menti Dei? *&*, Quis tam amens erit, vt Dei formam & Imaginem statuâ viro simili referri perhibeat?

Lactantius. Lactantius *lib.* 1. *c.* 15. *diuin. Inst scribit*, Omnes quorum Simulachra videmus, fuisse homines mortales: *ergo tum temporis nullum erat Simulachrum Dei veri & immortalis. Idem scribit etiam Eusebius de Præb. Euang. lib.* 1. *cap.* 6. *& lib.* 2. *cap.* 8.

Athanasius. Athanasius *Orat. contra gregales Sabellij*, Pusillas Dei Patris, Filij & Spiritus sancti imagines in rebus incorporalibus *tantùm agnoscit*, ne stulti & vecordes Deum corporalibus rebus assimilent.

Hieronymus. Hieronymus *apertè docet, Deum nullâ figurâ exprimendum esse. Nam in Isa. c.* 40. Quam, *inquit*, Imaginem ponetis ei, qui Spiritus est, & in omnibus est, & vbique discurrit, & terram quasi pugillo continet?

Ambrosius. Augustinus *de fide & Symbolo cap.* 7. *dicit*, Nefas esse Deo imaginem ponere. *Libro quarto de Ciuit. Dei cap.* 19. *&* 31. *citat Varronem, dicentem*, qui primi Deorum Simulachra induxerunt, eos & timorem dempsisse, & errorem auxisse. *Hoc si solus Varro dixisset, parum fortasse haberet authoritatis: pudorem tamen nobis meritò incutere deberet, quòd homo Ethnicus, quasi in tenebris palpans, ad hanc lucem peruenerit, ideo indignas esse Dei Maiestate corporeas imagines, quia metum eius diminuant hominibus, errorem que augeant. Res certè ipsa testatur, verè hoc non minus quàm prudenter fuisse dictum: Sed Augustinus à Varrone mutuamus, tanquam ex suo profert. Ac primùm quidem admonet, primos de Deo errores, quibus homines sunt impliciti, non cœpisse à Simulachris, sed nouâ materiâ superadditâ creuisse. Deinde ideò imminui, aut etiam tolli Dei timorem interpretatur, quia facilè possit eius numen in Simulachrorum stultitiâ, ineptoque & absurdo figmenta contemni.* Et libro 6. capite 10. refert Augustinus Senecæ querimoniam, qui dolebat, inuiolabiles Deos in materia vilissima atque ignobili dedicari.

Theodoretus. Theodoretus *in Deut. quæst.* 1. *dicit*, verbis Mosis institui, ne Simulachrum vllum fabricent, neque tentent vnquam diuinam Imaginem effingere.

Damascenus. Damascenus *ipsemet docet*, nullo modo pingi posse Deum, summæque esse insaniæ, & extremæ impietatis figuram diuino numini affingere. *Legatur eius liber* 4. *c.* 17. *vbi quatuor rationes indicat, cur nullâ prorsùs figurâ Deus exprimi possit: primùm*, quia inuisibilis est: *secundò*, quia incorporeus: *tertiò*, quia incircumscriptibilis: *quartò*, quia infigurabilis.

Nicephorus. Nicephorus, *cui alioqui Imagines Christi non displicuerunt, lib.* 18. *historiæ Eccles. cap.* 53. *apertè testatur*, Imagines Patris & Spiritus sancti effingere, absurdissimum esse: Imagines enim, *inquit*, corporum eorum sunt, quæ videri & circumscribi possunt, non eorum, quæ invisibilia sunt & intelligentiâ comprehendi nequeunt.

Hæc apertissima Antiquitatis purioris testimonia obseruanda, sunt, contra Iesuitarum stratagema, quo volunt persuadere vulgò, Patres nobis aduersari, & recentes solùm interpretes, puta, Lutherum, Zinglium, Philippum, Caluinum, Martyrem & similes assentiri.

Multi Pontificiorum Imagines Dei improbarũt. *Et quoniam ex aduersariorum quoque ore veritati interdum testimonium perhibetur, referam jam breuiter, quid nonnulli ex Pontificijs, Idololatriam maximè propugnantes, de Imagine Dei effingenda & senserint & docuerint.*

Nicæna 2. Synodus. *Nicæna igitur Synodus* 2. *Act.* 6. *tom.* 4. *ex Mose disputat*, Similitudinem nullam Dei visam in monte, nullam igitur faciendam.

Eadem Synodo approbante Theodorus Episcopus Hierosolymitanus Act. 3. Germanus *Constantinopolitanus Act.* 4. Ioannes *Thessalonicensis*, Leontius *Cyprius Act.* 5. *& alij Episcopi Act.* 6. *&* 7. *asseruerunt*, Deum pingi non posse. *Bellarminus quidem ait*, Spiri-

tus sancti Imaginem in forma columbæ approbari in ea Synodo *Act.* 1. 5. *Sed fortasse plus insinuat, quàm ausus est affirmare, significanter dicens*, In Synodo, *non, A Synodo: fortasse illi quoque iniuriam facit, à quo hoc illi factum esse significat. Tharasius enim Episcopus Constantinopolitanus, quum declaratum esset*, fuisse Antiochiæ columbas aureas & argenteas in formam Spiritus sancti supra baptismatis fontes appensas, *ex eo quidam argumentatur*, Si tales Spiritus sancti Imagines à sanctis Patribus sunt receptæ, quantò magis recipienda est Imago Christi, verbi incarnati? *Sed multò planiùs approbat Martyrum sententiam ibidem statim recitatam ex libro Constantini Cartophyl. de Martyribus*, Christianos numen diuinum, quod est simplex, & incomprehensibile, figuris non assimulari: Verbum duntaxat incarnatum pingere: *Nec silentio solùm huic assertioni, sapiùs deinceps iterata Act.* 6. *tom.* 2. 3. 4. *fauet; sed etiam decreto, pro Christi & Sanctorum Imaginibus facto, Imagines Dei Patris & Spiritus sancti excludit, Act.* 7. *Epistola ad Constantinum & Irenen.*

Nicetas *Nicetas lib. de Imag.* Dei effigiem pingentes *in* furiosis *numerat.*

Auentinus de Ioan. 22. Papa. *Auentinus etiam libro septimo, Annalium* de Ioanne 22. Roman. Pontifice *hac scribit:* Quosdam, qui in finibus Bohemiæ atque Austriæ supremam illam majestatem senis, adolescentis & columbæ imagine (*vti adhuc fieri solet*) pingebant, læsæ Religionis (*hæreseos*) accersiuit, Anthropomorphitas esse renunciauit, quosdam ad ignem condemnavit.

Abulensis *His astipulatur etiam, Bellarmino ipso teste colum.* 2100. *Abulensis in capite quarto, Deuter. quæst.* 5. *Durandus in* 3. *dist.* 9. *quæst.* 2. *& Peresius de Traditionibus par.* 3. *in tractatu de Imaginibus: Hi docent*, Imaginem Dei non rectè fieri, & ab Ecclesia fortasse tolerari, non tamen probari.

Abulensis *enim ex Mose obseruans*, Deum vetuisse, non solùm imaginem aliquam adorari, sed etiam seipsum adorari in imagine; *Corollarij loco hac axiomata subjungit.* In Imaginibus signantibus Deum purè, scilicet Trinitatem, duo inconuenientia sequi possunt: Primum, idololatria, ne etiam imago colatur, secundum, error & hæresis, scilicet attribuere Deo corporeitatem & essentialem differentiam, qualem tres illas figuras signare conspicimus. In Imaginibus Christi, vel Sanctorum, solùm vnum inconueniens est, scilicet idololatria in adoratione imaginis: error autem esse non potest, quia qualiter imago illa notat, talis Christus fuit.

Peresius *similiter, hac Augustini verba epistolâ* 119. *ad Ianuarium citans & approbans*, Primo, *inquit*, Dei præcepto prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo; non quia non habet imaginem Deus, sed quia nulla Imago ejus coli debet, nisi illa quæ hoc est, quod ipse, *videlicet Christus Filius æternus Dei*: idololatras, *ex eodem Augustino de Trinit. lib.* 1. *c.* 6. *vocat*, qui Simulachris eam seruitutem exhibent, quæ debetur Deo, licet veri Dei Simulachra sint, quibus honores diuinos tribuunt.

Pontificij Theologi in Poissiaceno colloquio contra Imagines Dei. *Adhuc, vt refert in historia Ecclesiast. reformat. Ecclesiarum in Gallia libro quarto in Collequio Sangermani habito coram Principibus Galliæ, inter selectos quosdam è Theologis Pontificijs & Orthodoxis, Pontificij Orthodoxis palàm assensi sunt*, imagines Trinitas, Patris, & Spiritus sancti, in Scriptura vetitas esse: *Cumque Salignacus, vnus ex Pontificijs, in huius rei tractatione eo vsque progrederetur, vt Cardinalis Turnonius (Mæcenas quondam eius) quia iracundiam dissimulare nequibat, surgeret è Cathedra, fingens se vitandi frigoris causa abire, temperare sibi non potuit Salignacus, quin diceret, se iam videre impletum illud esse, quod de Idololatris David Psal.* 115. *prædixerat, nimirum*, eos sensu & ratione non minus defici, quàm idola ipsorum.

Tridentina Synodus. *In explicatione etiam primi præcepti sic scriptum est in Cathechismo Tridentino*: Moses, cùm populum ab idololatria auertere vellet, aiebat: Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: Quod sapientissimus Legislator ideo dixit, ne quo errore ducti, diuinitatis imaginem fingerent, Deoque debitum honorem rei creatæ tribuerent. *Quapropter qui Imaginem, & visibile signum Dei effingunt & colunt, Deo debitum honorem rei creatæ tribuunt.*

Monlucius. Hesselius. &c. Monlucius, Hesselius *in Explic.* 1. *præcepti Decal. cap.* 65. *&* 66. Felisius in Elucid. Decal. præcepti 1. *cap.* 64. *&* Molanus *in Censura in Felisij Elucidat. Decal. fatentur ingenuè, Patres statuere*, Deum in effigie humana non pingendum.

Catharinus. *Et* Catharinus, *qui à Bellarmino inter principes sui dogmatis patronos subinde citatur, etsi, vt persuadeat picturas Trinitatis meritò Ecclesiæ vsu nunc probari, ad Damasceni dictum:* Summæ insipientiæ & impietatis esse, figurare Deum, *respondeat*, Hoc verum est, quando ex ea opera aliquid erroris veniret, non autem si totius aliqua notitia & deuotio & excitatio: *tamen nullam videns satis speciosam cauillationem, qua Pontificius sensus Patribus affingitur, subjungit*, Non me latet aliquos Doctores hoc non probasse, antequam vsus esset in Ecclesia.

Sorbonæ lumina. *Quinimò ex Sorbona ipsa delectorum Theologorum lumina, dictus* Salignacus, Boutillerius, Espen-

Espencæus *&* Picherellus, *vnà cum* Monlucio Valentiano Episcopo, *disertè sunt testati, vt refertur in Historia Ecclesiast. reformat. Eccles. in Gallia cap.* 4. Se propterea cupere Trinitatis Imagines è templis, alijsque omnibus, tum publicis, tum priuatis locis prorsùs amoueri, quod eæ per Scripturas, per complures eximiâ doctrinâ & sanctitate viros interdictæ sint.

Polydorus Vergilius. *His adiungatur etiam* Polydorus Vergilius, *qui cùm in lucem primò emisisset opus suum de Inuentoribus rerum sic scripsit:* Vt posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti: vel absentiâ separati sunt, idcirco ab hominibus fingendarum similitudinum ratio inuenta est: quò fit vt, cùm Deus vbique præsens sit, nihil profectò stultius fieri possit, quàm eius Simulachrum fingere. *Atque hanc sententiam ex Mose confirmauit. In posterioribus tamen editionibus pro his verbis,* Nihil profectò stultiùs fieri possit, *hæc substituta sunt;* Nihil à principio post homines natos stultiùs visum sit; indeque paulò post *hæc sunt inserta;* Formulam fingendæ similitudinis Dei quò eius memoriam faciliùs animo complecteremur, ipsemet Deus nobis præmonstrauit: proinde homo, qui suopte ingenio paratus est ad imitandum, si quid si quod ad eius disciplinam, contemplationem, delectationemque attineat, Dei memoriæ retinendæ gratiâ, quam prudentissimè ab initio ipsius Dei Simulachrum sibi finxit. *Hæc autem verba cum primis apertissimè pugnant. Idem libro sexto cap.*13. Quum Deum, *inquit*, vt perhibet Ioannes, viderit nemo vnquam, quam ei formam dabimus?

Pericula ex Imaginibus Dei. QVARTVM *argumentum contra Imagines Dei sumitur à duobus maximis periculis.* Primum periculum *est* Erroris, *quoniam Imaginibus Dei homines facilè in nocentissimos errores incidere possunt. Nam cùm Ieremias cap.* 10. lignum esse doctrinam vanitatis *pronunciat; quum Habacuc* 2. *r. docet*, conflatile demostrationem esse mendacij, *hinc generalis colligenda est doctrina; futile esse adeoque mendax, quicquid de Deo homines ex Imaginibus didicerint. Cumque vnus sit verus Deus, perperam & falsò confinguntur visibiles figuræ, quæ Deum repræsentent, ac miserè deluduntur omnes, qui Dei cognitionem inde petunt. Ac nisi fallax & adulterina esset, quæcunque ex Simulachris petitur Dei cognitio, non ita generaliter damnarent eam Prophetæ: Cùm igitur vanitatem & mendacium esse dicimus, quando simulachris Deum effingere homines tentant, nihil aliud referimus, quàm quod de verbo ad verbum Prophetæ tradiderunt.*

Alterum periculum *est* Adorationis: *Nam si licet facere Deo Imaginem vllam, facile ad illam adorandam incitaremur. Non vult autem in vllis Imaginibus, manibus hominum confictis, adorari Deus. Imò adoraremus creaturam illam, cuius similitudo affingeretur à nobis Deo: Ideò subiecit Deut.* 4. *cap.* Néue attollas oculos tuos in cœlum, & cùm videris Solem & Lunam & Stellas, impellaris, vt adores ea. *Hic nihil à Pontificijs excipi potest. Nunquam enim vult Deus in Imaginibus nostris adorari: & vitare vult omnem manifestam occasionem Idololatriæ.*

Rationes contra Imagines Dei. QVINTO *probatur etiam Rationibus:* 1. *Quia rei incorporeæ vera Imago nulla fieri potest.* 2. *Deinde, Imagines ferè plerumque fiunt ab hominibus, vt absentes quodammodo præsentes habeantur: At Deus est vbique nec ab vlla re abest: Vnde in Psalmo scribitur,* Si ascendero in cœlum, tu illic es, &c. *Non itaque oportet Imaginibus præsentem reddere, cùm semper & omnibus adsit.* 3. *Oportet Imaginem aptis similibus id exprimere, quod est repræsentandum: at cùm Deus Imagine aliqua refertur, dissimilia & opposita magis quàm similia & consentanea ei affinguntur. Deus principio caret, omnes verò Imagines ab opificibus confinguntur. Deus quantus est, actus est, & nunquam otiatur; Imagines autem torpent, & nihil prorsùs agunt. Deus totus est notitia & intelligentia; Imagines autem nihil prorsùs intelligunt, imò ne sentiunt quidem, &c.*

Responsiones Bellarmini ad aliquot Orthodoxorum argumenta contra Imagines Dei. AD *confutandum vnum vel alterum horum argumentorum & rationum, ante omnia Bellarminus sibi, pro more sophistarum, confingit tria axiomata, quibus suas deinde responsiones superstruit colum.* 2103. *&* 2104. *quorum summa exstat apud eundem, De Ecclesia triumph. lib.*1. *c.* 8. *tomi* 1. *controuers.*7. *Ibi enim similiter varias rei pingendæ rationes distinguens, ait*, perfectam similitudinem formæ & naturę Dei exprimi non posse, quia non sit res corporea, lineamentis & coloribus prædita: sed imperfectam posse, per metaphoricas mysticasque significationes, vt cùm in forma hominis pingitur, qui est Imago Dei valdè imperfecta, obscura & dissimilis.

Respondeo, Iesuita quidem hoc dicit: sed quo argumento probat, fas esse Deum sic pingere? qui per Mosem prohibet se repræsentari vel imperfectâ Imagine, similitudine vllius simulachri, formâ maris aut fœminæ: *& quidem expressâ ratione interdicti adiectâ, quâ patet ipsum vllam Imaginem sui fieri vetare simpliciter & absolutè: nempe*, quia nullam viderint similitudinem Dei, quo die allocutus est Israelitas in Horeb. *Et quia non potest Iesuita negare vel propositionem, vel assumptionem nostri Syllogismi, quo verba hæc Mosis supra complexi sumus: earum enim altera necessariò includitur verbis Mosis, altera expressè traditur: idcirco negat conclusionem; sic tamen vt argu-*

tula cum distinctione eam quodammodo concedere videatur. Nam, *ait*, Deum posse in forma hominis pingi ad historiam aliquam repræsentandam oculis: vt si quis pingere vellet expulsionem Adami de Paradiso, pingere deberet Deum in forma hominis ambulantem, & Adamum atque Euam nudos inter arbores se occulentes, ac demum Angelum in forma humana gladium gestantem, & Adamum cum coniuge expellentem. Qui autem ita pingeret, non vellet certè repræsentare Dei vel Angeli naturam, sed solùm exhibere oculis per picturam, id quod auribus exhiberet alius recitando Scripturam; & hoc modo potest Deus pingi. Aut etiam extra historiam potest aliquid pingi, ad explicandam naturam rei, non per immediatam, & propriam similitudinem, sed per analogicam similitudinem, & imperfectam. Quemadmodum Angelos pingimus iuuenes, alatos, formosos, nudis pedibus, &c. ad significandum, eos semper viribus pollere, celerrimè moueri, splendore gratiæ & virtutum præditos, &c. Sed ad exprimendam immediatam, propriam, perfectam similitudinem vel Imaginem formæ & naturæ ipsius pingi non debere. Si enim quis hac ratione Deum pingere tentaret, is verum Idolum constitueret. *Hæc omnia Bellarminus.*

Respondeo primò, *Si hac Iesuiticâ sophisticâ distinguere liceat, vbi Lex Dei non distinguit; licebit adulteris quoque pro se distinguere, vetari lege Mosis, ne quis committat adulterium ad explendam libidinem, sed ad principatum adipiscendum, vt Seianus fecit, Tacito auctore Annal. lib. 4. non vetari. Licebit periuris dicere, vetari lege Mosis, ne quis peieret ad sanguinem hominis fundendum; sed ad gratificandum amico, vt in Cluuio iocatur Cicero pro Roscio, non vetari. Licebit Idololatris pro se distinguere, prohiberi lege Mosis, ne quis sacrificet cuiquam nisi Deo ad deferendam propriam & perfectam latriam; sed ad imperfectam, impropriam & analogicam latriam exhibendam, vt B. Mariæ collyridem obtulerunt Hæretici, non prohiberi. Tridentina Synodus præcipit Pontificijs, ne legant vllum librum Caluini aut Melanthonis, cuiuscunque tituli argumenti existat. Quod si quis exciperet, huiusmodi libros legi posse ad imperfectam & ænigmaticam cognitionem acquirendam, sed ad comparandam perfectam cognitionem legi non debere; atque hoc esse, quod Tridentinâ illâ regulâ interdictum sit: Nunc hanc distinctionem probarent? minimè verò: sed sensurus esset talis magno cum suo periculo, quanti faciant tam ingeniosum & sagacem suarum legum interpretem, Hypocritæ, Tridentinas leges his distinctionibus & exceptionibus existimatis irrideri: diuinas autem leges sic eluditis ipsi?*

Respondeo Secundò, *Bellarminum in his tribus, seu regulis, & distinctionibus pingendi, tribus modis seipsum refutare.* Primò, *dicit*, Imaginem Dei, non esse veram eius repræsentationem, hoc est, neque naturæ ipsius, sed tantum metaphoricam, analogicam, & typicam, nostri ratione. *Fallit ergo Lectorem Iesuita Figurâ dictionis, dum contendit, Deum pingi posse; id est, typicè & metaphoricè nobis repræsentari, non autem propriè & verè.* Secundò *dicit*, Dei: Angelorum Imagines analogicas non debere multiplicari, nec tolerandum vt pictores ex capite suo confingant Imagines Trinitatis, quòd offendiculum afferant, & blasphemandi occasionem dent. *Sed hoc cum Iesuitæ sententia, quam hoc capite defendit, prorsus pugnat. Si enim Dei, Angelorum & Sanctorum Imagines sunt, & piè pingi possunt, vt vult iste, illarum certè multiplicatio pertinet ad maiorem gloriæ & notitiæ Dei illustrationem & pietatis amplificationem inter Christianos; quod hic negat Bellarminus.* Tertiò, *etiam in hoc fallitur*, quòd picturam Christi sub forma Agni *dicit* non profectam esse ex veteri Testamento. *Nam verba Ioannis Baptistæ, Ecce Agnus Dei &c. ex veteris Testamenti Sacrificijs originem habent, in quibus Agni, pro peccatis populi mactati. Christum repræsentabant: quod etiam Adrianus Papa de Consecrat. dist. 3. c. 29. fatetur, & Bellarminus mendacij arguit.*

Solutiones etiam Bellarmini ex istis distinctionibus pingendi Imagines desumptæ ad aliquot argumenta supra à nobis recitata, & ineptæ sunt. Primò *enim fatetur Iesuita in ijs*, impropriè dici, Deum pingi posse, & hoc falsum intelligi κατά τι. *Ergo est fallacia A figura dictionis, &, A dicto secundum quid, quasi propriè id sumatur: quæ est fraus apertissima.*

Secundò *dicit*, si Concilium Elibertinum loquatur de Imagine solius Dei, nullam esse difficultatem. *Respondeo, Concilium loquitur de solius Dei Imagine*: inquit enim, De Concilio Elibertino.

Quod colitur & adoratur non esse depingendum.

Deus autem solus coli & adorari debet.

Ergo.

Deus non est vllâ Imagine depingendus, & de hoc solo loquitur Concilium.

Igitur, *inquit Iesuita*, nulla hîc est difficultas: loquitur enim Concilium de Imagine primi generis. *Respondeo, expeditissima hæc esset ratio, si Scriptura Bellarmini distinctiones pingendi probaret: Sed non probat: nec vel iuxta vllum genus distinctionum istarum Deum depingi, vt paulò ante demonstratum est, Non etiam sic distinguunt Patres illius Concilij.*

Tertiò,

Ad Eusebij, Lactantij & Augustini testimonia contra Imagines Dei Bellarmini responsio.

Tertiò, *ad Eusebij, Lactantij & Augustini testimonia respondet*, & *dicit*, Illos loqui de Idolis gentium: *Augustinum autem* de Imagine primi generis, *Respondeo, de Augustino paulò post dicemus: de illis iam dico,*

De similibus idem esse iudicium,

Imagines autem & Idola esse similia, & Idoli nomen non solùm Simulachris Gentilium, sed etiam Iudæorum tribui in Scriptura, supra indicatum est. Ergo.

Adhæc Constantinopolitanum 7. Concilium Christi & Sanctorum Imagines, quum coluntur, idola rectè dici indicauit: nam Idolorum *nomine perstringit Christi & Sanctorum adoratas Imagines.*

De Varronis testimonio Bellarminus.

Varronis *testimonium sic eludere conatur Iesuita:* Quidam, *inquit*, crediderunt ipsa simulachra esse Deos, & videntes ea nec alijs, nec sibiipsi prodesse posse, vel obesse, cœperunt Deos contemnere. *Respondeo, hoc ipsum quoque à simplicioribus Christianis fieri, vt videlicet, Imagines Dei, pro ipso Deo habeant & colant: Testem habeo Polydorum Vergilium, qui lib. 6. cap. 13. sic scribit:* Sunt tamen multi rudiores stupidioresque qui saxeas, vel ligneas, marmoreas, æneas, seu in parietibus pictas, varijsque coloribus litas Imagines colunt, non vt figuras, sed perinde quasi ipsæ sensum aliquem habeant, *&c: Idem igitur periculum hinc etiam apud Christianos metuendum est, de quo Varro loquitur.*

Ad Origenis, Damasceni & Nicæni 2. Sinodi testimonia Bellarmini responsio.

De Origene, Damasceno *&* Patribus Nicæni 7. *Concilij respondet Bellarminus, vt supra*, eos *videlicet* loqui de Imagine Dei primi generis*: hoc est*, de Imagine Dei quæ fit ad exprimendam perfectam, immediatam, propriam diuinæ naturæ similitudinem: non quæ ad imperfectam, mediatam, metaphoricam: *Et sic eadem chordâ subinde oberrat. Respondeo, Bellarminum ausum iniuriam Mosi facere, offundendo tenebras verbis eius luce clariùs sententiam generalem simpliciter præ se ferentibus: non mirum igitur, eum minùs clara Patrum testimonia, quanquam satis liquidò Mosi subscribentium, similiter obscurare ausum. Nam* Origenes *& legem Mosis vrget* Ne fiat vlla similitudo, *Exod 20. scriptam, cui adiungit eiusdem Operis contra Celsum lib. 4. alteram legem Deut. 4. & opponit Celso iudicium* Christianorum, qui Dei, vtpote incorporei inuisibilisque, *μορφὴν μὴ διαγράφοντες. i. e.* effigiem nullam faciunt. *Horum verò neutrum ad institutum aptè pertineret, si perfectam, immediatam & propriam tantum naturæ diuinæ similitudinem reprehenderet, ac non imperfectam, mediatam, metaphoricam & impropriam: præsertim cùm Pagani, contra quos scribit Origenes, simulachra sua γλισχέας ὁμοιότητας, id est, exiles esse numinis diuini similitudines assereret, & σημεῖα ἀμυδρά, hoc est, obscura signa honoris Deo debiti; vt paulò ante Origenem Plutarchus in lib. de Iside & Osiride, & Maximus Tyrius Serm. 38. ostenderunt.*

Augustinus *autem, postquam ex Paulo Rom. 1. c. notâsset eorum Sacrilegium*, qui mutauerunt gloriam incorruptibilis hominis: *subiungit*, nefas esse collocare tale simulachrum Deo. *Humanam ergo Imaginem vel ad imperfectam Dei similitudinem exprimendam statui nefas esse docet: nisi fortè Ethnicos, qui simulachrum hominis pro tenui & obscuro Dei signo habebant peccati reos ab Apostolo peractos negabimus, quod dictu absurdißimum est.*

Bellarminus ad Augustini locum per distinctionem respondet, cum ait: perfectam similitudinem formæ & naturæ Dei exprimi non posse, quia non sit res corporea, lineamentis & coloribus prædita: sed imperfectam posse per Metaphoricas mysticasque significationes, ut cùm in forma hominis pingatur, qui est imago Dei valdè imperfecta, obscura & dissimilis. Responsio: Si est dissimilis, cur igitur similem esse vult homini Iesuita? & quo pacto probat fas esse ita pingere? Nonne per Mosem prohibet se repræsentari, vel imperfecta imagine, similitudine ullius simulachri, formâ maris, aut fœminæ? Idque ratione interdicti, adjectâ: quia nullam viderant similitudinem Dei, quo die allocutus est Israëlitas in Horeb. Bellarminus hic constrictum se videns, Deum, ait, posse in formâ hominis pingi ad historiam aliquam oculis exhibendam; aut etiam extra historiam, ad explicandam ejus Naturam per analogicam similitudinem, & imperfectam: sed ad exprimendam immediatam, propriam, perfectam similitudinem formæ & naturæ ipsius pingi non debere: atque hoc esse, quod illâ lege Mosis interdictum sit. Responsio: Distinguit hic Iesuita, ubi Lex non distinguit; Si qui Pontificius Orthodoxi librum aliquem contra edictum Tridentini Concilij legat, vetantis tales libros legi, cujuscunque tituli & argumenti sint, & dicat, se ideo legere: ut saltem imperfectam & ænigmaticam Cognitionem sibi acquirat, etiamsi perfectam comparare nequeat: num putas inquisitores Pontificios hoc responso contentos fore, aut laudaturos ingeniosam hanc Sententiæ Synodicæ interpretationem?

Damascenus *verò infert*, Quia summæ est insipientiæ & impietatis τὸ θεῖον, diuinitatem, seu Deum figurare, propterea tritum non fuisse in veteri Testamento vsum imaginum*: at* verò, postquam Deus verè factus est homo, non vt Abrahæ visus est in hominis specie, neque vt Prophetis, sed secundum substantiam homo verè factus est, moratusque in terra, & cum hominibus versatus est, miracula operatus est, passus est, crucifixus est, resurrexit, sursum receptus est, Hæc Imaginibus

ginibus pingi Patribus placuisse. *Vbi commemorans, Deum apparuisse sub humana specie Abrahæ & Prophetis, nec tamen sic pingendum fuisse, quo ad verè humanam carnem assumeret; metaphoricas & improprias Imagines Dei apertissime reijcit: & tanquam ex professo, tùm picturas improbat Pontificiorum, Deum in historijs veteris Testamenti figurâ hominis exprimentiũ, tùm Bellarmini sophisma,* Prophetis apparuisse Deum corporeâ specie, quid ergo prohibet sic pingi? *ex lege Dei refellit, quod lib.1. & 2. de Imaginibus plenius facit.*

Denique Patres in Nicæna 2. *Synodo citati, non solùm idem omninò cum Damasceno asserunt, sed etiam ex eadem lege partim confirmant: neque se ab illis dissentire innuunt Nicani ipsi Patres. Nam quòd Bellarminus ait,* Spiritus Sancti Imaginem in forma columbæ approbari in ea Synodo quid ad id sit respondendum supra à nobis expositum est. *Itaque Bellarminus ista perfecta, immediata propria, analogica & metaphorica, mysticaque similitudinis commenta, ad Origenis, Augustini, Damasceni & aliorum Patrum sententias eludendas adhibens, eâ astutiâ vtitur, quâ Academia Duacensis: & Censores Belgici liberè agnoscunt & prædicant: quum palàm profitentur in Indice expurgatorio cap. vltim,* Se plurimos in Catholicis veteribus errores excogitato commẽto persæpè negare, & commodum ijs sensum affingere, dum opponuntur in disputationibus, aut in conflictionib. cum aduersarijs. *Errores quippe nominant eas sententias, quæ pro Orthodoxis faciunt contra Pontificios.*

CAPVT XIV.

IV. IMAGINES in Templis non rectè collocari.

IMagines quæ vel res gestas, vel hominum corpora figurant, in Templis Christianorum non rectè & piè collocari, his argumentis Orthodoxi probant.

Argumentũ ab authoritate primitiuæ Ecclesiæ. Primò, *plurimùm apud nos meritò valere debet vera & primitiua Ecclesiæ authoritas, Quingentis autem circiter annis à nato Christo, quibus magis adhuc florebat Religio, & syncerior doctrina vigebat, Christianorũ Templa fuerunt communiter ab Imaginibus vacua. Ergo tunc primùm in ornamentũ templorũ ascitæ sunt, quum Ministerij synceritas nonnihil degeneráßet. An passuros autem fuisse putamus sanctos illos Patres Ecclesiã tamdiu eâ re carere, quam vtilem & salutarẽ esse iudicarent? Certè quia intelligebant in ea aut nil aut minimum vtilitatis plurimùm aut subesse periculi, repudiãrũt magis cõsilio & ratione quàm ignoratione aut negligentia prætermiserunt.*

Elibertina Synodus contra Secundò, *Elibertinum Concilium cap.* 36. *prohibet*, picturas in Templis fieri, ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur. *Imagines in stipitis.* *Ex hoc Canone sic argumentor;*

Quod colitur & adoratur in parietibus Templorum non est depingendum.
Sancti in Papatu coluntur & adorantur.
Ergo.
Sancti in Templorum parietibus non sunt depingendi. Addo etiam hoc:
Quicquid in parietibus depingitur, non est colendum & adorandum
Sancti apud Pontificios in parietibus depinguntur.
Ergo
Sancti apud eosdem non sunt colendi & adorandi.

Constantinopolitana tria Concilia & Francofurtense damnãrunt Imagines. *Prohibuerunt & damnârunt quoque Imagines Constantinopolitana tria Concilia: Primum à Philippico Imp. conuocatum anno Domini* 713. *Secundum à Leone Isuro Imp. celebratum anno Christi* 730. *Tertium à Constantino V. Imperat. habitum, quod & Septimum vniuersale appellatur. Francofurtensis etiam Synodus à Carolo M. conuocata anno* 794. *de quibus vide plura supra.*

Imagines in templis fundigniũ Idololatriæ. Tertiò, *Compertum est, simulatque in Templis collocantur Imagines, quasi signum Idololatriæ erigi; quia sibi temperare non potest hominum stultitia, quin protinus ad superstitiosos cultus delabatur, Quod etiam Augustinus claris verbis attestatur Epistolâ* 49. Quum, *inquit,* his sedibus locantur honorabili sublimitate, vt à precantibus atque immolantibus attendantur, ipsâ similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quamuis sensu & animâ careant, afficiunt infirmos animos, vt viuere ac spirare videantur, &c. *Vide etiam lib. 4. de Ciuit. Dei c. 31. Et in psal.* 113. Hoc enim facit, & quodammodo extorquet illa figura membrorum, vt animus in corpore viuens magis arbitretur sentire corpus, quod suo simillimum videt. *Paulò post:* Plus valent simulachra ad curuandum infelicem animam, quòd os, oculos, aures, pedes habent: quàm ad corrigendam, quod non loquuntur, neque vident neque audiunt, neque ambulãt. *Et hæc videtur causa esse, cur Ioannes non tantum à Simulachrorum cultu, sed ab ipsis quoque simulachris cauere nos voluerit:* 1. *Ioan.* 5.

Argumentum à fine Templorum. Quartò, *Templa sunt instituta pro Imaginibus viuis atque à Deo institutis, quales sunt Baptismus, qui est Imago interna sanctificationis & gratiæ, & Sacra Cœna, quæ est Imago corporis Domini: sicut ergo templa ornantur istis viuis quodamodo Imaginibus, ita dehonestantur Imaginibus mortuis* &c.

Quintò, *Epiphanius in Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum scribit,* contra Scripturæ authoritatem esse, quòd in Ecclesia pendeat Imago hominis: *& loquitur de Imagine*

quam

quam ipse dicit fuisse Christi, vel Sancti alicujus.

Sextò, Adrianus Imperator, Lampridio teste in vita Alexandri Imp. in gratiam Christianorum jussit Templa exstrui sine Simulacrhis.

Hæc argumenta Bellarminus colum. 2106. ex Caluino & aliis Orthodoxis citat: quibus hæc sequentia addi possunt.

Locus Isaiæ 2. contra Imagines in Templis. Locus Pauli Rom. 14.

7. Isaia 2. inuehitur Deus in populum, eique iram suam denunciat, quòd præter alia scelera, Templa etiam eorum plena essent idolis: quantò magis Deus irascitur hodiè, quòd Templa, vbi ipse solus colendus est, repleta sunt Idolis? Tollenda igitur sunt è Templis.

8. Paulus Rom. 14. scribit: Omne quod non ex fide est, peccatum est: fides autem ex auditu est: auditus per verbum Christi. Quodnàm autem verbum è sacris literis adferri potest, quo demonstrent Pontificij, sed ex fide & bona conscientia imagines in Templis cultui diuino dicatis, retinere? Nullum habent præceptum: sed vbique eas damnat Scriptura. Nec vllam promissionem: sed contrà passim maledicuntur, qui eas colunt, & qui eas ad Cultum faciunt: ac proinde etiam qui ad cultum expositas ferunt. Fides autem in suis actionibus lege Dei & promissionibus nititur. Sed neque habent exempla piorum: Nullas enim vnquam Patriarchæ aut Prophetæ habuerunt in suis locis, vbi Deum inuocârunt, imagines.

Reges & alij qui sustulerunt Imagines è Templis laudantur in Scriptura.

9. In sacris literis legimus, illos semper Reges laudari propter singularem pietatem à Spiritu sancto, qui Imagines sustulerunt: improbari autem non solùm illos, qui eas induxerunt in Ecclesiam; sed etiam eos, qui non sustulerunt illas. Vnde de multis piis alioquin Regibus laudes legimus, quòd ambulauerint in via Dauidis: sed mox additur qua in re improbentur; nempe, quòd non sustulerint sacella, quæ erant adhuc in locis excelsis. Hæc satis apertè demonstrant, Deo non probari Imagines, in locis cultui eius consecratis.

Imagines in Templo abominatio.

10. Si vera est interpretatio illorum, qui locum Danielis 9. vel 12. cap. & verba Christi ex Daniele desumpta Matth. 24. & Marc. 13. Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, & positam vbi non oportet: &c. exponunt de abominando idolo Iouis Olympici, quod Antiochus in Templo sancto collocari iussit, quóque locus ille prophanatus fuit: cui prophanatio alia successit, nempe cùm Pilatus biennio ferè post mortem Christi, Cæsaris imaginem, reclamantibus Iudæis, in eodem sancto loco posuit, ibique stare voluit: (fuit enim abominabile idolum, imminentis desolationis prænuncium: Hinc colligimus, Idola in Templis abominationes esse, neque decere, vt Imagines sint in Templis seu locis Deo consecratis, sicut Marcus habet, Stantem vbi non oportet.

Consensus Patrum contra Imagines in Templis. Imagines in Templis auocant à vera fide homines. Paulus Ricius.

11. His addendus est consensus Patrum primitiuæ Ecclesiæ, qui omnes, vt ex c. 10. huius libri intelligitur, statuas & imagines Christi & Sanctorum in Templis non esse collocandas, aut collocatas non esse retinendas, docuerunt.

12. In Templis ea non sunt retinenda, quæ à Christiana religione homines auocant. Complures autem cùm ex Turcis, tùm ex Iudæis Christianismo se initiari paterentur, nisi Simulachris & Imaginibus in Templis vehementer offenderentur. Vnde Paulus Ricius, doctissimus Hebræus, qui Papiæ nomen dedit Christo, expedite plurimùm dicebat, vt imagines è Templis amouerentur, quòd multi Iudæorum ea de causa à Christi confessione auocentur. Et Erasmus in sua Catechesi permulta in hanc etiam sententiam scripsit, & tandem addit, non esse pro Hæreticis habendos eos, qui careant simulachris, nec ea in Templis recipere velint.

Responsiones Bellarmini ad Orthodoxorũ argumẽta contra Imagines in Templis.

Ad PRIMVM argumentum, quo dicebamus, primis quingentis annis à nato Christo, nullas communiter collocatas fuisse in Templis Christianorum Imagines, præsertim ad Cultum, vt hodiè fit respondet Bellarminus Primò, mendacium esse. Et hoc postea probare conatur colum. 2107. & 2108. testimoniis aliquot adductis ex Tertulliano: Sozomeno, Nazianzeno, Damaso, Septima Synodo, Gregorio Nysseno, Missa Chrysostomi, Euodio, Prudentio, Paulino, Nicephoro, Valentiniano Imperat. Augustino & Adriano Papa.

Respondeo primò in genere, in duobus istis columnis nullum prorsus locum à Iesuita citari, siue ex Historiis, siue ex Patribus, nempe Ignatio, Dionysio, Clemente Romano, Iustino, Egesippo, Theophilo Antiocheno, Clemente Alexandrino, Origene, Cypriano, Arnobio, Eusebio Cæsariensi, Lactantio, Athanasio, Sedulio, Eusebio Emisseno, Hilario, Hesychio, Cyrillo Hierosolymitano, Hieronymo, Optato Mileuitano, Ambrosio, Epiphanio, Euagrio, Amphilochio, Sophronio, Theophilo Alexandrino, &c. Qui probet, vllam vel Christi, vel Martyris, vel alicuius sancti Imaginem in vllo Templo Christianorum fuisse circa annum Domini 400: COMMVNITER erectam, receptam, visam & pictam. Cœpit ea res primùm in Occidente paulò ante annum 400. quando Imagines sculptæ quidem sunt, nondum tamen in Templa collocata, multò minus ad cultum & adorationem proposita. Eodem tempore primò pictura in Templis recepta fuit; diu post, ipsæ statuæ & Imagines, non tamen communiter, sed rarissimè: & quæ fuerunt, nondum tamen ad cultum, sed propter historicũ vsum, commonefactionis gratiâ, collocata in Templis fuerunt, & nihilominus à syncerioribus Episcopis ac Doctoribus eorum temporum improbata. Gregorij Magni demùm tempore multiplicari cœperunt Imagines, à

quo

quo etiam vsus earum in Templis primò defensus est: Circa annos verò Christi 700. *sequutus est earum Cultus & Adoratio: vt supra prolixè & ad oculum à nobis demonstratum esse arbitror. Non igitur Caluinus negauit simpliciter, ante- annos quingentos vllam prorsus picturam & imaginem in Templis Christianorum aut visam aut receptam, sed tantum id* COMMVNITER *non factum esse, quod Iesuita insidiosè præterit, & contrarium defendere conatur testimoniis vndiquaque corrasis.*

Respondeo secundò *in Specie ad aliquot loca & testimonia à Bellarmino adducta.* Primò, *inquit Iesuita: Tertullianus in libro de Pudicitia testatur,* in sacris Calicibus Ecclesiæ depictum fuisse Christum in forma pastoris ouem errantem suis humeris reportantis ad ouile. *Respondeo, Non sequitur, in sacris Calicibus Ecclesiæ depictus fuit Christus in forma boni Pastoris: Ergo licet Imagines & Statuas in Templis ad cultum & adorationem habere. Eodem prorsùs modo argumentati sunt etiam Patres Nicenæ* 2. *Synodi. Quidam enim Ioannes Orientalium legatus dixit,* Creauit Deus hominem ad Imaginem suam*: atq; inde collegit,* habendas igitur esse Imagines. *Alius vt probaret collocandas esse imagines in Altaribus hoc testimonium citauit,* Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, *&c.*

Secundò *dicit Bellarminus* Nazianzenus (*qui claruit circa annos Christi* 370.) conqueritur, quòd ciuitas Diocæsariensis euertenda esset, in qua ipse Templum exornârit. Basilius indicat, imaginem S. Barlaam alicubi in Templo depictam fuisse, & ait, gaudere se, quòd melius pictores expresserint manum ejus pro Christo combustam, quàm ipse oratione descripserit. Gregorius Nyssenus etiam in Theodorum martyrem, commendat ejus imaginem in Templo positam. *Respondeo, Non nego fuisse picturas & Imagines horum tempore, non modò in priuatis ædibus & in foro, sed in ipsis etiam Templis: Non autem* communiter, *sed rarissimè. Et scribit Eusebius lib.*7. *cap.* 18. eas ab Ethnicis (*hoc est, ab ijs qui jam primùm, & quidem senes ab Ethnicismo ad Christum conuersi fuerunt*) primùm in Ecclesias introductas fuisse. *Opus autem erat talibus multa indulgere, quòd difficulter ea relinquerent, quibus per totam vitam assueuerant. Et Hieronymus in Ierem. lib.* 2. *c.* 10. *de Ethnicorum hac in re- superstitione loquens;* Argento, *inquit,* & auro decorauit illud, vt fulgore vtriusque materiæ decipiat simplices. Qui quidem error ad nos vsque transiuit, vt Religionem in diuitiis arbitremur. *Nunquam de hoc conquestus fuisset Hieronymus, nisi quibusdam in locis suo tempore inualuisset. Neque etiam Epiphanius Christi imaginem in velo quodam depictam concerpere & superstitionem eam Ecclesiâ Dei indignissimam appellare: neque Serenus Massiliensium Episcopus, Imagines ligneas & lapideas confringere potuisset, nisi tales picturæ & imagines exstitissent. Imagines igitur tum in Templis fuisse non inficiamur: communiter autem exstitisse, aut adoratas, aut positas & collocatas fuisse, vt adorarentur, id verò pernegamus.*

Tertiò, *dicit Iesuita,* Sozomenus scribit libro.5. capite 20. tempore Iuliani Apostatæ statuam Christi, quę apud Paneadem fuerat, in Templum à Christianis introductam fuisse. *Respondeo, scribit Sozomenus, Imaginem illam in Templum collocatam, ibique asseruatam fuisse: quòd autem in publico loco eius Templi sit collocata & ad cultum proposita, ne verbo quidem meminit.*

His ibidem addit Iesuita, Eusebium lib.3. & 4. de Vita Constantini dicere, In Templis à Constantino exstructis in Palæstina, aurearum & argentearum maximam copiam fuisse. *Respondeo falsissimè hæc à Iesuita dici, legenti illos libros facilè patebit. Scribit quidem Eusebius,* Constantinum, Templum, à matre Helena, in loco natiuitatis Christi exstructum, regalibus anathematibus, honorâsse, honestumque matris studium auri & argenti thesauris ac variis cortinis adauxisse: Ipsum quoque Imperatorem per singulas prouincias nouas & prioribus longè preciosiores Ecclesias construxisse: Vrbem Constantinopolitanam ab omni Idololatria repurgâsse, vt nusquam in illa imagines eorum, quos Gentes Deos esse putârint, comparerent amplius: eandem vrbem pluribus oratoriis, maximisque martyriis ac splendidissimis ædibus exornâsse, in Palatiis Regiis ac domo omnium excellentissimâ, de auratis tecti laquearibus, in ipso meditullio maximâ expensâ tabulâ manifestum affixisse salutaris passionis symbolum, variis ac preciosis lapidibus compositum, ac multo auro inclusum: Metropolim Bithyniæ, & excellentissimam in ea Ecclesiam donariis è thesauris suis honorâsse, atque etiam illic *νικητήρια* contra inimicos ac Deo rebelles erexisse: Templum etiam magnificentissimum Antiochiæ exstructum, multâ auri copiâ, ærisque & reliquæ pretiosę materiæ elegantiâ decorâsse: *Aureas verò & argenteas Imagines in Oratoriis & Templis illis Constantinianis, vel ab Imperatore, vel ab alijs collocatas & ad cultum erectas, non meminit Eusebius: Sed apertissimè testatur potiùs,* quum Constantinus vidisset, imperitorum multitudinem erroris spectra (*idola & Imagines intelligit*) ex auri & argenti materia formata, ad morem paruulorum reuereri, etiam illa è medio, perinde ac quædam lapidum offensacula ante pedes iis, qui in tenebris ambulant,

An Constantinus in Templa à se exstructa Imagines collocarit.

bulant, projecta, aufcfenda, ac regiam deinceps viam omnibus apcriendam cenſuiſſe.

Quartò, *dicit*, Damaſus in vita Sylueſtri ſcribit, Conſtantinum in loco, vbi fuerat baptizatus, poſuiſſe agnum ex auro puriſſimo, ad dextram agni ſtatuam argenteam Saluatoris; ad læuam autem, Statuam argenteam Ioannis Baptiſtæ: In Eccleſia autem ipſa Lateranenſi poſuiſſe imagines argenteas Saluatori, Apoſtolis duodecim, & Angelis quatuor. *Reſpondeo, hac quidem narrari ſic à Damaſo & Platina, vt alia multa ficta & vana; apud nullum autem probatum authorem, qui Conſtantini tempore vixit, inueniri, & ne apud Euſebium quidem: licet enim ille exſtructiones Templorum, & dona ex auro, argento & gemmis à Conſtantino Templis dicata, eorundemque exornationes diligentiſſimè deſcripſerit, harum tamen Imaginum nullam prorſùs mentionem facit. Refert quidem in vita Conſtantini*, ipſum & ſuas, & ſuorum Imagines, Danielis etiam & boni paſtoris ſymbola fieri curâſſe ſed in medio foro apud fontes; non in Templis collocâſſe. *Et quod Damaſus ac Platina referunt, ita manifeſtè falſum eſt, vt ante Bellarminum nullus ferè Pontificiorum, eorum teſtimonio ad Imaginum in Templis antiquitatem defendendam, vſus fuerit. Vanitas etiam huius teſtimonij inde quoque apparet, quòd ijdem authores referunt, Conſtantinum à Sylueſtro Romæ baptizatum eſſe, & eam ob cauſam Romæ ad fontem baptiſmi has Imagines collocâſſe. Hoc enim mendacium manifeſtiſſimum eſt. Euſebius enim lib. 4. de Conſtantini vita affirmat, eum Nicodemiæ (non Romæ) paulò ante mortem baptizatum, in Epiſcoporum conuentu: & quidem ab Euſebio Nicomedienſi baptizatum, Hieronymus teſtatur in Chronico ſuo: id verò factum anno 65. ætatis eius, Imperij verò 31: cùm iam ferè ante quinquennium Sylueſter mortuus eſſet, teſtantur Ruffinus lib. 1. capite 11. Socrates lib. 1. capite 39. Theodoretus lib. 1. cap. 32. Sozomenus lib. 2. cap. 34. Iſidorus in Chronico ſuo author eſt, Conſtantinum ab Euſebio Nicomedienſi Ariano rebaptizatum eſſe: verùm Euſebius, Socrates, Theodoretus, & alii antiquiores & probatiores authores, baptizatum eum, & non rebaptizatum affirmant. Et quidem Synodus Ariminenſis, in literis ſuis ad Conſtantium, quarum exemplum exſtat apud Theodoretum lib. 2. cap. 19. & Sozomenum lib. 4. cap. 18. teſtatur, Conſtantinum in vera fide Nicæna, accepto Baptiſmo, defunctum eſſe. Quod non affirmâſſent, ſi eum à Nicæna fide defeciſſe & ab Ariano rebaptizatum eſſe ſciuiſſent: Ambroſius etiam in libro de obitu Theodoſii teſtatur, Conſtantinum in vltimis conſtitutum, baptizatum eſſe. Gratianus 2. 12. q. 1. Futuram. & Meltiadis epiſtolam allegat, vbi Meltiades, quaſi à ſe Conſtantinum baptizatum aſſerit. Atqui Meltiades ante Sylueſtrum fuit, & Conſtantinus poſt vtriuſque obitum baptizatus eſt Nicomediæ, non Romæ: vterque igitur ſe Conſtantinum baptizâſſe mentitur. Nicephorus libro 7. cap. 35. affirmat, Arianos diabolico ſpiritu confinxiſſe de Conſtantino, quòd Nicomediæ baptizatus ſit, & Romæ à Sylueſtro baptizatum autumat: Verùm id nullis aliis rationibus probat, quàm quòd Eccleſia Romana id aſſerat, & quòd baptiſterium Romæ à Conſtantino conditum dicatur: & quòd in Nicænam Synodum non fuiſſet admiſſus, ſi Baptiſmo nondum initiatus fuiſſet. Sed quàm friuola hæc ſint quis non videt? Baronius quoque tom. 3. Annal. anno 324. impudentiſſimè hæc eludere conatur, Euſebium mendacij arguit, & ſe melius hæc noſſe videri vult, Euſebio, qui Conſtantini tempore vixit, & cui Imperatoris res omnes fuerunt notiſſima: aut ſi mentitus fuiſſet in hac re Euſebius, num putat Baronius, reliquos doctores, qui eodem tempore vixerunt, tam ſtupidos & cæcos fuiſſe, vt hoc obſeruare, & notare in eo non potuerint? certè à nullo vnquam probato authore hanc ob cauſam mendacij accuſatus fuit. His addit Baronius*, hoc commentum ab Euſebio Ariano excogitatum eſſe: Ariani hominis impoſturam eſſe, *&c. Ambroſium etiam, idem affirmantem, tantùm non mendacij arguit, tantùm vt ille, quod vult, obtineat.*

Damaſi & Platinæ Errores.

De Baptiſmo Conſtantini M.

Baronij impudentia.

Quintò *dicit Ieſuita*, in Miſſa Chryſoſtomi hæc legi: Sacerdos egreditur è paruo oſtio portans Euangelium, præcedente eum miniſtro & lucernâ, & conuerſus ad Chriſti Imaginem inter duo oſtia, inflexo capite cum exclamatione dicit, *&c. Hinc apparere vult Ieſuita*, aliquem in Conſtantinopolitana Eccleſia Imaginum vſum Chryſoſtomi tempore fuiſſe. *Reſpondeo, Hæc Liturgia, ſeu formula Miſſæ, quæ ſub Chryſoſtomi nomine circumfertur, eſt falſa & ſuppoſititia. Nam* primò, *nullus ex veteribus demonſtrari poteſt, qui huius Liturgiæ teſtimonio vnquam vſus ſit, vel eius aliquem ſaltem mentionem fecerit.* Secundò, *ita ſe habet Liturgia hæc, vt non immeritò pro falſa & ſuppoſititia habeatur. Nam in ea pro Nicolao Papa oratur. Nicolaus I. autem Papa quingentis ferè poſt Chryſoſtomi obitum è viuis demùm exceſſit annis. In eadem quoque Liturgia pro imperio & victoria Alexii Imper. vota fiunt. Primus autem huius nominis Imperator fuit anno Domini 1080. annis poſt Chryſoſtomi mortem ſeptingentis. Hinc intelligimus, multa in hac Liturgia eſſe variata & aſſuta, & proinde non genuina, ſyncera & certa omnia.*

De Chryſoſtomi Liturgia.

Sextò *dicit*, Euodium ſcribere, in Eccleſia, vbi Reliquiæ S. Stephani ſeruabantur, fuiſſe quoque Imaginem ejuſdem Martyris depictam. Prudentius quoque, qui temporibus Honorii & Theodoſii vixit, di-

cit in passione Cassiani Martyris, cjus historiam in Templo descriptam fuisse. Et Paulinus Nolanus, ægrè tulit, quòd se vnà cum S. Mattino in Templo depingi curauerat Severus. *Respondeo vt supra, hac facta quidem esse in vna vel altera Ecclesia, sed non in omnibus, neque communiter. Ex particularibus igitur exemplis, non potest vniuersaliter colligi,* Imagines ante annos Christi 500. in Templis vbique collocatas fuisse.

De Anastasio bibliothecario judicium.

Septimò *ad id, quod refert ex Anastasio bibliothecario, de Valentiniano juniore, eum posuisse in Ecclesia Petri imaginem S. Petri, Respondeo, hunc Anastasium suspectum esse authorem, quippe qui scripta sua consarcinauit ex quibusuis Apocryphis vel fictis scripturis in scriniis vel bibliothecis Papæ, quibus præerat, repertis, modò essent in Domini sui fauorem, vt Carolus Molinæus testatur.*

Augustini locus explicatur.

Octauò *indicat Bellarminus*, Augustinum testari libro 1. de Consensu Euangelistarum capite 10. multis in locis suo tempore cerni potuisse Christum depictum inter Apostolos Petrum & Paulum. *Respondeo, scribit hoc quidem Augustinus, sed vbi, in Templis videlicet, an extra, has Imagines viderint, non indicat. Hoc certum est, picturas illas non probâsse sanctissimum Patrem. Refert enim dicto loco, fuisse quosdam, qui finxerint, Christum scripsisse magica ad discipulos Petrum & Paulum. Quibus mox hac addit:* Cùm vellent tale aliquid fingere, cogitauerunt, ad quos potissimùm scribere potuisse facilè crederetur, tanquam ad illos, qui ei familiariùs adhæsissent, quibus illud quasi secretum dignè committeretur, & occurrit eis Petrus & Paulus. Credo quòd pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt, quia merita Petri & Pauli etiam propter eundem passionis diem celebrius & solenniter Roma commendat. Sic omninò ERRARE meruerunt

Nota.

qui Christum & Apostolos ejus non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt. Nec mirum si à pingentibus fingentes decepti sunt, *&c. Et credibile est, vidisse tales picturas istas apud Hæreticos, de quibus supra indicauimus, eos picturas & Imagines hujusmodi apud se habuisse.*

De picta historia Abrahæ mactare volentis filium.

Quod historiam Abrahæ attinet, mactare volentis filium; Respondeo similiter, non dicere Augustinum, illam in Templis depictam exstitisse, sed simpliciter dicit, pictam fuisse: Nisi fortè, *inquit*, non veniret ei in mentem factum ita nobile, vt non lectum, nec quæsitum animo occurreret, vt denique tot linguis cantarum, tot locis pictum, & aures & oculos dissimulantes feriret. *Ergo hæc ex Augustino citata loca nihil ad rem prorsùs faciunt.*

Ad secundum Orthodoxorum argumentum contra Imagines in Templis Bellarmini responsio. Explicatur Can. 36. Elibertini Concilij.

Ad SECVNDVM *nostrorum argumentum, quod sumitur ex Cap. 36. Elibertini Concilij, respondet Bellarminus* Primò *ex Payua, qui dicit*, Concilium hoc solùm prohibere Imagines Dei, quæ pinguntur ad ipsius Dei effigiem repræsentandam. *Sed hæc responsio ne Bellarmino quidem satisfacit, tum quia Concilium non distinguit, sed in genere loquitur de picturis; tum etiam quia non erant in vsu eo tempore, imò vnquam fuerunt tales Imagines, quæ sunt vera Idola.* Secundò *respondet ex Alano Copo, qui lib. 5. Dialog. capite 16. dicit*, hîc prohiberi Imagines, quia à Christianis adorari cœperant tanquam Dij: *& hunc esse sensum;* Placuit in Ecclesia non esse picturas, ne aliquid in parietibus existens adoretur & colatur vt Deus: *Ita etiam hunc Canonem interpretatus est Ivo lib. Decret. part. 3. c. 40. Sed, ipso quoque Iesuitâ teste, huic expositioni ratio Canonis hujus non quadrat: debuisset enim dici potius*, ne id quod pingitur adoretur, *quàm*, ne id quod adoratur, pingatur.

Payua. Alanus Copus.

Peresius.

Tertiò, Peresius *respondet, tantùm prohiberi*, ne Imagines depingantur in parietibus Ecclesiæ, non autem, ne depictæ in tabellis aut velis in Ecclesia habeantur: *& rationem esse vult*, propter honorem Imaginum, quia in parietibus, vel humore parietum, vel situ, vel aliâ ratione corrumpuntur. *Sed ne hoc quidem procedit, nam eodem modo etiam aliæ Imagines in tabellis & velis suspensæ ad parietes, Statuæ item erectæ in Templis, situ, puluere, aliisque modis facilè corrumpi & fœdari possunt. Deinde ne hæc quidem ratio conuenit cum ratione Concilij, quod Imagines in Templis prohibet depingi debere in parietibus, non propter corruptionem, sed propter cultum & adorationem: indignissimum enim judicant esse, vt id quod à Christianis colitur, Sancti videlicet, & adoratur, nempe Deus immensus, omnipotens, &c. in parietibus depingatur. Materia enim, sive lapidum sive lignorum, nullum discrimen Idololatriæ facit, quæ semper eadem manet, sive colatur imago in pariete, sive in tabula. Cùm igitur hoc nimis friuolum & elumbe animaduerteret* Peresius, *fingit* picturas tales rectè potuisse ad tempus auferri, quòd homines tunc eas adorârint. *Hæc verò sententia Gregorio M: aduersatur, qui censuit in epistola ad Serenum Massiliensium Episcopum,* Imagines hanc ob causam non tollendas aut remouendas esse, sed homines potiùs admonendos, ne eas adorent.

Sanderus.

Quartò, *Sanderus etiam ad Canonem hujus Concilij duobus modis respondet:* Imagines, *inquit*, parcius ab initio fiebant, & rarò in Ecclesiis ponebantur: tum quòd fideles quotidianis persequutionibus afflicti, de ornamentis & accessionibus rituum sacrorum non magnoperè solliciti erant, sed in magno lucro ponebant, si vel necessaria religionis Christianæ sacramenta retinere possent; tum etiam, ne Iudæos ac infirmos Catechumenos

Digitized by Google

chumenos offenderent, si quamvis hominum Deo charissimorum, tamen hominum imagines adorandas proponerent. Periculum enim erat, ne (quod Manichæos fecisse legimus) Christianos non nisi conuertisse idola dicerent, dum pro veteribus Dijs Apostolos & Martyres colere putarentur, ob quas causas mirandum non est, si Concilium Elibertinum rebus Christianis nondum in pace & tranquillitate constitutis, accommodatè ad illorum temporum & locorum rationes decreuit, picturas in Ecclesiis esse non debere, *&c. His verbis haud obscurè innuit, imagines semper quidem in Ecclesiis exstitisse, sed tamen ab initio parcius in ijs propter persecutiones positas fuisse. Vtrumque autem hoc falsum est. Nam non modò non parciùs, sed nulla omnino Statua vel Imagines in Ecclesiis Christi Domini erecta fuerunt, vsque ad annos 370. reparata salutis. Deinde vtitur hic etiam fallaciâ* παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον. *Non enim persecutiones & offendicula, sed lex & verbum Dei causa fuerunt, ob quam non tantùm parciùs, vt ille loquitur, sed vt res sese habet, prorsùs in Ecclesiis Imagines in primitiua Ecclesia posita fuerunt. Testem habeo Origenem. Cùm enim Celsus libro septimo, probare vellet,* Christianos peiores esse barbaris, Lybicis, & atheis Scythis, *hoc potissimùm argumento vtitur,* quòd non patiantur simulachra & statuas intueri. Persas ex Herodotò ostendit irrisisse Simulachra, quòd non crediderint cum Græcis Deos ex hominibus genitos. *Quid verò ad hæc Origenes? Num dicit, non licere Christianis ob persequutiones simulachris vti, quibus, si pax concederetur, libentissimè dare locum in Templis vellent? vel ad tempus saltem ab imaginibus se abstinere velle, ne Iudæis offendiculo sint? Minimè verò. Sed inquit;* Non patimur leto apud Aras & Templa, & Simulachra colere, quia scriptum est; Non sint Dij tibi alieni: nec feceris tibi rei vllius similitudinem: non adorabis ea, nec seruies illis. *Et libro octauo.* Nos, *inquit*, Simulachrorum fundationes ideò defugimus; quia vbi per Iesu doctrinam comperimus, quomodo colendus sit Deus, ea nos euitamus, quæ sub pietatis prætextu & opinione quadam, impios reddant. *Et Clemens Alexandrinus in Parænetico,* Nobis, *ait*, apertè vetitum est artem fallacem exercere: scriptum est enim, Non facies cujusvis rei similitudinem. *Quod Synodum Elibertinam attinet, celebrata est illa pace iam redditâ Ecclesiis à Constantino Imperatore.*

Quod de adoratione secundo loco dicit Sanderus, Concilium Elibertinum prohibuisse Imagines, quia tempore illo periculum erat, ne Gentiles existimarent, Christianos adorare ligna & lapides. *Respondeo, hoc periculum adhuc hodiè restare, & hanc ipsam ob causam hodiè quoque prohibendas esse Imagines, ne Turcæ, Iudæi & alij arbitrentur, à Christianis ligna & lapides adorari. Quæ quum ita sint, rectè tandem fatetur Bellarminus ipse colum. 2110. rationem Canonis Elibertini,* Ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur, *non multum quadrare Sanderianæ expositioni.*

Postremò Iesuita dicit, Concilium hoc pro Pontificiis facere, quòd decernat, picturas in Ecclesijs nullas fieri debere: *hic enim colligi posse*, Imagines eo tempore in Templis fuisse, alioquin hoc sancire non potuisse. *Argumentum tale est:*

> *Si decreuit Elibertinum Concilium, picturas in Ecclesiis fieri non debere, sequitur, fuisse eo tempore picturas & & Imagines in Templis.*
>
> *Sed prius est verum: Ergo etiam posterius.*

Negatur consequentia maioris: nam etiam Deus prohibuit in lege Exod. 20. Omnis generis imagines ad Cultum & adorationem propositas: quum tamen eo tempore nullas prorsus Imagines Israëlitæ haberent. At dicis, Deus prævidit, eos breui facturos imagines: *Respondeo, id ipsum etiam prævidit hoc Concilium: & fortasse jam tum fuerunt aliqui, qui hanc quæstionem mouerunt,* An liceat imagines propter historicum saltem vsum in parietibus Templorum pingere? *Præterea inquit*, Ex hoc Concilio haberi, ipsas imagines; vel certè Sanctos quorum sunt imagines, coli & adorari. *Respondeo, habetur quidem, sed simul etiam cultus & adoratio earum, juxta legem Dei, rectè prohibetur.*

Responsio Bellarmini ad 3. argumentum Orthodoxorum.

. *Ad* TERTIVM *nostrorum argumentum quod attinet, dicebatur, non posse imagines in Templis, præsertim in sublimi loco statui, quin simul erigatur signum quoddam Idololatriæ: Imagines enim humanam formam repræsentantes, facillimè nos inducere ad idololatriam, præsertim si in Templis collocentur, adstipulante etiam Augustino: Respondet Iesuita,* Augustinum sic sentire, præsupposito errore Gentilium: Vult enim, *inquit*, dicere, quando quis putat Simulachrum esse Deum, & accedit, vt adoret, & inuocet ipsum Simulachrum, mirabiliter confirmatur & fouetur in errore, ab ipsa membrorum humanorum similitudine. *Respondeo, Error hic, quem præsupponit Augustinus, ex sententia Iesuitæ, non Gentilium tantùm fuit, sed etiam multorum rudium & infirmorum Christianorum est, vt putent Simulachra & Imagines esse Deos, & in hoc errore similitudine membrorum ita vehementer confirmantur, vt eas viuere & spirare arbitrentur: proinde nihil respondet Bellarminus, sed stat adhuc immota Augustini sententia & nostrorum*

argumentum. Ejusdem moneta est, quod de vasis aureis respandet, non propter materiam pretiosam, sed ex forma humanæ similitudine gigni Idololatriam: Hoc enim nihil ad propositum pertinet, sed est inane κρυσφύγετον, & petitio principij. Tandem veritate victus, concedit Iesuita, multum posse & valere imagines ad fouendum errorem Idololatriæ. *Respondeo, vitandum igitur est hoc periculum, quod creatur si in Templis humanâ collocantur imagines, ipso quoque Iesuitâ teste.*

Bellarmini ad 4. argumentum Responsio Eucharistia an Imago & figura vocanda.

AD QVARTVM *argumentum de viuis imaginibus, in quartum numero est Eucharistia quaque respondet Iesuita,* Septimam Synodum Act. 6. tomo. 3. sanxisse, Eucharistiam non debere vocari imaginem vel figuram corporis Domini, cùm ipsum Domini corpus reuerâ sit. *Respondeo, Idololatrica hac Synodus contra veritatem hoc decreuit. Si enim Eucharistia reuerâ est Domini corpus & sanguis, non amplius panis & vinum: nulla amplius restabunt in Eucharistia signa, ac proinde non poterit esse Sacramentum: Sacramentum enim nihil aliud est, quàm sacra rei visibile signum: aut, inuisibilis gratia visibilis forma: Et sic doctrinâ hac tota Sacramenti natura euertitur. Deinde Eucharistia,* imago, signum, *&* figura *vocatur ab orthodoxis Patribus primitiua Ecclesia, qui longè anteferendi sunt Patribus septima huius Synodi. Origenes in Psalm.* 138. Hæc, *inquit,* omnia (*hostia qua in Cœna offeruntur*) Imagines sunt spiritualium rerum. *Nazianzenus Eucharistiam vocat* Antitypa corporis & sanguinis Christi, *in Orat. de Paschate. Augustinus contra Adimantum cap.* 12. Dominus, *inquit,* non dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cùm signum corporis daret. *Hilarius inquit,* Corpus Christi, quòd sumitur de Altari, figura est. *Tertullianus lib. 4. contra Martionem sic scribit;* Christus acceptum panem & distributum discipulis corpus suum illum fecit, dicendo, Hoc est corpus meum id est, figura corporis mei. *Ambrosius etiam Eucharistiam subinde appellat nominibus* Figuræ, Typi, Imaginis, Similitudinis, *libro 4. capite 48. de Officijs: lib. 4 capite 4. de Sacramen. & alibi.*

Deinde Iesuita dicit, Viuas & mortuas Imagines sese mutuo juuare. *Respondeo, falsum hoc est: Nam mortua Imagines exstinguunt viuas: & Imagine Christi mortuâ, deprauatur, dehonestatur, fœdatur & ignominiâ seu insigni contumeliâ afficitur ejus viua. Hoc etiam inde apparet, quòd mortuæ imagines à Propheta appellantur* Doctores mendacij. *Et qui vmbram sequitur, amittit veritatem. Negat etiam Iesuita, contra communem sensum, Sanctorum Imagines rectè dici mortuas.*

Defensio Epiphanij Epistolæ ad Iohannem Hierosolymitanum Episcopum, de IMAGINIBVS in Templis Christianorum non habendis, *contra* Sanderi & Bellarmini calumnias.

Responsio Bellarmini ad 5. Orthodoxorum argumentum.

AD QVINTVM *nostrorum Argumentum, sumptum ex Epiphanij Salamina Cypri Episcopi facto, qui conscidit velum, in quo depicta fuit Imaga Christi, quodque pependit ad fores Templi cuiusdam, & de quo scribit Ioanni Hierosolymitano Episcopo,* Quod pendeat in Ecclesia contra authoritatem Scripturæ, *&c. Respondet Iesuita, primò, ex Vualdensi,* Epiphaniũ propter hæresim Antropomorphitarũ, tunc vigentem, hoc fecisse: *Secundò ex Mariano Victorio qui dicit,* Epiphanium loqui de Imagine hominis profani, quæ ibi honorata fuerit instar Imaginum Christi & Sanctorum: *Tertiò, ipse cammuniorem solutionem ex Sandero & alys affert, dicitque,* partem illam vltimam illius Epistolæ quam Epiphanius ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopũ scripsit contra Imagines in Templis, Epiphanij non esse, sed à quodam Iconomacho confictam & assutam. *Pulchrum mehercle est, quum aliquid obycitur ex Patribus, quod soluere nequeas, respondere, locum ab Hæretico quodam vel esse deprauatum, vel confictum & assutum. Et quis obsecro ante has Aristarchos vnquam de veritate hujus epistola dubitauit? Oportet igitur homines esse merè impudentes atque audaces. Verùm quemadmodum de Academicis recentioribus referunt, quòd etiam principia negârint, omnia incerta esse pronunciârint, & κοινὰς ἐννοίας quoque in Geometricis varijs sophismatum prastigijs labefactare conati sint: sic etiam Pontificij solent cuncta quæ sibi suisque portentasis opinionibus & sophismatis aduersantur negare eludere, exsibilare, præterire & dissimulare. Negant Apostolos Christianorum Imagines, sed tantùm Ethnicorum Idola damnâsse. Negant in secundo Decalogi præcepto Deum quamcunque imaginum adorationem prohibere. Sunt tamen alij qui concedunt prohiberi quidem, sed & ipsi negant, se docere adorandas Imagines prototypi adoratione: id verò Scholastici manifestissimè docent. Imò ex ipso Decalogo secundum præceptum totum eradere & expungere non sunt veriti, quòd in eo Imagines earumque cultus damnatur. Negant etiam in Carthaginensi Concilio tertio cautum, Canonicas solùm scripturas in Ecclesia legendas: quod tamen clarissimè Canone 24. præcipitur, eique astipulatur caput 38. Hipponensis Synodi. Negant in eodem Concilio prohibitum, ne quis primus seu primæ sedis Episcopus nominetur Princeps sacerdotum; aut summus Sacerdos. cùm tamen*

Sanderus lib. 2. de Honoraria Imaginum adoratione cap. 4.

Digitized by Google

men can. 36. id clarè exprimrtur, & Gratianus distinct. 99. idem etiam de Romano Episcopo efferat, inquiens: Vniuersalis autem nec ipse Romanus Pontifex appelletur:*cùm illud totũ Cõciliũ huc ferè spectet, vt omnes meatus & aditus ad summũ Pontificatũ Romano Episcopo intersepiantur: cùm Can. 17. iniungatur,* vt vnaquæque Eparchia propter longinquitatem proprium primatum habeat, vt domi qui res & personas intus & in cute norunt, iudicent & deffiniant, foris autem vbi & testes absunt, & omnia sunt ab omnium cognitione remota & disiuncta, non decidantur: *cùm Can. 23. dicatur,* Episcopis mare nõ traijciendum, nisi ex decreto primæ sedis Episcopi in vnaquaque provincia. *Similiter negant Hildebrandum, aliàs Gregorium 7. Roman. Pontif. fuisse Necromanticum: quod tamen affirmat Benno Cardinalis, & Abbas Vrspergen. Negant Henrico Imp. intoxicatam hostiam à Monacho traditam: quod tamen affirmant idem Vrspergensis, Baptista Egnatius, Supplementum Chron. Rauisius Textor, Carion, Auentinus. Negant Liberium Papam Arianismo infectum: ait Hieronymus: Negant Zosimum Papam Nicani I. Concilij canones adulteràsse & corrupisse: ait Concilium Aphricanum. Negant Dominam Ioannam Papam VIII. vnquam Romæ, tanquam Semiramim, habitu virili, Pontificatui summo præfuisse: id verò affirmant Marianus Scotus, Martinus Polonus, Sabellicus, Leonicus, Chalcondyla, Platina, Antoninus Episcopus Florentinus, Volateranus, Nauclerus, Constantinus Phrygio & alij Pontificij authores. Negant vnquam decreuisse Canonistas, Clericum propter simplicem fornicationem non esse deponendum: ait Panormitanus, scriptum quoque est in textu & in margine. Negant Ioannem XXII. Papam de animarum immortalitate perperam sensisse: ait Schola Paris. ait eius Cancel. Gerson, aiunt Patres Const. Conc.*

Quæ cum ita sint, nan magnopere mirandum, si neget quoque Sanderus, & ex Sandero Bellarminus, hanc epistolæ ad Ioonnem Hierosolymitanum Episcopum appendicem, de non ferendis imaginibus in Christianorum Templis Epiphanij non esse, sed ab hæretico quodam adiectam. Cuperem autem scire, ille Hæreticus quo nomine, vbi, aut quando fuerit? Hîc satis est Sandero dicere, fuisse aliquem. *Sed ille* aliquis *vnde tantam nactus est vel facultatẽ vel potestatem in libros & bibliothecas, vt vnus omnia exemplaria, quæcunque essent, vbique terrarum potuerit corrumpere?*

Obserua autem hominis istius plus quàm vulpinam astutiam. Epiphanium non reprehendit nec falsi arguit, quod procul dubio in animo & corde fecit: scit enim in magna semper eum, ob doctrinæ & sanctitatis singularis opinionem, existimatione in Ecclesia fuisse: fingit igitur Censuram illam in calce epistolæ à quodam hæretico adiectam, vt sub hoc prætextu maiore cum licentia eam arrodere ausit. Sed age audiamus quibus seu quantis (vt ipse loquitur) argumentis hoc probet Sanderus: multa enim hîc simul dicenda occurrent, quæ ad præsentem tractationem de Imaginibus pertinebunt.

Scriptum exstat (*inquit Sanderus*) sub Epiphanij nomine, quòd contra Scripturarum authoritatem sit, in Ecclesia Christi hominis pendêre Imaginem. Hoc verò (*ait*) tam falsò, tam ineptè, tam contra Epiphanij morem & consuetudinem dictum esse affirmo, vt ab eo dictum esse putari non debeat. Primùm enim, vbi legitur in Scripturis, vt hominis Imago non pendeat in Ecclesia Christi? *Nescit ergò, aut saltem se nescire simulat Sanderus, quid Deus præceperit in secundo præcepto Decalogi, inquiens:* Non facies tibi sculptile, neque similitudinem vllam eorum, quæ in cœlo sunt sursum, vel in terra deorsum, vel in aquis quæ sub terra sunt, *&c. Verum contendit Sanderus lib. 1. c. 7. in hoc mandato,* solam Dei similitudinem fieri prohiberi. *Dominicus quoque Asotus inter recentiores Papistas in epistolam ad Romanos 1. cap. scripsit,* illo Dei præcepto non interdici Christianis Imagines facere, humanam formam referentes: cùm ibi tantum reptilium, volucrum & piscium lex meminerit. *Cùm tamen disertis verbis prohibeatur,* ne faciamus sculptile, vel similitudinem aliquam eorum quæ in terris sunt deorsum. *Sunt autem in terris non solùm reptilia & quadrupedia, sed & homines: eorum igitur imagines ad cultum prostituendas non vult quoque fieri Deus, quod Moses clarissimè exprimit Deuter. 4. vbi præcipit,* ne imagines aut masculinas, aut fœmininas faciant. *In Psalmo quoque habetur,* Os habent & non loquuntur, *&c. & quamvis cætera membra, quorum ibi propheta mentionem facit, possint de brutis intelligi, illud tamen quòd os habeant, & non loquantur, peculiariter ad homines attinet, cùm sermo brutis minimè datus sit: vnde Lucretius etiam ea vocauit* muta. *Et apud Isaiam 44. cap. faber irridetur, qui ex vna parte succisæ arboris, fecit Simulachrum, ex altera verò ignem excitauit, eoque panem & carnes coxit.* Sculpsit, *inquit,* & mirificè laborat, vt viri similitudinem exprimat. *Deinde verò quod Sanderi effugium attinet, respondeo: Si Deo vero non licet consecrare & erigere statuam, minus licebit alieno Deo, hoc est, creaturæ seu sancto mortuo quantumuis excellentissimo statuere imaginem. Animus hominis deligit sibi Deum, mox imaginatione affingit ei speciem aliquam, postremò manibus perficit: vt verè dictum sit,* Mentem concipere Idolum, manum verò parere.

Argumentũ 1. Sanderi.

Refutatio

Lex Dei prohibet quoque Imagines hominũ.

Atqui prohibuit primo præcepto Dominus, ne habeamus Deos alienos. *Qui verò Deos alienos non habet aut sibi deligit, nullas certè illis affingit Imagines, ideoque nullas etiam ponit Statuas. Nam nefas esse ducit Deo vero constituere imaginem: impium esse credit sibi deligere Deum alienum, ergo & Dei alieni figuram in Templo Dei erigere. Hunc sensum legis istius esse, Iudæi nos suo exemplo satis abunde docent: non solùm enim Deo vllas vel in Tabernaculo, vel in Templo Hierosolomit. sed nec Diuis vllis, id est, sanctis mortuis, quorum tamen magnam habebant copiam, Patriarcharum nimirum, Iudicum, Sacerdotum, Regum, Prophetarum & Martyrum, imagines collocârunt: imò cùm ab Antiocho, Pilato & alijs attentatum id esset, totis restiterunt viribus, & mori satius decreuerunt esse: quàm isto pacto legem Dei violare.*

Lex Dei contra Imagines Christianis quoque data.

Sed inquiunt alij, Lex ista de non faciendis Imaginibus & Simulachris Iudæis data fuit, ergo non Christianis. *Nego consequentiam. Ceremoniales quidem & Iudiciales leges Christianos non obligant. Moralis autem, ad quam Decalogi præcepta referenda, cùm sit æterna veraque justitiæ regula, ideò omnium Gentium, temporum & seculorum hominibus præscripta est, qui modò ad Dei voluntatem vitam suam componere volent. Æquè igitur Christianis ac Iudæis præcipitur, ne imagines vel Dei, vel hominum ad Cultum religiosum instituant.*

Imagines hominis in Templis Christiani quoque habere non debens.

At inquit Sanderus, Non legitur, vt hominis imago non pendeat in Ecclesia Christi, vt Epiphanius dicit. Certè in veteri Testamento nihil de Christianorũ Ecclesia materiali vel præcipitur, vel prohibetur. In Apostolicis etiam literis nil tale reperitur. *Respondeo: In veteri Testamento quoque non disertis etiam verbis exprimitur, ne idola, imagines & Simulachra vel in Tabernaculo, vel in Templo habeant: non tamen sequitur, quòd illa debeant vel possint ibi habere. Cùm enim Deus præcipiat, ne vllæ Imagines ad Cultum instituantur, simul certè præcipit, ne ibi collocentur, vbi religio & Cultus Dei externus præcipuè tractatur & exercetur: & ita intellexerunt hanc legem Dei Iudæi, qui inprimis in Templo, loco scilicet religioni peculiariter destinato, nullas prorsus ferre potuerunt imagines. Deinde ostendat nobis Sanderus vel vnicum verbum in Sacris Literis, quo præcipiatur, Imagines in Templis Christianorum habendas esse. Certè si res tanti momenti esset, vt Pontificij iactitant, aliquid salutem de ea exstaret.*

Argumentum 2.

Alterum *argumentum contra Epiphanij Epistolam hoc est.* Cùm tanta sit (*inquit*) inter vtrunque Testamentum concordia, vt quod in veteri Testamento imperfectè adumbratum est, in nouo perfectè impleatur: multò veriųs diceretur secundùm scripturarum authoritatem esse, vt sancti hominis imago in Ecclesia Christi pendeat. Cum enim Cherubim fuerint in arca fœderis, & in Templo Iudæorum, & illæ Imagines, aut solùm humanam formam (vt plerique visum est) aut certè ita rerum quoque aliarum formam præ se tulerint, vt in his rebus etiam humana forma locum suum obtinuerit: multò prudentius, & ad vtriusque Testamenti consensum accommodatius loqueretur, qui affirmaret, secundùm authoritatem scripturarum esse, vt quemadmodum in Templo Solomonis, dum lex vmbram tantùm haberet rerum futurarum, Imago fuisse: sic multò magis nunc reuelatâ incarnatione Christi, tam ejus quàm cæterorum Martyrum imagines in Ecclesijs ponerentur.

Cherubim, *inquit*, in veteri Testamento vsurpatæ sunt in Templo, vt quæ ab ipso Deo dictatæ & institutæ fuerunt. Cherubim autem fuerunt imagines hominis faciem referentes. Ergo multò magis Christianis licet in suis Templis quoque habere imagines hominis formam referentes. Responsio

Possem hîc Sanderi effugio vti. Vbi enim legitur in scripturis, vt hominis Imago pendeat in Ecclesia Christi? Certè in Veteri Testamento nihil tale de Christianorum Ecclesia, seu Templo materiali vel præcipitur, vel prohibetur. In Apostolicis etiam literis nihil tale reperitur. Sed ingenuè ac syncerè agam. Et primò nego minorem. Nam quæ Cherubinorum *forma fuerit, non disertè in Sacris Literis exprimitur: ipse quoque Sanderus hæsitat, facies enim eorum tectæ fuerunt, atque in propitiatorium obuersæ. Apud Ezechielem animalia illa quatuor, quorum singula quatuor facies habebant hominis, leonis, bouis & aquilæ, Cherubini nominantur, cap. 10. Hebræi Cherubinis quidem, sed sine ratione, tribuunt faciem hominis, seu pueri: & inde dictos volunt Caphi similitudinis particula, nomine rabia pueri apposito. Iosephus Cherubinos ait fuisse animalia volatilia, quæ talem habuerint figuram, qualis à nullo hominum conspecta sit: vnde nonnulli omnem figuram, quæ in rerum natura non cernatur Cherubim appellari volunt. Communi autem consensu receptum, per Cherubinos angelos significari, quorum alioqui facies inaspectabilis est, cùm sint incorporei. Deinde in hoc Sanderi argumento plus est in conclusione quam in præmissis. Neque etiam sequitur, Hoc vel illud vsurpatum est in veteri Testamento, Ergo multò magis in nouo licet. Hæc enim ratio à Majore conficitur: quod argumenti genus infirmissimum est, quia de ceremonijs & ritibus veterum non licet ita concludere. In præceptis moralibus firma esset ratio, sed in ceremonijs, quæ typi & vmbræ fuerunt, non ita fas est ratiocinari, cùm omnia ejus generis mandata sint per Christi aduentum abolita:* Cherubinorum forma quæ.

lita: nisi Iudaismum in Ecclesiam reuocare velimus. Respondebo quoque ad hoc Sanderi argumentum per inuersionem.

Omnes Ceremoniæ veteris Testamenti, tanquam Vmbræ, typi & figuræ per Christum sunt abolitæ.

Cherubim autem fuerunt ceremoniæ, adeoque vmbra & figura.

Ergo in Nouo Testamento sunt abrogati.

Et inde rursus sic argumentor ad formam Sanderiani argumenti.

Cherubim fuerunt Imagines hominis faciem referentes, Sandero teste.

Cherubim autem in nouo Testamento sunt aboliti & abrogati.

Ergo Imagines hominis sunt in nouo Testamento abolitæ.

Rectè igitur dixit Epiphanius, & verè non falsò, non ineptè, vt Sanderus calumniatur, contra Scripturarum authoritatem esse, in Ecclesia Christi hominis pendere imaginem. Multò quoque prudentius, quàm Sanderus, loquuntur hodiè, qui affirmant, secundum authoritatem scripturarum esse, vt quemadmodum in Templo Solomonis, dum lex vmbram tantùm haberet rerum futurarum, Cherubim, id est, vt Sanderus vult, imago hominis fuit: sic nunc reuelato Christo, tametius, quàm cæterorum Martyrum Imagines ex Ecclesiis ejiciantur, ne Christi Ecclesia adhuc vmbris, figuris & typis, quales reuerà sunt omnes imagines, vti videatur. Longè etiam ad vtriusque Testamenti consensum accommodatius loquuntur, qui dicunt, Quoniam Cherubim alis Propitiatorium operuerint, velum obtexerit, locus ipse procul reconditus, satis per se occuluerit, insanire eos, qui illorum exemplo, Simulachra Dei & sanctorum, defendere moliantur. Quid enim indicabant Imaguncula illæ? nisi imagines repræsentandis Dei mysterijs non esse idoneas? quando in hoc formata erant, non vt in omnium conspectu ad Cultum & Adorationem statuerentur, sed vt alis obuelantes Propitiatorium, oculi humani temeritatem à Dei contemplatione coërcerent. Vnde etiam Propheta Seraphim sibi in visione ostensos, velatâ facie, velatisque pedibus nobis pingunt. Ac miranda certè Pontificiorum impudentia est, quâ in templo Solomonico populum Dei Imagines habuisse non verentur affirmare: quum constet Iudæos in secundi Decalogi præcepti obseruantia constanti & obfirmato animo semper permansisse, & quascunque Imagines damnâsse. Testatur hoc etiam Tacitus, qui lib. 5. historiarum disertis verbis confitetur, Iudæos mente solâ, vnum numen intelligere ac venerari, profanumque ducere, imagines Deorum, mortalibus materijs, in species hominum effingere: ideoque nulla simulachra eorum vrbibus nedum TEMPLIS esse. *Quibus vtique postremis verbis apertè Pontificios confutat, dicentes,* Iudæos in Sancto sanctorum Templi Solomonici Imagines habuisse.

Tertium *argumentum tale est:* Si aliquæ Imagines permitti possunt, vbi potius permittuntur quàm in Ecclesijs? Imagines autem alicubi permitti possunt. Ergo multò magis in Ecclesia. *In hoc Syllogismo connexum Maioris falsum est. Habent quidem Imagines extra Templa & Cultum religiosum, aliquem vsum, politicum nimirum seu ciuilem, ad rerum memoriam conseruandam ad ornandas ædes, præsertim optimatum & regum, & ad aliquam honestam voluptatem, quâ nonnunquam homines sese & oblectent & recreent: hunc vsum non damnamus, neque cum ijs facimus, qui volunt Deum secundo Decalogi præcepto omnes in vniuersum imagines & statuas, tam politicas quàm religiosas prohibuisse. Verùm hinc non sequitur, multò magis habendas in Templis. Habuerunt in primitiua Ecclesia, & Constantini Magni ætate, diuque potest, imagines extra non intra Templa, quod etiamnum hodiè licet, in Ecclesijs verò nequaquam.* Argumentum 3. Refutatio

1. *Primùm enim, res plena est periculi, & veteris Ecclesiæ exemplum docet, quo tandem homines ex earum aspectu, cùm eas in Templis vidissent positas, prolapsi fuerint. Qua de re quoque Augustinus in Psalm.* 113. *elegantissimè ita scribit:* Quando Imagines in loco sublimi ponuntur, ceu in quodam suggestu, procreatur affectus prauus in animis, quo inuitatur Diabolus, vt se admisceat, *Hoc euenisse ecclesiastica historia luculenter docet. Idem Pater in Sermone* 6. *de verbis Domini in monte,* Declarant, *ait,* quo loco & existimatione simulachrum habeant, cùm illi aram ponant: Nisi enim putarent aut numen, aut diuinitatis aliquid in se habere, Aram vtique illi illi non erigerent. Rationes cur Imagines non sint in Templis habendæ. 2.

Quibus verbis satis docet, Imagines DEOS facere, quicunque eas in Templis collocant, isque Aras exstruunt. Considerandum quoque est, ea in Templis Christianorum non esse habenda, quæ à religione & fide Christi homines auocant. Fateri autem oportet, plures cùm Turcos, tum Iudæos hodie Christo nomen daturos, nisi Simulachra Christianorum eos impedirent. Vnde Paulus Riccius Iudæus doctissimus, qui Papiæ baptizatus est, expedire plurimùm professus est, si imagines è Templis Christianorum amouerentur, hanc vnam enim ob causam plerosque Iudæorum à Christiana religione abhorrere. Templa etiam ab initio in eum finem non sunt exstructa, vt Imagines in ijs collocentur, ibique oculos pascant fideles picturis & simulachris: sed potius vt ibi orent, verbum DEI audiant. Sacramenta percipiant, gratias agant DEO, & ejus augustissimum nomen celebrent. Sunt etiam eam ob causam in Templis non collocandæ, quòd ab ardentiore rerum diuinarum, ac cœlestium consideratione mentes hominum auocant. Referunt statuas esse Romæ tam 3. 4. 5.

artificiosè elaboratas, vt plurimi, qui eius artis peritißimi fuerint, multas horas consumpserint, in ijs quàm diligentißimè spectandis. Multò magis ergo vel mediocriter elaboratæ & exornatæ imagines promiscuæ plebis mentem sibi vendicabunt totam. Quæ etiam causa fuit, quòd Lacedæmonij in Curia senatoria nullam imaginem vel simulachrum poni voluerunt, quo senatores ibi essent animo præsentiore, & de rebus in medio
6. *propositis, quàm attentißimè cogitarent. Habet & aqua suum vsum, nimirum vt sitim extinguat: verùm si eam conuiuis tuis appasueris, & stultus & sordidus habeberis. Sic quoque imagines, etiamsi alicubi suam habeant commoditatem, in Templis nihilominus ferri non debent: vbi cum DEO longè alia, & quidem meliore ratione agere possumus. Ex his omnibus intelligi posse puto, etsi imagines locum aliquem in foro & priuatis ædibus habere possint propter historicum vsum, nullo tamen in loco minus collocandas quàm in Templis. Sed de hoc satis paulò ante diximus.*

Argumenti 4. Quartum *argumentum, quo probare conatur Sanderus nihil minus putandum esse, quàm Epiphanium id scripsisse, quod ad finem Epistolæ ad Ioannem Hierosal. episcopum legitur, sunt* Traditiones, quarum fuerit obseruantissimus. *Quæ autem illæ traditiones, quas tam sanctè obseruârit, in hac causa fuerint, mox exponit cùm dicit:* Ignorare non potuit quid actum esset de statua Christi, quam à Iuliano depositam, & à paganis fractam Christiani recondiderunt in Ecclesia: aut quemadmodum tam in Occidentalibus quàm Orientalibus Ecclesijs Imagines vbique pingerentur. Responsio *Ridiculum me herclè caput Sanderus, qui pro traditione Apostolica, & consuetudine antiqua venditare conatur, quod Epiphanij primùm ætate, aut certè paulò ante eam fieri cœpit, & quod Epiphanio tantopere displicuit. Vis autem tibi dicam, quorum traditionum obseruator fuerit, & quas alios obseruare studiosè jusserit? Eas nimirum quæ cum verbo scripto Apostolorum non pugnant, quæ non superfluæ sunt, nec cultum aliquem nouum inducunt, quæque Imagines ex professo damnant. Ita enim inquit, vt etiam citant Patres Synodi Constantinopolitanæ 7. à Constantino Copronymo anno 755. conuocatæ, tomo* 5. Attendite vobis, vt seruetis traditiones, quas accepistis. Ne declinetis neque ad dextram, neque ad sinistram. *Quibus mox infert hæc:* Estote memores dilecti filij, ne in Ecclesiam Imagines inferatis, neque in Sanctorum Cœmiterijs eas statuatis, sed perpetuò circumferte Deum in cordibus vestris. Quin etiam neque in domo communi tollerentur. Non enim fas est, Christianum per oculos suspensum teneri, sed per occupationem mentis. *Et libro tertio, tomo 2. contra hæreses, in fine recitat ordine, quæ ex traditione vel susceptione voluntariæ promptitudinis suo tempore obseruârit Ecclesia, Imaginum autem cultus ne vno quidem verbulo meminit.*

Argumenti 5. Quintum *argumentum est, quòd dicit,* nihil tale in scriptis Epiphanij exstare, quod simile sit his, quæ in fine hujus Epistolæ leguntur. Si omnino, *inquit*, erat hoc animo, sine controuersia eam hæresim in tomos suos relatam multis verbis confutâsset. Atqui nec in Panario, nec in Ancorato, nec in Anacephalæosi eorum hæresim aperuit, nedum confutauit, qui putabant Sanctorum Imagines in Ecclesijs constituendas esse. Responsio *Aut non legit Epiphanium Sanderus, aut quæ legit in illo sceleratè dißimulat. Non repetam hic, quæ contra Encratitas scripsisse dicitur à Patribus Constantinopol. Synodi 7. & ob authore Catalogi testium veritatis, nimirùm,* Estote memores dilecti Filij, ne in Ecclesias imagines inferatis, *&c. sed pauca quædam hujus Patris testimonia, contra adorationem & cultum Sanctorum, apprimè huc pertinentia in medium afferam. Sic ergò is scribit lib. 3. tom. 2. contra hæreses, hæresi 78.* Audiuimus alios ita desipere, vt in tractatione de sancta semper Virgine, pro Deo hanc introducere studuerint, & adhuc studeant. & furore quodam ac amentiâ ducantur. Narrant enim quòd quædam mulieres in Arabia, hanc vanitatem inuexerint, vt in nomen semper Virginis Collyridem quandam sacrificent, & simul congregentur: & in nomen sanctæ Virginis vltra modum quid tentent aggredi, nefario ac blasphemo negotio: & in nomen ipsius sacra celebrent per mulieres, quod totum impium est & nefarium, alienum à prædicatione Sancti Spiritus: vt sit totum diabolicum opus, & Spiritus immundi doctrina. Implerur enim & in his hoc, Deficient quidam à sana doctrina, attendentes fabulis & doctrinis dæmoniorum. Erunt enim, inquit, mortuis Cultum diuinum præstantes, quemadmodum etiam in Israel coluerunt. *Et mox:* siue, *ait*, mortua est Maria & sepulta, siue sublata est, siue mansit, non conuenit tamen colere Sanctos vltra decorum, sed honorate ipsorum Dominum. Cesset itaque error seductorum. Neque enim Deus est Maria. Nemo igitur in nomine ejus offerat, suam enim perdit animam. *Non vult Epiphanius vt offeratur & sacrificetur Maria: non vult vt ipsa vel alius Sanctus adoretur & colatur. Non vult igitur etiam vt Imagines in Templis ipsis collocentur, hic enim primus est, quod antea quoque significauimus, ad cultum & adorationem Sanctorum aditus. Sed audi adhuc clariùs Epiphanium errorem hunc confutantem hæresi 79. contra Collyridianos. Vnde non est* SIMVLACHRIFICVM, *inquit*, hoc studium,

dium, & diabolicus conatus? prætextu enim justitiæ semper subiens hominum mentem diabolus, mortalem naturam, in hominum oculis deificans, STATVAS humanas, imagines præ se ferentes, per artium varietatem expressit. Et mortui quidem sunt, qui adorantur, ipsorum verò imagines, quę nunquam vixerunt (neque enim mortuæ esse possunt, quæ nunquam vixerunt) adorandas INTRODVCVNT, adulterante mente ab vno & solo Deo: velut commune scortum ad multam multiplicis coitus absurditatem irritatum & quod temperantiam legitimi conjugij vnius viri detriuit. Reuera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus. Reuera virgo erat ipsa virgo & honorata, sed non ad adorationem nobis data, sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa carne genitus est, de cœlis verò ex finibus paternis accessit. Et propterea Euangelium munit nos, dicens quod ipse Dominus dixerit, Quid mihi & tibi curæ est mulier? Quo non putarent aliqui magis eximiam esse sanctam Virginem, mulierem eam appellauit, velut prophetans quæ futura essent in terra, sectarum & hæreseon gratiâ: vt ne aliqui nimium admirati sanctam, in hanc HÆRESIM ejusque deliramenta dilabantur. Est enim ludibrium tota res, & anicularum fabula, vt ita dictam, tota hæresis tractatio. Quæ verò Scriptura de hoc narrauit? Quis prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem? Eximium equidem est vas, sed mulier, & nihil à natura immutata: verùm & intellectu & sensu in honore honorata, velut corpora Sanctorum, & si quid amplius ad glorificationem dixerim, sicut Helias ex Matre Virgo, & sic manens in perpetuum, & translatus, & mortem non conspicatus, sicut Ioannes qui super pectus Domini recubuit, quem diligebat Iesus, sicut Thecla sancta. Et Maria adhuc honoratior hac est, propter dispensationem mysterij qua digna facta est. Sed neque Helias adorandus est, etiamsi in viuis sit, neque Ioannes adorandus, quanquam per preces suas proprias dormitionem suam admirandam effecerit, imò potiùs ex Deo gratiam accepit. Sed neque Thecla, neque quisquam Sanctus adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, vt relinquamus viventem, & adoremus ea, quæ ab ipso facta sunt. Coluerunt enim & adorârunt creaturam præter creatorem, & stulti facti sunt. Si enim angelos adorari non vult, quantò magis eam, quæ genita est ab Anna quæ ex Ioachim donata est Annæ, quæ per preces & omnem diligentiam, secundùm promissionem patri ac matri data est, non tamen aliter genita est præter hominum naturam, sed sicut omnes ex semine viri & vtero mulieris. *Et mox*: Sit in honore Maria. Pater & filius & Spiritus Sanctus adoretur. Mariam nemo adoret, non dico mulierem, imò neque virum. Deo debetur hoc mysterium. Neque angeli cupiunt talem glorificationem. Deleantur quæ malè scripta sunt in cordè deceptorum. Tollatur ex oculis cupiditas ligni. Conuertatur rursus figmentum ad Dominum. *Similia leguntur authorem lib.2.tom.2.hæresi 69.contra Ariomanitas, & libro 3.tom.1. hæresi 76. contra Anomæos ferè in fine: ac in Ancorato fol.565. Et contra Melchisedecianos, hæresi 55.lib.2.tom.1.inquit:* Diuinæ scripturæ profunditas, & claritudo mentem humanæ naturæ excedens, decepit quàm plurimos. Etenim qui in Arabia Petrea, Robem & Edom appellata habitant, Mosem propter diuina signa Deum putant, ADORANTQVE IPSIVS IMAGINEM, quam effingentes seducti sunt, non justo ipsis causa existente, sed errore ipsis per justum in ignorantia imaginationem inducente. In Sebasta autem quondam Samaria appellata, filiam Iephte deificârunt, & in ejus honorem quotannis festiuitatem celebrant. *Idem quoque Pater de Simone Mago hæresiarcha illo indicat hæresi.21. & in Anacephalæosi,* quòd Imaginem suam, & Helenæ Scorti, velut Iouis & Mineruæ discipulis suis adorandam proposuerit. *Inter Carpocratianorum etiam instituta hæretica illud ceu præcipuum ferè numerat,* quòd nonnulli ex ipsis habuerint Imagines per colores depictas, quidam etiam ex auro & argento, ac simili materia, quas Imagines Iesu, Petri ac Pauli esse dixerint, & Iesu quidem Imagines sub Pontio Pilato esse factas, quando inter homines versatus fuerit. Habuisse insuper *testatur* Philosophorum quorundam Imagines, Pithagoræ scilicet, Platonis, Aristotelis, & aliorum, cum quibus Imagines Iesu collocârint, collocatasque adorârint, *lib.1.tom.2. hæresi 27. & in Anacephalæosi. Vnde licet cuilibet conijcere, nisi suo primùm tempore, absolutis iam de hæresibus tomis, Imagines in Templis collocatæ essent à Christianis, quòd sine dubio illam Idololatriam adhuc pluribus confutâsset. Quæ cùm ita sint, arbitror, secus quàm Sanderus pronunciauit, Epiphanium in Panario, Ancorato & Anacephalæosi, satis eorum hæresim aperuisse & confutâsse, qui putant Sanctorum Imagines in Ecclesiis constituendas, colendas & adorandas esse.*

De cultu Mariæ Virginis.

Sed audiamus quid Carolus Magnus lib. 4. c. 25. contra Nicænam 2. Synodum ad hoc Sanderianum argumentum respond rit. In hoc, *inquit*; magnum se munimen adoratores seu cultores Imaginum inuenisse rati sunt, eò quòd Epiphanius, qui de hæresibus scripsit,

si imaginum vsum & adorationem hæreses computâsset. His armis nos qui solius Dei Cultu & adoratione contenti sumus plectere nisi sunt, his jaculis nos confodere moliti sunt, his hastis nos debellare conati sunt. Quibus nos è contrario respondendum putauimus, eosque propriorum armorum instrumentis debellare disposuimus, eademque pila quæ ab illis ad nos missa sunt illis vibrantia detorquentes dirigere non grauabimur, dicentes, Si idem Epiphanius eos qui imaginum adorationem spernunt, hæreticos sciret in sua generali de hæresibus disputatione, eos inter hæreticos sciret in sua generali de hæresibus disputatione, eos inter hæreticos proculdubio computaret: non autem inter hæreticos computauit, non igitur eos hæreticos credidisse credendus est. Quòd autem idem Epiphanius non Imaginum adorationem spreuerit, verum etiam eas IN ECCLESIIS HABERE NOLVERIT, his indicijs declaratur. In Epistola enim quæ ab illo ad Ioannem episcopum missa est, & ab Hieronymo de Græco in Latinum eloquium translata, ita habetur, Audiui quosdam murmurari contra me, *&c. Viden', Sandere hanc epistola ad Ioannem Hierosolymitan. Episcopum appendicem non ab iconomacho quodam assutam, sed ab Epiphanio scriptam Carolum quoque Imper. statuisse, deque eo nihil omnino dubitâsse. Idem Imperator eodem loco clarissimè demonstrat, ab Augustino vsum, & adorationem Imaginum in Templis inter hæreses numerari.*

6. *Argumentum.* Sextò *dicit*, Si legatur Epiphanij epistola, mox apparere, jam finem vltimum fuisse impositum, precationem adjectam, nec id quod postea, sequitur, vllo modo cum eo, quod præcessit, cohærere.

Fateor rem ita se habere, vt Sanderus dicit. Quòd verò hinc colligere vult, quæ sequuntur in ea epistola contra Imagines Sanctorum in Templis Epiphanij non esse, falsum est. Equidem non vna res tantùm, sed plures sæpe, eaque diuersissimæ narrantur interdum, in Epistolis præsertim. Et Cicero, vt obseruauimus, cùm narranda habet multa, vno vel altero absoluto concludit non rarò, mox adjungit ex reliquis quodcunque est collibitum, etiam ex abrupto, siue cohæreat cum præcedentibus, siue non. Idem quoque fecit Epiphanius in hac Epistola, Monuerat antea siue per literas, siue alio modo Ioan. Hierosolymorum Episcopum, ne Origenem, Arij & aliorum hæreticorum Patrem laudet, aut vllo modo probet. Hoc molestissimè tulit Ioannes, & Epiphanium apud alios superbiæ, & nescio de quibus criminibus grauiter accusauit. Epiphanius igitur se excusat in hac epistola: Reddit rationem hujus admonitionis, recensendo quædam dogmata Origenis, & ostendendo eorum absurditates impietatesque. Quibus absolutis, ita per quandam Conclusionem Ioannem affatur: Cùm hæc, *inquit*, ita se habeant dilectissime, custodi animam tuam, & desine circa nos murmurare, dicit enim scriptura diuina, Nolite murmurare ad inuicem, sicut quidam murmurauerunt, & à serpentibus perierunt. Magis acquiesce veritati, & dilige diligentes te, & veritatem. Deus autem pacis præstet nobis juxta suam clementiam, vt conteratur Satanas sub pedibus Christianorum, & abjiciatur omnis occasio peruersa, ne scindatur in nobis vinculum charitatis & pacis, & rectæ fidei prædicatio. *Hucusque Epiphanius. Ne verò nouam conuitiandi occasionem arripiat Ioannes inde, quòd nuper Epiphanius in diœcesi Hierosolymitani Episcopi inscio illo consideraт velum pendens, in Templo, in quo Imago cujusdam Sancti depicta erat, etiam de eo purgat sese, & reddit rationem sui facti, nimirum,* quòd contra authoritatem scripturæ sit, Hominis imaginem pendere in Ecclesia: monetque illum vt deinceps præcipiat, ne in Ecclesia Christi istiusmodi vela, quæ contra Religionem nostram veniant, appendantur: decere enim honestatem ejus hanc magis habere solicitudinem, vt scrupulositatem tollat, quæ indigna sit Ecclesiâ Christi, & populis qui ei crediti sint. *Postremò hortatur*, caueat Palladium Galatam, qui Origenis hæresim doceat. *Hæc sunt scilicet illa ἀσύμπτα, hoc est, cum præcedentibus non cohærentia, ideoque ab Epiphanio non scripta, sed ab Iconomacho quodam adjecta & assuta. Hac ratione verò etiam alia quædam ab Epiphanio non scripta, sed ab alijs in eadem epistola conficta essent, vt, qui legerit eam diligenter, mox animaduertet. Certè si Paulus suo Timotheo tam vini vsum prohibuisset, quàm concessit, absque dubio versum hunc,* Ne amplius esto abstemius, sed vino pauculo vtere, *&c. jampridem, tanquam ab hæretico aliquo adjectum, reiecisset Sanderus suique similes: nam eo in loco ex abrupto quasi, à præcepto generali, de electione Presbyterorum, transit, aut potius transuolat ad præcepta medicinæ, & ea quæ peculiariter ad valetudinem, & stomachum Timothei pertinere videbantur. Ac miror vehementer, cur non eadem audaciâ Sanderus finem primæ Ioannis Epistolæ ab iconomacho quodam adiectum dicat, vbi totam Epistolam quasi ex abrupto peculiari præcepto contra peruersum & impium Simulachrorum cultum ita concludit:* Fidioli, cauete vobis à simulachris, *Amen.*

Septimò *loco dicit*, hoc totum in Epistola hac Epiphanij non tantùm esse falsò affixum, sed etiam esse affixum nondum ab hinc annis septingentis: nihil enim tale citatum 7. *Argumentum.*

tatum reperiri in Nicæna Synodo 2. ab ijs, qui nihil omiserint, quod contra sacras imagines vel specie tenus facere visum sit. *Hoc argumentum ita formari potest. Quicquid, quod contra Imagines facit, à Nicæna 2. Synodo non est citatum, falsum est. Sed hic locus Epiphanij non est citatus. Ergo. Vel infans Sandere respondere tibi posset Maiorem esse falsissimam simul & absurdissimam. Nam neque illa citarunt, quæ ex probatissimis Patribus suprà in medium contra imagines attulimus neque ea quæ ex alijs mox in sequentibus referemus: at non propterea sequitur, ea omnia esse falsa, vana, ficta ab alijs, & Patrum illorum scriptis ab Iconomachis adiecta & assuta. Illud verò certissimum, quòd multa ficta legantur in ea Synodo, & quæ citata fuerunt ab illius patribus, in libris orthodoxorum Patrum pleraque non exstant. Deinde licet à Patribus Nicænæ Synodi non citetur, attamen citatur à Francofurtensi Synodo à Carolo M. conuocata anno Christi 793. iuxta Vrspergensem, vel anno 794. iuxta Reginonem, cùm Synodus Nicæna 2. celebrata sit anno Domini 788. quinque scilicet annis ante Francofurtensem. Meminit etiam eius Carolus Imp. lib. 4. cap. 25.*

8. Argumentum. *Quod verba Gregorij M. ad Serenum attinet, qui Sanctorum Imagines confregerat,* Dic frater à quo factum Sacerdote aliquando auditum est quod fecisti? *Non magnopere moror. Primùm enim fuit, quod omnibus constat, eximius superstitionum patronus.* Responsio. *Deinde non compertum est, quid Serenus ille Massiliensis Episcopus Gregorio responderit: Si enim respondit, de quo mihi dubium non est, credendum omninò, quòd non solum veterum probatissimorum Patrum testimonia & scripta contra Imagines pro se citârit, verùm etiam Epiphanij authoritate aliorumque pro sui defensione vsus sit.*

Sandero adstipulatur etiam Alanus Copus, qui hanc, Epistolæ extremam, partem suppositi tiam quoque putat: Hoc nonnulli ex eo colligunt, quòd Epiphanius Imagines, eorumque Cultum non numeret inter hæreses. Sed injuriam illi faciunt, Nam hæres. 73. ait: Diaboli conatum esse Statuas humanas exprimere & adorandas introducere: Et hæres. 55. de Melchisedechianis ait: Adorant Mosis Imaginem, quam effringentes seducti sunt. Et hæres. 27. inter Carpocratianorum instituta ponit, Imagines Iesu, Petri & Pauli colere. A Castro contra Hæres. lib. 8. tit. Imago. Excusat quidem Epiphanium ab hæresi, errâsse tamen eum dicit. Vualdensis ei tribuit Zelum, sed non secundùm scientiam, de Sacram. tom. 3. Cap. 157.

Ex his omnibus liquidò constare arbitror, non solùm appendicem illam literarum ad Ioannem Hierosolymitanum Epiphanium scripsisse, sed etiam rationes quibus hoc impugnare conatur Sanderus friuolas nec alicuius momenti esse.

Bellarmini argumenta examinantur, quibus probare conatur Imagines rectè in Templis collocari.

HACTENVS *negatiuam Thesis nostræ sententiam defendimus: affirmatiuam nunc Bellarmini expendere, eiusque argumenta examinare volumus, quibus probare conatur, Imagines rectè in Templis collocari.*

Primum *Iesuitæ argumentum est*, quòd in veteri Testamento Imagines fuerunt Cherubim, Exod. 25. & 3. Reg. 6. *Respondeo,* De Cherubim. *Neque Mosem, neque Solomonem quippiam fecisse, nisi ex speciali mandato Dei. Pontificij autem nullum tale speciale mandatum demonstrare possunt. Contra verò habemus legem generalem & communem, æternamque;* Non facias tibi Sculptile ad adorandum. *Huic legi parendum est, donec Deus speciale det mandatum, quo nos hac lege generali liberet. Erexit aram Helias in Carmelo contra legem Dei scriptam, non tamen peccauit, quia legem seu mandatum Dei peculiare de hoc suo facto habuit; Ideò nemo vniuersalem legem ex hoc facto peculiari colligebat. Nam propter certa priuilegia, & dispensationes quasdam diuinitùs concessas, non dissoluitur lex vniuersalis. Sic olim etiam respondit Tertullianus Idololatris, qui ei, non quidem Cherubim, sed quod idem est, serpentem aneum obiecerunt. Sic enim scribit de Idololat.* Ait quidam: Cur ergo Moses in eremo simulachrum serpentis ex ære fecit? *Hinc intelligimus, non primùm excogitâsse Bellarminum & socios hoc sophisma. Nam id veteres idololatræ inuenerunt & iactârunt, mille quadringentis, & plus eo abhinc annis, ab ijsque acceperunt & didicerunt Iesuitæ ac similes Pontificij. Tertullianus autem ad id sic respondet:* Benè, quod idem Deus, & lege vetuit similitudinem fieri, & extra ordinario præcepto serpentis similitudinem edixit. *Præterea addit:* Si eundem Deum obseruas, habes legem eius, Ne feceris similitudinem, Et, si præceptum factæ postea similitudinis respicis, & tu imitare Mosem. Ne facias aduersus legem simulachrum aliquod nisi & tibi Deus iusserit. *Deus enim liber est, nullaque lege obligatur: nobis, non sibi mandata dedit. Deinde Arca seu Propitiatorium, quod contegebant Cherubim, non fuit expositum oculis populi, sed in adyto reclusum. Proinde insaniunt, qui Imagines Dei & Sanctorum, exemplo Cherubim, defendere conantur. Quid enim indicabant imagunculæ illæ? nisi Imagines repræsentandis Dei mysterijs non esse idoneas? quando in hoc formata erant; vt alis obuelantes Propitiatorium; oculi humani temeritatem à Dei contemplatione coërcerent. Adde, quòd Cherubim, ad veterem pædagogiam pertinuisse agnoscunt; quicunque rectè iudicant. Itaque in exemplum trahere, quod nostræ ætati seruiat, absurdum est: præterijt enim tempus illud puerile, vt ita loquar, cui eiusmodi rudimenta à Deo destinata erant. Sed de Cherubim plura paulò antè diximus.*

Secundum *Bellarmini argumentum est à quatuor Conciliorum authoritate, nempe* Nicæni 2. *quod ipse dicit* fuisse Septimum vniuersale; & Octauum Constantinopolitanum, in quo Septimum confirmatum fuit: Deinde duorum particularium Romanorum, quorum primum sub Gregorio III. secundum sub Stephano III. Papis celebratum fuit. *Respondeo, Concilia illa apertè contra legem Dei cultum & adorationem Imaginum approbásse, & proinde non esse recipienda: Rectè enim & verissimè Ioannes Gerson iudicauit*, Vel vnius idiotæ hominis Dei verbo scripto fundatum, præferendum esse in Dei Ecclesia totius generalis Concilij decretis, si Dei verbo destituantur.

Tertium *argumentum sumptum est à ratione*. Signa, *inquit Iesuita*, sacra nusquam melius, quàm in sacris poni possunt. Deinde nullum est ornamentum Templorum melius, quàm sacrarum Imaginum, quia Imagines simul Templum ornant, & continent mentes hominum, ne vagentur inanibus cogitationibus. Præterea Templum est Imago quædam cœli: nam Apostolus Hebr. 9. comparat tabernaculum Mosaïcum cum cœlo: decet igitur, vt in ipso Templo sint imagines eorum, qui in cœlis sunt, nempe Christi & Sanctorum. *Respondeo, Rationes ambæ falsæ sunt. Imagines sunt signa sacra, ergo in domibus sacris collocandæ. Negatur antecedens: nam Imagines non sunt signa sacra, sed profana, quia à Deo prohibita & damnata; quia etiam nos prouocant ad idololatriam, quum sunt in Templis, vt testatur Augustinus epistolâ 49. & in Psalm. 113. Idcirco etiam non sunt ornamentum, sed dedecus Templorum: ideò sustulit Ioas Rex Dei iussu, 2. Reg. 10. Et si hæc ratio vera esset, Deus iniquè egisset cum tabernaculo Mosis, & Templo Solomonis, prohibendo, ne in eis Imagines vllæ collocentur. Infelicer etiam fuissent primi Christiani, quorum Templa præstantissimè hoc ornamento annis ferè 400. integris communiter caruerunt. Adhæc, ornatus Templorum non debet pugnare cum Dei verbo. Falsum & hoc est. Imagines continere mentes hominum, ne inanibus cogitationibus vagentur, vt paulò ante in responsione ad tertium Sanderi argumentum indicauimus. Ad alteram rationem dico, loqui Apostolum non de toto tabernaculo & Templo Iudaico, sed de parte tantùm eius, nempe* Sacrario, *quod fuit figura cœli: Ergo hoc nihil ad nostra Templa pertinet: destructum enim est Templum illud cum Sacrario suo, & veteres figuræ omnes cessârunt.*

CAPUT. XV.

V. IMAGINES in Templis non esse vtiles extra Historiam.

QUærit Iesuita, vtrum in Templis Christianorum solæ Imagines, & formæ corporum humanorum, absque vlla rerum gestarum notatione poni & collocari vtiliter possint, ac debeant? *Respondet primò ex Caluino*, Imagines sine notatione historiæ non esse vtiles. *Sed peruertit & corrumpit Iesuita verba Caluini & verum sensum eorum. Caluinus enim lib. 1. Institut. cap. 11. §. 12. scribit*, Imagines & formas corporum, præter oblectationem oculorum, vtilitatem nullam habere. *Bellarminus contra affirmat, Imagines vtiliter sine historijs, solas & simpliciter collocari. Ac probat.*

PRIMO, *exemplo* Cherubim, quæ collocatæ fuerunt in Templo veteri absque vlla notatione historiæ. *Respondeo, supra diximus, peculiari mandato Dei Cherubim in Templo fuisse collocatas: quemcunque igitur vsum habuerint, sine extra historiam, siue non, tamen non licet ab ijs vniuersaliter argumentari ad Christianorum Imagines. Deinde habuerunt etiam Cherubim vsum suum, & quidem aliquem historicum: Deus enim Iudæis his Imagunculis, Propitiatorium obuelantibus & tegentibus, indicare voluit, eos nondum peruenisse ad plenitudinem temporis, sed multa adhuc illis esse tecta & abdita.*

Secundò probat Iesuita suam sententiam hoc argumento: Christiani semper habuerunt Imagines, etiam solitarias, & extra historias: veluti Christi, vt apparet ex Euagrio libro quarto, capite 18. & 26. Metaphraste in vita Constantini M. & Damasceno libro 1. de Imaginibus: Eusebio lib. 7. cap. 14. Sozomeno lib. 5. capite 20. Damasceno libro 1. de Imaginibus, & Theophylacto in capite 9. Matth. Athanasio in libro de passione Imaginis Christi capite 4. Item Mariæ Virginis, vt est videre apud Theodorum Lectorem libro 1. Nicephorum lib. 14. capite secundo, Metaphrastem in vita S. Lucæ, *&c. Respondeo, Quæstio est, de Imaginibus in Christianorum Templis collocatis: Bellarminus autem profert in hoc argumento exempla, vt maximè demus vera esse, de Imaginibus non in Templis sed extra illa, vel in publicis locis, vel in priuatis ædibus positis, absque omni cultu & adoratione, memoria tantùm causâ. Est igitur fallacia à non consequente. Veteres Christiani quasdam Imagines priuatim habuerunt absque cultu: Ergo vtiles fuerunt etiam extra historiam in Templis Imagines. Hæc in genere dicta sint de exemplis ipsis. In specie autem respondeo, narrationes de Imaginibus*

ginibus Christi, Mariæ etiam meras esse nugas & fabulas, idque satis superque supra à nobis probatum arbitror. Aut si qua maximè Christi Imagines factæ fuerunt, non tamen in Templis, sed priuatis ædibus collocatæ fuerunt, non ad cultum & adorationem, sed historiæ tantùm causâ. Idem est etiam sentiendum de Meletij Imaginibus, quarum Chrysostomus meminit: neque enim dicit, eas in Templis collocatas fuisse, sed in annulis, poculis, phialis, thalami parietibus & similibus locis visas. De Augustini loco ex consensu Euangelistarum paulò ante respondimus.

Imagines non libri Laicorū.

Tertiò, probat ab vtilitatibus solitariarum etiam Imaginum. Et sex quidem affert vtilitates. Prima *est*, Instructio & eruditio. Melius, *inquit*, interdum docet pictura, quam scriptura: *vnde etiam à quibusdam Imagines libri Laicorum sunt appellatæ. Respondeo, Spiritum sanctum apud Prophetam Habacuc 2. capite contrarium docere: nempe,* Imagines esse doctores mendacij. *Libri idiotarum veri, seu vera de DEO & ejus voluntate docentes: & cum verbo Dei non pugnantes, sunt retinendi: non autem libri fictitij, fabulosi, & falsis opinionibus de Deo, eiusque voluntate & superstitionibus animos hominum imbuentes, & præterea etiam à DEO prohibiti & damnati: tales libri à Christianis non sunt retinendi, sed exurendi, quantumuis pulchrè deaurati. Imagines autem, vt diximus, mendaces sunt libri & doctores, qui partim falsum de Deo docent, quum ipsum alium repræsentent, quàm reuera est: partim superstitiones & Idololatriam animis hominum instillant; & hoc nomine à Prophetis passim damnantur. Deinde licet Imagines erudirent & docerent homines, non tamen sequeretur eas in Templis Christianorum retinendas esse. Non enim decet velle sapientiores esse DEO; Is autem nullos vnquam hujusmodi doctores proposuit: sed contrà semper vetuit, apertè reclamauit, nunquam pati voluit eos. Et si hæc tam expedita sit facilisque instituendi populi ratio, quid est, quòd qui maximè hujusmodi magistrorum copiâ abundant, ij maximè & ignari, & superstitiosi, & rudes sint, atque idololatriæ dediti?*

Præterea Bellarminus ipse suo se iugulat gladio. Vult enim probare, Imagines solitarias sine historia alicuius notatione esse vtiles: & tamen illæ ipsæ Imagines, & picturæ quas recenset, sunt vel illo ipso teste, cum historiæ notatione coniunctæ. Dicit enim, Etiam solitariæ Imagines, vt à Christianis pinguntur, semper continent, quasi per compendium, aliquam historiam.

Secunda *vtilitas Imaginum Bellarmino est*, Quòd sic fouetur charitas nostra erga Christum & Sanctos, quum nimirum eorum mortuorum Imagines cernimus. *Respondetur, charitas erga Christum & Sanctos, neque Imagines, neque aliud aliquid carnale requirit: non enim agnoscimus eos amplius secundum carnem. 2. Cor. 5. Populus DEI in veteri Testamento charissimos habuit Patriarchas & Prophetas: non tamen Imaginibus eorum hanc suam charitatem fouerunt. Augustinus de Trinit. libro octauo, capite 4. & 5. præclarè inquit,* Non prodest in fide nostra de Christo, quod carnaliter animus sibi fingit. *Deinde hæc ratio fouendæ charitatis Idololatriam peperit inter homines, vt est videre in lib. Sap. 14. cap. ergo est peruersa charitas.*

Tertia *vtilitas Imaginum est*, excitatio ad imitationem: & Quarta, *quòd* ij Sancti in memoria retinentur. *Respondeo, est fallacia A non consequente: Memoria & Imitatio Sanctorum in Ecclesia esse debet: Ergo eorum Imagines in Templis sunt vtiles. Nam memoria & imitatio Sanctorum etiam fuit in veteri Testamento, sed non per Imagines. Paulus 1. Cor. 11. & Heb. 13. præcipit,* vt & se & Sanctos imitemur, ac eorum memores simus: *sed vt hoc fiat per Imagines, non iubet.*

Quinta *vtilitas est Iesuitæ*, Confessio fidei. Dum enim, *inquit*, diligimus & honoramus Imagines Sanctorum, testamur nobis placere eorum fidem, & doctrinam, & sanctos mores, & simul nos detestari omnem impietatem & Idololatriam. *Respondeo, Cultus Imaginum non est detestatio, sed confessio idololatriæ Ethnicæ, Eusebio teste lib. 7. c. 18. vbi dicit,* Imagines ex gentili consuetudine profectas esse, non ex Apostolica traditione.

Sexta *est, Deum honorari cum Sanctis per Imagines:* Nemo enim, *inquit*, vnquam dubitauit, quin erigere statuas, vel Imagines magnis viris, ad honorem eorum pertineat. *Respondeo. Confundit Politicum & Ecclesiasticum Imaginum vsum, quum inter vtrunque sit distinguendum: & pro paribus sumit, quæ sunt imparia. Politicus Imaginum vsus est concessus: Ecclesiasticus verò nequaquam: Deus enim ipse, & se, & quicquam cœleste, aut terrenum sculptili repræsentatum, religiosè coli expressè vetuit, Exod. 20. Deut. 4.*

CAPVT XVI.

VI. IMAGINES Christi & Sanctorum non rectè & piè coli religiosè & adorari.

I*Dola, Simulachra, Imagines Christi & Sanctorum non rectè & piè à Christianis & fidelibus coli religioso cultu, aliquot argumentis & rationibus probatur.*

PRIMO, *quia verbum Dei seuerè interdicit & prohibet omnem religiosum Idolorum, Simulachrorum & Imaginum cultum: vt est videre Exod. 20. Deuter. 4 Roman. 1. & aliis*

locis quàm plurimis. Respondent Pontificij, Scripturam sacram reprahendere tantùm cultum, qui tribuitur Idolis, Simulachris & Imaginibus tanquam Diis, *Respondet autem Caluinus lib. 1.Institutionum capite* 11.§.9. *&* 10. *ibique ostendit, etiam Iudaos & Gentiles non habuisse idola, Simulachra & imagines suas semper pro Diis, sed in ijs interdum etiam verum Deum eos coluisse. Et tamen reprahendi, quia Deus non patitur cultum suum vllo modo communicari cum Imaginibus. Et certè si Deus non debet coli in Imagine, eodem modo Sancti, licet colendi essent, non essent tamen colendi in Imaginibus.*

Iudæos Simulachra sua non habuerunt pro Dijs.

*Quòd autem Iudai non habuerint Simulachra pro Dijs, sed Deum verum in ijs coluerint interdum, probatur, quia Exod.*32. *populus dicebat de vitulo aureo:* Isti sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. *Vbi fatentur, se in vitulo colere eum Deum, à quo fuerant liberati de Ægypto: Et ibidem Aaron indicturus diem festum in honorem vituli aurei, jussit praconis voce dici:* Cras solennitas Iehouæ est. *Et Iudic.* 17. *mater Micha dixit,* Sanctificaui, & voui Iehouæ mille & centum argenteos, vt faciam sculptile atque conflatile.

Gentiles etiam coluisse Deum verum in Idolis

Quòd etiam Gentiles coluerint Deum verum in idolis interdum, probatur primò *ex Augustino in Psalm.*113. *vbi refert,* Gentiles respondere solitos, cùm accusabantur Idololatriæ, se non colere ipsa idola, sed numen quod per Idolum significabatur. Secundò *ex eo, quòd Gentiles mutabant Simulachra pro arbitrio, nec tamen Deos mutabant.* Tertiò, *quia vni Deo plura simulachra erigebant: nam vnum Iouem esse dicebant, & tamen innumerabilia illi simulachra dicabant.* Quartò, *quia nouas Imagines quotidie sacrabant, nec tamen dicebant se nouos Deos facere.* Quintò, *Athenienses, vt est videre Act.*17. *Arâ cui inscriptum erat,* Ignoto Deo, *colebant Deum verum, quem Paulus annuntiabat. Quibus autem Aras erigebant Ethnici, eos Imaginibus quoque honorare & colere solebant. Hoc docent Cananaorum ara cum statuis & simulachris Deorum: Deut.*12. *Hoc Phænicum sacra indicant in Achabo: qui, vt aram Baali, sic & statuam fecit,* 1. *Reg.* 17. *Hoc. Gracis quàm solenne & vsitatum fuerit, Pausanias in cunctis Gracia partibus indicat. Quapropter si veri Dei Ara Athenis sita erat, Imaginem quoque ibidem habuit: quod etiam vniuersa rei gesta narratio & concio Pauli probat, si diligentius inspiciatur.* Postremò, *idem Paulus testatur Rom.*1.*cap.* Ethnicos gloriam incorruptibilis Dei mutâsse in Imaginem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium.

In hac probatione autem sententia Caluini, qua vera est, quatuor inesse mendacia Bellarminus ostendere conatur.

Primum est, *quòd dicit Caluinus, Iudaos & Gentiles Imagines suas non semper pro Diis habuisse. Nam sic scribit libro primo, Institut. capite decimo primo,* §. 10. Non vocamus, inquiunt *Papista*, nostros Deos, *nempe Imagines.* Neque Iudæi olim vocabant & Gentiles: & tamen Prophetæ passim illis fornicationes cum ligno & lapide exprobrare non desinebant: tantum ob ea, quæ quotidiè ab iis fiunt qui Christiani haberi volunt, nempe, quòd Deum in ligno & lapide carnaliter venerabantur. *Ex his verbis primum Caluini mendacium eliciens Bellarminus sic ait:* At si Iudæi non vocabant Idola suos Deos, vnde est illud Exod. 32. Fac nobis Deos qui nos præcedant? &, Hi sunt Dij tui, Israël? Vnde illud Michæ Iud.18. Deos meos, quos mihi feceram, abstulistis? Et 3. Reg. 12. de duobus vitulis Ieroboam, Ecce Dij tui, Israel? *Respondeo, Bellarminus in his verbis Sophistam & impostorem agit, non Caluinum mendacii conuincit. Nam illi, quorum dicta citat Iesuita, pro Simulachris veri Dei habebant, qua vocabant Deos suos. Primùm enim, quod de vitulo quem Aaron formauit pronunciauit,* Hi sunt Dij tui, Israël, qui eduxerunt te è terra Ægypti. *Exod.*32. *id etsi videatur notare multos Deos, ob pluralem numerum vocis Hebraica Elohim, de vno tamen accipiendum, ipsâ Scripturâ interprete: nam Nehem.*9. *sic scribitur,* Hic est Deus tuus, qui eduxit te ex Ægypto. *Ac* Deum *appellabant* Simulachrum Dei, *vsitatissimâ Metonymiâ, quâ nomen rei significata signo tribuitur: Sic etiam quum dicerent,* Fac nobis Deos, qui nos præcedant: *significabant velle se corporeum Dei symbolum in Imagine, in qua praeunte prasentem quasi viderent, eumque Ducem sibi itineris esse scirent. Iam Imaginem istam nuncupabant* Dei, qui eduxit Israëlem è terra Ægypti, *id est, veri Dei. Eius etiam cultui consecratam eam indicauit Aaron, quando exstructo Altari coram vitulo, indixit festum, non alieno Deo, sed Iehoua. Exod.*32. Iehoua *enim proprium nomen est veri Dei, Exod.* 3. *&* 15. *Itaque verus Deus vitulo illo Israëlitarum repræsentatus fuit. Hunc ipsum verum Deum Micha quoque simulachro effictum & repræsentatum, hac eadem ratio comprobat. Nam & mater Micha affirmauit Iudic.*17. se argentum illud *(ex quo simulachrum factum est)* sanctificâsse Iehovæ ad faciendum sculptile: *& Micha se Iehouam in eo colere declarauit, conducto Leuitâ, dicens,* Nunc noui Iehovam benefacturum esse mihi, eò quòd est mihi Levita in Sacerdotem. *Illa etiam statua, quas Ieroboam in Bethel & Dan collocauit,* 1. *Reg.* 12. *vt specie convenerunt cum vetere vitulo Israëlitarum, ita iisdem verbis institutionis repræsentando Deo vero destinata sunt. Hoc partim inde patet, quia* 1. *Reg.*16. *dicuntur* gravius

vius peccâsse, qui Baalem colebant, quàm qui vitulos: *nam Deum verùm illicito modo colere minoris impietatis est, quàm idem facere Deo falso: partim quòd Helias, dicendo Israëlitis* 1. *Reg.* 18. Quousque claudicaturi estis in duabus cogitationibus? Si Iehova est Deus, sequimini eum; sin autem Baal, sequimini eum; *clarè ostendit ipsos Iehouam in vitulis coluisse: partim denique, quòd Rex Iehu*, Vide, *inquit*, zelum meum pro Iehova, 2. *Reg.* 10. *cùm Baalis seruos statuasque perderet, qui tamen à vitulorum cultu non recessit, quin & cultores eorum vocauit* Seruos Iehovæ. *Hæc Scriptura testimonia euidentissimè probant, Iudæos quædam Simulachra habuisse, quibus verus Deus repræsentaretur, & coleretur.*

Et hoc etiam fatetur & docet Caluinus, qui ad primum testimonium, quod adducit Iesuita, Fac nobis Deos, qui nos præcedant, *Respondet Comment. in Exod. capite* 32. probabile non esse tam crassos fuisse, vt vellent Deum novum sibi creari, sed per Metonymiam Deos vocant externas imagines, ex quarum aspectu colligunt superstitiosi Deum sibi esse propinquum. *Cùm ergo negat Deos vocâsse, negat non vocâsse propriè: in eandem planè sententiam, quâ ibidem ejusdem effugij Pontificiorum vim explicat his verbis*: Non reputantur, inquiunt, pro Dijs Imagines. *Quæ obiectio, cui respondet Bellarminus, satis magno ei documento esse debebat, Caluinum hoc sibi velle. Laudat quoque Concilium Tridentinum Sess.* 15. *illud Nicenæ* 2. *Synodi act.* 4. Hic est Christus *simillimus Iudæorum dicto*, Hic est Deus tuus. *Hinc igitur consequitur, Caluinum, qui vt Papistæ Simulachra Deos se vocare negant, ita & Iudæos negat vocâsse, significare, non ea propriè Deos vocâsse.*

Adhac Caluinus, contra eundem prætextum Papistarum, Non reputantur pro Dijs Imagines; *sic scribit libro primo, Institut. capite* §. 6. Nec tam prorsus incogitantes erant Iudæi, vt non meminissent, Deum fuisse, cujus manu educti essent ex Ægypto, antequam fabricarent vitulum. Quin Aaroni dicenti, illos esse Deos, à quibus liberati essent è terra Ægypti, intrepidè annuebant, non dubia significatione, velle se retinere illum Deum liberatorem, modo præeuntem in vitulo conspicerent. *Bellarminus sophisticè omissis postremis his verbis, quibus Caluinus probat, quod in prioribus affirmârat, elicit* Secundum *Caluini, vt ille ait, mendacium, & dicit, priora verba, quibus dicit*, Iudæos non tam prorsus incogitantes fuisse, vt non meminissent Deum fuisse, cujus manu educti essent ex Ægypto, antequam facerent vitulum, *pugnare planè è diametro cum verbis scripturæ. Hoc autem sic probat*: Scriptura, *inquit*, Deuteron. 32. Deum, ait, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Et in Psalm. 105. Fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptile, & obliti sunt Deum, qui saluauit eos qui fecit magnalia in Ægypto, *&c.* Et Ierem. capite secundo. Ambulauerunt post vanitatem, id est, post Idola, & non dixerunt, Vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti. *Respondetur, Iesuitam fucum facere imperitis conari anthiteto vocabulorum meminisse & obliuisci. Nam* obliuisci *in Scriptura dicitur, qui non meminit fructuosè, religiosè & piè. Vnde Moses ad populum, Deut.* 8. Caue tibi, *inquit*, ne obliviscaris Iehouæ Dei tui, non obseruando præcepta ejus, judiciaque ejus, & statuta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie. *Et quibus verbis intelligimus, qui Deum ex præscripto Legis non colunt, nequaquam ita meminisse Dei, vt oportuit. Et de contumacibus Israelitis dicitur Psalm.* 78. Non seruauerunt fœdus Dei, & in Lege ejus tenuerunt ambulare, obliti actionum ejus, & mirabilium operum, quæ ostenderat ipsis. *Ex quibus rursus intelligitur, rebelles perhiberi beneficiorum Dei oblitos: quia gratam eorum memoriam obedientiâ & obseruatione Legis non ostendunt. Itaque Scriptura dicit Psalm.* 105. *Iudæos, qui vitulum fecerunt, & adorauerunt*, oblitos esse Dei: *quia Dei Legem, ne vllam similitudinem facerent aut colerent, nefariè violarunt. Tantùm autem abest, vt Caluinus illos hac diuinæ Legis violatione oblitos esse Dei neget, vt cunctos, qui visibilem vllam Dei formam non solùm sibi faciunt, & colunt, sed vel appetunt, eo ipso affirmet* à Deo desciscere, *Instit. lib.* 1. *c.* 11. §. 2. *Cujus rei probationem, quum ex Deuter.* 4. *c. petat, vbi Moses vetat, ne similitudinem vllam sibi faciant, quoniam isto scelere se contaminantes* obliuiscantur fœderis Iehouæ Dei sui, *apparet luce clarius, idem à Caluino affirmatum esse verbo*, desciscere, *quod verbo* obliuisci *Scriptura significat.*

Sed ipse Bellarminus fraudem agnoscit suam ex ipsius historia, de qua agitur & disceptatur, contextu retegi & conuelli. Nam verbis, quæ Iudæi de Vitulo vsurpabant: Hic est Deus tuus, qui eduxit te ex Ægypto, *fatetur, significari*: Hæc est imago Dei tui, qui eduxit te ex Ægypto. *Habebant igitur Iudæi in memoria, Deum fuisse, cujus manu educti essent ex Ægypto, antequam facerent vitulum, ipsomet confitente. Rursus Columm.* 2131. *post admissam Abulensis, Caietani, & aliorum sententiam*: Hoc etiam modo, *inquit*, Iudæi verè obliuiscebantur Dei, licet non putarent se ejus obliuisci. *Verè obliuiscebantur: in sententiam Scripturæ*; obliti sunt Deum, qui saluauit eos; *&*, Non dixerunt, vbi est Dominus, qui nos eduxit ex Ægypto? *Licet non putarent se eius obliuisci: en sententia Caluini*; Nec tam prorsus

lus incogitantes erant, vt non meminissent se à Deo seruatos; nam dixerunt, Hic est Dominus, qui nos eduxit ex Ægypto. *Poterat ne clarius Bellarminus suum ipsius de Caluino mendacium redarguere? præsertim quum addat hæc clara verba in fine colum.* 2129. Iudæi ergo, quia viderant in Ægypto in summo honore vitulum, putauerunt ipsum Deum cœli esse vitulum illum, & ideò Imaginem vituli statuerunt illi. *Vnde consequitur, eos in Imagine vituli coluisse ipsum verum Deum cæli, quod oppugnandum sibi sumpsit Bellarminus, hîc autem apertissimis verbis concedit.*

Tertium *mendacium Caluini Bellarminus ex his ejus verbis expiscari conatur, quæ leguntur libro primo, Institut. cap.* 11. §. 8. Deum quidem esse nouerant, cujus experti virtutem erant in tot miraculis: sed propinquum sibi esse non confidebant, nisi oculis cernerent corporeum vultus eius symbolum, quod sibi testimonium esset gubernantis Dei. A præeunte ergo Imagine volebant cognoscere, Deum itineris sibi esse ducem. *Rursus ibid.* §. 9. Deum æternum Iudæi, vnum verumque cœli ac terræ Dominum, sub talibus simulachris persuasi erant semper colere. *Ex his verbis Iesuita inferre vult, Calvinum dicere,* Quòd Iudæi in omnibus suis Simulachris Deum vnum & verum colere voluerint. *Respondeo, Iesuita sophisticè pro Caluini vocula* Talis *supponit* Omnis: *tanquam sic concludat,* Sub talibus simulachris Deum verum coluerunt, ergo sub omnibus. *Significantur autem loquitur de* talibus, *qualis erat vitulus, de quo loquebatur.*

Vt ostendat autem Bellarminus mendacium Caluini, primò probare conatur colum. 2129. Iudæos Aaroni dicentes, Fac nobis Deos, non corporeum Dei signum & imaginem, sed Deum corporeum quæsiuisse: Quia, *inquit,* si volebant tantùm signum corporeum, non erat opus vt facerent vitulum: nam habebant nubem & columnam ignis, quæ melius ducebant, quàm vitulus, qui portari necesse habebat. *Respondeo, Si vera est hæc Bellarmini ratio, Papistæ quoque quum Agnos Dei faciunt, corporeos Christos quærunt, non corporea signa Christi: Quia si vellent tantùm signa corporea, non esset opus etiam vt facerent* Agnos: *habent enim sacramenta Baptismi & Eucharistiæ, quæ melius repræsentant Christum eiusque mortis effectum, & sanguinem effusum pro peccatis hominum, quàm Agni imago: non ergo signa corporea, sed Christos corporeos quærunt, si vera est Bellarmini ratio.*

Sed ipse Iesuita proximo argumento secundo, quod extēplò subiicit, castigat hanc rationem: Inquit enim, Nulla causa reddi potest, cur potius vitulum fecerint, quàm ouem, aut aliquid aliud, nisi quia assueti erant videre maximum Deum Ægyptiorum, qui est vitulus niger albis maculis insignis, quem ipsi vocant Apim: de quo Cicero lib. 1. de Natura Deorum, & Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 5. & scriptores omnes, Herodotus, Diodorus, Plutarchus, Plinius, Suidas, Eusebius, *&c.* Iudæi ergo, quia viderant in Ægypto in summo honore vitulum, putauerunt ipsum Deum cœli esse vitulum illum, & ideò illi imaginem vituli statuerunt, *His verbis testatur apertissimè Iesuita, Imaginem hanc fuisse, quam statuerunt Iudæi, non Deum, sed imaginem Dei. Et statuerunt idipsum quod quæsiuerunt, dicentes:* Fac nobis Deos: *Nam & ipsi vitulum fecisse perhibentur, quia fecit Aaron, quod ipsi fieri iusserunt. Ergo Bellarminus, non Caluinum, sed seipsum mendacii coarguit, cùm ait,* eos quæsiuisse non signum corporeum, sed Deum corporeum.

Simili modo secundò iam respondet Caluino Iesuita, Pro imagine quidem Dei factum esse vitulum à Iudæis, sed pro falsi Dei imagine, non pro veri. *Hoc tali argumento probat Colum.* 2129. Nulla causa reddi potest, cur vitulum potius fecerint, quàm ouem, aut aliquid aliud, nisi quia assueti erant videre maximum Deum Ægyptiorum, qui est vitulus, quem ipsi vocant Apim: de quo Cicero, Augustinus, & scriptores omnes, Herodotus, Diodorus, Plutarchus, Plinius, Suidas, Eusebius *&c.* Iudæi ergo, quia viderant in Ægypto in summo honore vitulum, putauerunt ipsum Deum cœli esse vitulum illum, & ideo illi Imaginem vituli statuerunt. *In hoc argumento tria partim manifestè falsa, partim dubia continentur: Primum,* Apis vitulus *est maximus* Deus Ægyptiorum: *alterum:* Iudæi assueti erant videre Apim: *tertium,* nulla aliá causa reddi potest, cur vitulum potius fecerint, quam ouem, aut aliquid aliud.

Apim enim vitulum falsò affirmari Maximum Ægyptiorum Deum, ex his authoribus, quos citat Bellarminus, probari potest. Nam Augustinus libro 18. *de Ciuit. Dei cap.* 5. *& Macrobius Saturnal. lib.* 1. *c.* 20. *maximi Dei nomen non Apidi, sed Serapidi tribuunt. Apim verò vitulum honoratum fuisse, tanquam symbolum, cuipiam ex cæteris Ægyptiis numinibus dedicatum, quæ in variis animalibus, tanquam monumentis, symbolis & Simulachris coluerunt, iidem authores indicant, quorum Iesuita meminit: nempe, Suidas in vocibus* Απις, Σάραπις, *&* Μνευις: *Diodorus lib.* 1. *par.* 1. *Eusebius de præp. Euang. lib.* 1.

Apis non vitulus fuit maximus Deus Ægyptiorũ.

Alterum valdè incertum & dubium est, Iudæos assuetos fuisse videre Apim. *Nam rarissimè Apis emittebatur in aulam illam, quæ erat ante septum illud Templi Apidis, in quo alebatur,*

Iudæi an videre assueti sint Apim vitulum in Ægypto.

batur. Et Memphis, in qua sedem habuit, cis Nilum sita erat, ad Occidentalem fluuij partem: Israëlitæ autē habitabant trans Nilum, ad partem Orientalem. Non autem est credibile, tantùm otij illis fuisse ab oneribus, quibus premebantur, vt trajcerent Nilum ad vitandum in longinquo loco Apim.

Iudæi cur potius vitulum fecerint, quàm ouem, &c.

Huic non dissimile est tertium, Nullam reddi posse causam, cur Iudæi potius vitulum fecerint, quàm ouem, aut aliquid aliud, nisi quia assueti erant videre illum vitulum. *Nam vox Hebræa, quam* vitulum *vertit Latinus Interpres, non vitulum tantùm, sed etiam bouem significat. Bouis autem Imago aptior est, quàm ouis, aut alicuius alius rei, ad repræsentandum frumenti præbitorem, quia boum opera plurimùm ad arandum adhibetur. Causa igitur erat, cur simulachro potius bouis, quàm ouis, aut cujusquam alius rei, Deum colerent, licet bouem Apim in Ægypto nequaquam videre assueuerant.*

Iudæi vitulum aureum pro Imagine veri Dei coluerunt.

Superioribus duabus responsionibus iam tertiam *subtexit Iesuita; quâ fatetur*, dici non improbabiliter, Iudæos vitulum aureum pro imagine veri Dei habuisse. *Neque hoc suo solius testimonio probat, sed etiam* Abulensis, Caietani *& aliorum in capite* 17. *Iudic.* Hi, *inquit*, dicunt, duo genera idolorum fuisse apud Iudæos. Vnum sine nomine certi Dei, quale fuit Idolum Michæ, Iudic. 17. & fortè vitulus aureus, quem fecit Aaron Exod. 32. & renouauit Ieroboam, 3. Reg. 12. non enim Scriptura vocat vitulum Deum Moloch, vel Baal, *&c.* sed semper ait, Hi sunt Dij tui Israël. Alterum genus fuit cum certo nomine, vt Baal, Moloch, Astaroth Chamos, *&c.* vt videre est 3. Reg. 11. & alibi. Ideò dicunt, nec improbabiliter posse de primo genere admitti, quòd Iudæi in idolo se putauerint colere verum Deum. In idolis autem secundi generis certum est, Iudæos nec coluisse, nec putâsse se colere Deum Israël. *His omnibus docet, probabile esse, Iudæos verum Deum imagine vituli repræsentâsse. Nempe, quia Scriptura non dicit de vitulo, Hic est Deus Moloch, vel Baal, vel quicquam tale, sed sine nomine certi Dei*, Hic est Deus tuus. *Vbi notanda est inconstantia Iesuitæ, & scurrilitas summa in tractandis Scripturis: primò, Dei nomen, in verbis Iudæorum*, Hic est Deus tuus, *capi voluit propriè, pro corporeo Deo, non pro corporea Dei imagine figuratè: secundò, sic contrà exposuit, ac si capiendum putaret figuratè pro imagine Dei, sed pro falsi Dei imagine, non pro veri: tertiò nunc ait, significare Imaginem Dei veri, iuxta Abulensem, Caietanum, & alios, nec improbabiliter.*

Eadem arte vtitur contra alterum argumentum, ductum à Iehouæ *appellatione, in verbis Aaronis;* Festum Iehouæ cras esto: *& in matris Michæ*, Sanctificaui istud argentum Iehouæ. *Nam ad hæc respondet*, duplicem esse solutionem: vnam Caietani, in cap. 32. Exod. quòd verè nomen ipsum Iehouæ à Iudæis idolo tribuatur: alterum Abulensis, Caietani, & aliorum, in 17. cap. Iudicum, *quam paulò antè adscripsi. Harum autem solutionum altera negat verum* Deū *denotari nomine Iehouæ altera affirmat. Caietanus autem in eum locum Exodi, quasi Iudæorum loquutio propria foret, ac non figurata pronuntiat*, ipsos attribuere vitulo nouiter facto præteritum beneficium eductionis de Ægypto: *quod secus se habere agnoscit Bellarminus, beneficium istud alteri figuratè, non Mosis quidem Deo, sed Ægyptiorum, veruntamen alteri figuratè attributum asserens.*

Cæterùm Bellarminus, qui secunda suæ responsionis errorem emendauerat, de imagine vituli habitâ pro Deo, reuertitur tanquam canis ad suum ipsius vomitum: & Iehouæ *nomen, non ad verum Deum Idolo repræsentatum sed ad Idolum ipsum & Imaginem vituli, accommodatum à Iudæis esse cauillatur. Nam quum dixisset*, Iehouæ nomen à Iudæis idololatris idolo tribui; *hæc subiungit*: Hoc fortè significare Scripturam Sap. 14. quum ait, Incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt: nullum enim Dei nomen est incommunicabile, præter hoc Iehouæ; nam cætera tribuuntur aliquando creaturis. *Et obiecto*, nomen illud esse proprium nomen Dei Israel, non ergo potuisse communicari: Respondeo, *inquit*, fortè Iudæos illos, qui plures veros Deos esse credebant, non putâsse hoc esse nomen propriū, sed appellatiuū: fortè etiam cōmunicâsse illud nomen per similitudinē. Quomodo. n. Ægyptij vocare solent Nilum suum Iouem & nos de homine strenuò dicimus, hic est noster Achilles; de sapiente, hic est noster Cato: ita Iudæi de vitulo dicebāt, hic est noster Iehoua, habeat Moses suum. *Respondeo, valdè timidè & dubiè hæc profert Iesuita, vt appareat, hanc rem non certò sibi constare: Inquit enim*, Hoc fortè significari libro Sapientiæ: Iudæos fortè non putâsse nomen esse proprium: & fortè illud communicâsse per similitudinem. *Neq; verò dubium est, quin liber Sapientiæ significet, hoc nomen malè cum lapideis & ligneis Simulacris, quibus diuinum numen non est simile, ab Idololatris communicari: sicut & ipsius authoris verba satis arguunt, qui dicit*, rem corruptibilem appellari Deum: *& omnes interpretes, non tantùm recentiores, sed etiam prisci notârunt.*

Quòd autem ait, fortè Iudæos illos, qui plures veros Deos esse credebant, non putâsse Iehouam esse nomen proprium, sed appellatiuum: *Respondeo, Iesuitam dubitatione suâ, calumniari Aaronem & matrem Michæ*,

quorum hæc verba sunt.

Postremò, Iudæi, *inquit*, de vitulo dicebant, Hic est noster Iehoua, habeant sibi Moses suum. *Respondeo*, *Aaron non dicit*, Hic est noster Iehoua; *vt ex pronomine*, Noster, *Mosis Deo suum oppofuisse videri possit: sed absolutè, simpliciter, & sine adjunctione* Festum Iehouæ cras esto. *Proinde Iesuita eius verba corrumpit, quò speciosiùs ex similibus* Catonis nostri, Achillis nostri, *&* Nili *quem Ægyptij* suum Iouem *nominant, exemplis persuadeat, Aaronem vitulo per similitudinem communicâsse nomen* Iehouæ. *Bellarminus igitur, quum indubitanter asserit falsa, & suspiciosè vt dubia effert, quæ ad primam Caietani solutionem pertinent; apertè indicat, se ad alteram Abulensis & aliorum necessariò deuolui: nec posse inficiari quin nomen Iehouæ, vt proprium Dei veri, vsurpârint Israëlitæ, ideoque verum Deum vitulo illo repræsentârint.*

Simul tamen hoc ipsum quod declinare non potest, quin concedendum agnoscat, non solùm labefacere conatur rei certitudinem eleuando, dū timidè inquit, Id dici non improbabiliter ab Abulensi aliisque, & admitti posse: *sed euertere etiam prorsùs & rei veritatem tollere, dùm ait*, eos dicere, admitti posse, quòd Iudæi in Idolo putauerint se colere Deum verum. *Et hoc mox explicat ipse, colum.* 2131. Imaginabantur, *inquit*, Deum esse corporeum, & ipsi idolo similem: ex quo sequebatur, vt putarent se colere Deum verum, sed reuera non colerent nisi figmentum suum: quemadmodum Manichæi dicebant, se colere Deum Patrem & Filium ejus Christum, sed quia per Deum intelligebant lucem corpoream, per Christum accipiebant Solem istum corporeum, nihil habebant Dei, & nisi solùm nomen. *Hæc Iesuitica distinctio sic formata est, vt imperitis persuadere voluisse videatur, destinata fuisse Iudaica illa Simulachra nescio cui figmento, at non Deo vero repræsentando & colendo. Sed quo pacto probat Iudæos Deum putâsse corporeum, & idolo similem?* Patet, *inquit*, ex vitulo aureo: nam ideo faciebant in forma vituli, quia viderant in Ægypto vitulum in summo honore; inde enim existimabant summum Deum esse vitulum illum. *Respondetur, absurdissimum est, Iudæos existimâsse vitulum esse summum Deum, quemadmodum ostendimus: nec Micha Simulachrum, de quo hic etiam agitur, vel ad vituli formam effictum ostenditur, vel ab eo factum qui vitulum, in Ægypto viderat: & recentiores Iudæi, qui colebant Ieroboami vitulos, atque viderant vitulam Ægyptium summo in honore, atque Bellarminus. Quod si, quia corporea erant simulachra, inde patet, Iudæos Deum putâsse corporeum, & idolo similem: patet ergo, Pontificios etiam Deum putare corporeum, & idolo similem, quoniam illum exprimant Imagine hominis senis, & columbæ. Sed demus, corporeum & idolo similem à Iudæis existimatum esse Deum: non tamen sequitur inde, Iudæorum Idola non fuisse veri Dei Simulachra, sed figmenta ipsorum? verùm forma tantùm falsa, res autem vera expressa fuit.*

Notandum autem est singulare acumen ingenij Iesuitæ, qui figmentum illud suum de figmento à Iudæis culto, ac non Deo vero, simili exemplo fucare conatur, nempe Manichæorum, dicentium, se colere Deum Patrem, & Filium eius Christum; sed per Deum lucem corpoream intelligentium, per Christum autem Solem illum corporeum; eoque nihil Dei & Christi, nisi nomen habentium. *Nam Manichæi, non rectè de corporea luce exponentes illud Apostoli* 1. *Tim* 9. inaccessam lucem à Deo Patri habitari, *Christo, qui* virtus & sapientia Dei *dicitur, ita domicilium per analogiam quandam in luce visibili assignabant, vt virtutem quidem eius in Sole, sapientiam verò in Luna habitare crederent, vt est videre apud Augustinum contra Faustum lib.* 20. *c.* 2. *Et hoc euincit, Theodoretum errâsse, quum scriberet Hæret. Fal. lib.* 1. *c. vlt.* Manichæos soli tribuere nomen Christi. *Vnde Baronius Annal. tom.* 2. *Anno* 277. *errorem Theodoreti ex Augustino detegens, ex professo quasi contra Bellarminum concludit*, Manichæos non propriè Solem Christum dixisse, sed in Sole Christum esse. *Vt igitur dissimile esset hoc exemplum, si Manichæi nuda* Dei *&* Christi *nomina tantùm vsurparent, significantes illâ lucem & Solem; quoniam Iudæi* Iehouæ *nomine verum Deum denotabant, etsi falsò crederent, aut virtutem eius latère in imagine, aut ipsum esse corporeum: sic Iudæos verum Deum in idolis coluisse arguit, quæ ex parte simile est, quia Manes, etsi peruersissima de Christo sentiens, ipsum tamen Seruatorem nostrum, Dei Filium vnigenitum*, &c. *coluit. Itaque Dei veri Simulachra erant, quæ Iudæi fecerant ad repræsentandum & colendum Iehouam, etiamsi vim ejus latère in imagine, & ipsum corporeum esse putâssent.*

Atque hoc esse verissimum, attestatur etiam Tridentinus Catechismus, qui pro Catholico dogmate tradit, verum Deum talibus Iudæorum simulachris repræsentatum fuisse. *Nam de præcepto* 1. *hoc agens*, Non habebis Deos alienos coram me, *sic inter alia inquit*: Hac loquendi formâ legislator vsus est, non quòd satis explicata non esset hæc sententia affirmatione præcepti in hunc modum, Me vnum Deum coles; si enim Deus est, vnus est: sed propter cæcitatem plurimorum, qui olim Deum verum se colere profitebantur: multitudinem tamen Deorum venerabantur: cuiusmodi inter Hebræos ipsos permulti fuerunt, qui, vt Helias eis objiciebat, in duas partes claudicabant, quod & Tridentinus Catechismus attestatur verum Dei repræsentatum fuisse. Sama-

Tridentinus Catechismus attestatur vitulo aliisque Simulachris apud Iudæos verum Deū repræsentatum fuisse.

Samaritæ fecerunt, qui Deum Israëlis, & Deos Gentium colebant. *His verbis Catechismus apertissimè testatur, Israëlitas habuisse vitulos pro simulachris veri Dei. Nam illi ab Helia claudicationis in duas partes admoniti sunt; quoniam inter veterem vitulorum cultum, & nouum Baalis, ad vtrum vergerent fluctuabant. Quare quum & professi sint se venerati sint; illud in vitulis fecerint oportet, hoc in Baale. Quod clarius declarat, dum Samaritas etiam, cùm verum Deum, tùm Deos Gentilium coluisse dicit. Verum enim Deum dicuntur coluisse, quia colebant eum, quem à vitulorum cultoribus Israëlitis antea cultum edocti sunt. Adhac Tridentinus Catechismus, asserens mandatum violari*, Non facies tibi sculptile, *si quis diuinitatem exprimat Imagine, Mosis Deut. 4. & Isaiæ 40. c. testimonijs probat:* Quocirca, *inquit*, Israëlitæ, qui ante vituli simulachrum clamabant, Hi sunt Dij tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti; idololatræ sunt appellati, quia mutârunt gloriam suam in similitudinem vituli commedentis fœnum: *Vbi rursum affirmat, Iudæos verum Deum imagine vituli effingere: alioquin non ad propositum, præcedentibus & sequentibus verbis explicatum, de lege violata, si Dei incorporei corporea fiat Imago, exemplum hoc accommodâsset. Non ergo tantum* probabiliter dicitur & admitti potest, *sed etiam necessariò pro indubitatè vero admittendum est, iuxta canonizatum Catechismum, Iudæos Deum verum quibusdam Simulachris repræsentauisse.*

Simulachris nonnullis Gentilium verus Deus repræsentatus.

PROBAVIMVS hucusque *contra Bellarminum, Iudæos Simulachra & Imagines suas non pro Dijs alienis, sed pro Deo vero interdum habuisse & coluisse: nunc contra eundem confirmabimus, Simulachris etiam Gentilium nonnullis verum Deum repræsentatum esse. Probat hoc Caluinus lib. 1. Institut. cap. 11. §. 9. his verbis:* Nec ita stupidi fuisse Ethnici credendi sunt, vt non intelligerent Deum alium esse quàm ligna & lapides. Mutabant enim pro arbitrio simulachra, Deos semper eosdem animo retinebant: & multa erant vni Deo simulachra, nec pro multitudine complures tamen Deos sibi fingebant: præterea noua quotidiè consecrabant, nec putabant tamen se nouos facere Deos. Legantur excusationes quas ab Idololatris sui seculi fuisse prætextas refert Augustinus in Psal. 113. nempe, quum arguerentur, respondebant vulgares, se non visibile illud colere, sed numen quod illic inuisibiliter habitabat. Qui verò purgatioris, vt ipse loquitur, religionis erant, nec Simulachrum nec dæmonium se colere aiebant: sed per effigiem corpoream intueri eius rei signum; quam colere deberent. *Ex his verbis Bellarminus quatuor argumenta eruit, vt supra quoque indicauimus, quibus errorem Ethnicum Papisticò similem esse docet Caluinus.*

Primum est, Deos semper eosdem animo retinuisse Ethnicos, simulachra autem mutâsse pro arbitrio. *Ad hoc respondet Iesuita col.* 2133. Ethnicos eadem stultitiâ, quâ putabant aliquos Deos posse fieri manibus hominum, potuisse etiam credere Deos aliquos potuisse destrui manibus hominum. *Respondeo, Caluini argumentum probat Spiritus S. Is enim per Ieremiam* 2. *c. Iudæis dicit*, Peragrate regiones Cethim, & videte: & ad Kedar mittite, & animaduertite valdè, an mutauerit gens Deos, quamuis illi non sint Dij. *His apertè significat, Gentiles non mutâsse Deos suos. Simulachra autem mutârunt Gentiles, vt Rhodij, Romani, alijque docent. Simulachra igitur Deos non putârunt.*

Secundum est, multa vni Deo fuisse simulachra, nec pro multitudine complures tamen Deos ab Ethnicis fictos esse. *Respondet Iesuita*, Ethnicos habuisse alios Deos in cœlo, alios in terra: nec putâsse absurdum, si vnus Deus cœlestis, vt Iuppiter, vel Apollo, haberet in terra multos collegas minores, id est, idola eiusdem nominis. *Respondeo, Habuerunt quidem Ethnici alios Deos in cælo, alios in terra, & hos terrestres, illos cælestes dixerunt. Terrestres autem Deos putârunt esse animas & spiritales naturas intelligentiâ præditas æquè ac cælestes: cuius generis sunt Heroës, Lares & Genij. Quanquam autem cælestes maiores existimati sint, cum terrestribus collati; minores nihilominus habebantur Iouis respectu. Bellarminus autem, quod Ethnici de diuersis Dijs propriè dictu sentiebant, ad simulachra vnius, Deos metonymicè appellata, transfert: negans illos putâsse absurdum, si Iuppiter, Deus cælestis, haberet in terra multos collegas minores, hoc est, multa Idola eiusdem nominis: at vix probabiliter, nedum verè hoc ab eo dicitur. Romani, Athenienses & Megarenses, eorum omnium, qui nomine duodecim Deorum celebrabantur, imagines habebant, vnà positas: & singulorum ibi alibique passim, in plurimis cùm priuatis, tum publicis locis. Non autem propter Imaginum multitudinem Deos complures ad cultum sibi fingebant: alioquin plus duodecies duodecim fuissent, quos duodecim tantum vocabant. Ethnici ergo Imagines Deos non putabant esse.*

Tertium argumentum Orthodoxorũ est, Noua simulachra quotidiè consecrâsse Ethnicos, nec putâsse tamen se nouos facere Deos. *Respondet Bellarminus*, falsum esse; non putâsse Gentiles, se nouos facere Deos saltem terrestres. *Respondeo; Imò hæc simplex, & nullâ vel saltem probabili ratione fulcita negatio Iesuitæ futilis & falsa est. Cur enim Athenienses Socratem rei capitalis damnatum*

morte affecerunt, nisi quòd nouos Deos introducere accusaretur? Iidem noua Mineruæ & aliorum simulachra fieri curârunt, vt Plinius refert, lib. 36. c. 5. & Pausanias in Atticis: non tamen putârunt, se ideò nouos Deos facere, qui, vt dictum est, Socratem ob hoc ipsum damnârunt. Romanus Senatus consecrauit noua Simulachra Iouis, vt Cicero testatur in Verrem lib. 4. & in Catilin. Orat. 3. ac Paulus Æmilius dedicauit signum vnum, vt Plinius refert lib. 34. c. 8. alterum autem eiusdem Mineruæ Cicero, vt Plutarchus in vita eius indicat: non tamen putauit propterea se nouos Deos facere Senatus, Æmilius, & Cicero, qui legibus suis vetuit, ne quis Deos nouos haberet, vt est videre lib. 2. de legibus.

Quartum argumentum est ab Augustini testimonio sumptum, qui in Psal. 113. refert, Gentiles vulgares respondisse, quum accusarentur idololatriæ, se non visibile illud colere, sed numen quod illic inuisibiliter habitabat. Qui verò purgatioris religionis erant, nec Simulachrum, nec demonium se colere aiebant: sed per effigiem corpoream intueri eius rei signum, quam colere deberent. *Hoc testimonium colum. 2117. Iesuita primò nudè & mutilatè proponit: deinde colum. 2133. nihil prorsus ad id respondet, sed tantùm ad tria: est enim inuictissimum: tertiò, aliud agens hac ipsa columnâ, non refutat, sed confirmat firmissimè.* Nam in simulachris, *inquit*, & idolis plurimi Gentiles colebant pro Dijs homines mortuos; vt probant Lactantius, Augustinus, Cyprianus, Eusebius & Tertullianus: alij non homines mortuos, sed dæmones, vt patet ex Hermete, Cypriano, Augustino, Origene, Eusebio, Lactantio, Sulpicio & Scriptura: alij nec simulachrum, nec homines mortuos, nec dæmones, in idolis se colere dicebant, sed partes mundi; nam in Idolo Appollinis colebant Solem, in Idolo Neptuni mare, in Idolo Iouis ætherem; vt referunt Eusebius & Augustinus: alij denique nec ipsas corporeas mundi partes, sed animas earum partium, id est, Solis, Lunæ, Terræ, &c. vt Eusebius & Augustinus testantur. *Respondeo, Hi omnes declarant, se intellexisse, Deum alium esse quàm ligna & lapides. Verissimè igitur à Caluino alijsque Orthodoxis, dicitur; approbante tanta copiâ testium, & Bellarmino ipso, Gentiles sua Simulachra prò Dijs non habuisse.*

Argumenta Bellarmini, quibus probare conatur, Gentiles sua idola pro Dijs habuisse, & eorũ refutatio.

2. *Bellarminus, postquam sic frustra adortus est Orthodoxorum argumenta, quibus probant,* Gentiles etiam, non semper simulachra sua pro Dijs habuisse & coluisse, *eaque inani labore prosternere conatus est; iam ipse colum. 2131. & 2132. seu libro 2. de Imaginibus Sanctorum cap. 13. probare conatur, cùm Scripturæ sacræ, tum Patrum, quin etiam Horatij & Hermetis testimonio,* multos Ethnicorum credidisse, ipsa idola esse Deos: *Et inde sic concludit;* Vide igitur, Lector, an non mentiatur Caluinus, quum negat Ethnicos habuisse pro Dijs.

Præmittit autem quatuor causas, quibus, *vt inquit*, mouebantur Ethnici ad credendum idola esse Deos: *quò doceat,* non fuisse hanc tantam stupiditatem, quantam Caluinus videri vult. *Adeò autem apertè ista rationes aut sunt falsæ, aut ad falsum concludendum detortæ, vt multò rectiùs Orthodoxis exclamare liceret: Vide igitur, Lector, an non mentiatur Bellarminus, quum ait, Ethnicos habuisse idola pro Dijs.*

Prima *Iesuitæ causa, quâ probare vult, Gentes Simulachra sua pro Dijs habuisse & coluisse, hæc est,* Quia id eis dicebatur à Pontificibus suis. Secunda, quia videbant totum, ferè mundum id credere. *Respondeo, potuisse has ambas rationes eadem facilitate reijci quâ probantur à Iesuita: nihilominus refelluntur ex* duodecim Dijs. *Quum enim eos duodecim tantùm esse crediderint Romani, Hetrusci, Macedones, Athenienses Arcades, alijque Græci, Ægyptij quoque & multi in Asia, idque monumentis publicis Altarium, Imaginum & Templorum omnibus notissimum fuerit, etiam ex fæce plebis, sequitur, nec Pontifices populo dixisse, nec totum ferè orbem terrarum credidisse, simulachra eorum, quæ innumera erant, sed ipsis Simulachris repræsentatos, pro Dijs habuisse.*

An idola loquuta sint.

Tertia *causa est*, quia Idola interdum loquebantur, & futura prædicebant; seu potiùs loqui videbantur: sed populus credebat ea verè loqui, quum reuera diabolus in ipsis loqueretur. Hoc patet, *inquit*, ex cap. 21. Ezechiel. & cap. 20. Zachar. & ex lib. 1. cap. vltimo Valerij Maximi. *Respondeo, Ezechiel non dicit, Idola loquuta, sed Regem Babylonia tantùm* ea consuluisse: *hinc verò non sequitur, vel ipsa, vel in ipsis dæmonia loquuta esse. Consuluerunt Ethnici Delphicum Apollinem: non tamen Apollo edidit oraculum per os Idoli, sed per vatem Pythiam. Alexander M: consuluit Iouem Hammonem, cuius statua multis ceremonijs honorata est, Oraculi impetrandi gratiâ: Oraculum autem accepit Alexander non à statua, sed à vate. Caligula consuluit Fortunam Antiatem, Domitianus Prænestinam, neutra tamen vocem emisit; sed per sortes respondit. Ac Plutarchus in vita Coriolani, veterem Romanorum Pontificum narrationem, de Simulachro Fortunæ muliebris loquuto, tanquam falsam & absurdam admodum perstringit. Sed quid multis? Spiritus sanctus ipse testatur Psalm.* 115. Simulachra Gentium os quidem habere, sed non loqui. *Et quomodo Deus consultus responderit,* 1. *Samuel.* 18. *legitur, nempe,*

Explicatio loci Ezech. 21. c.

non

non per vocem è cœlo emissam, sed vel per somnia, vel per Vrim, vel per Prophetas.

Explicatio loci Zachar. 18. c. *Eiusdem monetæ est, quòd sententiam suam ex* 10. *cap. Zachariæ probare conatur: vbi scribitur,* Idola loquuta sunt vanitatem. *Nam si Deus ea loqui dicitur, quæ vel per somnia, vel per Vrim, vel per Prophetas significat, etsi nulla ipsius vox audiatur, quid impedit, quin Idola dicantur loquuta, quod Idololatrarum consilio & ore suaserunt, licet ipsa muta sint? Quemadmodum* doctrinas dæmoniorum *Paulus vocat, quas hæretici tradunt: quia qui falsa tradit à dæmonijs agitur: ac Ethnici Apollinem, Fortunam, cæterosque Deos aiunt* respondere, dicere, prædicere, *quæ per vates, sortes & alias rationes ab ipsis significantur. Certè Zachariæ locum sic explicant quoque Hebræorum interpretum doctissimi; satis alioquin ad arripienda talia commenta, quale Iesuiticum illud est, propensi. Et Septuaginta Hebræa verba tanquam ad personas transferendo, vertunt,* qui eloquebantur, loquuti sunt molestias: *quo satis perspicuè docent, se putâsse verba Zachariæ, non propriè de Idolis, sed de Idolorum cultoribus figuratè intelligenda esse; de toto grege diaboli, diuinatoribus, astrologis, & somniorum interpretibus, vt Theodoretus in hunc Prophetæ locum; aut hæreticis, vt Remigius indicat.*

Valerij Maximi loca explicantur. *Valerius Maximus autem tertius Iesuitæ testis, lib.* 1. *cap. vltimo exempla duo recitat loquentium Idolorum, vnum Iunonis Monetæ, alterum Fortunæ muliebris. De priore autem Titius Liuius, historicus grauior & antiquior, ait:* Quum quidam militum, Visné Romam ire Iuno? dixisset; conclamâsse cæteros, Deam annuisse: indeque fabulæ adiectum esse, vocem quoque dicentis, velle auditam. *Posterius exemplum Plutarchus in Coriolano* Fabulam *appellat. De eodem etiam rectissimè Augustinus de Ciuit. Dei lib.* 4. *cap.* 19. Si Fortuna, *inquit,* loquitur, non saltem muliebrem, sed virilem potiùs loqui debuisse: ne ipsæ, quæ Simulachrum dedicauerunt, tantum miraculum muliebri loquacitate finxisse putarentur. *Certè hæc Augustini suspicio ex circumstantijs rei gestæ valdè augetur. Nam, vt Dionisius Halicarnass. lib.* 8. *& Plutarchus in vita Coriolani testantur, duo erant Fortunæ muliebris Simulachra: vnum, publico sumptu factum à Senatu, alterum priuato à mulieribus: nec loquutum fertur, quod à Senatu factum est, sed quod à mulieribus.*

Vtcunque autem res sese habeat, vnum, vel ad summum duo Simulachra, *in Gentium historijs inuenit Iesuita, quæ loquuta perhibentur: ex quibus vniuersaliter colligit, Gentiles sua simulachra pro Dijs habuisse. Si bona hæc est consequentia, ergo etiam Papistas suas Imagines pro* DIJS *habere necesse est. Nam statua B. virginis Mariæ his, & quidem pluribus verbis Hyacinthi: Quum enim Hyacinthus, Tartaris irruentibus, è Templo monasterij Kioniensis, trans Borysthenem fluuium, fugeret, magnâ voce ipsum inclamâsse dicitur,* ô Fili Hyacinthe, effugis manus Tartarorum, & me, cum filio meo, dissecandam & conculcandam relinquis? accipe me igitur tecum: *attonitoque Hyacintho, & dicenti:* O gloriosa virgo, est nimis grauis isthæc Imago tua, & quomodo eam asportare potero? *respondisse virginem,* Accipe, quia alleuiabit pondus filius meus, &c. *Imago item Christi in quodam Templo Thomæ Aquinati dixit;* Benè scripsisti de me Thoma; quam ergo mercedem accipies?

Postrema *è quatuor causis Bellarmini, cur Ethnici potuerint haud improbabiliter putare, Simulachra ipsa esse* DEOS, *hæc est,* Quia erant formâ humanâ prædita: & qui videt sua membra sentire & viuere, facilè persuadetur viuere & sentire etiam sibi similia. *Respondeo, hæc ipsa quoque est, cur Papistæ suas etiam Statuas pro* DIJS *habere meritò videri possint: Simulachra enim omnia ipsorum formâ humani prædita sunt. Atqui Bellarminus magnæ stupiditatis condemnaret suos, si Statuas ipsas putarent* DEOS *esse: Et tamen Caluinum reprehendit, dicentem:* Nec ita stupidi fuisse Ethnici credendi sunt, vt non intelligerent Deum alium esse, quam ligna & lapides, &c.

His sic à Iesuita præmissis, subiungit iam col. 2131. *&* 2132. *rationes & argumenta, vt probet, Ethnicos credidisse ipsa Idola esse* DEOS. *Prima est petita ex sacra Scriptura, ex qua tria testimonia profert. Primum est:* Omnes, *inquit,* Prophetæ laborant, vt doceant idola aurea & argentea non esse Deos: & probant, quia non loquuntur, non vident, &c. Vide Isa. cap. 46. Dauidem psalm. 113. & psal. 134. & Hab. 2. sed præcipue Epistolam Ieremiæ Baruch. 6. vbi ad singula argumenta concludit: Vnde notum sit vobis quia non sunt Dij. At certè stulti essent Prophetæ, si id refellere conarentur quod nemo assereret. *Respondeo, hoc ad institutum Iesuitæ nihil facit: nam probat tantum, aliquos asseruisse, Idola aurea & argentea esse* DEOS: *Hoc nemo negat. Sed esse* DEOS *propriè dictos, non Metonymicè, & pro numinibus ipsis non Simulachris numinum habita: hæc eius ratio nec probat, nec Prophetæ citatis locis affirmant. Isaias enim inquiens,* Deum auro, argento, à conflatore fieri, *significat* Dei *nomine Simulachrum* DEI, *sicut apparet ex præcedentibus verbis,* Cui assimilaretis me, & æquaretis, aut compararetis me, vt similes essemus? Cui assimilabitis Deum, & quam similitudinem ordinabitis ei? *Res adeò manifesta est, vt Bellarminus ipse de Ecclesia triumphante* Explicatio loci Isa. 46.

phante lib. 2. c. 8. admittat cum distinctione, Isaiam dicere, Deum non posse exprimi perfectâ similitudine. *Prophetas autem cæteros ad eundem modum Deorum nomen vsurpare, si minus pro veri Dei Simulachris, saltem pro eorum quos Ethnici Deos reputarent, Epistola Ieremiæ inscripta, quam Iesuita in primis vrget, luculentissimè indicat*, Chaldæos *nempe* ad Belum, *tanquam summum Deum recurrisse: & Bellarminus asserat de Verbo Dei lib. 1. cap. 13.* Belum fuisse hominem; pro Deo ab illis habitum post mortem, ac simulachro repræsentatum. *Et si Papistæ diligenter Epistolam illam legerent, hortante Bellarmino, vt viderent quemadmodum ad singula argumenta ibi concludatur*, vnde notum fit, vobis, quia non sunt Dij, *mox intelligerent se, qui Diuorum statuas* Diuos *vocant, perinde conuinci stupiditatis Simulachra ipsa pro numinibus habentis, ac Ethnici conuincuntur ex conclusione eius Epistolæ.*

Explicatio loci Act. 19. *Sequitur alterum testimonium:* Præterea, *inquit Iesuita*, Act. 19. de Paulo dicunt Ethnici, Paulus hic suadet, dicens, quia non sunt Dij, qui manib. fiunt: ergo ipsi putabant esse Deos eos, qui manibus fiunt. *Respondeo, Bellarminus rursus ambiguitate eadem ludit, quâ prius, quasi agerent vel loquerentur Ephesij de Dijs propriè dictis, quum metonymicè notent Imagines diuinas Deorum instar honoratas. Nam Demetrius alijque Ephesij faciebāt imagines argenteas Dianæ, quas cultorib. eius vendebant. Dianam autem habebant pro numine singulari: vnde voces istæ,* Magna est Diana Ephesiorum. *Ac ne simulachrum quidem, quòd à Ioue delapsum fabulabantur, ipsam Deam esse putabant.* Deorum *igitur appellatione notantes Simulachra suis manibus facta, ea sibi videri Deæ signa, non propriè Deam, indicabant.*

Explicatio loci Ier. 2. et Sap. 14. *Tertium est Ierem. 2. vbi Propheta, Simulachra* lignum *&* lapidem *appellans, ait Idolorum cultores* dicere ligno, Pater meus es, & lapidi, Tu genuisti me. *Hanc insaniam hominis Idololatræ taxans liber Sapientiæ 14. cap.* Non putet, *inquit*, ipsum alloqui rem inanimam: sed de sanitate quidem inuocat id quod nullis est viribus, pro vita verò quod mortuum est rogat, & inexpertissimo supplicat pro auxilio, & de profectione ab eo quod ne gressu quidem vti potest, & de quæstu & opere ac manuum consequutione, ab eo quod manibus ignauissimum est commodam effectionem petit: rursum aliquis se ad nauigandum comparans, & feros per meaturus fluctus lignum inclamat putridius naue quæ fert ipsum: *Ex his duobus Scripturæ locis Bellarminus sic argumentatur:*

Ier. 2. & Sapient. 13. & 14. Scriptura dicit. Ethnicos solitos inuocare Idola, & eis commendare salutem suam. Nemo autem inuocat aut orat simulachrum, inquit Augustinus in Psal. 113. qui non putet ab illo se exaudiri.

Ergo

Crediderunt Idola & Simulachra sua esse veros Deos.

Respondeo, Si hæc de Ethnicis consequentia valet, hæc quoque de Christianis valeat, nempe, Pontificios putare Imagines suas Deos esse. Nam Polydorus Vergilius lib. 6. de Inuent. ca. 13. Benè multi sunt, *inquit* rudiores stupidioresque, qui saxeas, vel ligneas, marmoreas, æneas, seu in parietibus pictas, varijsque coloribus litas Imagines colant, non vt figuras, sed perinde quasi ipsæ sensum aliquem habeant: & ijs magis fidant quàm Christo, vel alijs Diuis, quibus dicatæ sint. *Ac Pius II. Pontifex Rom. refert in Comment. lib.* 2. in Ecclesia sanctæ Mariæ Pruneranæ, agri Florentini, Virgines esse Imaginem, quam mirâ Religione popu i venerentur, tanquam pluuiæ serenitatisque donotricem, quum necessitas ingruit. *Catechismus quoque Tridentinus in Tract. de Orat. tit.* Quis orandus sit; *testatur*, ad Imaginem Sancti alicuius dicere *Papistas* orationem Dominicam, imò ligno & lapidi dicere, Pater noster es. *Et Bellarminus de Ecclesia triumph. libro secundo, cap.* 23. Concionatores, *inquit*, alloquuntur Imaginem crucifixi, eique dicunt, Tu nos redemisti, Tu nos Patri reconciliâsti. *At inquit Bellarminus dicto loco*, ista non dici Imagini, nec vt lignum est, nec vt Imago est, sed vt accipitur loco exemplaris, id est, dici ipsi Christo, cuius tamen Imago vicem gerit. *Respondeo, ex Augustino quoque apparet in Psalm. 113. Conc. 2. Ethnicos non fuisse professos, se preces Simulachris fundere, quatenus ligna erant, aut quatenus Simulachra, sed vt accipiebantur loco Exemplarium, id est, oràsse Deos ipsos, quorum tamen vicem Simulachra gerebant. Pontificij autem se tam absurdo errore teneri negabunt. Ineptè igitur ex dictis locis Scripturæ concludit Bellarminus,* Ethnicos putâsse Simulachra ipsa Deos esse.

Secunda *ratio petita est ex Patribus: ac primò producit Augustinum dicentem:* Fateor altius demersos esse, qui opera hominum Deos esse putant, quàm qui opera Dei. Locus Augustini excutitur. *Respondeo, Inter Pontificios sunt quidam sic altè demersi, vt Statuas Sanctorum Deos arbitrentur. Num autem hinc consequitur, Papistas omnes arbitrari Imagines ipsas Deas esse? Sed addit Augustinus.* Illi Simulachra venerantur, vel tanquam Deos, vel tanquam signa & imagines Deorum. *Respondeo, Hoc nihil ad rem: Nam & Papistæ Simulachra colunt, vel tanquam Agnos Dei, vel tanquam*

signa

signa & Imagines agni : nec tamen simulachra ipsa Deos putant. At Augustinus porrò dicit, Ethnicos multos putasse ipsa Simulachra viuere, spirare & audire, & proinde esse, Deos viuentes, & in hoc errore foueri ex ex ipsa similitudine humanorum membrorum. *Respondeo, Augustinus non dicit,* Et proinde esse Deos viuentes; *sed,* proinde numen occultum habere nec sine viuo aliquo habitore esse. *Inter quæ videtur discrimen interponere ex eo quod subiungit :* Itaque homines talibus superstitionibus obligati, plerunque ad ipsum Solem dorsum ponentes, preces fundunt Statuæ, quam Solem vocant : & quum sonitu maris à tergo feriantur : Statuam, quam pro ipso mari colunt, quasi sentientem gemitibus feriunt. Hoc enim facit & quodammodo extorquet illa figura membrorum, vt animus viuens in sensibus corporis magis arbitretur sentire corpus quod suo corpori simillimum videt : quàm rotundum Solem, vndasque diffusas, & quicquid non eisdem lineamentis formatum conspicit, quibus illa formata sunt, quæ viuentia videre consueuit. *Si Augustinus his verbis non declarat Ethnicos, licet Solis & Neptuni Statuas sentire potiùs arbitrarentur, quàm Solem & mare ipsum; arbitratos tamen fuisse Solem & mare esse ipsos Deos, non Statuas eorum : at Papistas sua docebit experientia, non quia Simulachra putabant sensu prædita (quod testatur Polydorus, ea perinde coli à multis quasi sensum habeant) idcirco putauisse ea Deos esse.*

Tertulliani locus explicatur. Secundò *Iesuita producit Tertullianum : Is capite decimo, in Apologet. dicit,* Deos Gentilium plura pati, dum fiunt, ab artificibus, quàm patiantur Christiani, quum occiduntur, quòd eos nolint adorare. *Respondeo, dicit ibidem Tertullianus, Apollinem in Delo natum, Iouem in Creta mortuum, & omnes reliquos Deos Gentilium homines fuisse; idque ipsos scire, nec negare posse. Quum itaque Simulachra quæ vocat cap.* 12. Statuas & Imagines frigidas mortuorum suorum simillimas, *pro Deorum nomine Simulachra sua insignierint, non putâsse tamen ipsa Deos esse; neque* DEOS *propriè, sed Metonymicè nuncupâsse.*

Eusebij locus exponitur. Tertiò *inquit :* Eusebius libro quinto, de Præpar. cap. 15. Triginta, ait, Deorum millia in terra esse censet Hesiodus : ego autem multò plures lapideos, atque ligneos hominum creatores esse video. *Respondeo, hæc Eusebij verba non sunt, sed Oenomai, ab Eusebio citati. Nam Eusebius longam orationem de Oraculorum fallacijs ingressurus, præfatur cap.* 10. se eorum refutationem propositurum non suis, sed alterius verbis, à quo scripta erat deprehensio impostorum. *Et in fine libri, hoc ipso capite quod à Bellarmino citatur, subiungit;* Hæc Oenomaus. *Nempe is redarguens oraculum quo Apollo iussit quoddam Bacchi Simulachrum coli, inquit,* in terra esse tres myriades Deorum, non immortalium, quales Hesiodus custodiendis hominibus à Ioue præfici tradit; sed lapideorum atque ligneorum. *Sic Oenomaus Ethnicos suos exagitat, quòd Oraculorum impostura seducti cultum diuinum lapideis ligneisque* DEORUM *statuis exhiberent. Tam autem abest vt hoc probet Eusebius libro quinto, vt eodem libro & alibi apertissimè potius neget atque refellat. Nam libro quarto asserit,* patere etiam Ethnicis, inanimata Simulachra Deos non esse : *& eo ipso libro cap.* 3. *affirmat,* vniuersos Ethnicorum DEOS ad septem genera pertinere, quorum primo sydera, secundo & tertio homines mortui : quarto affectus & facultates hominum : quinto res quæ hominibus in vsu vitæ sunt : sexto & septimo dæmones boni ac mali comprehendantur. *Quibus verbis clarissimè ostendit, Solis, Herculis, Bacchi, Cupidinis &c Simulachra nullo in Deorum numero ab Ethnicis habita fuisse.*

Patribus subiungit Bellarminus Horatij testimonium, ac rhetoricâ interrogatione inquit : Quid est quod ait Horatius lib. 1. Serm. Satyrâ 8. *Horatij locus explicatur.*

> Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
> Quum faber, incertus scamnum faceretné Priapum,
> Maluit esse DEUM?

Respondeo, Poëtam eorum vanitatem per Satyram hanc derisisse, qui non solùm nomen Dei, sed etiam honorem ad truncum transferebant. Perinde ac si quis similem hodiè vanitatem ac dementiam Papistarum in Agno Dei *irrisurus, diceret de Cera, eam fuisse olim inutilem & abiectam ceram quum Sacrista Papæ; dubitans candelam an* Agnum Dei *faceret, maluit esse Deum. Ineptissimus igitur Bellarminus est, qui ex Satyra colligit, Horatium id sensisse, quod cum irrisione explosit.*

Poëtis annumerat Bellarminus duos sapientissimos viros, Hermetem Trismegistum & Arnobium nondum Christianum, qui idem senserint. Nam Hermes, *inquit,* apud Augustinum lib 8. de Ciuit. DEI cap. 23. alios DEOS factos à summo DEO, alios autem ab hominibus. DEOS autem ab hominibus factos dicit esse Statuas, quibus arte quadam magicâ alligantur dæmones, ita vt Statua sit quasi corpus DEI, Spiritus autem inclusus sit anima, & totum Idolum sit DEUS, quomodo corpus & anima est homo. *Hermetis locus declaratur. Respondetur, Hæc sententia, quam ex Hermete apud Augustinum Iesuita citat, manifestè falsa*

falsa est. Scriptura enim sacra testatur Psalm. 135. *& Hab.* 2. nullum esse Spiritum in ore, in medio illorum. *Vnde etiam Thomas Aquinas Summ. contra Gent. lib.* 3. *cap.* 104. *quum rationibus varijs probâsset, Statuas arte magicâ factas, nec habere principium aliquod vitæ, nec habere posse, ac per hoc excludi hanc positionem Hermetis, sic inquit:* Hæc positio authoritate diuinâ destruitur; dicitur enim in Psalm. Simulachra Gentium argumentum & aurum, opera manuum hominum; os habent, & non loquuntur, nec enim est Spiritus in ore ipsorum. *Tertullianus etiã de Anima cap.* 57. *& Chrysostomus in Matth. homil.* 29. *testantur, magos, istorum Simulachrorum, de quibus Hermes, artifices, mentiri, affirmantes, animas hominum mortuorum in Dæmones mutari, ac sibi ad huiusmodi opera inseruire. Plato quoque sapientior Hermete, disertè affirmat, Statuas Deorum animatas non fuisse, quando ait de Legibus li.* 11. *ipsos animatos Deos habere multam erga homines beneuolentiam gratiamque, quòd inanimatas eorum Statuas colant: parentes autem & auos animata Deorum Simulachra esse, quorum cultu & Deus magis delectetur, quàm inanimatorum, &c. Iamblichus etiam, Ægyptiorum tradens mysteria, Trismegisti columnis & libris explicata, non modò nihil tale scribit de Statuis, sed contrà affirmat,* eas nequaquam animatas esse: nec, quamuis ex materia electa construantur obseruatione syderum, quicquam tamen inde in se diuinum habere: atque malè facere nonnullos confidendo se characteribus inclusuros ipsam substantiam alicuius DEI, quo præsente vaticinentur. *Itaque Hermitis verba de animatis Statuis, non probant, Ethnicos putâsse ipsa Idola esse Deos.*

Arnobij locus explicatur.

Postremò *Arnobij verba ad suam probandam sententiam, hæc citat Bellarminus:* Venarabar, *inquit Arnobius libr. contra Gentes,* ò cæcitas, nuper Simulachra modò ex fornacibus prompta, in incudibus DEOS, & ex malleis fabricatos. *Et infrà:* Tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam. *Et infrà:* DEOS esse credebam ligna, lapides, ossa, aut in huiusmodi rerum habitare materia. *Respondeo, Arnobium his verbis non docere, sed credidisse ipsa Idola Deos esse simpliciter, satis indicant verba postrema per disiunctionem elata,* DEOS esse credebam, aut in huiusmodi rerum habitare materia. *Quod etiam ex Augustino intelligitur, qui in psal.* 113. *Conc.* 2. *dicit,* in vnoquoque gigni hunc errorem ex Simulachri specie, quum in eminenti collocatum suggestu adorari & honorari à multitudine cœperit, vt, quoniam in illo figmento non inuenit vitalem motum, credat numen occultum, atque effigiem viuenti corpori similem, sine viuo aliquo habitatore esse non putet. *Sicut enim Augustinus docet, Ethnicos distinxisse figmentum à Deo, vt qui dicerent, se non colere Simulachrum, sed numen quod illic inuisibiliter habitat; aut per corporalẽ effigiem eius rei signum intueri, quam colere deberent: ita Arnobius libro sexto contra Gentes, eadem ab Ethnicis dici significans & libro septimo ipsos profiteri, ex masculis fœminisque progenitos esse Deos, quos in rerum natura vel arbitrarentur esse, vel crederent, quorumque simulachra in Templis constituerent, declarat se discrimen inter effigies Deorum & Deos argnouisse.*

Adhac, etsi dicat Arnobius, Venerabar Simulachra ex fornacibus prompta, &c. *non tamen propterea putandus est credidisse ipsum truncum Idoli Deum esse nam & Papistæ venerantur Simulachra modò ex fornacibus prõpta Crucifixos incudibus & ex malleis fabricatos: sensusque experti ligno & lapidi, tanquam inesset vis præsens, supplicant blandiuntur, & gratiam ab illis petunt. Non tamen videri volunt putare, effigies ipsas Crucifixi esse Crucifixum.*

Caluini locus declaratur.

Denique, vt maximè concedamus Bellarmino, Simulachra ipsa pro Dijs à Trismegisto & Arnobio habita fuisse negatur tamen consequentia Iesuitæ, proinde mentiri Caluinum, qui negat Ethnicos sensisse ligna & lapides esse Deos. Caluinus enim hoc responsum opponens Papistis, negantibus Imagines pro Dijs haberi, apertè declarat, se id eodem sensu dicere de Ethnicis, quo Papistæ de seipsis hoc dicunt, nempe, non habere se Imaginem Crucifixi pro ipso Crucifixo, nec Veronicam pro ipsissimo vultu Christi, quamtùmuis Papistarum multi, inuocantes numen Imaginis Crucifixæ, vt scribit Marinеus, illam pro Deo habuiße probentur. Quamuis igitur plures Hermete & Arnobio putassent, Simulachra DEORUM *esse Deos: Caluini tamen sententia de Ethnicis immota staret, quoniam Hesiodus, Socrates, Plato, Homerus, Aristoteles, Cicero, Plutarchus, Maximus Tyrius, Iamblichus, & innumerabiles alij, Deos alios esse quàm ligna & lapides putárunt.*

Atque hanc thesin, quam Bellarminus toto cap. 13. *lib.* 2. *de Imaginibus Sanctorum persequitur, ex Ioannis Rainoldi doctissimi Angli libro de Idololatria Romana, prolixius tractare, & argumenta ac rationes Bellarmini diligentius examinare hoc cap.* 16. *placuit. Nam si Iudæi Iehouam coluerunt in sculptilibus & vitulis, Ethnicorum etiam plerique idola & Simulachra sua non pro ipsis Dijs habuerunt, sed in ijs vel Deum verum, vel ijs repræsentatos Deos honorârunt. & nihilominus Idololatræ erant; corruit sanè totum dogma Papistarum, de cultu Imaginum ad prototypa, & se satis excusatos esse putant, si dicant, se honorem, qui Imaginib. exhibetur,*

betur, non ad Imagines, sed ad earum prototypa, quæ illa repræsentant, referre. Nam eadem excusatione Iudæi & Gentes vti potuissent.

Secundũ Orthodoxorum argumẽtum contra cultũ Imaginũ aduersus Bellarminũ defenditur.

SECVNDVM Orthodoxorum argumentum contra cultum & adorationem Imaginum, sumitur ab authoritate aliquot Conciliorum, inprimis autem quatuor celeberrimorum. Primum est Elibertinum Eliberti in Hispania celebratum circa Constantini Magni tempora. Alterum est Constantinopolitanum sub Leone III. Imperatore anno 730. habitum, in quo damnatus est à Patribus ex regula verbi Dei cultus & veneratio Imaginum, & huic decreto omnes subscripserunt præter Germanum Patriarcham. Tertium est etiam Constantinopolitanum, à Constantino Copronymo Imperatore conuocatum anno Christi 755. in quo controuersia de Imaginum cultu discussa, ab Episcopis 338. Imagines damnantur & fieri prohibentur, ac Imaginum Patroni anathematizantur. Hanc etiam Synodum pro Septima Vniuersali habere, & sententiæ eius omnes subscribere jussit Imperator. Quartum est, Francofordiense Concilium à Carolo Imperatore conuocatum; cui interfuerunt plurimi ex omnibus Prouinciis Episcopi anni Domini 793. vel 794. Eius decretum, quod citatur in præfatione librorum Carolinum, testatur, damnatam in hoc Concilio Synodum, quæ Constantinopoli conuenerat, & Imagines adorari jusserat. Intelligitur autem Synodus Nicena secunda quæ primò Constantinopoli congregata, postea autem Nicæam translata fuit. Pari ratione libri ipsi Carolini testantur, in Synodo Francofordiensi damnatam Synodum, quæ habita sit Constantinopoli in Bithynia sine auctoritate Papæ pro Imaginibus adorandis. Intelligunt etiam Nicænam secundam Synodum: nam Nicæa est Metropolis Bithyniæ, Constantinopolis autem in Thracia est. Et hi libri Carolini scripti sunt tempore Caroli Magni, vt patet ex refutatione eorum, quam edidit Adrianus I. Papa, & scripti sunt iussu Caroli in Synodo Francofordiensi: id enim asserit Hincmarus eius temporis auctor, & Remensis Episcopus: ipsi quoque libri hoc præ se ferunt: Quòd autem Synodus, quæ in illis libris refutatur, sit verè Nicæna secunda dubitari non potest, si legantur vel ipsi libri, vel Adriani responsio. Deinde authores omnes conueniunt in hoc, quòd in Concilio Francofordiensi reprobata sit Synodus 7. quæ decreuerat Imagines adorandas. Ita Hincmarus, Aimoinus, Rhegino, Ado, & alij docent. Quod si authores isti loquerentur de alia Synodo septima nempe Constantinopolitana contra Imagines, vt volunt aliqui, certè meminissent etiam in suis historiis Synodi Nicænæ verè septimæ. At non meminerunt vlterius Concilij 7. nisi istius, quod reprobatum dicunt. Neque obstat quòd libri Carolini, & Abbas Vrspergensis, & Aimoinus dicunt, reprobatam Synodum Constantinopoli habitam: Nam Abbas sequutus est libros Carolinos, vt etiam Aimoinus: auctor autem eorum librorum vel lapsu memoriæ Constantinopolim pro Nicæa posuit, vel quia primò Constantinopoli congregata hæc Synodus fuit. Cumque Abbas & Aimoinus dicant Synodum celebratam sub Constantino & Irene, clarè demonstrant, se loqui de Nicæna Synodo, etsi per errorem Constantinopolim nominent. Neque etiam obstat, quòd Platina, Blondus, Sabellicus & Paulus Æmilius dicunt, reprobatam in Synodo Francofordiensi Synodum de tollendis Imaginibus: nam isti recentiores sunt. Hæc obiter monere volui, ne diuersitas hæc scrupulum alicui injiciat. Hoc certum est, in Francofordiensi Synodo reprobatam & damnatam esse Synodum Nicenam 2. quæ Imagines habendas & adorandas esse decreuerat.

Diuersitas authorũ de decreto Francof. Synodi cõciliatur.

Elibertina Synodus cõtra adorationem Imaginũ.

Ad Elibertinum Concilium nihil respondet Bellarminus, quod & legitimum est, & minimè controversum, & sententiam Iesuitæ funditùs euertit ac tollit. Decreuit enim, picturas in Ecclesiis fieri non debere: ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur: De quo vide plura supra.

Constantinopolitana duo Concilia sub Leone & Cõstantino Impp. celebrata non fuerunt illegitima.

De Concilijs autem duobus Constantinopolitanis dicit, ea fuisse illegitima. Probat hoc primò, quia non eis interfuerit Romanus Episcopus, nec per se, nec per suos Legatos. Argumentum tale est:

> Cuicunque Synodo vel Concilio non interest & præsidet Romanus Pontifex vel per se, vel per suos legatos, pro illegitimo habendum est.
>
> Sed duobus his Concilijs Constantinopolitanis Papa nec per se, nec per suos legatos interfuit.
>
> Ergo
>
> Illegitima sunt & nullius authoritatis.

Concilia quib. Papa Rom. nõ interest & præsidet non illegitima.

Major falsa est. Nam Nicænum I. Concilium legitimum & verè sanctum semper habitum fuit: Ei verò non præfuit Romanus Episcopus, sed Constantinus Imperator cum Eustathio, Theodoreto teste libro primo, capite 7. Concilio vniuersali secundo Constantinopoli habito, non præsedit Romanus Papa, sed Theodosius Imperator cum Episcopis, Timotheo Alexandrino, Cyrillo Hierosolymitano, & aliis, vt Socrates refert libro quinto, capite octauo. Ephesinam Synodum, quæ pro tertia Oecumenica numeratur, moderatus est non Romanus Episcopus, sed Theodosius junior cum Cyrillo Episcopo Alexandrino, vt intelligitur ex Trip. histor. libro 12. capite 4. 5. & ex anathematismis Cyrilli. Chalcedonensem Synodum vniuersalem gubernauit etiam Martianus Imper. cum Episcopis, vt Nicephorus refert, lib. 15. cap. 3. & 4. Patet etiam ex ipsis Actis Concilii illius, & ex dist. 96: Possemus idem de multis prouincialibus Synodis indicare. Nam

istis temporibus in eam dignitatem & potentiam nondum euectus fuerat, in qua hodiè est, Romanus Papa.

Nullus Can. ex Nicæni Concilij qui iubeat sine sententia Papæ nō licere Cōcilia generalia celebrare

Sed maiorem suam probare conatur Iesuita, ex Canone quodam Nicænæ I. *Synodi in quo decernatur, sine sententia Romani Pontificis, non licere Concilia generalia celebrari. Respondeo, talem Canonem inter Nicænos non exstare, aut vllibi reperiri, sed figmentum esse Papisticum: quod inde agnoscas facilè, quia huiusmodi Canonis nulla prorsus sit vnquam mentio apud vllum probatum authorem.* At, *inquit Iesuita*, præter alios hoc refert Socrates libro 2. capite 15. *Respondeo, Socrates nullius Nicæni Concilij meminit isto loco, sed tantum dicit*, Iulium Papam, Athanasium & alios propter Romanæ Ecclesiæ prærogatiuam, communiisse Minacibus literis, & Orientales Episcopos repræhendisse, qui eos per temeritatem deposuerant. *Deinde ille ipse Socrates eodem libro capite* 11. *sicut etiam Sozomenus libro* 3. *capite* 7. *indicant*, Orientales, ob hanc Romani Pontificis arrogantiam, & petulantem contumeliam, quâ ipsorum Ecclesias afficeret, vehementer indignatos esse, eique respondisse, Si qui ipsorum arbitrio Ecclesiâ forti ejecti essent, non à Romano Papa rem decerni debere. Nam quum ille Nouatum Ecclesiâ exturbâsset, ipsos non contradixisse. *Et Sozomen. refert*, Orientales prærogatiuam ordinis & loci Iulio Romano haud inuitos fuisse largitos, dominium autem in exteras Ecclesias repræhendisse.

Socratis locus declaratur.

Alius locus Socratis exponitur.

Denique Socrates libro secundo, capite 17. indicat, Iulium Romanum scripsisse rursus Orientalibus Episcopis in causa Athanasii, μὴ δεῖν παρὰ γνώμην ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. *Huius autem Canonis verum sensum esse*, Non oportet citra sententiam Episcopi Romæ Canones facere Ecclesias; *hoc est, Ecclesiarum Episcopos, primò constare ex lib. quarto, capite decimonono. Tripart. hist. vbi Socrates perspicuè testatur, Iulium cum Orientalibus expostulâsse per literas*, quòd se ad Concilium Antiochenum non vocâssent, Canonibus jubentibus, præter Romanum nihil decerni Pontificem. *Secundò patet etiam ex Nicephoro lib. nono, capite quinto, vbi dicit*, μὴ δεῖν ἄνευ γνώμης τοῦ ῥωμαίων ἡγεμόνος τὰς ἐκκλησίας συνοδικῶς κανονίζεσθαι, *Id est*, Non oportere citra sententiam Romanorum Præsulis in Synodis quicquam statuere. *Et clarius ex Sozomeno, qui eundem Canonem refert in hunc modum, libro tertio, capite decimo*, ὡς ἄκυρα ἀποφαίνειν τὰ παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου τῆς ῥώμης πραττόμενα, *id est*, quàm irrita esse, quæ citra Episcopi Romæ sententiam statuta sunt. *Non scribit Iulius, Concilium illegitimum esse, vt vult Bellarminus, quod sine sententia Romani Pontificis celebretur, quod fecisset vtique, si talis aliquis Canon Nicænus exstitisset tum alicubi; sed expostulat tantum quòd se ad suam Synodum Orientales non etiam vocârint. Ratio est*, Quòd Canonibus vetitum sit, citra Roman. Pontificem *Canones facere. Hi autem Canones intelligendi tantum sunt, de ijs, qui vniuersam Ecclesiam obstringunt, seu vniuersa Ecclesia feruntur. Non potuerunt enim tales Canones condi, qui vniuersam Ecclesiam obligarent, nisi vel ab vniuersis Episcopis, vel à præcipuis ferrentur & approbarentur. Romanus Episcopus autem fuit inter præcipuos. Nec verò hoc jus Roma sola, sed etiam cæteræ sedes Patriarchales habuerunt. Quandiu enim Alexandrinus ad Concilium 8. non venerat, pro imperfecto habebatur. Nam cùm ille ad Concilium veniret, dicebant Patres*, Glorificamus Deum vniuersorum, qui quicquid deerat Vniuersali Synodo suppleuit: *vt testantur Acta huius Synodi, & Cardinalis de Cusa libro tertio, de Concord. Vnde apparet, non potuisse Patres Synodi 8. citra Alexandrini sententiam Canones cendere, qui ipsum obligarent. De cæteris idem est judicium. Nam Cardinalis Cusanus dicit*, Non esse perfectum Concilium, in quo non sint omnes Patriarchalium sedium Episcopi. *Vnde apparet, non tantum falsum, sed etiam ridiculum esse, quod Iesuita hinc colligit, sine sententia Roman. Pontificis non licere Concilia celebrari.*

Sed objicere possent Iesuitæ, vtcunque hoc se habeat, tamen Romanus Papa non interfuit his Constantinopolitanis duobus Conciliis, ergo non solum sunt illegitima, sed etiam decreta illorum contra Imagines eum cum suis Ecclesiis non obligant. *Respondeo, Nihil derogare & Pontificis Romani, & aliorum Patriarcharum absentiam, quo minus illa Concilia, aliaque, sint legitima. Vocati enim & interpellati illi vt adessent, interesse noluerunt, quia Romanus Papa erat Iconolatra, & odio habebat Imperatorem suum. Quemadmodum igitur in Electionibus Ecclesiasticis, vt sint legitimæ, satis est, si vocandi sint vocati, valentque electiones illæ, licet vocati isti abfuerint, vel quia noluerunt, vel quia non potuerunt venire, textus expressus in cap.* Quia sicut; *in cap.* Bonæ; *& glossa in cap.* Coràm, *& cap.* In Genesi. *Extra de* Electione: *& formaliter textus, & glossa in Canon.* Factus est 7. *quæstion.* 1. *sic in Conciliis & generalibus & particularibus, ea valent, quod ad formam externam, si vocandi fuerint vocati, quamuis illi interesse noluerint, vel non potuerint.*

Secundò *probare vult Iesuita, duo hæc Constantinopolitana Concilia contra Imagines illegitima fuisse*, quia non consenserunt vlli Patriarchæ vel per se, vel per suos Legatos.

Respon-

Respondeo, assensum Patriarcharum non facere legitimum Concilium, sed decisio controuersiarum ex solo verbo Dei, tanquam vero illarum iudice. Cùm itaque in duobus istis Conciliis superstitiosus Imaginum cultus & veneratio, sit ex verbo Dei prohibitus & damnatus, pro legitimis habenda sunt: præsertim quum eis præcipui Orientales Episcopi interfuerint.

Tertiò, *idem probare conatur ex consensu & testimonio omnium auctorum, qui de Concilijs generalibus scripserunt, tam Græcorum quàm Latinorum*, qui omnes duo illa Concilia vel non numerent inter Concilia, vel ea reprehendant. *Respondeo, quòd aliqui ex ijs auctoribus, quos nominat Iesuita, hæc duo non numerant inter Concilia, id nihil eis derogat: fuerunt enim omnes Iconolatræ & Paparum iurati asseclæ: quum itaque sint testes in propria causa, nihil Iesuita ijs probare potest. Deinde, quòd dicit*, alios ex iisdem hæc Concilia reprehendisse, *falsum est: Nam Paulus Diaconus scribit*, in altera horum Conciliorum Iconolatras fundamentis Scripturæ sacræ ab Orthodoxis conuictos fuisse: *quæ certè non reprehensio, sed laus maxima censenda est.*

Quartò *dicit*, etsi legitima fuissent, tamen eis derogatum esse per Concilium plenarium & verè generale, nempe Nicænum 2. *Respondeo, Cùm decreta horum Conciliorum verbo Dei nitantur, cui ab hominibus nullo modo derogari potest, prima Corinthiorum decimo*, 1. *Pet. c.* 1. *certè Nicænum hoc Concilium illarum authoritatem imminuere nequit. Nam si Lector in memoriam reuocet, quæ supra de hoc Concilio à nobis ex probatis historiis dicta sunt, fateri eum oportebit, non solùm triplici fraude, vnâ Patriarcharum Constantinopolitan. alterâ Irenes Imperatricis, Attica Idololatria assueta, tertiâ Romani Pontificis hoc Concilium coactum esse: sed etiam nullâ vnquam memoriâ Christianorum hominum Conuentum exstitisse, tam improbum, tam impium ac sceleratum, tam blasphemum, tam denique per omnia Concilii nomine indignum, atque hunc ipsum qui Imagines in Templis non comprobandas modò, sed religiosè etiam & reuerenter colendas censuit, atque eo quidem Cultu qui ipsi debetur Deo.*

Quintò *dicit Bellarm.* Caluinum & Magdeburgenses imprudenter laudare alterum ex his Constantinopolitanis Conciliis: nam id licet impiè de Imaginibus senserit, tamen de cultu & inuocatione Sanctorum, & de meritis operum rectè sensisse: & Can. 15. & 18. anathema dixisse iis, qui id docent, quod nunc Caluinus & Magdeburgenses docent. *Respondeo primò, quum istius Concilii decreta probamus, non omnia eius simpliciter, sed ea tantùm, quæ cum verbo Dei scripto consentiunt admittimus. Secundò liberè dico, Canones huius Concilii 15. & 17. vbi inuocatio Sanctorum, eorumque intercessio apud Deum confirmatur, vel corruptos & deprauatos, vel supposititios esse. Constat enim ex historia Constantini Copronymi, eo tempore adhuc, Sanctorum inuocationes & intercessiones pro superstitioso præsidio habitas & damnatas esse. Et hæc quidem objectiones Bellarmini de duobus Constantinopolitanis Synodis dicta sufficiant.*

Francofordiensis Concilij authoritatem nunc similiter, variisque modis eleuare, & prorsus euertere conatur. Tria autem de illo dicit. *De Francofordiensis Synodi authoritate.* *Primò*, Quicquid, *inquit*, illud Concilium definierit, non esse magni faciendum: Nam sine dubio illi anteponendum est Concilium Nicenum 2. quod certum est fuisse vniuersalius, antiquius, & sine controuersia à Pontifice Roman. approbatum; nam constat ex ipso Concilio adfuisse legatos Papæ Adriani, & rursus approbatum à Leone III. Papa. *Respondeo* primò, *quod ad Antiquitatem attinet, Augustinum lib. Quæst. Veteris ac Noui Testam. quæst.* 14. & 15. *multis docere*, Antiquitatem veritati præjudicare non debere. *Deinde, Nicenum* 2. *Concilium ad summum sex annis Francofordiense antiquius est. Ex antiquitatem.* Secundò, *quòd dicit*, Nicænum esse vniuersalius Francofordiensi, *dupliciter falsum est. Nam primò, vt supra quoque indicauimus, à Niceno Concilio pars aduersa prorsus exclusa fuit; sine qua non modò non vniuersale, sed ne legitimum quidem Concilium habendum est. Deinde potioris partis Occidentis Francofordiensi Synodo interfuerunt Episcopi, qui à Nicena abfuerunt. Ad hæc, vt Hincmarus docet*, Vniuersalitas Conciliorum non pendet à multitudine Episcoporum, sed à genuina Scripturæ, quæ vniuersalis Canon est, vsurpatione. *Denique Ado ætate* 6. *testatur*: Adriani Pontificis Romani legatos in hoc Concilio præsedisse. *Francofordiense igitur Concilium verius vniuersale dici & haberi debet, quàm Nicenum* 2. *Hoc Lectori planum faciam Hincmari Remorum Archiepiscopi, & Aventini luculentissimis testimoniis.*

Quòd enim Nicena secunda Synodus nec vera, nec vniuersalis fuerit, Francofordiensis autem vera, orthodoxa & vniuersalis, sic probat ex Carolinis libris Hincmarus capite. 20. *libri contra Iandunensem Episcopum:* *Hincmarus de Nicena 2. Synodo.* Septima apud Græcos vocata vniuersalis Pseudo-Synodus, de Imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra verò pars intellecto sano diffiniens sine authoritate Apostolicæ sedis, non longè ante nostra tempora Niceæ est à quamplurimis Episcopis habita, & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Vnde tempore Ca-

Digitized by Google

toli Magni Imperatoris juſſione Apoſtolicæ ſedis, generalis Synodus in Francia, conuocante præfato Imperatore, celebrata, & ſecundum ſcripturarum tramitem, traditionemque majorum, ipſa Græcorum Pſeudo-Synodus deſtructa, & penitus abdicata. De cujus deſtructione non modum volumen, quod in palatio adoleſcentulus legi, ab eodem Imperatore Romam eſt per quoſdam Epiſcopos miſſum. In cujus voluminis libro quarto, hæc de vniuerſalis nomine

Vniverſalis & vniverſale quid

ſcripta ſunt: VNIVERSITAS ab vno cognominatur, quòd vno multoties verſo propagatur. Nam multitudo vnitatum vertendo in vnum collecta vniverſitas efficitur. Sicut enim Eccleſia vniuerſalis eſt, quæ Græco eloquio Catholica dicitur: ita nimirum omne, quicquid ab ejus vnitate non diſceſſit, catholicum nuncupari poteſt. Omnis enim doctrina Chriſtiana, vel quælibet conſtitutio ſive traditio talis eſſe debet, vt vniversali conueniat Eccleſiæ: quod nequaquam hæretici obſervauêre, qui per diverſas mundi partes aliquibus Regionum partibus coarctati, conuenticula quædam ſtatuêre, quibus & ſe & quàm plurimos ab Eccleſiaſticæ vnitatis conſortio ſegregauerunt. Cùm ergo duarum vel trium Provinciarum præſules in vnum conveniunt, ſi antiquorum Canonum inſtitutione muniti, aliquid prædicationis aut dogmatis inſtituunt, quod tamen ab antiquorum Patrum dogmatibus non diſcrepat, catholicum eſt quod faciunt, & fortaſſe dici poteſt vniverſale: quoniam quamvis non ſit ab vniverſi orbis Præſulibus actum, tamen ab vniverſorum fide & traditione non diſcrepat: quod crebrò factum in plerisque mundi partibus, quibuſdam neceſſitatibus incumbentibus, ſcimus. Multa enim Concilia geſta ſunt, quorum inſtitutionibus ſancta munitur & roboratur Eccleſia. Si verò duarum aut trium provinciarum Præſules in vnum conuenientes, nova quædam ſtatuere cupientes, conuenticula quædam faciunt, quæ non cum vniverſi orbis Eccleſia ſentiunt, ſed ab ea quadam ex parte diſſentiunt: non eſt catholicum quod faciunt, & ideò vniuerſale nuncupari non poteſt. Omne quod Eccleſiaſticum eſt, catholicum eſt; Et omne quod catholicum eſt, univerſale eſt. Omne autem quod vniverſale eſt, prophanis vocum novitatibus caret. Omne igitur quod Eccleſiaſticum eſt, prophanis vocum nouitatibus caret. Et ſi hæc Synodus vocum nouitatibus careret, ac antiquorum Patrum dogmatibus contenta eſſet, univerſalis dici poterat. Non autem antiquorum Patrum dogmatibus contenta eſt, non igitur vniuerſalis dici poteſt. Vniverſalem planè eandem Synodum non cunctaremur profiteri, niſi eam vniverſalis Eccleſiæ dogmatibus ſentiremus ita refragari. *Hæc ex Caroli M. libro Hincmarus.*

Aventinus de Francofordienſi Synodo.

Aventinus autem de Francofordiano Concilio hoc pacto commentatur: Carolus Decembri Reginoburgio exit Sualouoltas, & ad foſſam ſuperiorem nauibus per terram tractis progreditur: inde navibus in Rhoedoneſſo delatus in Mœnum, Wirzeburgum (caput eſt antiquæ Franciæ, inſigne ſepulchro divi Chiliani) vltimo Decembri pervenit: vnde Francophoron migrauit, ibique reliquum hyemis exegit. Huc frequentes coire Pontifices Galliarum, Italiæ, Germaniæ imperat. Adfuere Romani Pontificis legati, Theophilactus & Stephanus Epiſcopi: tertiò ibidem condemnata eſt hæreſis Fœliciana, Eliphandanáque de adoptione Filii Dei. Omnes ſubſcripſere Sacerdotes, ipſe quoque Fœlix & Eliphandus, agnoſcentes errorem: venia data, dignitaſque ſervata. Item acta Græcorum de Imaginibus adorandis reſciſſa ſunt.

An Synodus nō approbata à Romano Pontifice nullius ſit authoritatis.

Secundò, *Francofordienſi Synodo tali argumento omnem fidem & authoritatem derogare conatur.*

Synodus non approbata & confirmata à Pontifice Romano, nullius eſt authoritatis.

Francofordienſis Synodus non eſt confirmata à Papa. Ergo.

Negatur maior. Probatur à Ieſuita primò *ex Gelaſio Papa in tomo de vinculo anathematis. Reſpondeo, Pontificum Romanorum non eſſe idoneum teſtimonium in propria cauſa, quos ſibi impenſiùs ſtuiſſe qui neſcit, eum neceſſe eſt hiſtoriam eorum neſcire.* Secundò *probare vult experientiâ*: Nullam enim vnquam Synodum habitam eſſe legitimam, non confirmatam à Pontifice Romano. *Reſpondeo, hoc eſſe falſiſſimum. Nulla enim poſſunt proferri Romanorum Pontificum edicta, quibus acta Conciliorum confirmârint, quemadmodum poſtea factum eſt, quum eorum Tyrannis inualuit. Erant enim partes iſtæ Imperatorum tantùm, vt ex his exemplis patet. Concilium Conſtantinopolitanum primum, ſic ſcribit ad Theodoſium Imperat.* Δεόμεθα τοίνυν τῆς σῆς ἡμερότητος γράμμασι τῆς σῆς εὐσεβείας ἐπικυρωθῆναι συνόδου τὴν ψῆφον, ἵν' ὥσπερ τοῖς τῆς κλήσεως γράμμασι τὴν ἐκκλησίαν τετίμηκας, οὕτω καὶ τῶν δοξάντων ἐπισφραγίσῃς τὸ τέλος. *Et aliquanto poſt tempore Euagrius recitat lib. 3. cap. 18. à Felice Romano Epiſcopo, miſſos ad Zenonem Imp. Vitalium & Miſſinum Epiſcopos, vt eius authoritate Chalcedonenſe Concilium confirmaretur:* ἐφ' ᾧ, *inquit*, τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον κρατεῖν. *Ipſe etiam Imperator eiuſdem Concilij Seſſione 6. pollicetur ſe operam daturum, vt qua-*

Digitized by Google

vt quæcunque piè ac decenter constituta essent, in perpetuum rata manerent. Atque in vltima Sessione, ipsa Imperatorem Synodus alloquuta, decretum pro fidei exposita confirmationem ab eo petiit. Similiter Trullenses ad Iustinianum scribunt: Διὸ τῆς σῆς εὐσεβείας δεόμεθα, τὰς τῶν πρὶν ἐν ταύτῃ τῇ θεοφυλάκτῳ πόλει, ἐπὶ τοῦ ἐν εὐσεβεῖ τῇ μνήμῃ γενομένου ὑμῶν βασιλέως συναθροισθέντων πατέρων φωνὰς σοὶ προσάγοντες, ἵνα ὥσπερ τοῖς τῆς κλήσεως γράμμασι τὴν ἐκκλησίαν τετίμηκας, οὕτω καὶ τῶν δεξάντων δι' εὐσεβῶν χαραγμῶν ἐπισφραγίσῃς τὸ τέλος. *Hoc est*, Quamobrem tuam pietatem rogamus, eas quæ priùs in hac Deo dilecta ciuitate à congregatis sub bonæ memoriæ Imperatore nostro Patribus edita sunt, voces tibi adducentes, vt quemadmodum Ecclesiæ scriptis Ecclesiam honorâsti, sic & eorum, quæ per viros pios & sinceros decreta sunt, finem obsignes. *Denique in Nicæna* 1. *Synodo decretum de Paschate omnibus Ecclesiis significatum est Constantini literis. Solebant igitur Imperatores* ἐπικυροῦν καὶ ἐπισφραγίζειν: *hoc est*, confirmare & obsignare Synodorum acta, *non Pontifices Romani Vnde constat propositi Syllogismi propositionem majorem falsam esse: Nam & Nicænum* 1. *& Constantinopolitanum* 1. *& Chalcedonense Concilium, pro legitimis sunt habita semper in Ecclesia, etiamsi ab Imperatore non à Rom. Pontifice confirmata essent.*

Quod autem regerit Stapletonus, Imperatores confirmâsse decreta Conciliorum potestate facti, non juris, id est, per modum exsequutionis, non per modum jurisdictionis, quoad conseruationem, non quoad constitutionem, quia illorum edicta faciunt seruari decreta talia, sed non faciunt vim legis habere, aut fideles obligare: *Respondeo, hoc ipso* primò *indicatur, non satis prudenter argumentum Bellarmini fuisse conceptum, in quo simpliciter confirmatio Conciliorum nominatur, non specialiter hoc aut illud confirmationis genus.* Secundò, *hæc verba sunt duntaxat, quibus Stapletonus fucum vult facere Lectoribus. Nam quæ hæc est distinctio? potestas facti, potestas juris? aut quis credidisset vnquam ijs verbis significari modum exsequutionis, & modum iurisdictionis? Porrò illud certum est, hæc Imperatorum edicta, eum finem habuisse, vt quæ erant in Concilio decreta, obseruarentur ab omnibus.* Tertiò, *quàm ineptè, quæso, ita distinguitur*, efficiebant vt talia decreta seruarentur, sed non vt vim legis haberent? *Imò, inquam, vtrunque: nisi enim obseruentur, vim legis nullam habent, eo enim lex est & dicitur, vt obseruetur. Quare qui decreta ita sancit, vt populus teneatur ea obseruare, intelligitur eo ipso, ex iis decretis legem facere, id est, efficere vt ea decreta vim legis habeant. Adhac* τὸ ἐπισφραγίζειν, *&* τὸ ἐπικυροῦν, *verba sunt solennia, quibus ea confirmatio significatur, quâ auctoritas confertur decretis, vt certa & rata sint.* Atqui, *inquit Stapletonus*, quædam Concilia Imperatores confirmârunt, quæ tamen nullam vim habuerunt, contradicente Pontifice Romano. Tale erat Ephesinum quod prædatorium dictum est, id Theodosius 2. omnibus modis confirmauit, acerrimè defendit. *Respondeo, ea ipsa Concilia vim legis habuisse, sed legis injustæ, vsque quo ab Imperatoribus irrita facta essent: sicut est illud Ephesinum, quod vt antiquaretur suâ auctoritate nunquam Leo Pontifex Roman. obtinere potuit: sed per Imperatorem Marcianum, à quo confirmatum est Concilium Chalcedonense. Et quia Leo videbat suam auctoritatem non sufficere, ideò suppliciter Theodosium rogabat, vt res in eodem statu esse pateretur, quo erant ante omnem cognitionem, donec plenior Synodus cogeretur. Sed redeamus ad argumenta Bellarmini.*

Tertiò, *vt Francofurdiensi Synodo omnem fidem deroget Iesuita, dicit*, eam decreuisse, vt ex libris Carolinis pateat, judicium vltimum controuersiarum ad Romanum Pontificem pertinere, &c. *Respondeo, loquitur Synodus de Pontifice cum Dei verbo consentiente: sicut idem Concilium verbi Dei respectu tàtum, nomen* Catholici *Conciliis & Papæ tribuit.*

Quartò *dicit*, Magdeburgenses scribunt Synodum Nicænam ab Adriano Papa confirmatam: Concilium autem Francofordiense reprobat Synodum factam sine Papæ auctoritate: *Inde colligit*, Nicænam Synodum, de qua Francofordiensis loquatur, & quam reprobet, non esse secundam illam, quam Pontificii pro vniuersali habent, sed aliquam aliam. *Respondeo, Synodus Francofordiensis non indefinitè hoc dicit, sed respectu Nicenæ 2. Synodi, quem Irene Imperatrix pro Generali haberi voluit. Existimauit autem Synodus Francofordiensis, Niceno 2. Concilio Pontificem Rom. nec per se, nec per suos legatos interfuisse: hoc respectu reprobat Concilium illud: nam Generalia Concilia pro legitimis habita non sunt olim, quibus Patriarchalium sedium Episcopi vel per se, vel per legatos non interfuissent.*

Quintò, *dicit*, Francofordiensem Synodum non prohibuisse vsum Imaginum in Templis sed tantum earum adorationem. *Respondeo, Synodus hæc, non omnes imagines in Templis probauit, vt hodiè in Papatu fit, sed historicas tantùm, propter ornamenta, & rerum gestarum memoriam.* Sed, *inquit Iesuita*, ne his quidem locum aliquem in Templis vestris conceditis. *Respondeo, Cur hoc à nobis fiat suprà abundè demonstratum est cap.* 14. *quò remit-*

timus Lectorem. At, *inquit porrò Iesuita*, hoc fit contra Francofordiensem Synodum: Cur non seruatis ejus decretum? *Respondeo, decreta Synodorum recipimus, quatenus cum verba Dei consentiunt: quatenus dissentiunt, reijcimus. Nam si vel Angelus è cœlo aliud doceat, prater id, quod verbum Dei docet, anathema sit. Gal. 1. Deinde non precepit & mandauit hac Synodus, vt Imagines in Templis habeantur, sed permisit habere, & quidem propter historicum vsum tantum.*

Sextò *dicit*. Rem incertissimam esse quid Francofurti statutum sit de Imaginibus, *idque multis modis ex dissonantia authorum de hac Synodo demonstrare conatur. Respondeo Quid Synodus illa decreuerit de Imaginibus certissimum esse, suprà à nobis satis demonstratum & dissonantiam illam authorum explicatam arbitror: Deinde Acta hujus Francofurtensis Synodi ex Carolinis libris certò colligi possunt; quarum summa est; damnatam in ea Nicænam 2. Synodum, qua decreuerat Imagines adorandas. Alanus Copus quidem hoc negat, & cum ipso Iacobus Gretscherus Iesuita, & suam opinionem primùm ex eo probant, quòd Claudius Taurinensis, maximus Iconomachus, hæc Acta causæ suæ firmanda & adstruenda non adduxerit. Sed vbi sunt scripta boni illius Claudij? Ab idololatris credo magnâ curâ & studio conquisita & abolita. Nam, quòd putant satis esse si citetur aliquid ex Iona Aurelianensi Episcopo, qui post eius mortem contumeliosum scriptum edidit, in eo valdè errant. Si integra eius opera extarent, de tota re melius & certiùs iudicari posset. Deinde aiunt, Adrianum Papam in refutatione librorum Carolinorum nullam prorsum mentionem facere Synodi huius. Respondetur, non opus fuisse, cùm libri illi acta Synodi continerent. Sed hoc negat Gretscherus, quòd libri isti scripti sint ante Francofurtensem Synodum; idque probare conatur ex nescio qua Chronologia. Celebrata est, inquit, Synodus Nicæna Anno Domini 787. Sed Funccius diligens Chronologus, hæc de re aliter scribit. Nam Anno 787. Conuocata quidem fuit Synodus ab Imperatrice Irene, sed impedita fuit, tumultuantibus & frementibus ijs, qui Iconolatriam improbant. Anno igitur 789. per insidias, oppressis aduersarijs, de Consilio legatorum Pontificiorum congregata est illa Synodus, quâ superstitio & idololatria confirmata fuit. Rectè igitur Auctor in præfatione locutus est, cùm dicit: Ante triennium Concilium Nicænum habitum fuisse. sic enim apparet, eo ipso anno scriptos esse libros, quo Synodus Francofurtensis conuocata sit. Non igitur, vt somniauit Gretscherus, aliquot annis ante hanc Synodum conscripti fuerunt. Imò Ioannes Ludouicus Samotheus, in emendatione temporum, hoc Concilium 2. Nicænum celebratum fuisse ait Anno Domini 790. à Funccio parùm vel nihil discrepans. Nam Anno 789. Conuocari potuit, & anno 790. celebrari. Chronicon Adonis de hac Synodo hæc refert: Anno incarnationis Dominicæ 792. Felix Felix Aurelianensis Episcopus, hæreticus deprehensus, adoptiuum non proprium Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum dogmatizans; qui ad præsentiam Adriani Pontificis Rom. deductus, hæresin solummodo verbis abdicauit. Synodus igitur iterum facta est contra supradictam hæresin in Francfurt, Legatis Apostolicæ Sedis Præsidentibus, Theophylacto ex Stephano Episcopis: & authoritate Patrum Conuinctus & damnatus est iterum Felix cum errore suo perpetuoque exilio apud Lugdunum relegatus est: quem ferunt in eodem ipso errore suo mortuum. Pseudo Synodus quam septimam Græci appellant; pro adorandis imaginibus abdicata penitùs. In hanc sententiam scribit etiam Bellarminus lib 2. de Concilijs Cap. 8. Alanus Copus, inquit, Dial. 4 & 5. docet; in Synodo Francofurtensi damnatam Synodum Constantinopolitanam hæreticam: Nicænam autem non solùm non damnatam. sed etiam confirmatam esse. Quam sententiam optârim, inquit Bellarminus, esse veram sed tamen suspicor esse falsam.* Primò, *quia libri illi Carolini, licet falsò inscribantur Carolo, tamen sine dubio scripti sunt tempore Caroli, vt patet ex refutatione eorundem librorum, quam edidit Adrianus I. & scripti videntur in Concilio Francofurtensi, & acta continere Synodi Francofurtensis. Id enim asserit Hincmarus eius temporis Author, & ipsi libri hoc præ se ferunt. Quòd autem Synodus, qua in his libris refutatur, sit verè Nicæna 2. dubitari non potest, si legantur vel ipsi libri, vel Adriani responsio.* Secundò, *quia Authores antiqui omnes conveniunt in hoc, quòd in Concilio Francofurtensi sit reprobata Synodus septima, quæ decreuerat, Imagines adorandas. Ita Hincmarus, Amoinus, Rhegino, Ado & alij passim docent. Dicere autem hos omnes mentiri, vel libros eorum esse corruptos, vt Copus dicit, videtur mihi paulò durius.* Tertiò, *quia, si Authores isti loquerentur de falsa septima Synodo, id est, de Synodo Constantinopolitana contra Imagines, certè meminissent etiam in suis historiis Synodi Nicænæ verè Septimæ. At non meminerunt vllius Consilij Septimi, nisi istius, quod reprobatum dicunt.*

Etsi verò Bellarminus fateatur, in Synodo Francofurtensi Nicænum Concilium Secundum reprobatum, id tamen factum esse dicit per errorem & materialiter, quòd videlicet Auctor Carolinorũ librorum. Et fatetur tandem etiã Bellarminus ipse contra Alani Copi sententiam, in Synodo Francofordiensi verè reprobatam Synodum Nicænam 2. sed tamen *addit*, id factum esse per errorem & materialiter, quòd *videlicet* auctor Carolinorum librorum imposuerit Synodo Francofordiensi, duoque mendacia illi obtruserit.

Primum

Synodus Nicæna 2. decreuit, vt Imagines adorentur.

Primum mendacium esse dicit, quòd Carolinus liber perhibuerit, in Synodo Nicena definitum fuisse, vt Imagines adorarentur cultu latriæ. *Respondeo, Carolinos libros non tribuere huic Nicenæ Synodo, quòd statuerit, vt adorarentur Imagines latriæ cultu, sed tantùm simpliciter, vt adorarentur. Hoc autem non falsò, sed verè huic Synodo tribui, probat Primò, Actione 2. Tharasius Patriarcha dixit:* Nos Imaginum picturas secundum priscam Patrum traditionem recipimus, & has desiderio nostro adoramus. *Alius dixit*, Venerandas Imagines recipio, & adoro. *Alius*, Sacras Imagines perfectè adoro, qui verò secus confitentur, eos anathematizo. *Actione 3. in Epistola Synodica Tharasij ad Episcopos Orientales:* Sanctas, *inquit*, Imagines reuereremur, principio adorantes Dei verbi propter nos incarnati Imaginem: Humanitatis Christi Imaginem coloribus ducentes adoramus. Veneramur etiam & adoramus Imaginem Deiparæ, *&c. Actione 4. legati Adriani Papæ Basilij verba ad Iulianum Apostatam citârunt, quæ sic inter alia habent:* Historias Imaginum Christi & Mariæ honoro & palàm adoro. *Alius dixit*, Non sunt duæ adorationes, sed vna ipsius imaginis & exemplaris, cujus est imago: *Actione 7.* Imaginis honor in prototypum resultat, & qui adorat Imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum. *Secundò idem probo ex Tridentino Concilio, quod apertè fatetur*, se idem docere de cultu imaginum, quod decretum sit in Synodo Nicena 2. *Tridentinum autem Concilium docet*, eum honorem exhiberi debere Imaginibus, qui debetur illarum prototypis *Vt, quia Deus & Christus colendus est latriâ, ideò etiam Imagines eorum cultu λατρείας & adorationis, sicut Deum ipsum & Christum venerandas: & quia virgini Mariæ debeatur ὑπερδουλεία, ideò etiam Imagini ejus eandem speciem cultûs conuenire. Tertiò probo idem ex Scholisticis aliquibus, nempe Alexandro, Thoma, Bonauentura, Marsilio, Almayno & alijs, qui docuerunt*, eundem honorem deberi Imagini & exemplari: *& fatetur Bellarminus lib. 2. de Imaginibus cap. 20. hos omnes pro fundamento suæ opinionis inter alia ponere verba Basilij, quæ, vt paulò ante diximus, in Nicena 2. Synodo citata fuerunt. Mendacium igitur non est, quod Carolini libri de Nicena 2. Synodo referunt.*

Alterum mendacium à Iesuita Carolinis libris atque etiam Francofordiensi Synodo imputatum, est, quòd dicitur, decretum illud de adorandis Imaginibus in Nicena 2. Synodo factum sine authoritate & consensu Romani Papæ. *Respondeo, si hoc Caroli mendacium, vt loquuntur. Non credidit enim* optimus Imperator, *hanc impiam & verbo Dei contrariam doctrinam de adorandis Imaginibus Romanum Pontificem approbâsse: ideoque meliora sperans, asseruit*, Canones de adorandis Imaginibus inscio Pontifice à Græcis suppositos fuisse. *Sperabat insuper, fore, vt Adrianus, auditis verbi Dei fundatis, rectius iudicaret, si vel maximè aliud sibi à Græcis persuaderi passus antea fuisset. Atque hæc de secundo argumento.*

Tertium Argumentũ Orthodoxorum contra cultum Imaginũ defenditur aduersus Bellarminum.

TERTIVM *argumentum Orthodoxorum contra cultum & adorationem Imaginum, petitur ex quatuor libris Caroli Magni contra Imagines: ex quibus patet primò*, Nicenum 2. Concilium fuisse statim refutatum ab Imperatore orthodoxo: *Secundò, illi libri testantur*, in Concilio Niceno 2. manifestam impietatem definitam & confirmatam esse; *nempe*, Imaginibus deberi honorem Sacrificiorum, & eum cultum, qui tribuitur viuificæ Trinitati. *Ad hoc testimonium præclarum Caroli Imper. nihil prorsùs respondet Bellarminus, sed fidem tantùm & authoritatem librorum illorum non solùm in dubium vocare, sed penitùs etiam euertere ac oppugnare conatur ratiunculis aliquot, quibus probare vult, eos libros neque esse Caroli; neque ejusmodi quibus vlla fides haberi possit.*

Libros de Francofordiesi Synodo esse Caroli M. Imp.

Quòd Caroli non sint, probare conatur primò, Quia exstet liber Adriani Papæ 1. ad Carolum, in quo libri illi Carolini refellantur: *hinc vult* perspicuè intelligi posse, libros illos ab hæretico aliquo compositos, & à Carolo ad Pontificem missos, vt eis responderet. *Respondeo, A quocunque libri illi compositi & scripti sint, siue à Carolo, siue ab alio, parùm refert, modò Carolus doctrinam in illis comprehensam suo calculo & assensu comprobârit. Fecisse autem hoc Carolum Imp. inde constat, quòd suo nomine illos edidit, quòd pro suis ad Pontificem misit, quòd præfatione præfixa suos esse testatus est. Adrianus autem declinandæ inuidiæ causâ, hæreticum aliquem librorum illorum authorem esse confinxit.*

Secundò, *hac ratione vtitur Bellarminus, ex Zonara, Cedreno & Paulo Diacono constare, Pontifices Romanos, puta Gregorium III. Adrianum I. & Leonem III. à Græcis Imperatoribus defecisse, & Imperium Romanum hanc ob causam in Francos transtulisse, quòd Græci Imperatores Imagines, earumque cultum & adorationem damnârint. Quomodo ergo verisimile est, inquit Iesuita, Carolum Imperatorem eadem hæresi laborâsse, & pro errore Græcorum contra Romanum Pontificem scripsisse? Respondeo, huic rationi duo falsissima inesse;* Primò, *Romanos Pontifices à Græcis Imperium transtulisse ad Francos, quòd Græci Imaginum adorationem damnarent, Franci autem approbarent. Quod enim ad hanc translationem Imperij attinet, falsum est Pontifices id transtulisse ad Francos.* Nam

Pontifices Rom. Imperiũ non trãstulisse ad Francos.

Si Papa transtulit Imperium Romanum à Græcis ad Francos, vel Imperium Romanum Papa in sua potestate habuit, vel *potestatem transferendi ab alio accepit.*

Sed Imperium Romanum Papa nunquam habuit, neque potestatem transferendi ab alio accepit.

Transferre igitur *Imperium ipse non potuit.*

Minor probatur. Si à Græcis translatum est Imperium ad Francos, Græci Imperium translationis tempore habuerunt. Quòd si Domini fuerunt Imperij Græci, vel ipsi transtulerunt ad Carolum, vel id vi occupauit Carolus. Hic nulla sunt partes Romani Pontificis. Imo, ne Roma quidem ipsa, nedum Imperium Romanum per id temporis in Pontificis potestate fuit. Quomodo igitur is donet aliquid, qui id non habet? Qua pacto transferat in alium Imperium, qui Imperij ne minimam quidem partem obtinet? Sed Deus Imperium Romanum in Carolum transtulit: iuxta illud, Deus Reges deponit & constituit: Deus transfert regna mundi de populo ad populum, *Danielis secundo, Syrach decimo, Psalma 20. vers. vigesima octauo. Sapientiæ octauo. Matthæi vigesimo secundo. 1. ad Timoth. 2. Et quamvis Deus vtatur medijs & instrumentis etiam in translationibus Imperiorum, non tamen Papâ Romana pro instrumento vsus est, sed potius potentiâ & armis Caroli, quibus primo acquisiuit totam Italiam. Qua de re Rhegino sic scribit*: Carolus venit Papiam, ipsamque ciuitatem armis cepit, insuper Desiderium Regem cum vxore sua & filia, omnem thesaurum palatij. Ibique venientes omnes Longobardi de cunctis ciuitatibus Italiæ ejus se subdiderunt dominationi. Carolus subjugatâ Italiâ & ordinatâ, cum magno triumpho in Franciam reuersus est. *At Rhegino porrò addit*, Leo Papa statim etiam legatos ad Carolum misit cum Clauibus confessionis Petri, & vexillo Romanæ vrbis. *At Claues non sunt Imperium Occidentis. Vexillum etiam vrbis Romæ, quod siue à Pontifice, consentientibus proceribus siue à Papa solo missum est, non dominatum aliquem, aut imperium Pontificis declarat, sed subjectionem potius significat infra Carolum Italiæ Regem ac Dominum: vt iam non Papa, sed Carolus ius potestatemque Romæ vrbis habeat. Imò hac etiam euincitur ex traditione Clauium & vexilli, non vrbis Romanæ potestatem habuisse Pontificem eo tempore, quo Imperator Occidentis renunciatus est Carolus, nedum Imperij totius, vt transferre in Carolum posset.*

Coronatione Papæ non transtulit Imperium ad Francos.

Sed inquiunt, Coronatus est Carolus in Imperatorem à solo Pontifice; hic ergo coronatione illâ Imperium in eum transtulit, eique contulit. *Negatur consequentia hac: Sic enim Auentinus scribit*, Irenem Orientis Imperatricem misisse legationem illustrem ad Carolum Magnum in Germaniam, pacemque cum eo perpetuam fecisse: tum titulum etiam illi à marito & filio ante tributum confirmâsse, vt Cæsarius præfectus vrbis Romæ, & sacri Romani Imperij gubernator appellaretur. *Et mox:* Tenebat Carolus jam omnes prouincias, quæ ad vrbem Romam pertinebant. Itaque anno Christi 801. Leo Papa, Senatus & populus Romanus Imperatorem illum designabant. Cumque in Templo S. Petri cum Pontifice precaretur, Romani electionem hanc publicauerunt, acclamantes altâ voce, juuenes & senes, Senatus & populus, Clerici & Politici, Carolo Augusto, à Deo coronato Magno & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria. *Panuinius etiam sic scribit:* Carolus Imperator appellatus Romæ in Basilica S. Petri, in Vaticano, Cleri, Senatûs, populique consensu, & coronatus ibidem à Leone *III.* anno Domini 801. ineunte. *Marianus etiam Scotus disertè inquit:* Carolus hoc tempore à Romanis Augustus appellatus est. *Sigebertus quoque*, Romani, *inquit*, vno omnium consensu Carolo Regi Imperatorias laudes acclamant, eumque per manum Leonis coronant. *Ex his omnibus intelligitur, Primò, non per coronationem Papæ, sed per electionem Senatus populique Romani translatum esse Imperium in Carolum: id enim apertè vnâ mente vnaque voce testantur historici: Et coronari nemo potest, nisi prius sit designatus & electus. Deinde etiam hoc ex testimonijs recitatis colligitur, cunctorum ordinum consensu electum esse Carolum, Cleri, Senatûs, populi. Vbi si sub Clero etiam Pontificem comprehendi vis, non repugno: ita tamen, vt quod omnium est ordinum, id vni Pontifici ne attribuas. Hac Electio Imperatorem fecit Carolum, eumque in sede Imperatoria & Augusta collocauit. Coronatio verò & acclamatio electum & confirmatum declarauit, quod verba Auentini clarè attestantur.*

Zonaræ verba explicantur.

Verba autem Zonaræ, qua Iesuita hîc adscribit, nequaquam probant, Papam Gregorium, vel Leonem Imperium à Græcis ad Francos transtulisse: sed hoc saltem indicant, Papas cum Francis pacem inijsse, desertâ, quam Græcis debebant, obedientiâ, & Carolum à Leone coronatum esse. Hinc nondum efficitur, Papam transtulisse Imperium.

Pontifex Roman. quare ad Carolum confugerit.

Alterum *mendacium, quod inest secundæ rationi, quâ Iesuita vtitur, est, quòd dicit*, Pontificem Romanum à Græcis Imperatoribus defecisse, & Imperium ad Francos transtulisse, quòd Græci Imperatores Imaginum cultum & adorationem damnârint. *Nam Gregorius III. ad Carolum confugit, non propter Imagines à Græcis Imperatoribus dam-*

natas

natas, sed propter Luithprandum Longobardorum Regem, qui vrbem, Romam obsedit, captis circumquaque oppidis omnibus: Gregorius igitur legatos ad Carolum mittit, rogatum, vt primo quoque tempore laboranti Romæ & Ecclesiæ auxilium ferret, vt Platina in vita ejus testatur: Vbi etiam hæc disertè addit: Consueuerant, *inquit*, Pontifices Romani, si quid mali ab externo hoste immineret, auxilia ab Imperatore Constantinopolitano petere: Quod facere Gregorius substitit, maximè quòd vrbem regiam ægrè Leo Imperator à Saracenis tutaretur, nedum alios defenderet. *Quòd Adrianus I. ad Carolum defecit, Imagines non in causa fuerunt, sed iniuria à Desiderio Longobardorum Rege sibi illata, quas ille depellere non poterat, eodem Platina teste Leo III. Pontifex comprehensus & inclusus Romæ in arctam custodiam vix inde ereptus ad Carolum in Germaniam profugere potuit, ad quem querelam acerbissimarum Principum Romanorum in se injuriarum detulit, & ut Occidentis Reipub. aliquid opis afferret, petijt, Imaginum nullâ prorsùs mentione factâ.*

Tertia *ratio, quâ probare conatur Iesuita, Carolum Imperatorem non esse authorem Carolinorum librorum, in quibus Imaginum adoratio damnatur, petitur ex Iona Aurelianensi Episcopo*: Is scripsit lib. I. de cultu Imaginum (*inquit Iesuita*) & Claudium Taurinensem Episcopum Iconomachum, toto tempore quo vixit Carolus, nunquam fuisse ausum mutire: Idemque ibidem, virum pijssimum ac sanctæ memoriæ Carolum Augustum appellat. Si ergo Iconomachi, viuente Carolo, non audebant hæresim suam prædicare: si defensores Imaginum, Carolum, vt pium ac sanctum venerabantur, quanta impudentia est, libros contra imagines Carolo attribuere? *Respondeo, Testimonium Ionæ Aurelianensis contra Claudium Taurinensem nihil valet, quia ab hoste Claudij atrocissimo proficiscitur. Nec credibile est, Claudium sub Carolo non ausum fuisse mutire contra Imagines, cùm id ausus fuerit sub Ludouico facere. Imò contrà; Ille ipse Ionas Aurelianensis non fuit ausus mutire pro Imaginibus, viuente Claudio. Nam Ludouicus Imperator misit Ionæ scripta Claudij contra Imagines, ac ei præcepit, vt suam sententiam de eis exponeret. Ionas autem cunctanter agit, & respondere differt vsque ad mortem Imperatoris & Claudij. Tum verò ille confidentissimè prodit, & ad Carolum Secundum tres libros pro defensione Imaginum scribit. Quod autem Ionas* Carolum *vocat* piissimum & sanctæ memoriæ virum, *mirum non est: scripsit enim id ad Carolum secundum, nepotem Caroli Magni. Deinde, Carolus Magnus imagines non ex Tēplis prorsùs ejicere, sed solùm non adorare iussit: retinuit igitur eas in Templis ex Gregorij I. falsa distinctione ad piorum memoriam, tanquam idiotarum libros; vt sic gratificaretur Romanis Pontificibus, quos in Imperatores Constantinopolitanos propterea exacerbatos esse videbat, quòd Imagines omnes ex Templis ejecissent.*

Quartò *dicit*, Paulus Æmilius & Rhegino scribunt, Pipinum Caroli patrem, in quadam Synodo Gentiliaci coacta, Græcorum errorem contra Imagines Imperatoris Græci legatis præsentibus confutâsse. *Respondeo, confutauit in Pontificum Romanorum gratiam Pipinus, à quibus ad Galliæ regnum promotus fuerat, Græcorum sententiam, de ejiciendis ex Templis omnibus Imaginibus. Deinde dicit Bellarminus,* Ex eodem Æmilio constare, ad Concilium, quòd Romæ Stephanus *III.* Papa celebrauit, contra eundem errorem Græcorum misisse Carolum Episcopos duodecim. Quâ ergo, *inquit*, audaciâ aduersarij Imperatorem Christianissimum in Iconoclastam träsformare nituntur? *Respondeo, Synodus illa Romana propriè celebrata fuit propter Constantinum Papam, quem Romanus Clerus & populus à pontificatu deiecerat, quòd laicus existens, Apostolicam sedem inuasisset: vnde etiam hoc crimen primò omnium in hac Synodo ei obiectum fuit. Missi igitur sunt etiam Romam duodecim Episcopi, verùm non à solo Carolo, sed etiam à Carolomanno, vt causam hanc cum alijs cognoscerent & componerent. Quo peracto, ad finem demùm Synodi de Imaginibus quædam etiam tractantur: An autem ea quæ de Imaginibus acta sunt, à duodecim illis Episcopis Caroli & Carolomanni probata fuerint, non indicatur.*

Quintò *dicit*, constare ex historicis omnibus, & ex ipsius Caroli Epistolis & carminibus, imò ex ipsis rebus gestis, Carolum & Adrianum semper fuisse coniunctissimos. *His adscribit Epitaphium, quo Carolus sepulchrum Adriani exornauit.* Num credibile est, *inquit*, Carolum alterius Religionis, ac fidei fuisse quàm Adrianum? & in ipsum Adrianum tam acriter scripsisse, cùm eum tantopere coluerit, & post obitum laudârit? *Respondeo, etsi Carolus ab Adriano dissensis de cultu & adoratione Imaginum, non tamen alterius fuit Religionis, quàm Adrianus, nam in præcipuis articulis fidei Christianæ cum eo consensit: Nec ex particulari aliquo facto, vniuersale colligi debet. Deinde, si maximè concedatur, Epitaphium illud à Carolo scriptum esse, de quo tamen non immeritò quis dubitare potest, quum non pudeat Pontificios quidvis fingere; tamen ea fuit Caroli prudentia & moderatio, vt Adriani næuos & errores dissimularet, iuxta illud,* Amici mores noueris, non oderis; *quod etiam Constantinus M. alijque Principes sacerdotij*

cerdotij reuerentiâ fecerunt. Inde verò non sequitur, Carolum errorem Adriani de Imaginibus approbâsse: Charitas enim omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, 1.*Cor.*13.*Præterea etiam rationem temporis, & publicæ pacis & tranquillitatis habendam esse censuit. Vidit enim errorem illum de Imaginum cultu tanquam diluuium quoddam Pontificali authoritate Ecclesiam inundare, nec sine periculosissimis motibus reprimi posse. Satis igitur suo se fecisse officio arbitratus est, si Pontificem misso libro moneret, & redargueret, Ecclesiasque sibi subiectas, à superstitionibus incolumes, quantum in ipso esset, conseruaret.*

An libri Carolini ab homine barbaro & imperito scripti.

Sextò *dicit Iesuita*, Carolum hominem Græcè & Latinè peritum, prudentem & ingeniosum fuisse: Libros autem Carolinos, hominis barbari, imperiti, leuis, ac penè stulti esse. *Probat hoc tribus rationibus.* Prima *est*, quòd Carolus Constantinopolim in Bithinia esse dicit. *Respondeo, vel conjunctio omissa, vel oratio ita composita est, vt vnum idemque Concilium fuisse primò Constantinopoli in Thracia, postea Niceæ in Bithinia intelligeretur. Neque enim Carolo propositum fuit docere, in qua regione sita sit Constantinopolis, sed hoc saltem dicit, Concilium 7. Constantinopoli in Bithinia celebratum esse: quæ verba si addatur Coniunctio, ita sonant, Concilium celebratum est Constantinopoli, & in Bithinia.* Secunda *est*, quòd Constantinopoli celebratum esse Concilium pro cultu imaginum Carolus in suis libris dicit. *Respondeo, non imperitè aut leuiter hoc à Carolo, sed verè dictum est: Nam de illo Concilio loquitur, quod sub Irene Constantinopolim primùm conuocatum, postea verò Niceam translatum, Imaginum cultum decreuit.* Tertia *ratio est, quâ Iesuita libros Carolinos imperitiæ & leuitatis arguit, quòd dicit*, Patres Nicenos asseruisse, Eucharistiam esse imaginem corporis Christi: Hoc, *inquit*, non solùm Patres Niceni non defendunt, vt auctor istorum librorum somniat, sed etiam ex professo refellunt. *Respondeo Actione, 3. tom. 6. pseudo-Epiphanius inducitur, qui à Basilio & Eustathio, quorum etiam sententias adducit, alijsque Patribus Eucharistiam piè ἀντίτυπον fuisse appellatam asserit. Sic enim ait:* Ante sanctificationis consecrationem quibusdam Patribus piè sanè visum est, *ἀντίτυπον, hoc est*, exemplar similis formæ nominare, quorum de numero Eustathius & Basilius, *&c. illorumque mox verba recenset. Ἀντίτυπον autem nihil est aliud quàm Imago: sic enim Hebr. 9.* sanctum *illud manufactum Hierosolymitani Templi vocatur ἀντίτυπον*, exempla & Imago cœli, in quod Christus ingressus est. *Hæc sunt illa, quibus Iesuita probare voluit Carolinos scriptos esse ab homine barbaro, imperito, leui, ac penè stulto.*

Septimò *dicit Bellarminus*, Liber iste Carolinus tanquam alter Melchisedec, est sine patre, sine matre, sine genealogia: prodijt enim repentè in lucem, nec scitur, quando, aut vbi, aut quomodo, aut à quo repertus: nec habet nomen authoris; nec impressoris, nec loci, vbi impressus est. Quæ omnia sunt argumenta & indicia fraudum. *Respondeo* primò, *ipsemet Bellarminus fatetur colum.* 2137. *hos libros scriptos esse tempore Caroli, & patere hoc dicit ex refutatione eorundem librorum, quam edidit Adrianus Papa; & scripti quidem videntur in Concilio Francofordiensi, & Acta continere Synodi Francofordiensis: id enim asserit Hincmarus, ejus temporis auctor, & ipsi libri hoc præ se ferunt.* Secundò, *quod ad authorem attinet, qui sine dubio est Carolus M. respondet Præfatio, quæ Ioannis Tilij Meldorum Episcopi esse putatur, in qua multis firmisque rationibus ostenditur, hos libros non esse suppositities vel adulterinos. Et inter alia author Præfationis testatur*, etiam Romæ in bibliotheca Lateranensi idem exemplar vetustissimis Longobardicis characteribus descriptum extare: *quod etiam Augustinus Steuchus Eugubinus bibliothecæ præfectus publico scripto testatus est: & astipulatur Ioannes Eccius in suo Enchiridio loco* 16. *vbi dicit*, Carolum M. quatuor libros scripsisse de Imaginibus, *licet scopum illorum librorum non fideliter exprimat. Et supra certissimum testimonium Hincmari, qui eo tempore vixit, adduximus, qui apertè testatur*, se adolescentulum in palatio regio vidisse quatuor libros contra Synodum septimam à Carolo M. per certos Episcopos Romam ad Pontificem missos. Tertiò, *quod ad editionem attinet, negare nemo potest libros hos Carolinos Parisijs excusos esse. Sed quicquid sit, certum est, adorationem Imaginum in Nicena 2. Synodo in Ecclesiam introductam, in Concilio Francofordiensi, & à Carolo M. alijsque tum temporis pijs ac doctis viris repudiatam & damnatam esse.*

Octauò *dicit*, libros hos probare multa, quæ nos rejiciamus. *Respondeo, hoc nihil ad rem facere. Deinde, quæ cum regula Scripturæ in his alijsque libris congruunt, ea recipimus, reliqua vt paleas & scorias rejcimus.*

Postremò *dicit*, Si maximè constaret Carolum ipsum hunc librum scripsisse, & in omnibus nobiscũ conuenire, nihil tamen habituros nos aliud, quàm testimonium vnius hominis Laici & militis, quod opponere velle Concilio generali Episcoporũ stultitiam esse manifestam: Nam juxta Damascenum, Christum non commisisse Ecclesiam Regibus & Imperatoribus, sed Episcopis & Pastoribus. *Respondeo* primò *ex Panormitano, vnius priuati hominis afferentis Scripturæ testimonium præferendum esse toti Concilio.* Deinde

de

de Damasceni lloco dico illum vel loqui de publico docendi ministerio, quod non Regibus, sed Pastoribus & Episcopis commissum est: vel si loquitur in genere de protectione Ecclesiæ & veræ doctrinæ, vt videtur loqui, pugnat cum sacra Scriptura, quæ docet, Magistratui politico curam Ecclesiæ & sanæ doctrinæ à Deo demandatam esse: Psal. 2. & 24. Isa. 49.

Argumētū 4. Orthodoxorū cōtra adoratiōnē Imaginū defenditur aduersus Bellarminum. Consēsus Patrum cōtra cultū Imaginum. Irenæus. Epiphanius.

QVARTVM *argumentum Orthodoxorum contra adorationem & cultum Imaginum, sumitur à testimonijs Patrum. Nam* Irenæus *lib. 1. cap. 24. inter hæreses Carpocratis, omniumque Gnosticorum, hanc etiam commemorat,* quòd Imagines haberent Christi, Apostorum & Philosophorum, easque veneratione ac reuerentiâ colendas proponerent. Epiphanius *tom. 2. lib. 3. hæresi 79. contra Collyridianos, ex eo quòd Beatam Mariam vltra decorum honorarent, & ei sacrificarent, factis ei Imaginibus, damnat* omnes Sanctorum Imagines ad cultum & adorationem propositas. *Verba eius supra cap. 19. huius libri descripta exstant: In quibus inter alia multa etiam hoc argumentum latet.* Maria & Sancti cæteri non sunt adorandi, sicut in Apocalypsi Angelus vetat se adorari: Et Petrus, itemque Paulus & Barnabas in Actis, magno zelo sui adorationem repudiârunt. Multò igitur minus imagines aut statuæ Sanctorum sunt adorandæ. *Hoc etiam argumento Durandus in Rationali vsus est, inquiens:* Si nec homines, nec Angeli adorandi sunt, attendant, quid agant, qui sub prætextu cuiusdam Religionis vel pietatis, diuersas adorant imagines. Non enim licet aliquid manibus factum adorare. Vna tantùm Dei Patris & imago, quam vnâ cum Patre adorare debemus: *libro 4. capite 39. num. 3.* Ambrosius *de Obitu Theodosij,* Inuenit, *inquit,* Helena crucem Domini: Regem adorauit, non lignum vtique: quia hic Gentilis error est, sed adorauit illum qui pependit in ligno. Hieronymus *inquit,* Dei Imagines adorare non debent. Augustinus *de Moribus Ecclesiæ cap. 36.* Noui, *inquit,* picturarum adoratores. Gregorius *lib. 7. epistolâ 54. & 109. & lib. 9. epistolâ 9. dicit,* Imagines adorandas non esse. *Hæc paucissima testimonia Patrum quàm breuissimè ex plurimis adducit Iesuita: plura supra enumerauimus cap. 10.*

Ambrosius. Hieronymus. Augustinus. Gregorius.

Ad Irenæi *locum respondet Iesuita, eum non arguere Carpocratem quòd Imaginem Christi haberet, sed quòd eam coleret eo modo quo Gentes idola. Respondeo, hoc ipsum quoque Papistæ hodiè faciunt, & ideò non minus reprehendendi sunt quàm olim Carpocrates cum suis sectatoribus. Eadem est enim prorsùs idololatriæ ratio apud Papistas, quæ olim apud Gentes fuit, siue ipsa simulachra, siue eorum vsum & cultum consideres. Nam qui sapientiores fuerunt inter Ethnicos, non crediderunt, Imagines suorum Deorum esse Deos ipsos; ex cap. 19. enim Act. satis constat, eos discrimen statuisse; inter Dianam ipsam, & eius Simulachrum: & Iouem lapidem non esse Deum, Cicero quoque confitetur. Apud Lactanctium etiam Ethnici dicunt,* Non ipsa adoramus simulachra, sed eos, ad quorum nominibus consecrata sunt. *Et apud Arnobium inquiunt:* Non materias æris, auri, argenti & alias, ex quibus signa conficiuntur; per se Deos esse, & religiosa numina dicimus, sed eos IN HIS colimus, eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra. *Similia apud Augustinum in Psa. 113. Athanasium contra Gentes, & scriptores alios passim inuenire licet. Sed si sufficere Ethnicis hæc defensio non potuit, neque Pontificios hodie ab Idololatria excusare potest, Nec iuuat Papistas quod dicunt,* Se non Deos fictitios, vt Ethnici, sed Christum & Sanctos per eorum imagines repræsentatos venerari: *Nam hoc cum verbo Dei, & veteris Ecclesiæ doctrina pugnat. Neque enim Christus, neque Sancti vlli hunc cultum, qui per Imagines exhibetur eis, approbant. Nec aliud quàm mutatio titulorum & nominum est, cùm pro Dijs Gentilium Sanctos Pontificij substituunt, iuxta illud Mantuani.*

Vt Martem Latij, sic nos te Diue Georgi.
Nunc colimus.

Eodem ergo cum Gentilibus reatu tenentur Pontificij, nisi quod eorum culpa hoc est atrocior, quod Idololatriam suam sub illorum nomine & prætextu tuentur, qui vnius Dei cultum & inuocationem sanguine quoque suo asseruerunt. Deinde verbis quidem negant Pontificij, se diuino cultu Imagines prosequi more Ethnico: Protestatiō autem hæc est contraria facto. Nam vt Gentiles singulis Deorum suorum generibus peculiaria templa, delubra, sacella, fana & aras dedicârunt: Statuas etiam ipsas certis ritibus consecrârunt, sacris sedibus, atque honorabili sublimitate collocarunt, preces ad has alligârunt, vota persoluerunt, easque ex vno loco in alium ad publicas calamitates auertendas transtulerunt, in supplicationibus publicis circumgestârunt, quædam earum fana quotidie, quædam semel in anno adierunt: Sic etiam Papistæ Simulachris suis sacella & Templa exstruunt, aras consecrant, cultus exteriores & interiores eis exhibent, incuruationibus, geniculationibus, prouolutionibus corporum, manuum extensionibus, auro & purpurâ, circumgestationibus, supplicationibus, votis, peregrinationibus, desiderio, amore, deuotione, spe, fiduciâ, metu, &c. Hæc planè ad Ethnicorum imitationem fiunt: & proinde Bellarmini responsio nulla est.

Ad Epiphanij *locum nihil respondet Iesuita, non enim potest.*

Ad

Ad Ambrosij *locum ait*, velle eum dicere, Crucem non adorari propter se, sed propter Christum, qui in ea pependit, & quia Christum crucifixum repræsentat. *Respondeo, nihilominus peccant in Legem Dei, dum in ligna, vel per lignum colunt Christum; cùm ipse nolit sic à nobis coli. Aut monstrent vel vnicum verbum, quo hoc à nobis requirat.*

De Hieronymi *loco dicit*, eum loqui de Statuis Regum, qui habebantur pro Dijs, & quorum statuæ diuinis honoribus afficiebantur. Reprehendit enim eos, qui id faciunt, quod socij Danielis facere noluerunt in Babylone. *Respondeo, Hieronymus docet, cur socij Danielis Statuam auream Nabuchodanosoris adorare noluerint: non autem respondet, quia statuas Imperatorum & Regum adorare non liceat: sed in genere dicit:* Cultores vero Dei, statuas adorare non debere: *& inde colligit*, ergo etiam hanc Regis statuam eos adorare non debuisse. *Rectè igitur nos quoque inde inferimus*, Imagines Christi & Sanctorum adorari non debere. *Hieronymum sequitur etiam* Pererius *Iesuita in Comment. in Danielis cap. 3. Quærens enim*, cur iuuenes illi tantopere Regis Imaginem adorâre recusarint? *respondet*, quia Iudæis Lege diuina vetitus fuerit OMNIS generis Imaginum cultus & adoratio: pag. 157.

Ad Augustini *locum Iesuita dubiè respondet, cum illum refutare non posset. Nam inquit:* Fortè loquitur de Idolis Gentium. *Respondeo, hoc falsum est: nam loquitur de Imaginibus Christianorum. Inquit enim:* Nolite mihi colligere professores nominis Christiani, neque professionis suæ vim aut scientes, aut exhibentes: Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera Religione superstitiosi sunt. Noui multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores, &c. *At quis credat, Christiani nominis professores tam dementes fuisse: vt Ethnicorum picturas vel Imagines adorârint: hæc enim non fuisset superstitio, sed summa impietas. Secundò dicit Iesuita:* Fortè loquitur de quibusdam qui Imagines Sanctorum superstitiosè colebant ita vt accederent Idololatriam. *Respondeo, si Augustinus de talibus loquitur, vt verba eius non obscurè indicant, firmum est nostrum argumentum contra Pontificios ex hoc testimonio petitum: Nam Papistæ etiam in cultu Imaginum verè ad Idololatriam accedunt. Tertiò dicit*, Augustinum scripsisse hunc librum de Moribus Ecclesiæ in primordijs conuersionis suæ ad fidem catholicam, & Ideò offensum quibusdam Ritibus, putâsse eos sapere Idololatriam, quos tamen postea melius instructus, excusâuerit omnino ab idolalatria *Respondeo, Augustinus non offensus adoratione Imaginum & picturarum eam abiecit Ecclesia Catholica, sed Manichæo eam obijcienti respondit: Et fatetur*, esse quidem aliquos inter veræ Fidei professores, qui picturas habeant, easque adorent: nec non & alia flagitia designent: non tamen ex malorum Christianorum moribus vituperandam, & condemnandam Ecclesiam, ac veram religionem à Manichæis. *Vnde mox hæc subijcit:* Admoneo vos, vt tandem Ecclesiæ catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet. *Quod igitur Manichæi fecerunt, hæc Augustino adscribit Iesuita. Quod autem addit*, hunc Patrem offensum picturarum adoratione, quòd eam sapere Idololatriam putârit, postea melius instructum eam excusâsse ab Idololatria. *impudentissimum mendacium est: hæc enim eius excusatio neque in Retractationibus, neque in alijs Augustini reperitur.*

Sic etiam Gregorij M. loca eludere conatur: dicit enim Gregorium solùm reprehendere eum cultum Imaginum, quo coluntur vt Dij. *Nam Gregorius omnem adorationem Imaginum simpliciter, ac sine omni exceptione reijcit ac damnat, vt supra indicauimus.*

Argumentũ 5. Orthodoxorũ cõtra cultũ Imaginũ defenditur aduersus Iesuitam.

QVINTVM *nostrorum argumentorum contra cultum Imaginum sumitur ab exemplo Ezechiæ Regis, à quo serpens æneus & amotus, & penitus contritus fuisse dicitur, quum primum populus ad idololatriam eo abuteretur. Erat autem serpens ille non hominum, sed ipsius Dei mãdato iussuque per Mosẽ olim erectus, & ornatus simul, ac cõmendatus miraculo sanationis maximo: longi etiam temporis præscriptione sese tueri poterat, & rei multò maximæ monumentum erat. Respondet Iesuita*, Rectè hoc ab Ezechia factum esse: nam Iudæos huic serpenti adoleuisse incensum vt Deo, *Respondeo Si rectè hoc factum est ab Ezechia, rectè etiam faciunt Orthodoxi, qui Imagines omnes è Templis eijciunt, quòd idem honor illis à Christianis exhibetur, qui à Iudæis exhibitus fuit serpenti huic. Nam thymiama, vel suffitus, & suffimentũ, & incensũ typus fuit precum & Orationis. Preces autem à Christianis non ad Deum solùm diriguntur, sed etiam ad Imagines, & adorantur. propter hanc Idololatriam, non minus, quàm serpens æneus, Imagines etiam sunt remouendæ. Deinde respondet Iesuita*, Iudæos adorâsse serpentem propter pretiosam materiam: ac ideo ab Ezechia amotum fuisse. *Respondeo; falsum hoc est, materia enim fuit ænea, & nullius ferè, vel saltem exigui pretij: vnde etiam* Nehustan *à Rege appellatus fuit.*

Argumentum 6. Orthodoxorum contra adorationem.

SEXTVM *argumentum est, quòd cultus Imaginum in Christi Ecclesia Idololatriam horribilem induxit. Nam credunt quandam diuinitatem inesse in Imaginibus: hinc enim fit, quòd ad*

hanc

Imaginũ defenditur aduersus Bellarminum

hanc potius, quàm ad illam precantes conuertuntur & respiciunt: illam frequentant, hanc deserunt: ad hanc peregrinantur ex voto, illam negligunt. Respondet Iesuita, hoc à Papistis tribus de causis fieri. *Prima*, quia Deus per vnam operatur Miracula, per aliam non *Respondeo, Deus per nullam Imaginem operatur Miracula: Quæ enim enumerantur, ferè omnia hominum fuerunt figmenta: talia multa narrantur ab Eusebio lib. 9. cap. 3. & 11. & Theodoreto lib. 5. cap. 22. & multa quoque nostris temporibus à multis sunt obseruata, & literis etiam mandata. Deinde, multa nihil aliud sunt, quàm diabolicæ fascinationes & præstigiæ: dæmones enim multa videntur reuera efficere, quæ tamen paulò post deprehenduntur fuisse meræ præstigiæ, qualia etiam Mosis tempore Magos edidisse Pharao credidit. Postremò, solet etiam Deus permittere, vt edantur Miracula vera, quantum ad effecta ipsa attinet, verùm non per ligneas aut lapideas Imagines, sed per diabolos ad seducendum hos, qui verbo Dei credere nolunt. Secunda causa est*, quòd, vt Iesuita *inquit*, quædam Imagines pictæ sunt à sanctis viris, vt D. Luca, Nicodemo, & alijs, aliæ à profanis. Imò Edessena ab ipso Christo facta creditur, & imago S. Stephani ab Angelo formata putatur. Peculiarem autem deuotionem merentur Imagines, quæ non solùm sunt sanctæ propter significationem, sed etiam propter artificem. *Respondeo, Imagines omnes à prophanis, vt loquitur Iesuita, nullæ à sanctis viris factæ sunt. Et insignis est blasphemia Christum, angelos, D. Lucam, & similes iconoplastas facere: qua de re vide plura supra cap. 10. huius libri. Tertia causa est*, quia aliquæ magis excitant ad pietatem, quàm aliæ, cùm sint magis piæ ac Religiosæ. *Respondeo, Si Deus in lege & verbo suo prohibuit Imagines, eæ piæ ac religiosæ nequaquam esse possunt, nec aliquem ad pietatem excitant. Sed prius est verum. Ergo & posterius. Et qui nam obsecro res illa posset esse pia ac religiosa, quæ est abominatio coram. Deo?*

Argumẽtum 7. defenditur contra Bellarminum.

SEPTIMVM *argumentum petitum est à quibusdam rationibus.* Prima *est, Imago non est res capax honoris, quia est res inanima ac sensus & rationis expers, Respondet Iesuita*, hinc solùm probari, Imaginem non esse honoris capacem propter se; & ideò Imagines non honorari absolutè, sed relatiuè ad prototypum. *Respondeo, neque etiam propter relationem ad prototypum Imagines coli & adorari debent: quia Deus vetat se in Imagine coli: Sancti quoque hunc cultum sibi nunquam nedum Imaginibus suis exhiberi voluerunt, vt est videre Act. 20. & apud Augustinum de vera Religione cap. 54 Deinde Iesuita infra cap. 21. negat disertè, quod hic affirmat, nempe*, Imagines propter prototypum colis à Papistis: *& contendit*, eas propriè & per se colendas esse.

Secunda *nostrorum ratio est, Imago non est res sancta, ergo non est etiam colenda & adoranda. Respondet Iesuita*, Imagines per se non sunt sanctæ, sed, *primò*, relatè propter significationem & repræsentationem, videlicet Prototypi. *Secundò*, propter Ecclesiæ institutionem, quæ hoc præcipit, & Imagines ad Dei cultum consecrauit. *Respondeo ad primum, esse principij petitionem: pro certo enim assumit, quod est in controuersia, nempe*, Imagines in Templis Christianorum legitimas repræsentationes & significationes esse: *quod est falsissimum: damnantur enim in verbo Dei, siue per se considerentur, siue relatè. Deinde, non quicquid est rei sacra repræsentatio, religiosè colendum est: nam Agnus, Via, ostium repræsentant Christum; hæc tamen non sunt religiosè colenda. Respondeo ad secundum, esse fallaciam A non causa, vt causa. Neque enim ad verum cultum Dei pertinet, quicquid ab Ecclesia instituitur, & ab hominibus mandatur.* Frustra, *enim* colunt Deum docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum: *Esaia vigesimo nono, & Matthæi decimo quinto.*

Tertia *ratio Orthodoxorum est, Homo est vera & viua ipsius Dei Imago, & tamen non religiosè est colendus & adorandus; ergo multò minus hominis Imago lignea vel lapidea. Respondet Bellarminus*, Hominem etiam propter se honoris capacem esse. *Respondeo, sed non honoris religiosi & diuini, qualis Imaginibus è Papistis exhibetur. Respondet secundò*, propter periculum Idololatriæ, hominem non religiosè coli. *Respondeo, propter hoc ipsum periculum Imagines quoque non esse religiosè colendas.*

Argumẽtũ 8. Orthodoxorũ cõtra Imaginũ cultum defenditur.

OCTAVVM *his addi potest argumentum à damno petitum, quod percipit Ecclesia ex cultu & adoratione Imaginum. Nam multi, qui Synodo Nicenæ 2. interfuerunt, fassi sunt aliquoties*, Saracenos, *quorum Religio, vt hodiè Turcarum, sine simulachris fuit*; alieniores à Christianorum religione factos, propter cultum & adorationem Imaginum. *Et Actione 4. fatentur*, Iudæos absterritos, ne fidem Christi amplecterentur, quia videbant Christianos contra legem Exod. 20. eas adorare & colere. *Exstat etiam in Actis huius Synodi Act. 5. disputatio Ethnici, qui adfirmat*, cultum idolorum apud Ethnicos confirmari ex cultu & adoratione Imaginum, sicut tunc apud Christianos exercebatur. Nam & nos, *inquit Ethnicus*, non ipsas Statuas adoramus: sed vt per cultum nostrorum incorporeæ virtutes ad nos perueniant. *Cumque diceret Ethnicus*; sicut vos Christiani Angelos, qui incorporei sunt, pingitis & adoratis; ita & nos Deos nostros pingimus. *Re-*

X *spondet*

spondet quidam ex Synodo, Angelos suâ naturâ non omninò esse incorporeos & inuisibiles, sed tenui corpore præditos & aëreo, ac sæpius in proprio corpore visos.

Soluuntur Argumenta Bellarmini pro Cultu, Veneratione & Adoratione IMAGINUM.

H*Actenus argumenta Orthodoxorum contra cultum & adorationem Imaginum exposuimus, & sophisma Bellarmini contra illa refutauimus: Nunc argumenta Iesuitæ pro cultu Imaginum breuissimè examinabimus. Illis præmittit aliquot conditiones, cautiones, restrictiones ac limitationes cap. 12. vt nullus amplius ferè sit honor & cultus qui relinquatur eis. Verbis itaque ait eas esse colendas ad adorandas, reipsâ verò id negat, seque ipsum refutat.*

Limitationes Bellarmini. *Prima restrictio est*, nullam in Imaginibus collocandam esse fiduciam: *Secunda*, nihil ab eis petendum: *Tertia*, nullam in illis diuinitatem inesse credendum. *His cautionibus & limitationibus obseruatis, putat Iesuita*, Imagines Christi & Sanctorum honorandas & colendas esse: *Et postea hunc cultum* adorationem *vocat. Quæro autem à Iesuita, quomodo imagines religiosè coli, & adorari possint, si fiducia nulla & spes in illis collocanda: si nil ab eis petendum; nec aliquam diuinitatem illis inesse credendum sit? Pauci etiam inter omnes Papistas reperiuntur, qui has modificationes & restrictiones obseruent: Neque etiam obseruârunt Patres qui Nicenæ 2. Synodo interfuerunt. Nam Actione 2. Synodus ista docet*, Imagines ita, & propter hanc causam adorandas, vt per Sanctorum, quorum sunt imagines, meditationem, Deus nobis sit propitius, & peccatorum remissionem largiatur. *Ibidem Stauracius dicit*: Venerabiles Imagines honoro, quæ sunt velut arrhabo salutis meæ. *Et Adriani epistola dicit*: Israëlitæ per inspectionem ænei serpentis à peste seruati sunt: Nos verò Christi & Sanctorum Imagines contemplantes & venerantes, absit vt dubitemus nos seruari. *Actio.4. Leontius dicit*: Quando Imaginem Christi habeo, per eam Christum ipsum me tenere & adorare videor. *Alius quidam Episcopus dixit*, Imaginem quandam Alexandriæ existere, quæ omnes morbos curet. *Alius quidem vxori ægrotanti dicit*: Si domi essem, possem cereâ Sanctorum meorum Cosmæ & Damiani Imagine omnes dolores tuos aufferre. *Manzon quidam dixit*: Ego in morbo jussi, vt inferrent ad me Christi Imaginem, quam cùm vidissem, dixissemque, Domine, qui das Sanctis gratiam, respice me, imposui eam loco dolenti, & morbus repulsus est. *Ioannes quidam dixit*: Romæ in omnium officinarum vestibulis, exiguas Imagines collocâsse, custodiam quandam & securitatem rebus suis illinc promittentes. *Maria Ægyptiaca Imaginem Virginis Deiparæ sic alloquuta est*: O virgo Domina, auxiliare mihi, quæ neminem habeo, qui mihi suppetias ferat. *Act.5.* Abbas quidam habebat in spelunca Imaginem Mariæ, habentem in vlnis Christum. Quando verò abiturus erat ad loca sacra, candelam parabat, eamque accendebat. Cùm verò accinctus ad iter, preces funderet, dicebat ad Dominam, totus in Imaginem ejus intentus: Sancta Domina Deipara, quia longum mihi restat iter, candelam tuam cura. Ego tuo fretus præsidio, longum iter ingredior. Et hæc cum ad imaginem dixisset, abjit. *Ex quibus intelligitur, non solùm vulgus ignobile, sed Patres Synodi 7. non obseruatis Synodi Tridentinæ & Bellarmini limitationibus, sic coluisse & adorâsse Sanctorum imagines, vt spem & fiduciam in illis collocârint; multa ab ijs petierint, & propterea etiam diuinitatem aliquam eis inesse crediderint. Cumque passim Bellarminus hanc Synodum septimam probet ac commendet tanquam orthodoxam & Oecumenicam, necessariò sequitur, eum quoque probare contra seipsum, illam idololatriam, seu venerationem & adorationem Imaginum, quæ in illa Synodo definita & approbata est. Sententiam tamen suam probare conatur.*

PRIMO *testimonijs Scripturæ; quæ trium generum esse dicit.* Primi *generis sunt*, quæ expressè agunt de Imaginibus, nimirum Exod. 25. de Cherubim propitiatorij: & Numeri 21. de æneo serpente. Imagines enim Cherubim super arcam existentes necessariò adorabantur ab ijs, qui arcam adorabant. Serpens quoque æneus non poterat non honorari, cùm salutem miseris in se aspicientibus adferret. Iam verò si licuit venerari imagines Angelorum, cur non etiam Sanctorum? Si licuit venerari Imaginem Christi in forma serpentis, cur non potius venerabilis erit Imago Christi in forma hominis? *Argumentum tale est.* Argumentum primum Bellarmini pro cultu Imaginũ ex Scriptura.

Si licuit colere, & venerari religiosè Imagines Cherubim & serpentis ænei; licet etiam honorare & adorare Imagines Christi & Sanctorum.

Sed prius verum: Ergo & posterius. Respondeo per negationem assumptionis. Non enim in veteri Testamento vel Arcam, vel Cherubim, sed verum Deum, qui promiserat se illo loco inuocantes auditurum, adorabant.

Excipiunt autem hic Pontificiorum aliqui; Ergo eodem modo & nos ad Imagines ipsum Deum adorabimus. *Respondeo, non valet hæc consequentia. In veteri Testamento enim habebant mandatum & promissionem expressam, de Deo illic adorando. Nos verò nec mãdatum, nec promissionem, nec exemplum aliquod habe-*

*habemus, vt Deum ad imagines ac statuas adoremus. Imò argumentum à simili (vt sicut in veteri, ita & in nouo Testamento cultum & adorationem Dei ad certa loca, & externa Symbola alligemus) refutatur ab ipso Christo Ioan.*4. Nec in monte hoc, nec Hierosolymis, sed in spiritu & veritate Deum adorabitis. *Quod autem ad Regulam Augustini attinet, quam Iesuita citat ex libro tertio, de Doct. Christiana, capite 9. vbi dicit,* Signa vtilia diuinitùs instituta, veneranda esse, quia honor eorum ad Prototypum referatur, *& inde colligit,* Imagines Cherubim & serpentis coli debuisse; *vt probet,* Imagines quoque Christi & Sanctorum coli debere. *Respondeo, pro paribus sumi à Iesuita, quæ sunt imparia. Nam alia est & quidem diuersissima ratio Cherubim, serpentisque anei, & Imaginum Christianorum. Illa fuerunt diuinitùs instituta & vtilia, non tamen Deus ea coli voluit, eo modo, quo Imagines apud Christianos coluntur: Nam cùm serpens, adeoque Christi imago, ipso Iesuitâ interprete, honorari religiosè cæpit, ab Ezechia Rege fractus est. Et Cherubim in sacrario Templi fuerunt vbi non poterant adorari, quia eò nulli, præter Pontificem ingredi licebat. Agnouit hoc etiam Actione 4. Synodi Nicenæ 2. Constantinus Episcopus Cypri, qui dixit,* Fuisse quidem imagines in tabernaculo: sed ne ad Idololatriam conuerterentur, Dominum dixisse, Non facies tibi similitudinem aliquam ne populus culturam illi exhibeat. *Hæ verò non sunt vtiles, sed pernitiosæ, nec à Deo institutæ, sed prohibitæ potius. Deinde integer ille locus Augustini, tam abest vt pro Iesuita faciat, vt potius collectionem eius solidissimè refutet. Sic enim habet:* Qui aut operatur, aut veneratur vtile signum diuinitùs institutum, cujus vim significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & transit, sed illud potiùs quò talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo spiritalis & liber est, & tempore seruitutis, quo carnalibus animis nondum oportet signa illa reuelari, quorum jugo edomandi sunt. Tales autem Spiritales erant Patriarchæ ac Prophetæ, & omnes in populo Israel, per quos nobis Spiritus sanctus ipsa Scripturarum & auxilia & solatia ministrauit. Hoc verò tempore, postea quam resurrectione Domini nostri Iesu Christi manifestissimum judicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum quæ jam intelligimus operatione graui onerati sumus: sed quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina: sicut est Baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.

Alterius *generis testimonia, quæ Iesuita pro cultu & adoratione Imaginum ex Scriptura citat,* sunt, *inquit,* quæ docent, creaturas honorandas religiosè propter solam relationem ad Deum: vt Psalm. 99. Adorate scabellum pedum ejus. Et Matth. 5. Nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus. Hîc prohibet, *inquit Iesuita,* Deus juramenta sine debitis circumstantijs, per cœlum & terram, ne contumelia fiat ejusmodi creaturis, quatenus relationem habent ad Deum. *Respondeo, falsò interpretatur hæc loca Iesuita; non enim loquuntur de cultu creaturarum propter relationem aliquam ad Deum, sed simpliciter de cultu ipsius Dei. Nam Psalm. 99. non dicitur simpliciter* Adorate scabellum, *sed,* Adorate ad scabellum, *vel,* Incuruate, prosternite, inclinate vos ante scabellum, *vt in Hebræo videre licet. Intelligitur autem hoc loco arca fœderis, vt etiam in Paralip. 28. cap. vbi Solomon dicit,* Cogitaui vt ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Domini. *Quòd Deus quasi in regia sella hîc resideret, atque inde suam præsentiam & potentiam in assidua gubernatione & defensione populi sui ostenderet. Ideoque Iudæi Deum adoraturi, faciem ad arcam conuertebant, seque coram ea inclinabant, quasi cogitantes ibi Regem suum residet tanquam in solio: ita tamen, vt interea animis ad cœlum ascenderent: quòd scirent, ita pedibus eum tangere arcam gloriâ sua vt maiestate vniuersum orbem & cœlum repleret. Similem fraudem committit etiam in loco Matth. 5. qui apertè docet,* blasphemiam grauissimam esse, si rei creatæ religiosus cultus *(quale Iusiurandum est)* tribuatur. *Et confirmatur sententia nostra 22. q. 1. Can. Considera. & Can. Si quis per.*

Tertij *generis testimonia Scripturæ sunt,* quæ docent, *inquit Iesuita,* creaturas dici sacras vel sanctas propter relationem ad res sacras Exod. 3. Locus in quo stes, terra sancta est; propter Angeli scilicet præsentiam. Exod. 12. dicitur dies paschæ, dies sancta & venerabilis, propter significationem, & quia dedicata erat cultui diuino. Exod. 28. dicuntur vestes Sacerdotum sanctę, propter eandem causam. Isa. 11. Sepulchrum Domini gloriosum. 2. Tim. 3. dicuntur Scripturæ sacræ literæ. At Imagines Christi & sanctorum sunt etiam institutæ ad significandas & repræsentandas res sacras: cur ergo eas honorare non liceat? *Argumentum Iesuitæ tale est:*

Si quædam res creatæ sunt religiosè colendæ, quia dicuntur sanctæ & sacræ: Imagines etiam sunt venerandæ religiosè, quia sunt sanctæ & sacræ.

Sed prius est verum: ergo & posterius.

Respondeo: ac primò nego connexum seu conse-

quentiam maioris. Nam creaturæ illæ, quæ in antecedente dicuntur Sanctæ, *ita vocantur propter finem, cui sunt destinatæ, nempe, vt seruiant cultui diuino: Imagines autem sic dici non possunt sanctæ, nam non pertinent ad cultum Dei, quia Deus ijs non coli vult, & sunt potius abominatio in oculis Domini. Pro paribus igitur sumit Iesuita, quæ sunt imparia. Deinde ad assumptum respondeo: vtitur Iesuita fallaciâ A petitione principij: præsupponit enim illud esse verum, quod falsum est, nempe, vestes sacerdotales, codicem Scripturæ,* &c. *religioso Cultu esse honoranda. Nam & sacræ & sanctæ dicuntur hæ res, quòd vel rei sacræ sint significatio, sicut erant vestes: vel sacram doctrinam contineant, vt Scriptura. Relatè igitur, non per se: ex vsu & fine, non ipsæ, quales naturâ sunt:* κατά τι, *non* ἁπλῶς: *sic dicuntur res illæ, sicut aqua, panis & vinum in Baptismo & Cœna Domini. At soli ei rei quæ per se, naturâ & simpliciter sacra & sancta est, estque Deus, religiosus Cultus & veneratio debetur teste Christo Matth. 4. ver. 10. Mose Deut. 6. v. 13. Paulo Galat. 4. vers. 8. Ergo res illæ creatæ nequaquam religiosè colendæ sunt. Reliqui loci ex Exodo & Paulo vsum indicant rerum illarum, quæ sanctæ vocantur, non autem cultum earum, neque venerationem religiosam ijs deberi.*

Argumentũ 2. Bellarmini pro cultu religioso Imaginũ ab authoritate Conciliorum.

SECVNDO, *probat Iesuita cultum & adorationem ex* Concilijs. *De his Concilijs, quorum decreta pro cultu Imaginum Bellarminus nobis obijciet, Respondeo* primò *in genere, quemadmodum olim Maximino hæretico respondisse Augustinus lib. 3. legitur.* Nec ego, *inquit*, Nicænam Synodum tibi, nec tu mihi Ariminensem debes, tanquam præjudicaturus objicere: Nec ego hujus authoritate, nec tu illius teneris. Scripturarum authoritatibus, non quorumcunq; proprijs, sed quę vt vtriuique sint communes, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione decertet.

Regula Augustini de concilijs.

Eodem modo Augustinus ad Cresconium Grammaticum lib. 2. c. 21. scripsit: Non debet se, *inquit*, Ecclesia Christo pręponere, *&c.* cum ille semper veraciter judicet: Ecclesiastici autem Iudices, sicut homines plerunque fallantur. *Hæc Augustinus. Quamobrem nos etiam ab Ecclesia ad Christum, à Concilijs, præsertim Bellarmini idololatricis, ad Scripturas sacras: ab Ecclesia deformata ad reformatam: ab Ecclesia particulari ad catholicam: à falso ad verum: à nouo ad vetus: à dubia, mutabili incerta, inconsiderata sententia, ad sententiam firmissimam, stabilissimam, certissimam, constantissimam, nullis seculorum ætatibus mutabilem: nempe ad Legem hanc Dei,* Non facies tibi sculptile, neque vllam similitudinem, quæ est in cœlo desuper, *&c.* Non adorabis, neque coles ea. *Sed tamen audiamus, quid Bellarminus de suis Concilijs dicat.*

De Canone 82. Synodi 6.

Habemus inprimis, *inquit*, Canonem 82. sextæ Synodi, vbi dicuntur Imagines venerabiles. *Respondeo, testimonium hoc est dubium & incertum, vel ipsorum Pontificiorum judicio, & proinde non audiendum. Nam ipse Bellarminus addit*, Canones hujus sextæ Synodi non esse firmæ auctoritatis. *Nec valet quod excipit*, Hunc Canonem semper fuisse receptum ab Ecclesia. *Nam hæc Ecclesia Romana, & idololatrica est, de qua loquitur Iesuita. Deinde contrarium dicit Baronius: Is enim tomo 7. Annal. anno. 692. pag. 613. de hoc ipso Canone agens, sic inter alia inquit:* Cùm inter Latinos acta res est, nequaquam reperies eum Canonem ab Ecclesia Romana esse receptum, imò vsu contrario improbatum, *&c. Sed Bellarminus sequitur regulam, quam, vt Anastasius Bibliothecarius ad Ioannem Pontificem Rom. scribit, referente eodem loco Baronio, Romana Ecclesia in Canonibus sextæ Synodi & qui Apostolorum nomine circumferuntur, consueuit seruare,* vt quos sciret esse secundum Romanæ Ecclesiæ decreta, aliorumque Conciliorum sancita, non respueret, sed vt veritati consentientes amplecteretur: reliquos verò Canones his decretis aduersos, vt execrabiles detestaretur. *Ergo Canones huius Synodi qui faciunt pro confirmatione idololatriæ & superstitionum recipit Romana Ecclesia, cæteros detestatur.*

Verè dictum.

De Synodo Romana & Gentiliacensi.

Secundò, Habemus, *inquit Iesuita*, Synodum Romanam sub Gregorio *III.* pro Imaginum cultu: Synodum Gentiliacensem, in qua admoniti sunt Græci, vt idem de Imaginibus cum alijs sentirent: Rursus Synodum aliam pro Imaginibus Romæ sub Stephano *III.* celebratam. *Respondeo, Concilia hæc nullius authoritatis esse, quum cultum & adorationem Imaginum contra expressum verbum Dei approbârint, & in Ecclesiam introduxerint.*

De Niceno 2. Concilio.

His annumerat etiam Concilium Nicænum 2. quod Action. 7. definiuit, Imagines esse colendas. Est autem, *inquit*, hoc Concilium ejusmodi, vt nullo modo dubitari possit, quin generale & legitimum fuerit. *Respondeo vt supra, definitionem hujus Synodi, de colendis & adorandis Imaginibus, contrariam verbo Dei, & propterea nullius authoritatis esse. Nam Orthodoxi Patres omnes primitiuæ Ecclesiæ eatenus sibi suisque scriptis credi voluerunt, quatenus cum verbo Dei consentiant: ipsimet quoque ea, quæ ad Canonem Scripturæ non congruunt, propter Patres non approbârunt, nec receperunt.*

Quia verò hoc loco & alibi in hac tractatione de Imaginibus, Iesuita subinde hanc Synodum Nicænam tanquam Orthodoxam & generalem obijcit, & ex ea imprimis cultum & adorationem Imaginum probare conatur, ejusque authori-

thoritate tanquam Gorgonis capite nos perterrefacere vult, non inutile fore arbitror, si præcipua eius capita excerpamus,& ostendamus,quâ fide causa hæc de Imaginibus in illa tractata, & ex quibus fundamentis decreta illa de cultu & adoratione Imaginum facta sint, vt Lector inde judicare possit, quantum isti Synodo authoritatis tribuendum sit.

Quâ fide causa de Imaginibus in Nicæna 2. Synodo tractata sit.

Primò *itaque necessariam distinctionem inter historicum Imaginum vsum, & inter earundem cultum ac adorationem confundunt. Et si quæ testimonia adducunt de historico Imaginum vsu,mox vel apertè vel obliquè inferunt earum cultum & adorationem.*

Secundò, *quando in Patrum scriptis ad picturas vel Imagines in genere alluditur, ipsi mox inferunt*; In Templis igitur Christianorum habendæ sunt Imagines.

Tertiò, *ex certis testimonijs veræ antiquitatis per annos trecentos, non possunt ostendere, Christianos Imagines in Templis aut alijs locis sacris habuisse. Quia verò Synodus illa fingit* esse traditionem Apostolicam,& consuetudinem vetustissimam, inde vsque à Christi & Apostolorum temporibus receptam, *ad ejus probationem, testimonia supposititia fabulas & figmenta profert de Imagine quam Christus ipse fecerit, & Abagaro miserit: de Imagine Christi à Iudæis crucifixa,quam Nicodemus fecerit,& moriturus Gamalieli reliquerit,*&c.*de quibus supra satis dictum est.*

Quartò, *Adrianus Papa ex Scriptura sacra & Dei mandato probare vult*, Imagines in Templis necessarias esse: *sed pueriles, frigidæ & pudendæ sunt ejus probationes, nihil prorsùs ad rem facientes: qua de re vide Actionem 2. & 4*

Quintò, *in hac Synodo contra verbum Dei, & contra totius antiquitatis consentientia testimonia,decretum est,* sacras Imagines honorandas, venerandas, salutandas, amplectandas, osculandas, colendas & adorandas esse: *Ac licet nonnulli in Synodo distinguerent, inter latriam,quæ soli Trinitati debetur,& aliam honorariam adorationem, quam δουλείαν vocant: tamen religiosa pietas veræ & eruditæ antiquitatis hanc subtilitatem ignorauit, & simpliciter adorationem Imaginum prohibuit, sicut & Gregorius M. docuit*, Imagines nullo modo adorandas. *Et lex Dei simpliciter dicit*, Non adorabis nec coles ea. *Quantum etiam maior pars Synodi suis salutationibus, venerationibus, cultibus & adorationibus tribuerit Imaginibus, paulò antè indicatum est, vnde intelligi potest, fucum tantum esse disputationem de Imaginibus.*

Sextò, *hunc cultum & adorationem Imaginum Septima hæc Synodus probare conatur*, Primò *ex Scriptura*: Secundò *ex traditionibus*: Tertiò *ex Patrum testimoniis*: Quartò *ex miraculis*: Quintò *quòd contrarium docere sit vetus hæresis*: Sextò *à similitudine venerationis politicarum Imaginum. Videntes autem sibi obstare clarissimam Scripturæ sententiam*, Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles; *eam sic eludere conantur, quod exclusiuam particulam addiderit latriæ, non autem adorationi. Hanc verò elusionem Angelus Apoc. 19. ignorauit, qui à Ioanne adorari non vult,quia scriptum sit*, Deum adora. *Ignorauit quoque illam tota antiquitas, ex cuius sententia Hieronymus dicit:* Nos nec Angelos,nec Sanctos,nec ipsorum Reliquias, nec vllam creaturam; sed solum Deum adoramus: *Et Gregorius Magnus adorationem Imaginum prohibens, hoc ipso dicto vtitur*, Dominum Deum tuum adorabis,& illum solum coles. *Testimonia verò Scripturæ, quibus adorationem Imaginum probare conantur, Actione 2. hæc sunt*: Scriptum est, Faciem tuam Domine requiram. *Item*, Vultum tuum deprecabuntur diuites populi. Simulachra autem sunt vultus seu facies Dei: ergo Imagines sunt adorandæ. *Act. 4. hæc testimonia proferuntur.* Adorate scabellum pedum ejus. Adorate ad montem sanctum ejus. *Item*, Hebr. 11. Iacob virgam seu sceptrum Iosephi adorauit. *Item*, In veteri Testamento adorârunt Arcam & Cherubim,*&c. Deficientibus autem Scripturæ testimoniis idoneis, hoc sæpius repetunt*: Imagines fieri,coli & adorari hac opinione, quòd sic Deo gratus cultus præstetur: non igitur non posse à Deo probari. *Deinde ad Traditiones confugiunt.*

Postea Patrum testimonia citant, non quidem eorum,qui in primitiua Ecclesia ad annos post natum Christum trecentos & amplius floruerunt: talium nulla prorsus in ista Synodo fit mentio: sed Athanasii, Basilii & Chrysostomi: Sed si consideretur, quid Patres dicti in istis sententiis, quas citat Synodus, tractent, manifestum erit, istas allegationes Synodi, insidias, dolos ac fraudes esse, vt paulò pòst indicabitur. Animaduertentes igitur, illis testimoniis Patrum non rectè confirmari adorationem Imaginum, supposititia & adulterina Basilij, &c. *proferunt. Vtque errorem suum antiquitatis nomine facilius Ecclesiæ obtrudere possint, recentiora antiquioribus Scriptoribus tribuere non verentur. Tribuunt enim Epistolam quandam de adoratione Imaginum Gregorii III. esse constat. Athanasio M. adscribunt fabulam de passione Imaginis crucifixi, quæ longè recentioris est Athanasii,* &c. *Adhac Miracula quoque enumerant, quæ per Imagines edita fingunt, & quòd ipsi Sancti, quorum sint Imagines mulierculis quibusdam apparuerint, & eas apud Imagines auxilium quærere iusserint.*

Porrò, quòd dicunt veterem esse hæresin Ethnicorum, Samaritanorum & Manichæorum adorationem Imaginum damnantium, ridiculum est, quum Ethnici & Samaritani hanc ipsam ob causam

sam damnentur, quòd idola coluerint & adorarint: Iudæi autem ex lege Dei Imagines improbârint: de Manichæis autem nulla historiæ referant, quod Imagines auersati sint. Postremò locum similium sæpissimè vrgent. Ex his omnibus intelligimus, ineptas, frigidas, fabulosas, & falsas esse omnes istius Synodi argumentationes ad probandam adorationem Imaginum: hinc autem iudicet iam Lector, quantum fidei & authoritatis huic Synodo, eiusque definitioni de adorandis Imaginibus tribuendum sit.

Iudicium Bellarmini de Nicæna 2. Synodo.

Bellarminus tamen hanc Synodum Oecumenicam & legitimam, omnibusque alijs præferendam esse contendit: quòd habuerit inprimis legatos Romani Pontificis, & trium aliorum Patriarcharum, Alexandriæ, Antiochiæ & Hierosolymæ, Patriarcham item Constantinopolitanum: quodque adfuerint Episcopi 350. & consenserit Constantinus Imperator. Econtra verò omnem præ illa authoritatem derogare conatur duabus Constantinopolitanis Synodis sub Leone Isaurico & Constantino Copronymo celebratis, Francofordiensi quoque, quòd illa plenaria & generalis, hæ verò particulares fuerint, Fuisse autem particulares inde probare vult, quod in Constantinopolitana sub Leone non fuerunt vocati, nec adfuerunt vlli Patriarchæ, excepto Constantinopolitano: & quòd in altera sub Constantino non sunt vocati, nec adfuerunt vel per se, vel legatos Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus Patriarchæ: denique, quòd in Francofordiensi adfuerunt quidem legati Pontificis Romani, sed Synodo assensi non sunt. Respondeo primò de Romano Pontifice, verum quidem est, non interfuisse ipsum Constantinopolitanis duobus Concilijs. Sed causæ in promptu sunt. Vna est, quòd jam tum cœpit Romanus Papa perfidus & rebellis esse in Imperatorem Constantinopolitanum, & illius imperium conuellere conatus fuit. Altera est, quod nouit, in illis Concilijs Imagines, earumque adorationem damnandam esse; noluit igitur interesse: Quod igitur abfuit, non Synodi, sed suo vitio abfuit, nam adesse iussus fuit, & hoc sufficiebat.

An duæ Constantinopolitanæ Synodi & Francofordiensis particulares fuerint.

Neque propterea non generale fuit hoc Concilium, vel legitimum, quia Romanus Pontifex neque per se, neque per legatos illi non interfuit. Nam etiam Constantinopolitanum primum, quod tamen à Pontificijs pro generali & legitimo habetur, non esset generale & legitimum; quia nec Pontifex Romanus, nec quisquam alius eius nomine illi Concilio interfuit. Iulius quidem Papa apud Socratem libro secundo capite decimo tertio, ad Antiochenos contendit, sine Pontifice Romano non posse generalia Concilia celebrari. Respondeo, Iulium in propria causa testimonium dicere, & propterea non audiendum. Deinde, quod scribit nullâ ratione probat. Adhæc, Orientales Episcopi ad quos ille hoc scripsit, ob hanc Romani Papæ arrogantiam vehementer indignati sunt, & eam appellârunt petulantem contumeliam, quâ reliquas Ecclesias afficeret, eique responderunt, aliarum Ecclesiarum res & controuersias à Romano Papa non debere decerni: vide Socratem libro secundo, capite vndecimo. Sozomenum lib. 3. cap. 7. De reliquis Patriarchis, respondeo vt supra, Non Patriarcharum & Episcoporum numerum facere generale & legitimum Concilium, sed verum Scripturæ vsum qui est vniuersalis omnium controuersiarum iudex. Cùm igitur in duobus illis Constantinopolitanis Concilijs infallibili Scripturarum fundamento superstitiosum & idololatricum Imaginum cultum damnârint, nil illis deest, quo minus legitimis Concilijs annumerentur: præsertim cùm Imperatores è præcipuis in Imperio Ecclesijs illa conuocauerint.

Generale Concilium quod.

His addit Iesuita, Ex euentu colligi posse, Nicenum 2. Concilium fuisse legitimum: nam solum illud tandem obtinuisse: Imagines enim in Templis permansisse: Imò etiam solius hujus Concilij Acta exstare, reliqua tria mox euanuisse, & in historijs solùm aliquam eorum memoriam seruatam esse. Respondeo, hæc ita euenerunt, quòd Romani Pontifices & idololatræ in magna potentia & authoritate tunc constituti, ingenti fraude & dolo, atque audaciâ immani omnia suppresserunt, quæ contra suam Idolatriam faciebant: ea verò magno studio & diligentiâ conseruârunt, quæ suum errorem confirmabant. Sic etiam Hieronymus Vigilantij; & Lanfrancus cum Transsubstantiatoribus suis libros Berengarij, viri illâ ætate eruditissimi habiti, suppresserunt.

Tertium Bellarmini argumentũ pro cultu religioso Imaginũ ab authoritate Patrum refutatur.

Tertio, Bellarminus cultum & adorationem Imaginum probare conatur ex Patribus aliquibus. Respondeo primò in genere, Non quid homines senserint, sed quid ex Dei verbo sentire debuerint, nobis spectandum & sequendum esse, præsertim in articulo fidei. Deinde, Nullus Pater ante Concilium Nicenum 2. anno 788. celebratum, dixit, sensit, scripsit adorandas, vel religiosè colendas esse Imagines Sanctorum; sed duntaxat memoriæ, & historiæ causâ haberi posse. Sed testimonia quæ ex Patribus citat inspiciamus.

Basilius falsus.

Primò, Basilius, inquit Bellarminus, in Iulianum, vt citat Adrianus Papa in Epistola ad Imperatorem, in Synodo Nicæna 2. Act. 2. inquit, Historias Imaginum illorum honoro, & palàm adoro: hoc enim nobis traditum à sãctis Apostolis, non esse prohibendum, sed in omnibus Ecclesijs nostris eorum historias erigimus. Respondeo, Basilius hic, non est ille Basilius, qui propter doctrinam, sapientiam & constantiam in veritate, Magnus

meritò

meritò appellatus, & ejus authoritas grauis semper visa atque judicata est. Neque ista verba hujus Basilij verba sunt, sed Papa duntaxat Adrianus in Epistola sua Synodica inter alia ineptissimâ testimonia, hac verba citauit tanquam Basilij: quæ, vel alia similia & ejusdem sententiæ, in genuinis Basilij libris non reperiuntur. Quod autem Basilius iste, quicunque fuerit, Imagines se culturum adoraturumque profitetur, Bellarminus ipse nouit, hanc doctrinam aduersari Gregorio M. & suis Concilijs: Nam in Moguntinensi Concilio scribitur: Imagines non ad id proponuntur, vt adoremus aut colamus eas.

Chrysostomi Liturgia. *Secundò inquit Iesuita*, Chrysostomus in Liturgia scribit: Sacerdos ad Imaginem Christi caput inclinat. *Respondeo hanc Liturgiam falsò tribui Chrysostomo supra satis probatum est.*

Ambrosius. *Tertiò ait*, Ambrosius Serm. 10. in psalm. 118. scribit: Qui Imaginem coronat Imperatoris, vtique illum honorat, cujus Imaginem coronauit: & qui Statuam contempserit Imperatoris, Imperatori vtique fecisse videtur injuriam, *&c. Respondeo. Ambrosius, vt & alij Patres, sumunt similitudinem à politicis Imperatorum Imaginibus, & à ciuili veneratione earum, quòd nempe ipsis Regibus indicetur factum quicquid Imaginibus ipsorum vel honoris exhibeatur, vel contumelia inferatur, quòdque ipsum Regē vidisse dicatur, qui Imaginem eius aspectu. Nullo modo autem inde inferunt. Ergo honor, cultus, inuocatio & adoratio, quæ ipsi Christo debentur, materiali & exanimi ipsius Imagini exhibenda sunt. Hæc enim sententia, ne vnica quidem syllaba, in Ambrosii aliorumque Patrum scriptis ostendi potest. Sed quia hæreticis absurdum videbatur. Christum Filium Dei, eodem honore, cultu & adoratione prosequendum, sicut ipsum Deum Patrem, & prætendebant, inde sequi duos esse Deos: Ideo hanc doctrinam Christi* (Ego in Patre, Pater in me. Qui videt me, videt & Patrem meum. Vt omnes glorificent Filium, sicut Patrem. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem) *Patres illi similitudine crassiore, & notâ ab Imaginibus Regum, sicut more politico tunc vsitatæ erant, sumptâ pro rudioribus qualitercunque declarare voluerunt, ideò quia Christus vocatur* Imago Dei, *&* Character substantiæ ejus: *Nihil autem prorsus vel Ambrosius, vel alij Patres dicunt, de Christi & Sanctorum materialibus Imaginibus in Ecclesia, religiosè colendis & adorandis: Sed loquuntur de politicis Imperatorum Imaginibus, & hanc similitudinem accommodant ad Christum, qui est viua & substantialis Imago Patris.*

Damascenus. Gregorius M. *Quartò, adducit quædam ex Augustino, ad quæ supra responsum est. Paulinus primus picturas in Ecclesiam inuexit, & quidem grauiter peccauit, vt suo quoque loco diximus. Damascenus recens author, nec inter Patres antiquos numerandus est. De Gregorio Magno respondeo, negare non posse Iesuitam, quin ille Imaginum adorationem ex professo ad Serenum Massiliensium Episcopum prohibuerit & damnârit. Simul tamen fatendum est etiam ejus ætate, nempe circa annos 600. post natum Christum, nimium Imaginibus tribui, & seminaria adorationis earum spargi cœpisse, dum ante Imagines prostrati Christum ipsum adorare cœperunt, sed contra manifestum Dei verbum.*

His adjungit testimonia aliquot ex Patribus, indeque prolixam disputationem instituit de Cruce Christi adoranda; Sed quia eam capite 27. & 28. repetet, illam eo vsque integram reseruabimus.

Argumentum Bellarmini 4. pro Adoratione Imaginū à Miraculis refutatur. QVARTVM *argumentum pro cultu & adoratione Imaginum, sumit Iesuita à* Miraculis, *quæ per vel ad Imagines edita esse dicit. Respondeo, illa Miracula vel sunt ficta & falsa, & proinde nihil probant: vel si quædam vera sunt, non tamen ex solis miraculis de veritate doctrinæ judicandum est sed ex verbo Dei. Nam etiam diabolus pro suorum mendaciorum confirmatione miracula edit 2. Thess 2. Apoc. 16. Et falsissimum est quod addit Iesuita* Deum ideò per Imagines edidisse miracula, vt sic earum cultum sanciret & probaret. *Nam quis credet hoc Bellarmino, quum Imagines earumque cultum grauissimè Deus prohibuerit? Sed de Miraculis apud Imagines editis vide plura supra pag. 203. & seq.*

Argumentū 5. Bellarmini. QVINTVM *est*, Homo honoratur, quia Dei imago est: Ergo & cæteræ Imagines Christi vel Sanctorum dignæ sunt veneratione. *Respondeo. In hoc argumento primò Iesuita peccat Æquiuocatione vocis* Imago. *Non enim Hominis statua, de qua hic agitur, eodem modo est Hominis statua, quo Homo est viua Dei Imago: Statua verò, Imago Hominis mortua. Deinde peccat æquiuocatione vocis* Honor *seu* Veneratio. *Nam homo, etiamsi Dei viua sit Imago tamen ciuili tantum, non religioso honore colendus est. Iesuita autem ex hac similitudine probare vult, mortuas hominum Imagines religiosè honorandas. Est & illud falsissimum, Hominem quemuis viuum religioso cultu venerandum esse, vt Imaginem Dei, quæ sacra res sit.*

Argumentū 6. Bellarmini. SEXTO *dicit*, Imago Regis est venerabilis ciuili quodam honore. Ergo Imagines Christi & Sanctorum, sunt venerabilis religioso honore. *Respondeo, per negationem consequentiæ: Ciuilis enim honor & religiosus sunt duo Disparata, quæ vni eidemque rei simul tribui non possunt. Ciuilis honor conceditur, quibusuis Imaginibus, siue Imperatorum, siue Christi & Sanctorum: Religiosus autem nequaquam; Is enim soli Deo debetur, non autem Imagini-*

ginibus Dei, multoque minus Sanctorum.

Argumē- tū 7. Bellarmini. SEPTIMO *dicit*, Imago est capax iniuriæ & contumeliæ: ergo & honoris atque cultus. *Respondeo, Imago est capax ciuilis iniuria, vt probant Exempla à Iesuita adducta: ergo ciuilis etiam tantum honoris, non religiosi cultus. Et, vt rectè monet Danaeus, hic ipse ciuilis quoque honor, qui tribuitur Imaginibus, exiguus omninò moderatusque esse debet: Et positus est potius in non agendo, quàm in tribuendo eis quidpiam: in non lædendo eas, quàm eas honorando, ornando, salutando.*

Argumē- tū 8 Bellarmini. OCTAVO *inquit*, Imagines Sanctæ repræsentant Sanctos: Ergo sunt religiosè colendæ. *Respondeo per negationem consequentiæ. Nam si Sancti ipsi non sunt religiosè colendi & adorandi, multo minus eorum Imagines. Sed prius est verum: Ergo & posterius.*

Argumē- tū 9 Bellarmini. NONO, Hostes Imaginum tantum fuerunt Iudæi, Samaritani, Mahumetani, & manifestè hæretici; fautores autem earum viri sancti & docti Gregorius III. Adrianus I. summi Pontifices, Germanus & Tarasius Episcopi Constantinopolitani, Damascenus, Methodius, Leondinus, Ionas Aurelianensis, Paulus Diaconus & alij pij doctique viri: ergo verior est horum sententia, quam illorum. *Respondeo per negationem antecedentis. Nam, vt supra quoque diximus, ridiculum est vel fingere Samaritanos & similes hostes Imaginum fuisse, earumque adorationem prohibuisse; cùm illam ipsam ob caussam in Scriptura damnentur, quod Simulachra coluerint atque adorârint. Iudæi verò, sicut etiam Mahumetani ex lege diuina adorationem Imaginum semper damnârunt. De Manichæis hæreticis nulla historia tradunt, eos hostes Imaginum fuisse; sed contrarium supra ex Augustino ostendimus. Sed verus hostis Imaginum est Deus ipse qui eas seuerissimè in suo verbo prohibuit: Hostes earum infensissimi fuerunt Prophetæ, Apostoli & Orthodoxi Patres omnes, qui in primitiua Ecclesia post natum Christum ad annum vsque sexcentesimam pietate, sanctitate & doctrinâ longissimè Pontificibus Rom. & cæteris quos nominat Iesuita, excelluerunt.*

Qui Imagines & adorationem defenderint. Greg. 3. quis. *Econtra Imagines, earumque adorationem instituerunt & propagârunt homines superstitiosissimi & nequissimi.* Gregorius III. *enim Papa Dominum suum Leonem Imperatorem excommunicauit: contra Longobardos, Carolum Marcellum, prosede Romana tuenda, in auxilium asciuit: Græcos per Longobardos Italiâ pepulit; illosque ipsos Longobardos per Francos tum demùm oppressit: & Italiam omnem Imperatorio sacramento absoluit; atque defunctorum memorias in Missa facere, & pro mortuis ipsis orare, afferre & sacrificare instituit.* Adrian. 1. quis Adrianus. I *Papa magis ædilis Curulis, quàm fidelis pastoris gregis Christi functus est. Adhæc mortuo Carolomanno, Francorum Rege & Caroli fratre Bertha eius vidua cum duobus filijs ad Adrianum hunc venit, impetratura, vt eos confirmaret, & in paternum regnum inungeret. Adrianus autem, ne Caroli animum à se alienaret, pupillos reiecit & in Reges eos inungere recusauit: imò tam matrem, quàm filios, cum Desiderio Longobardorum Rege, regno, vxore, & liberis in perpetuam seruitutem dedit. Sic Dei in terris vicarius viduæ causam, & orphanorum clamores audiuit: & hæc est illius pietas, quam Bellarminus hoc loco in eo commendat.* Tarasius, Tharasius quis *cuius etiam mentionem facit Iesuita, homo facundus & audax, in aula Imperatoris militem & scribam agens, Patriarcha Constantinopolitanus ordinatur.* Damascenus, *inclinante tum* Damascenus quis. *eius tempore verâ doctrinâ, & reuelante se apertè iniquitatis mysterio, tot pudendos & non ferendos errores fouit de libero arbitrio, de iustificatione, de honore & cultu Sanctorum, de Imaginum adoratione, de Cœna Domini, de Antichristo & Purgatorio, vt scripta eius non magnam admodum apud omnes pios authoritatem mereantur: atque hi, cum eiusdem farinæ hominibus, nempe Leontio, Iona Aurelianensi & Paulo Diacono, sunt illi sancti, pij & docti viri, qui defenderunt adorationem Imaginum quosque hic Bellarminus præ cæteris honoris causâ nominat. Obseruet autem Lector, ne vnicum* Nota Lector. *quidem Patrem ab eo nominari ex tota vera antiquitate vsque ad annos Christi 700. qui Imagines coluerint, aut adorationem earum approbârint. Nos igitur veriùs sic in contrariam partem argumentari possemus; Patroni ac defensores Imaginum, earumque adorationis fuerunt homines superstitiosi, Antichristi, multis erroribus inquinati, &c. Hostes autem earum fuerunt Deus ipse, Prophetæ, Apostoli & vniuersus chorus Patrum veræ primitiuæ Ecclesiæ, homines sanctissimi, pijssimi & doctissimi iudicio omnium: Ergo verior est horum sententia & doctrina de cultu & adoratione Imaginum, quàm illorum.*

DECIMVM *argumentum pro adoratione Imaginum petit Iesuita, ex infelici exitu Iconomachorum, hoc est, eorum, qui adorationem & cultum Imaginum damnârunt: & felicitate eorum qui Imagines defenderunt. Declamitat deinde Iesuita ex Zonara, Paulo Diacono, Palmerio Idololatris & superstitiosissimis Monachis*, vt tempore Leonis III. Imper. posteaquam Imagines in foro Constantinopolitano crematæ essent, orta sit grauissima pestilentia: Vt Leo & Successores eius amiserint illo tempore imperium Italiæ, nec vnquam amplius recuperarint: Vt tempore Constantini Copronymi terræmotus, pestis & aliæ inauditæ calamitates Orientem inuaserint: Vt Constantinus Copronymus miserè perierit, & è contrario Pi- Argumē- tū 10 Bellarmini pro adoratione Imaginū refutatur.

pinus

pinus & Carolus ad Imperium prouecti feliciſſimè regnârint. *Reſpondeo primò ex Ethnico Poëta.*

Pereat ſucceſſibus opto,
Quiſquis ab euentu facta notãda putat.

Aut ſi hoc Ieſuitæ argumentum ſit legitimum, poſſumus nos quoque huius generis in contrariam partem multa proferre. Nam Irene, *quæ author fuit, vt cultus & adoratio Imaginum decerneretur, fœmina fuit crudeliſſima: Filium ſuum Conſtantinum oculis, imperio & vitâ etiam priuauit: ſoceri ſui Conſtantini Imperat. corpus effoſſum, publicè cremari juſſit, ac cineres in mare diſpergi: Aſtrologis nimiùm credendo, regni vires & opes exhauſit: multis linguas præcidi juſſit. Sol, ſub eius imperio, obtenebreſcit, & ad dies ſeptendecim radios ſuos ita amittit, iuxta Eutropium, vt maris naues errarent: mundus enim tenebris dignus erat, quoniam in luce ambulare nolebat. Terra, vt quæ horreret tam immanem Idololatriam, adeò vehementer concutitur, vt de ruina Conſtantinopoleos metus eſſet, & omnes ciues extra domos fugerent in hortos & agros, ibique tentoria figerent, vt Paulus Diaconus libro 23. Rom. rerum refert. Sed Idololatræ nihil tantis permoti miraculis, in ſuperſtitione & Idololatria perſeuerârunt. Deinde Imperium Romanum ſub Irene plus detrimenti accepit, quàm ſub Leone* III. *& Conſtantino, à quibus fortiter defenſum & retentum eſt: Fuit enim Leo* III. *Imperator fortiſſimus: eius filius Conſtantinus multa præclarè geſſit, fines Imperij recuperauit & ampliauit, vt ex hiſtoria eius conſtat. Quòd autem ſub his Imperatoribus Italiæ regnum amiſſum eſt, nec id recupare vnquam potuerunt Conſtantinopolitani Imperat. quorum obſecro perfidiâ, fraude & dolo id factum eſt Bellarmine? certè Pontificum Romanorum, quorum cauſam tu agis. Quando autem Conſtantinopolis à Mahumete 2. Turcarum Imper. capta eſt? tunc quidem, quando omnes omnium Sanctorum Imagines, inprimiſque Beatæ Mariæ Virginis religioſiſſimè in ea vrbe cultæ, circa vrbis mœnia geſtatæ, & adoratæ ſunt. Et tamen audet cauſam earum calamitatum, quæ ſub Leone & Conſtantino acciderunt, in deſtructionem Imaginum, & prohibitionem adorationis earum transferre? Denique, quid reſpondebit Ieſuita de cladibus, quas Eccleſia Dei & regnum Iuda ſub Ezechia & Ioſia ſanctiſſimis Regibus, perpeſſa eſt: ſcilicet eas etiam deſtructioni ſerpentis anei, & reformationi ab iis inſtitutæ adſcribet, &c.*

CAPVT XVII.

VII. Quo genere Cultûs IMAGINES honorandæ ſint.

TOTA *hæc diſputatio, quam Bellarminus hoc capite, & ſequentibus* 5. *inſtituit, de genere cultûs Imaginum, eſt inutilis & ſuperuacanea. A quocunque enim remouetur genus, ab eodem remouetur & ſpecies. At nos præcedente capite cultum omnem, præſertim religioſum, ab Imaginibus remouimus: Ergo ſuperuacaneum eſt diſputare, quo cultûs genere Imagines ſint honorandæ & colendæ. Examinabimus tamen Ieſuitæ rationes, ſed, propter dictam cauſam, breuiſſimè.*

Primò, de hac quæſtione tres Scholaſticorum adducit ſententias, & quidem, vt ipſi videtur aliquo modo diuerſas ſeu contrarias. Vnde colligitur, totum hoc ipſorum dogma de cultu & veneratione Imaginum, eſſe apud illos dubium, incertum, & anceps. Nam Alexander Alenſis & Durandus docent, Imaginem nullo modo in ſe colendam, ſed ſolùm coram Imagine colendum prototypum ſeu exemplar. *Thomas autem, Caietanus, Bonauentura, Marſilius, Almayn, Carthuſianus, Capreolus & alij docent:* eundem honorem deberi Imagini & exemplari: & proinde Chriſti Imaginem eſſe adorandam cultu latriæ, Mariæ cultu hyperduliæ, Sanctorum aliorum cultu duliæ. *Martinus Pereſius autem Catharinus, Sanderus & Biel, mediam quandam inter has duas ſententias tenent: nempe,* ipſas Imagines in ſe, & propriè honorari debere, ſed honore minori quàm ipſum exemplar, & proinde nullam Imaginem adorandam eſſe cultu latriæ.

Discordia Scholaſticorũ de genere cultûs Imaginũ.

Has diſcrepantes ſententias vt conciliet Ieſuita, tres diſtinctiones fingit. Primo eſt, quædam per ſe, quædam per accidens honorari: *Secunda,* quædam propter ſe, quædam propter aliud. *Tertio,* quædam propriè, quædam impropriè coli.

His poſitis, affirmat Ieſuita, Imagines Chriſti & Sanctorum venerandas eſſe non ſolum per accidens, vel impropriè, ſed etiam per ſe & propriè, ita vt ipſæ terminent venerationem vt in ſe conſiderantur, & non ſolùm vt vicem gerunt exemplaris. *Vult igitur Bellarminus,* Imagines ipſas eſſe proprium adorationis eorum, qui eas colunt, terminum. *Hæc autem eſt blaſphemia magna, à qua Ethnicorum quoque multi abhorruerunt. Sed probat Ieſuita.*

Primò, quia Nicæna ſecunda Synodus definit, Imagines Chriſti eſſe venerandas, ſed non latriâ. *Vult igitur Bellarminus, Synodum decreuiſſe,* Imagines per ſe & religioſè colendas. *Reſpondeo per negationem conſequentiæ: Nam coli poſſunt Imagines ciuiliter, & tantum propter ipſorum exemplar: quemadmodum Traiani mortui ſtatua triumphans, Sexto Victore teſte, non propter ſe, ſed ciuiliter ſolùm, & propter Traianum prototypum honorabatur.*

Imagines iuxta Bellarminum, ſunt proprius adorationis eorũ, qui eas colunt, terminus

Secundò & tertiò ratio ſumitur ab authoritate Nicænæ 2. Synodi, quæ anathema dicit

iis

Irene Imperatrix quæ fuerit & qualis.

iis, qui negant Imagines venerandas esse. *Item, definit*, Imagines venerandas esse eo modo, quo honorantur vasa sacra & Euangelia. *Respondeo, Illa Synodus est idololatrica & verbo Dei contraria, ideóque in Francofurtensi Synodo damnata, ac propterea decreta eius neminem obligant. Notet tamen Lector, quòd Iesuita in prima ratione dicit*, Si Imago non sit veneranda nisi impropriè, quia nimirum coram illa, vel in illa, aut per illam adoratur exemplar, licere certè simpliciter negare, Imagines venerandas esse. Quod enim non dicitur nisi impropriè, simpliciter negari potest. *At si cultus aliquis Imagini debetur, certè impropriè illis debetur, nempe propter prototypum vel exemplar saltem. Simpliciter igitur & verè dici potest, Imagines non esse venerandas. Deinde in tertia ratione dicit*, Imagines esse venerandas eo modo quo Euangelia & sacra Vasa coluntur. *Vbi Synodus Nicana 2. & Iesuita pro paribus sumunt, quæ sunt imparia. Et colenda quidem sunt Euangelia ac Vasa sacra, sed non cultu religioso & adorationis, quo modo volunt Imagines colendas esse.*

Quarta ratio Bellarmini est, In Imaginibus ipsis inesse aliquid sacrum, quia sacro cultui consecrentur: Ergo ipsas in se, & non solùm vt prototypi vicem gerunt, honore dignas esse. *Respondeo, Negatur antecedens: non enim diuino cultui sunt consecrandæ Imagines, quia à Deo prohibitæ sunt: & si sic consecrantur, nil nisi profanum continent & meram Idololatriam.*

Capite 22. probat Iesuita, Imagines non esse adorandas latriâ. *Hoc etiam nos docemus, & proinde cum Bellarmino nobis de hoc nullum est certamen. Nam Augustinus Epistolâ 119. capite 11. clarè scribit:* Prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo, non quia non habet Imaginem Deus, sed quia nulla Imago ejus coli debet, nisi illa, quæ hoc est, quod ipse. *Idem docuit etiam Gregorius Magnus libro septimo, Epistolâ 109. & libro nono, Epistolâ nonâ. Irenæus item libro primo, capite vigesimo septimo, & Epiphanius hæresi 79. Neque valet Iesuitæ effugium*, hos Patres tantum loqui de adoratione latriæ. *Nam hoc falsum est, negant enim vllo cultu adorari debere; argumentum namque Gregorij, quo adorationem Imaginum prohibet, ad omnem cultum religiosum extendi potest:* Scriptura, *inquit*, docet, omne manufactum non licere adorare, quoniam scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi SOLI seruies: *Vbi adorationem & religiosum cultum omnem* SOLI *Deo adscribit.*

Capite 24. probare conatur, Imagines posse coli impropriè, vel per accidens, eodem genere cultûs, quo exemplar ipsum colitur, nempe latriâ. *Respondeo, hæc sententia manifestè cum Scriptura pugnat, quæ dicit*, Domino Deo tuo SOLI λατρεύσεις *vel* seruies: *quibus verbis omnibus creaturis Latriæ cultus negatur, &* SOLI *Deo tribuitur. Deinde, quasi sui oblitus, dicit, & probare conatur*, quòd possit Imago adorari latriâ, & adoratione ipsius exemplaris, propriè quidem, sed per accidens. *Nam prius apertissimè Scripturæ contrarium est, vt diximus: Quod ad posterius attinet, si propriè colitur Imago latriâ, quomodo id fit per accidens? Vnde capite sequente 24. seipsum expressè refutat, inquiens:* Imago per se, & propriè non est adoranda eodem cultu, quo ipsum exemplar: & proinde nulla Imago est adoranda cultu latriæ per se, & propriè. *Et quia hoc probat per totum caput 24. ideo illud quoque contra nos nihil facit, qui docemus*, Imagines neque per se nec propter aliud; nec propriè nec impropriè seu per accidens; nec latria nec alio cultûs genere colendas & adorandas esse.

Capite 25. docet, Cultum, qui per se, & propriè debeatur hominibus, esse cultum quendam imperfectum, qui analogicè & reductiuè pertineat ad speciem ejus cultûs, qui debeatur exemplari. *Hoc sic explicat, vt fateatur apertè*, Imaginibus non conuenire propriè nec latriam, nec hyperduliam, nec duliam, nec vllum alium eorum, qui tribuuntur naturæ intelligenti: Non enim esse capacem, rem inanimam, & rationis expertem ejusmodi cultum: sed cultum quendam inferiorem & varium pro varietate Imaginum. *Respondeo, frustra igitur hucusque miser Iesuita laborauit pro astruendo cultu Imaginum: & quia cultum, qui Imaginibus debetur, nec nominat, nec nominare potest nisi quòd illum analogicum, reductiuum, & duliâ inferiorem cultum appellat, propterea nec nos ei respondere possumus.*

CAPVT. XVIII.

VIII. De CRVCE vera Christi, eiusque Cultu & Adoratione.

INgreditur iam Bellarminus disputationem longam & ostentationis plenam de Cruce *Christi. Nam cap. 26. eorum sententias & argumenta commemorat, qui cultum & adorationem Crucis Domini improbârunt, quæ omnia repetit cap. 30. vbi & nos, quum eò peruentum fuerit, ea discutiemus.*

Deinde capite sequenti 27. agit primò de forma Crucis: secundò, *de quatuor generibus lignorum, ex quibus Crux Christi facta sit:* tertiò, *de Labaro vexillo Imperatorum Roman:* quartò, *de modo crucifigendi communi: quæ omnia ad rem nihil pertinent.* Quintò *tandem ad rem ipsam, de qua inter nos controuertitur,*

accedit, *nempe* ad Cultum & adorationem Crucis, in qua Christus crucifixus fuit, eamque venerabilem & honorabilem apud Christianos esse debere, & ὑπερδουλείᾳ colendam, *aliquot rationibus probare conatur.*

Crucis signum in magno honore habitum à veteribus Christianis.

Vbi ante omnia fatemur signum Crucis in magno honore habitum à Christianis fuisse, cùm propter publicam contumeliam ignominiamque, in qua communi omnium mortalium iudicio fuerat, summum enim in eo genere supplicij dedecus inesse iudicarunt, & insignis etiam amentiæ duxerunt, honorificè de eo sentire, vnde etiam Augustinus in Psalm. 141. *Crucem vocat*, Ipsam ignominiam; *& Chrysostomus in Laudibus Pauli hom.* 4. Mortem Christi *dicit* apud Iudæos maledictam,apud Gentiles verò abominandam: *Tum etiam propter illud diuinissimum redemptionis nostræ pretium, quod in ea oblatum fuit. Has ob causas fideles, qui Christo nomen dederunt, in cunctis sermonibus suis, totaque vita ratione, illam tantò magis ornare atque extollere consueuerunt vt hostes Crucis Christi, Iudæos pariter & Gentiles,morderent, eisque agrè facerent. Hinc etiam primi Christiani, vt Theodoretus scribit libro tertio, capite* 27. vbique & in publicis conuentibus, & in celeberrimis vrbium locis, crucis victoriam ac triumphum promulgârunt & prædicârunt. *Nec illos pudebat, vt Chrysostomus scribit in homil. Quòd Christus est Deus*, Crucis signum, & rebus suis gestis, & facultatibus omnibus tanquam legitimum quoddam insigne adscribere. *Quin etiam quò mundus paulò altiora de Christi morte cogitaret, Deus nonnunquam stupenda miracula per eam edidit, quemadmodum de Pauli semicinctiis. de Helisæi ossibus & de Petri vmbra legimus. Tum etiam primus Imperator Christianus Constantinus cùm eam tam illustrem & honorificam esse factam videret, quæ priùs inhonesta & dedecoris plenissima visa est, quò eiusdem dignitatem atque existimationem augeret & amplificaret,lege latâ cauit, ne quis deinceps nocens in crucem ageretur. Quin etiam* Labarum, *quod ante Imperatores gestari solebat & à militibus summâ veneratione coli, Constantinus in formam Crucis redegit, vt suprà cap.*10. *indicauimus, sic tamen vt etiam vexilli formam non amitteret. Nos igitur Crucem veram, in qua pependit Christus, si vspiam in terris exstaret, reijciendam aut aliquo contumeliæ vel ignominiæ genere afficiendam minimè docemus, sed cultu tantum religioso colendam & adorandam esse negamus. Hoc autem probat Bellarminus sequentibus rationibus.*

De Cruce orthodoxorum sententia.

Argumentû 1. *Bellarmini pro Crucis cultu religioso.*

PRIMA *est*, Christus sponte elegit Crucem, & quidem elegit vt Altare summi sacrificii, quo placaretur Deus; vt scalam sibiipsi ad regnum; vt instrumentum liberationis generis humani; ac demùm vt instrumentum quod Diabolum vinceret, ac de eo triumpharet: Ergo Crux hæc nobis omnibus amabilis & venerabilis esse debet. *Respondeo, vtitur Iesuita hoc loco duabus fallaciis: prima est. A non causa vt causa; altera, A petitione Principij. Non enim Christus elegit Crucem propter causas, quas recenset Iesuita: sed quod Cruci Deus maledictionem imposuit, Deut.* 21. *Galat.*3. *vt sic ipse maledictio pro nobis fieret. Falsum est etiam, Crucem ipsam, seu lignum hoc in quo pependit Christus, aliquid vel ad nostram salutem,vel ad victoriam contra diabolum obtinendam, tanquam causam aut instrumentum, contulisse.*

Crux cur Ara seu Altare vocetur.

Quòd autem Crux hæc interdum vocatur Ara, *vel* Altare *sacrificij à Christo pro nobis facti, est locutio tropica, quâ veteris legis figuræ ad mortem Christi applicantur. Per similitudinem igitur quandam, non rei veritatem hoc dicitur, sicut & illud, quòd Crux.* Scala *appellatur, per quam Christus in cælum ascendit. Loci ex Damasceno citati, nihil probant, quia non ex vera illorum, quæ afferuntur, rerum, sed ex allegorica interpretatione colliguntur.* Sed tamen, *inquit Iesuita*, Christus ipse serpentem æneum ad mortem suam accommodat. *Nam Christus ibi nihil agit de ligno in quo pependit serpens, & cruce suâ ligneâ, nec mortem suam cum serpente illo comparat: sed tantum de exaltatione sua in Cruce loquitur. Locus etiam ad Galat.*6. Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini Iesu Christi, *nihil ad rem facit: Crux enim ibi pro Crucifixo,& pro ipsa morte Metonymicè, non pro ligno Crucis sumitur. Similiter verba Apostoli Coloss.*2. *de* Chirographo peccatorum nostrorum Cruci Christi affixo, & in ea deleto, *non de ipso ligno, in quo passus est Christus, sed de Christi pœna & morte intelligenda sunt, quâ peccata nostra expiauit, nosque ab iis plenè liberauit. Est igitur fallacia Æquiuocationis in dictione* Crucis.

Argumentû 2. *Bellarmini pro religioso cultu Crucis.*

SECVNDA *ratio Bellarmini desumpta est ex allegorica Crucis interpretatione. Sic enim argumentatur:* Crux Christi, & illius figura seu forma, magna arcana allegoricè significat; *& explicat Iesuita totâ columnâ* 2161. Ergo est veneranda & adoranda. *Respondeo per negationem consequentiæ. Nam allegorica interpretationes tantùm faciunt ad vitæ institutionem seu correctionem, non autem ad dogmata fidei comprobanda: Ex allegoriis enim non ducuntur argumentationes necessariæ, sed tantum probabiles & verisimiliter suadentes,sicut rectè etiam docet Augustinus in Epist. ad Vincentium.*

Argumentû 3. *Bellarmini. De inuentione Crucis.*

TERTIA *ratio sumitur à miraculosa Crucis eius, in qua pependit Christus, inuentione: Vnde colligit*, Deo placuisse etiam vt Crux illa colatur & adoretur, alioquin illam non reuelâsset. *Respondeo, hanc rationem esse*

esse fallaciam à non consequente. Iesuita enim aliud ponit in antecedente, aliud verò in consequente. In antecedente loquitur de Inventione Crucis; in consequente de adoratione eius. Falsa est igitur argumentatio; Vini inuentio placuit Deo, ergo & abusus Vini & ebrietas: Est enim religiosus cultus & adoratio Crucis abusus eius. Deinde, est etiam hac Bellarmini argumentum fallacia. Ab Ignoratione Elenchi, & diuersorum finium confusione in vno eodemque opere inuentionis. Vt enim maximè concedamus illa omnia, quæ Ruffinus & Socrates in sua historia de Crucis inuentione narrant, & quidem ex aliorum potius relatione, quàm quòd illi de ea compertum aliquid habuerint, tamen alio fine Deus, alio item diabolus illam reuelari & inueniri voluit. Deus quidem, vt quoniam tunc prædicabatur in toto orbe omnibus populis Christus crucifixus, appareret hoc verè prædicari, & verè Christum crucifixum fuisse: atque hoc modo prædicationi Euangelij certior fides haberetur ab Ethnicis ex ipso aspectu Crucis; licet antea de tota re dubitâssent. Diabolus autem idem fieri curauit, vt nimirum sub honesto & speciaso pretextu Crucis, seminaria futuræ Idololatriæ & superstitionum spargeret. Quod igitur in Crucis inuentione est à Deo, Bellarminus cum eo confundit quod est à Sathana, & vtrosque fines dissimillimos commiscet. Nos vtrunque finem distinguimus: & damus, inuentionem Crucis fuisse à Deo, vt Euangelij doctrina confirmaretur & propagaretur; Inventionem verò eiusdem, vt religiosè coleretur & adoraretur, à diabolo esse.

Argumentum 4. Bellarmini.

QVARTA ratio sumitur à testimoniis & authoritate Cyrilli Hierosolymitani, Gregorii Nysseni, Paulini, Chrysostomi, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, qui Crucem, & particulas ligni de Cruce Domini magnis laudibus ornârunt: Hinc infert Iesuita, Ergo Crux illa colenda & adorand est. Respondeo, Patres, quos citat Bellarminus, omnes, religiosi cultûs & adorationis Crucis nau mentionem facere, imò ne vnicum quidem verbum hac de re extat in omnibus testimoniis quæ ex dictis Patribus hoc loco profert Iesuita: quantùmuis igitur longum Catalogum attexuerit, nihil tamen omninò eo probauit. Ac licet Eusebius in vita Constantini scribat, Constantinum Magnum cruce Christi, quasi propugnaculo & præsidio vitæ suæ vsum esse, certissimum tamen est, spem eius atque fiduciam, non in Crucis ipsa materia, sed in eo qui in cruce pependit, Christo videlicet, defixam fuisse. Nicephorus enim lib. 8. capite 32. scribit, Constantinum hæc verba in Cruce incldi curâsse, Ἰησοῦς χριστὸς νικᾷ, Iesus Christus vincit, Non Crux. Et quid Patres de Crucis ligno, eiusque adoratione senserint, vel ex vnica Ambrosio apertissimè intelligi potest. Is enim in Orat. funebri Theodosii,

Nota.

Helena, inquit: Imperatrix, quæ Crucem inuenit, titulum inuenit: Regem adorauit, non lignum vtique: quia hic Gentilis est error, & vanitas impiorum.

Argumentum 9. Bellarmini pro religioso cultu Crucis.

QVINTA ratio est ab exaltatione Crucis: ad quam capite sequenti respondebimus, quum ad miracula peruentum fuerit, quæ circa Crucis signum acciderunt.

Argumentum 6. Explicatur locus Iosue. 5.

SEXTA ratio Bellarmini est, Si locus, in quo Angelus stetit Iosue 5. c. terra sancta est; cur non magis Crux, vbi stetit Christus? Si sudaria & semicinctia Pauli honorabantur propter contactum; cur non magis Crux Christi sanguine respersa? Si Sacramenta honorantur, quia sunt instrumenta gratiæ; cur non Crux quæ instrumentum est redemptionis? Respondeo, pro paribus hic sumit Iesuita, quæ sunt imparia. Locus enim ille, siue terra, in qua Iosueo apparuit Angelus, non sanctitate illi inhærente sancta dicitur, sed quâ tandiu saltem sancta fuit, quandiu Angelus in ea stetit. Pontificij autem sanctitatem illam, quam tribuunt Cruci Christi, faciunt et perpetuam & inhærentem. Ergo sunt res dissimiles, de quibus tamen idem concludit Iesuita. Deinde Angelus ille, qui Iosueo apparuit hoc loco, erat Filius Dei, nondum in carne natus: De nullis autem locis, in quibus Christus humanitate sua fuit, vel stetit, dictum est Apostolis, vel aliis, Soluite calceamenta vestra, nam terra, in qua stas, sancta est, sicut Iosueo dictum fuit, & Mosi de ipso apparente ei in rubo. Cultus ergo hic non extendi debet ad omnia ea, vbi stetit Christus. De Sudariis & Semicinctiis Pauli, etsi fides eorum, qui talia fecere, laudanda est, modus tamen, quo potentiam Dei externis rebus alligârunt, non est probandus. Postremò, phrasis hæc Iesuitæ, Crucem ligneam instrumentum esse redemptionis nostræ, periculosissima est.

CAPVT XIX.

IX. De Imagine CRVCIS.

IN præcedenti capite Bellarmini argumenta examinauimus de ligno Crucis, in quo pependit Christus, religiosè colendo: In hoc agemus cum illa de Imagine, & figura Crucis; quorum vtrunque à nobis religiosè honorari & coli probare contendit.

Argumenti 1. Bellarmini pro cultu Imaginis & figuræ Crucis.

PRIMA eius ratio est testimonium Christi Matth. 24. c. Tunc apparebit SIGNVM filii hominis in cœlo. Hoc signum Patres interpretantur de Cruce Christi in qua pependit: vel saltem de eius Imagine facta ex aëre, vel igne in cœlo, iuxta Abulensem, Iansenium & Bellarminum: Ergo hæc Crux est colenda, & adoranda. Primò, tanquam Christi summi Imperatoris vexillum: nam etiam Ethnici milites suorum Imperatorum vexilla adorârunt

Digitized by Google

runt: *Secundò*, quia in cœlo apparebit: *Tertiò*, quia manibus Angelorum feretur: *Quartò*, quia clarius Sole splendebit. *Respondeo, Huic argumento inest fallacia A non consequente. Non enim sequitur, Crux ante novissimum diem apparebit in cœlo: ergo est veneranda & adoranda. Nam multa alia signa filij hominis tunc in cœlo apparebant, in Sole, Luna & Stellis: nemo tamen dixerit, ea propterea religiosè colenda esse. Similiter non sequitur, Ethnici milites suorum Impera. vexilla adorârunt: ergo & fideles hoc vexillum Christi adorare debent: Nam si hac religiosa fuit adoratio vel cultus, Christianos imitari Ethnicos minimè convenit. Reliqua dua probationes sunt incerta, quia non ex Scriptura deprompta.*

Argumentū 2. Bellarmini

SECUNDA *ratio est petita ab authoritate trium Conciliorum, de quibus Iesuita scribit*, quòd Canones ediderint de veneratione Crucis. *Respondeo non hominum decreta, sed verbum Dei nos obligare, & docere quid credere, & quid in Cultu Dei prastare debeamus. Supra autem satis demonstratum puto, quid de Sexta Synodi Canonibus, atque etiam de Septima Pseudouniversali tenendum, sentiendumque sit. Synodum 8. ipsemet Bellarminus confutavit & reiecit.*

Argumētū 3. Bellarmini.

TERTIA *ratio sumitur ab usu & testimoniis veterum. Ex Iustini Apologia 2. hac verba citat.* Signa & notæ, quæ apud nos sunt, hujus rei (*crucis*) virtutem declarant. *Respondeo, in his verbis ne syllabam quidem esse, ex qua adoratio Crucis exprimi possit. Imò Iustinus in eadem Apologia & Dialogo cum Tryphone*, Imagines ad cultum propositas simpliciter damnari docet. *Tertullianus etiam in Apologetico capite 16. ne verbum quidem habet, quòd Crux à Christianis adoretur. Et qua eius fuerit sententia de cultu & veneratione Imaginum supra cap. 10. multis eius testimoniis indicatum est. Origenes etiam ne jota quidem habet in iis verbis qua citat Iesuita, de adoratione crucis: & quid ille senserit de cultu Imaginum supra quoque videre licet.*

Patrū testimonia contra Crucis adoratione.

Nos verò contra venerationem & cultum religiosum Crucis longè evidentiora & clariora Patrum habemus testimonia. Arnobius *lib. 8. contra Gentes scribit*, Nos Cruces nec colimus, nec optamus. Cyrillus *etiam lib. 6. contra Iulianum disertè negat*, signum Crucis à Christianis vel coli vel adorari. *Et Ambrosius de Helena*, Regem adoravit, non lignum utique.

De cultu Crucis veterum.

Hanc rationem amplificat Iesuita ab exemplo nonnullorum Imperatorum Christianorum, qui Crucis Imaginem in magno pretio habuerunt. De Constantino Magno sic scribit: Constantinus Magnus Labarum in formam Crucis redegit. Quia verò Labarum adorabatur à militibus, nunquam Constantinus Crucem in Labato posuisset, si putâsset, esse idololatriam venerari Crucem. *Respondeo primò, Vtitur hoc loco Iesuita fallaciâ A non causa ut causa. Non enim Constantinus Labarum, quòd à militibus religiosè colebatur, & adorabatur, in Crucis formam redegit, ut milites assuescerent Crucem venerari, eamque ad eundem modum, quo Labarum, adorare: sed potius, ut sic eos ab hac Idololatria avocaret. Testatur hoc apertissimè Sozomenus, qui lib. 1. capite 4. scribit*, Constantinum nobilissimum hoc Romani Imperii symbolum, ob id potissimùm in signum Christi mutâsse, ut jugi illius aspectu subditi Patriis ritibus desuescerent, & hunc solùm Deum esse reputarent, quem Imperator & coleret, & ducem auxiliatoremque contra hostem in bellis haberet. *Qui sunt autem ritus illi patrij, quibus Constantinus subditos desuescere voluit? Nulli certè alij, quàm veneratio religiosa, & adoratio Labari.* Secundò *respondere possemus contra Eusebium, & Sozomenum, qui hac in re, ut alijs multis, Eusebium sequutus est, Constantinum Magnum Labarum non primùm in formam Crucis redegisse, quod etiam Baronius attestatur tom. 3. pag. 76. inquiens*: Non Labarum modò, sed & alia quoque fuerunt in exercitu militaria signa longè ante Constantini tempora signum Crucis præ se ferentia. *Et hoc probat Baronius Iustini, Tertulliani & Minutij Felicis testimoniis: proinde hoc argumentum Iesuita nullum est.*

Ad Theodosium Imp. quod attinet, eius edictum nihil ad religiosum Crucis, sed politicum & civilem tantum pertinet cultum, ut supra multis indicatum est, cap. 10. ex vero edicto Theodosii, ut ex Augustalibus libris à Petro Crinito lib. 9. de Honesta disciplina recitatur. Idem etiam de edictis Arcadij & Tiberij Impp. responderi potest: nam venerationis Religiosa & adorationis nulla prorsus in iis fit mentio.

Carmen quod Lactantio adscribit, non est Lactantij. stylus enim hoc prodit.

Chrysostomus quidem excogitaverat primus, ut Socrates refert lib. 6. capite 8. contra Arianos argenteas cruces, quibus erant imposita cerea faces accensa, ut nocturnis conventibus adhiberentur saltem, non adorarentur. Idem etiam Chrysostomus in libro, Quòd Christus sit Deus, dicit quidem, suo tempore crucis figuram omnibus in locis depingi solitam, in urbibus, in domibus, in cubiculis, in vasis, in solitudine, in montibus, &c. *non autem adorari solitam fuisse dicit. Ita solent hodie etiam Principes & Magistratus Evangelici eadem Cruce in signis & vexillis suis domi militiaque uti, varijs & formis & coloribus expressâ, quò se sub Christi vexillo militare testentur: nequaquam verò solent eam religiosè colere vel adorare.*

Augustinus in Iohannem tract. 36. & Cyrillus lib. 6. in Iulianum apertè monstrant, Chri-

ſtianos non ſolitos olim, & eo quidem tempore Crucis Imaginem vel ſignum religioſè colere, ſed iis figuris duntaxat vſos ad ſuæ, Chriſtianæque fidei teſtimonium publicè edendum. *Ineptè igitur ex illis colligit Ieſuita, iſtas Imagines religioſè cultas, vel ab iſtis adoratas fuiſſe. Ad Poëtarum teſtimonia, qua profert Ieſuita, quod attinet, Reſpondeo ex Catonis diſticho:*

Nam miranda canunt, ſed non credenda Poëtæ.

Sunt igitur iſta rhetoricationes Poëtarum, non oracula Prophetarum: legantur igitur iſta, ſed non credantur.

Argumentum, Bellarmini, 4. pro adoratione Imaginis Crucis ab authoritate Miraculorũ

QVARTA *ratio Bellarmini ſumpta eſt à Miraculis Crucis. Vnde tale argumentum formari poteſt:*

Si veneratio Imaginis Crucis Chriſti, Lege Dei prohiberetur, Deo vtique diſpliceret.

Atqui non diſplicet: alioquin non approbaret Miraculis, quæ edidit, & edit etiam nonnunquam in beneficium eorum, qui illam venerantur. Ergo.

Atque hic multa Miracula congerit Ieſuita, innumerabilia alia proferunt alij, quæ partim teſtimonia habent ex probatis authoribus: partim ſolent ſubinde contingere in Mundo. Reſpondeo

De miraculis ad Imaginẽ crucis editis.

primò *in genere, Nullam ex ſolis Miraculis authoritatem & fidem vlli rei vel doctrinæ conciliari, ſed ex ſolo eius cum verbo Dei ſcripto conſenſu. Probare igitur ex verbo Dei ante omnia Bellarminus debuit, Imaginis Crucis religioſum cultum Deo placere, & tum demum ſua Miracula proferre. Nam & Sathanas & Antichriſtus ſuas quoq; blaſphemias Miraculis confirmant.* Secundò, *multa narrantur Miracula ad Crucis ſignum facta, quæ ita fabuloſa ſunt, vt non tam riſum legentibus moueant, quàm faſtidium afferant: qualia nonnulla leguntur apud Gregorium M. in Dialogis; & in Nicæna 2. Synodo: innumerabilia verò in libris Monachorum.* Tertiò, *concedimus ad Crucis ſignum ſæpenumero viſum fuiſſe Diabolũ ex iis, quos obſederat, aut ex locis, in quibus ſuæ præſentiæ ſigna dederat, aufugiſſe: ſed reuera fugam tantùm ſimulauit, vt hoc pacto Crucis venerationem confirmaret, & homines ad eius adorationem excitaret. Interim non dubito, quin etiam aliquando reuera fugatus fuerit diabolus ad ſignum Crucis, vt Augusti. multa narrat vera miracula conſignatione Crucis facta fugatumque diabolum, de Ciuit. Dei, lib. 22. cap. 8. Sed non propter vim ſigni Crucis, ſed propter virtutem fidei in Chriſtum crucifixum, quâ præditi erant & ſunt fideles, in fugam vertebatur & vertitur diabolus: ſicut contrà in Sacramentis communicatur nobis gratia Dei, non propter virtutem Sacramentorum quæ ſumimus, ſed propter vim fidei in Chriſtum, quâ illis communicamus. Solet etiam Deus permittere, vt ad Crucis aliaſque Imagines edantur miracula vera, quantum ad effecta ipſa attinet: ſed interim non ſequitur, Deum idololotrias, quæ per talia miracula confirmantur, probare: Sed facit id, partim ad tentandos electos, an ſint in fide & verbo Dei conſtantes: partim ad maiorem reproborum excæcationem, vt in eis peccata puniat peccatis.* Quartò, *Crux quam in aëre Conſtantinus Imp. vidit: nota quæ vel aſperſa, vel inuſtæ operariorum veſtibus fuerunt, &c. nihil aliud fuerunt, quàm tranſuerſa quædam linea, non Imagines. Deinde eadem cruces non in Templis, ſed foris in aliis locis, in aëre, in agro, in operariorum tunicis, in priuatis ædibus poſita fuerunt, vt ex iis exemplis quæ à Bellarmino & aliis proferuntur manifeſtum eſt.* Denique *ex hiſce omnibus, quæ à Ieſuita afferuntur, minimè conſtat, quenquam eo tempore edoctum fuiſſe, vt ſe ad eas Cruces prouolueret, aut diceret,* Aue Crux, ſpes vnica, &c. *aut diuinum eis honorem exhiberet. Quod quum Bellarminus non docuerit quantumuis longam orationem inſtituit, nihil omnino effecit.*

QVINTA *ratio Ieſuitæ eſt à Minore ad maius.* Sic enim inquit:

Argumentũ 5. Bellarmini.

Si ſigna rerum ſacrarum ſancta & venerabilia ſunt, certè qualibet Crux ſancta & venerabilis eſt, quia gerit Imaginem Chriſti crucifixi.

Sed illud eſt, Ergo *& hoc.*

Reſpondeo *ad aſſumptionem, quæ eſt Petitio principij: Non enim omnia ſunt veneranda, quæ homines extra & contra verbum Dei inſtituunt, vt ſunt ſigna rerum ſanctarum: ſed ea ſolùm ſunt honeſtè honoranda, quæ Deus ipſe inſtituit; vt ſunt Sacramentorum ſigna.*

Nota Nicephori locum contra Staurolatras.

In fine huius capitis monendus de eo eſt Lector, quod Nicephorus ſcribit lib.18. cap 54. circa annos Chriſti 600. Crucis adoratores dictos fuiſſe Staurolatras & Chazinzarios, & ab vniuerſa Eccleſia tanquam hæreticos damnatos.

CAPVT. XX.

X. De Signo CRVCIS.

I*Am agit Ieſuita de Signo Crucis, quod vel in fronte, vel in aëre formatur & pingitur, vel ſuper quaſcunque res digito exprimitur, & omninò nullam ὑπόστασιν vel ſubſiſtentiam habet, ſed continuò diffluit. Hoc Crucis ſignum ſacrum eſſe & venerabile Ieſuita probare conatur.*

Argumentum 1. Bellarmini quod ſignum Crucis ſit venerabile.

PRIMO *ex Allegoricis interpretationibus quorundam locorum S. Scripturæ.* Sanguis, *inquit*, agni in poſtibus domorum Exod. 12. nihil aliud ſignificabat, niſi ſignum Crucis in frontibus Chriſtianorum, Auguſtino teſte de Chatechizandis rudibus cap.20. Item illud TAV, quod Ezechiel. cap. 9. jubetur deſcribi in frontibus gementium, apertiſſimè ſignum Crucis, quod in frontibus

potiſſi-

potissimùm pingimus, indicabat, teste Cypriano in libro contra Demetrianum, & Hieronymo in Comment. Ezech. His adde illud Apocal. 14. Habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus in frontibus suis: id est (*vt Iesuita interpretatur*) signum Crucis. Item Apoc.7. Nolite nocere terræ,& mari, neque arboribus,quoad vsque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Hoc signum Crucis docent Oecumenius, Beda, Anselmus & Rupertus in hunc locum.Iacob quoque cùm cancellatis benedixit filijs Ioseph Genes.48. significauit, fore aliquando tempus,quo benedictiones signo Crucis fierent. *Respondeo* primò *in genere, omnes has interpretationes esse allegoricas,& propterea ambiguas & incertas, nec quicquam firmi inde colligi posse. Interpretationes enim ista non ex verbo Dei sumpta, sed ab hominibus excogitata sunt. Deinde est fallacia A non consequente: Non enim sequitur, hoc in veteri Testamento præfiguratum est, ergo religiosè colendum est.* Secundò *respondeo in specie, Sanguinem Agni in postibus domorum, non Crucem Christi, sed Christi sanguinem repræsentâsse, juxta omnium interpretationes. Litera, de qua loquitur Ezechiel, nihil commune habet cum Crucis forma: loquitur enim de Hebraica litera, qua sic pingitur* ת, *& vltima est in Alphabeto Hebraico: Græco:Græca autem litera* T, *Crucis figuram refert:Propheta verò Hebraicè,non Græcè loquutus est. Aut si maximè verum est quod Hieronymus ad hunc locum scribit*, Antiquis Hebræorum literis. quibus vsque hodiè Samaritani vtantur;extremam Thau literam, Crucis habere similitudinem,*&c. nihil tamen vel inde Iesuita ad suum propositum euincere poterit. Nam litera illa nihil aliud fuit quàm transuersa quædam linea, non imago. Deinde hæc litera nominatur à Propheta,non vt eam pro Crucis forma ciuibus Hierosolymitanis colendam prostituat, eosque jubeat ad eam prouoluere ac dicere,* Aue Crux;Spes vnica,*vt Bellarminus vult:sed vt ea saltem ij consignentur, qui in vrbis occupatione seruandi erant. Significat enim Thau legem vel regulam. Nam cuicunque insculpta est lex & verbum Dei, adeoque regula fidei, in ipsum cor, is tutus est ab omni malo.*

Explicantur loci Apocal. 7.& 14. cap. *Locus Apocalyp.14. nequaquam de Cruce, ejus figura aut signo, vel alia aliqua externa nota, qua hominum frontibus infigenda sit, sed de nota animorum, qua sola fides est,omnium filiorum Dei signum. Sic etiam 7.cap.ad Crucis figuram minimè respicitur: sed prohibet Christus ibi Sathanæ ministris ne prohibendo & impediendo liberam verbi Dei prædicationem nocere hominibus pergant,priusquam obsignata sint mentes electorum: id est, docet, vtcunque prohibenda sit veritas, & obseruanda prædicatio Euangelij, multorum tamen animos ita muniendos (non Crucis signo) sed verbo Dei, & diuinaque inspiratione, quæ ita sit efficax in ipsis,vt seductio vel nullum locum habere,vel si habitura sit aliquem,in finem tamen perseuerare aut inhærere non queat. Nec obstat, quod Oecumenius, Anselmus & Rupertus hæc de Crucis signo intelligunt:nam illi recentiores sunt,& floruerunt quum omnis generis superstitiones iam in Ecclesia passim receptæ & approbatæ erant.*

Argument. 2. Bellarmini ab authoritate Patrum. SECVNDO *Bellarminus probare vult signum Crucis esse venerabile, ab Authoritate multorum Patrum, videlicet Dionysij, Iustini, Tertulliani, Cypriani, Cornelij Papæ, Origenis, Cyrilli Hierosolymitani, Athanasij, Basilij, Ephrem, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Martini & Paulini:* Qui omnes signo Crucis multùm tribuunt,& illud commendant: Ergo,*inquit Bellarminus*, est venerabile. *Respondeo, vtitur Iesuita fallaciâ Ab ignoratione Elenchi. Nam finem,propter quem nominati Patres, frontes & alia signârunt Crucis signo,ac illi magnas laudes tribuerunt, cum suo & Papistarum omnium fine confundit & commiscet: Ille erat in primordio Ecclesiæ sanctus & pius. hic verò est impius, superstitiosus & idololatricus. Ethnici insultare solebant Christianis, & eos fatuos appellabant, quòd Christum crucifixum adorarent vt Deum: respondit Augustinus omnium nomine Christianorum:* Cor quidem habemus, non tamen tale (*nempe stultum*) quale vos habetis: nè pudet nos crucifixi: sed in parte vbi pudoris signum est (*in fronte*) signum Crucis ejus habemus. *Causa igitur præcipua, eaque non improbanda, cur Christiani soliti fuerint frontes Cruce signare fuit,quia eo signo voluerunt testificari, se non pudere crucifixi. Hanc etiam eandem causam fuisse arbitror, quòd vbique soliti fuerint habere Cruces & crucifixos:& quòd etiam primi Imperatores ac Reges voluerint in suis nummis & vexillis signum Crucis habere, vt sic publicè testarentur, se esse Christianos,nec pudere Christi crucifixi. Erat igitur signi hujus inter Ethnicos vsurpatio, de Christo crucifixo ingenua confessio: & eam ob causam valde id commendârunt: cui mox accessit altera etiam causa, nempe Miracula, quæ ad hoc signum fiebant, de quibus paulò post. Hunc verè Patrum finem optimum Bellarminus commutat in pessimum, idololatricum videlicet signi Crucis; de quo ne somniârunt quidem Patres,sicut ex eorum testimonijs, quæ citat hoc loco Iesuita,facilè intelligitur.*

Cur veteres signo crucis frontes signarint.

Argument. 3. Bellarmini pro signi crucis veneratione à Miraculis. TERTIO *probat Iesuita suam sententiam à Miraculis,quæ ad signum crucis & per illud sunt edita. Respondeo, multa narrari Miracula ad crucis signum edita, quæ ita sunt fabulosa, vt etiam risum cuique mouere possint: hujus generis multa exstant apud Gregorium M. in Dialogis, in Nicena 2. Synodo,plurima verò in Monachorum historijs & libris. Deinde concedimus ad crucis signum, visum sæpe fuisse diabolum ex ijs*

Y 2 quos

quos obsederat, aut ex locis, in quibus suæ præsentiæ signa dederat, aufugisse: sed impostor reverà fugam tantùm simulavit, vt hac ratione Crucis superstitionem confirmaret, & homines ad ejus venerationem ac adorationem magis magisque excitaret. Interim negari non potest, quin aliquando reverà fugatus fuerit Sathan ad signum crucis; sic enim Augustinus multa narrat vera Miracula consignatione crucis facta, fugatumque ad eam sæpe diabolum dicit de Ciuit. Dei lib. 22. cap. 8. *Verùm non propter vim signi crucis, sed propter virtutem fidei in Christum crucifixum, quâ prædìti erant fideles, in fugam vertebatur diabolus: sicut contra in Sacramentis communicatur nobis gratia Dei, non propter virtutem Sacramentorum qua fruimur, sed propter vim fidei in Christum, quâ illis communicamus. Sed Bellarminus cum Iesuitis & Pontificiis omnibus, sicut in Sacramentis propter opus operatum, vt vocant, seu propter ipsam Sacramentorum perceptionem, volunt nos res ipsas Sacramentorum percipere: sic etiam ex vi signi crucis volunt fieri, vt diabolus in fugam conuertatur. Hinc etiam factum est, vt in Papatu recepta sit illa falsa opinio, quâ credunt, signo crucis à Papa præsertim & à sacrificis, omnia sanctificari, gratias conferri, remissionem peccatorum donari, cibos mundari ac benedici. Sed sacra literæ docent*, cibos sanctificari per verbum & orationem: *quia dum credimus verbo Dei, quod ait*, fidelibus nihil esse immundum, & omnia in nostrum vsum esse creata atque concessa: *& dum simul rogamus Deum, det gratiam, quâ benè & ad gloriam ipsius vtamur cibis: omnia nobis sanctificantur & munda fiant, quia nos mundi sumus per fidem. Sunt autem omnia munda mundis. Ac quod de cibis docet Apostolus, id de aliis quoque rebus multis intelligendum est.*

De Origine LVMINVM in TEMPLIS.

QVod autem non externo signo Crucis vim aliquam & efficaciam fugandi dæmones &c. *tribuerint Patres: non fidei in crucem, id est, mortem Christi, ex eo evidentissimè colligitur, quòd plerumque fidem & signum crucis conjungunt, atque ea de vtroque enunciant, quæ non nisi fidei soli adscribi possunt. Sic enim Athanasius in Orat. de Incarnat. Verbi: Si Crucis signo & fide in Christum pessundatur mors, clarum certumque haberi debet, indice testeque veritate, nullum omnino alium esse posse, quàm Christum, qui de morte trophæa & victorias retulerit, eaque debilitârit. Item: Mortem extinctam esse, & ipsam crucem factam esse victoriam contra ipsam, neque quicquam amplius posse, sed esse mortuam eam verè, non tenue documentum est, sed certa fides, quod illam omnes Christi discipuli contemnant, insultent, exhorreant nihil, ac signo crucis & fide in Christum eam, vt mortuam conculcent. Et rursus: Christus mortem in vnoquoque eorum debilitat, qui in ipsum credunt, ac signum crucis circumferunt. Et ne quid dubij relinquatur de sententia Athanasij, scribit Orat. eâdem: Et si homo naturaliter mortem expauescat, tamen vbi indutus est fidem crucis, ipsum res naturales vili pendere*, &c. *Quibus verbis nihil aliud significat, quàm fide in Christum crucifixum metum mortis vinci; siquidem fidei est victoria, quâ etiam mundum, teste Apostolo, vincimus. Quâ ipsa de causa, Epistolâ de Incarcat. Verbi; Idem Athanasius præclarè scribit: Dominum gloriæ crucifixum Deum esse confitemur, & cruce pro trophæo vtimur aduersus diabolum, & Christi virtus nostrum sigillum est ad salutem*, &c. *Ex his locis Athanasij alij ejusdem Patris sunt explicandi. Vt, quòd Orat. de Incarnat. dicit: Hoc signo omnes dæmonum præstigia propelluntur. Item: Signo Crucis omnia magica compescuntur, veneficia inefficacia idola vniversa deserta relinquuntur. Item: Veniat, qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis præstigijs dæmonum, & imposturis vaticiniorum, & in Miraculis Magiæ vtatur signo crucis, ab ipsis deriso, nomenque Christi inuocet; & videbit, quomodo ejus rei metu dæmones fugiant: vaticinia conquiescant, magiæ & veneficia trita iaceant.*

CAPVT XXI.

Argumenta Orthodoxorum *contra* Cultum & Venerationem CRVCIS *contra* Bellarminum defenduntur.

BEllarminus nostrorum argumenta contra Cultum & Venerationem Crucis proponit c. 26. & refutat c. 30.

PRIMVM *est, Crux dolorem & ignominiam Christo attulit, imò continet Patris maledictionem in filium: Ergo non est veneranda & colenda; sed potius execranda. Respondet Iesuita*, Si Crux solùm dolorem, ignominiam & maledictionem attulisset Christo, & meritò execranda esset: sed simul etiam attulisse lætitiam & gloriam, propter diabolum deuictum, & genus humanum redemptum: quæ lætitia & gloria tanta fuerit, vt dolorem & ignominiam illam priorem planè absorbuerit. *Respondeo. Est fallacia Accidentis. Nam Crux per se & propriè Christi ignominiam & maledictionem denotat: per accidens autem gloriam Christi. Sic Satanici hæretici coluerunt Satanam & Iudam, quòd per accidens causa salutis nostræ fuissent. Damnati autem propterea fuerunt à Patribus. Tribuere enim rei alicui accidens pro proprio ejus subiecto & effecto contra rationem est.*

SECVNDVM *argumentum est: Si crux quæ-*

uis

vis est colenda quia Christus in cruce corpore suo pependit, præsepia quoque colenda sunt omnia, quia Christus in præsepe iacuit: similiter etiam omnes lanceæ flagella spinæ & earum Imagines erunt colendæ, quia lancea, flagellum & spinæ tetigerunt corpus Christi. Similium enim similis esse ratio debet. Respondet Iesuita, Omnes Cruces fieri vt repræsentent veram Christi Crucem, & propterea omnes Cruces colendas esse: Non omnia præsepia, lanceas, spinas & flagella propter hoc fieri, vt repræsentent illa Christi: quòd si fiant vt repræsentent, esse & illa veneratione digna. *Respondeo, hac ratione error errori additur. Deinde est principij petitio: pro vero enim sumit, de quo est controuersia: nempe, Cruces omnes quæ in hunc finem fiant vt repræsentent veram Crucem Christi, colendas esse.*

TERTIVM *est, Si ratione contactus, vel quia instrumentum passionis fuit, crux adorari debet, oportebit etiam adorare labia Iudæ, quæ contigerunt os Domini osculando; & manum illius serui, qui Dominum tetigit cùm alapam illi inflixit: nam hæc omnia tetigerunt Dominum, & instrumenta passionis fuerunt. Respondet Bellarminus:* Inter Crucem & labia Iudæ, ac manus crucifixorum Christi, magnam esse differentiam: Nam Crucem Dominus elegit, & amanter amplexus est: at labia Iudæ, & manus impiorum Christus non elegit. Nos autem illa solùm amare & honorare debemus, quæ Dominus amauit & honorauit. *Respondeo, tam Iudam & Iudæos fuisse instrumenta mortis Christi à Deo ad hoc selecta, quàm Crucem. Sic enim Apostoli cum alijs fidelibus loquuntur. Actorum* 4. Coacti sunt verè aduersus sanctum filium tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel, vt facerent quæcunque manus tua & consilium tuum prius DEFINIERAT FACIENDA. *Excipit Iesuita*, Crux, quę fuit inanima, nullius sceleris fuit conscia, sicut os Iudæ, quod Christum osculatum est: & manus Iudæorum fuerunt consciæ sceleris in Christum perpetrati, & partes hominum hoc scelus perpetrantium exstiterunt. *Respondetur, Fuit quidem os Iudæ pars corporis eius: & manus Iudæorum partes eorum: sed tamen hæ partes tam non fuerunt sceleris istius per se consciæ, quàm Crux. sed hominum eorum anima tantùm. Similium ergo similis cultus & veneratio esse debet.*

QVARTVM *argumentum est, Magia est characteribus, figuris & signis tribuere vim & virtutem aliquam. Papistæ autem talem virtutem tribuunt signo Crucis: Ergo signo Crucis Magiam exercent. Respondet Iesuita*, hanc regulam valere in omnibus, exceptâ vnâ Cruce vel Crucis figurâ, quæ sit à Deo instituta ad magna Miracula edenda. *Respondeo, est hoc Principii petitio; pro certo enim sumit, quod est incertum, & nullo S. Scripturæ testimonio probatur.*

CAPVT XXII.

De Origine LVCERNARVM *seu* LVMINVM, CEREORVM & LAMPADVM in Templis Christianorum.

HABVERVNT *quidem Lucernas in suis Cœtibus vel Congregationibus Christiani aliquoties, Apostolorum quoque temporibus. D. namque Lucas Actorum* 20. *testatur*, lucernas plurimas in Cœnaculo illo accensas fuisse, in quo Paulus concionatus fuit. *Non hoc fecerunt autem, quòd Deum, qui lux æterna est, lucernis sebaceis aut cereis coli putarent. sed vsus hic necessitati seruiuit, nimirum, vt noctis tenebræ discuterentur, nec aliqua daretur turpitudinis suspicio. A D. Luca enim disertè* nocturnum tempus *exprimitur, quo vtique lucernas accendi opus est.*

Lucernas Apostoli in suis cœtibus habuerũt, & cur.

Et eandem ob causam post Apostolorum quoque tempora, lucernis in suis cœtibus vsi sunt Christiani, cùm illis propter insidias & persequutiones assiduas hostium, non nisi antelucanis horis conuenire liceret, sicut ex Plinij Secundi epistolis, & scriptoribus Ecclesiasticis colligere licet. Quæ causa cùm sublata sit. stultum fuerit, diurnam lucem lucernis arte factis adiuuare velle.

Pace autem per Constantinum M. Ecclesiis redditâ, nihilominus vsus iste lucernarum, sed nocturnarum, mansit: Certis enim temporib. eius ætate vigiliæ in Templis habebantur, vbi Christiani accensis luminibus, vigilantes precibus incumbebant, canendis Psalmis, & audiendo verbo Dei. Ita enim de Constantino M. Eusebius lib.4. in eius vita scribit: Sacras, *inquit*, vigilias ad diurnam vsque lucem continuauit, cereas candelas sublimissimas per totam ciuitatem accedentibus illis, qui ad id erant deputati. Erant autem lampades igneæ totum locum illustrantes, ita vt mysticas vigilias clarâ die splendidiores redderent. *Quin cereas candelas & lampades in locis conuentuũ à Constantino ipso accensas interdum fuisse, Eusebius ibidem indicat. Platina testatur quoque in Sylvestri I. vita*, Constantinum in vsum hunc luminum massæ Gargilianæ prouentum ex agro Sinuessano constituisse Solidos 400. addidisse & massam vrbanam, quæ in agro Antiati fuerit. *Imò, quod tamen valdè ridiculum est, ficta Constantini donationis author tradit*, Constantinum pro continuatione luminarium, quæ in S. Petri Templo Romæ ardebant, non modò possessiones, prædia & agros contulisse, rebusque diuer-

Lucernis habuerũt in suis cœtibus etiã post Apostolorum tempora & cur. Lucernarum vsum sed nocturnum in Tẽplis Constãtini etiam tempora mansisse, & cur.

sis ditâsse, verùm etiam in Oriente, Occidente, Septentrionali & Meridionali plaga, in Iudæa videlicet, Asia, Thracia, Græcia, Africa, Italia, & in diuersis insulis suam illi libertatem, id est, jus & potestatem concessisse, vt per manus beatissimi Patris Sylvestri, & ejus successorum omnia disponantur. *Oportet enim vt inaudita fuerit tunc temporis cereorum ac luminarium illorum caritas, quibus tuendis alendisque cùm vniuersi terrarum orbis, tum specialium quatuor ipsius partium vectigalia & annuos prouentus attribui oportuit.*

*Caterùm, vt ad propositum reuertamur, de Melane Episcopo Rhinocururæ, sub Valente Imp. Sozomenus retulit etiam lib.6.cap.*31. inuentum eum aliquando esse lychnos Ecclesiæ, extremum tanquam ministrum, parantem, & zonam oleo sordidatam super vestimentum habentem. *Et Epiphanius,* Matutini, *inquit,* hymni in Ecclesia perpetuò fiunt, & orationes matutinæ, lucernalesque simul Psalmi & Orationes *lib.*3. *tom.* 2. *in doctrina compendiaria de fide catholica. Meminit cereorum nocturnorum etiam Prudentius in hymno de S. Laurentio: & Hieronymus aduersus Vigilantium, vbi inquit:* Cereos non clarâ luce accendimus, quemadmodum tu frustra calumniaris: adhibemus autem lumina, vt temperamentum tenebrarum, vt vigilemus ad lucem, ne in tenebris tecum dormiamus. *Quibus vtique verbis Pater hic manifestè testatur, vsum cereorū accensorum non fuisse in Templis adhibitum interdiu, sed tãtùm ad tenebras noctis propulsãdas.*

Lucernarū vsus diurnus in Tēplis Hieronymi ætate cœpti aliquot in locis.

Fatetur tamen simul ibidem, esse nonnullos, qui etiam interdiu lucernas accendant, & moles cereorum, apud sepulchra Martyrum. Cumq; negare non posset ex Gentilium ritu sumptū id esse, ita respondet: Quòd si aliqui per IMPERITIAM & simplicitatem secularium hominum, vel certè religiosarum fœminarum, de quibus verè possumus dicere: Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde pendis? Neque enim Christus indigebat vnguento, nec Martyres lumine cereorum. Et tamen illa mulier in honorem Christi hoc fecit, deuotioque mentis ejus recipitur. Et quicunque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo: Vnusquisque in sensu suo abundet, *&c. Fides ergo Hieronymo in hac pugna aduersus Vigilantium id est, quod quisque sine verbo Dei ex suo sensu præsumit. Nec pudet virum alioqui eximium, magnâ orationis acerbitate, palàm tueri, quæ ipsemet fatetur fieri per* imperitiam *&* simplicitatem secularium hominum, aut certè religiosarum fœminarum, zelum quidem Dei, verùm non secundum scientiam, habentium. *Longè alia mens D. Augustino fuit, qui ad huiusmodi res conniuere, non autem mordicùs eas defendere solitus erat. Ita enim inquit:* Talia multa, propter quarundam vel religiosarum, vel turbulentarum personarum scandala deuitanda, liberius improbare non audeo. *Errat etiam in hoc Hieronymus, quòd honorem Christo exhibitum à Lazari sorore, cum cultu Reliquiarum confert: Nam sic paribus sumit quæ sunt imparia. Mulier enim illa Christo viuenti hunc honorem exhibuit: Pontificij verò cultum præstant Sanctorum corporibus & Reliquiis mortuis, ac omni ratione ac sensu carentibus.*

Idem Hieronymus contra Vigilantium affirmat, per totas Orientales Ecclesias moris fuisse, vt ad lectionem Euangelij accenderentur luminaria, jam sole rutilante: non vtique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Socrates quoque testatur, in Cæsarea Cappadociæ ac Cypro, die Sabbati & Dominico, circa vesperam cum lucernariis Episcopos atque Presbyteros scripturas interpretari: Tripartita historia libro 9. *capite* 38. *Vnde apparet vsum lucernarum & lampadum in Templis & sacris diurno tempore, iam tum Hieronymi ætate cœpisse, confirmatumque necessitate & consuetudine superiorum seculorum ob persequutiones, mansisse in Ecclesiis, & postea superstitionibus locum dedisse, quæ sequentibus seculis magis magisque inualuerunt: Scribit enim Nicephorus lib.* 14. *capite* 50. Eudociam Theodosii Imperatoris junioris conjugem, ex muliebri superstitione, ad lucernarum rationem Hierosolymis contulisse olei sextarios decies mille. *Gregorius etiam Magnus redditus certos ad luminaria in Ecclesia Pauli Romæ ordinauit. libro* 12. *indictione* 7. *epistolâ* 9.

Lucernarū vsus diurnus & nocturnus in Tēplis approbatus.

*Balæus Cent.*1. *Script. Brit.* Lumina in Templis Gregorium hunc primò approbâsse *dicit. Refert etiam Panthaleon in Chron.*

Lucernarum progressus in Tēplis superstitiosus.

Confirmauit quoque hunc vsum lucernarum & lampadum in Templis Sabinianus *Pontifex Gregorij successor, qui pontificatum Romanum tenuit circa annum Domini* 605. *is decreuit,* vt lampades in Templis continuè arderent: *Platina in vita eius. Supplem. Chronic. Cranz. lib.*2. *cap.* 1. *Metrop. Polydorus lib.* 6. *capite* 12. *Vnde* Honorius *Papa, qui Sabinianum mox est consequutus, tria candelabra Templo Pancratij Romæ destinauit, ex solido auro fabrefacta. Liber Pontificalis. Agatho quoque circa annum* 682. *ad luminaria Ecclesiæ Apostolorum & Mariæ, cui nomen Ad Præsepe, bis mille centum & sexaginta solidos erogauit. Zacharias circa annum* 745. *Romæ vnicuiq; basilicæ vectigal assignauit, vnde oleum ad lampades emeretur: Platina. Gregorius* III. *Papa instituit circa annum* 735. *vt in Cœmiteriis sanctorum Martyrum circumquaque positis Romæ, in die natalitiorum ipsorum luminaria ad vigilias faciendas deportarentur: Bibliothecarius, Ludouicus Pius cùm vidisset in*

Fulden-

Fuldensi Ecclesia lucernas ex adipe porcorum ali, promisit se in Italia donaturum isti Cœnobio olivetum: ut Rabanus indicat in epist. ad Ludouicum & Irmingardem uxorem eius: adeò creuerat tum in hisce rebus superstitio, ut omnes oleum & operam, quod aiunt, conferrent. Henricus etiam Leo Saxonum Dux Hierosolymis annuos redditus, quibus cerei ad sepulchrum Domini arsuri compararentur, instituit: ut Sclauorum Chronici Continuator lib. 2. cap. 7. indicat. Et hac quidem in re circa annum 1000. omnem modum sumptibus & magnificentiâ excedere cœperunt. Nam Desiderius Casinensis trabem ex ære fusilem, cum quinquaginta candelabris fieri curauit, in quibus totidem cerei in præcipuis festiuitatibus collocarentur, & ex eadem 30. lampades æreis uncis dependebant: Chronic. Casinen. lib. 3. Præterea sex candelabra magna, tres cubitos alta, ex argenteis laminis senarum librarum fecit: in quibus summis festis maximi cerei ad Altare accenderentur: Ibid. Ille ipse coronam argenteam librarum circiter centum, per gyrum viginti cubitorum, cum 12. extrinsecus prominentibus turribus, triginta sex lampadibus ex ea dependentibus, fabricari fecit, Ibidem cap. 31. Quin habuerunt in aliquibus Ecclesiis gemmatas, non coronas, sed rotas, circum septas lampadibus, sed non minus fulgentes insertis lapidibus. Imò pro candelabris arbores erectas habuerunt, multo æris pondere miro artificis opere fabricatas, nec magis corruscantes superpositis lucernis, quàm suis gemmis: referente D. Bernhar. in Apolog. ad Guilhel. abbat. Habet enim hoc proprium superstitio, ut non modò liberales, verum etiam prodigos reddat in cultibus commentitiis, cùm in iis ferè sordidissimi simus, quæ Deus requirit, & quæ ad proximi necessitatem subleuandam seruire poterant.

Lucernæ Imagines collocatæ. Post annum quoque Domini 700. quando Imagines in Templis colere cœperunt: solebant etiam ad eas, candelas & lampades collocare, & thymiamata accendere: quod Germanus Constantinopolitanus Episcopus in Epistola ad Thomam hoc fuco defendit: Ne quempiam offendat, quòd ante sanctorum Imagines lumina & suaueolentia thymiamata accenduntur. Symbolicôs enim ista fieri in honorem illorum opinandum est, quorum cum Christo requies, quorum honor ad ipsum recurrit: hoc ipsum testante sapiente Basilio, Quod erga conseruos bonos honor, erga ipsum Dominum commune beneuolentiæ signum exhibet: sensibilia enim lumina symbolum sunt immaterialis illius, & à Deo dati luminis. Aromatum autem incensio, sincerum & totum Sancti Spiritus afflatum & repletionem significat. tom. 2. Concil. Simili fuco vtitur Sanderus lib. 1. c. 6. de Honoraria Imaginum adoratione.

Quod ergo in vera primitiua Ecclesia necessitati seruiuit, id postea in tam non dissimulandum abusum transiit, quo tamen se Cultũ Deo longè acceptissimũ præstantissimumq; præstare existimârũt.

Lucernæ in Templis ad imitationem Iudaismi collocatæ. Factum hoc ad imitationem Iudaismi simul & Gentilismi. Habuerunt enim Iudæi mandato Dei in Tabernaculo & Templo candelabra & lychnos: nec non ignem in Altari perpetuò ardentem: Leuit. 6. Ad hanc veteris Testamenti consuetudinem referunt Legem de luminibus & lucernis in sacris Christianorum, vt est videre apud Durandum lib. 4. Ration. item, Extra de celebr. Miss. C. si. Et apud Eckium tom. 3. de purificatione Mariæ, vbi luminarium vsum in Templis aliunde non probat quàm ex veteri Testamento. Vt verò omnes Leuitici Sacerdotij ceremoniæ typos rerum, quos Christus perficere debebat, gesserunt, & solùm ad correctionis tempus fuerunt instituta: ita quoque candelabrum, & lucernæ ardentes veteris Testamenti, Christi typus fuerunt, qui vera & æterna mundi lux est, quique per Euangelij ministerium Ecclesiam suam illuminat: qua ratione Apostoli, & qui legitimi verique horum successores sunt, lux mundi dicuntur, Matth. 5. Adde his quod Sanctum Tabernaculi fenestris caruit: quare tam interdiu, quàm noctu luminibus lucernarum opus habuit. Cùm igitur veteres illæ ceremoniæ in Christo jam olim abrogatæ sint, nudis hominum traditionibus nituntur quæcunque hodie in vsu sunt: Et si nihil aliud accedat, vel hoc solo nomine reijci merentur. Quia autem illis meriti quoque fiducia conjuncta est, quid ex his sequitur aliud, quàm quòd Christum nobis inutilem faciunt? Gal. 5. Sin verò lucernam Deo gratam & acceptam accendere libet, verbi Dei doctrinam prouehe, Scholas aperi, & ministros verbi fideles tuâ liberalitate subleua, ne quando inopiâ cogantur sibi cõmissum munus deserere. Cura denique, vt tua opera bona publicè luceant, & ex illis Deum glorificandi occasionem habeant etiam illi, quos veritatis cognitio nondum illustrauit, Matth. 5.

Lucernæ in Templis Ethnica superstitio. Ethnici quoque in suis delubris & Templis lucernas habuerunt; Ægyptijs authoribus, qui, vt Clemens refert, primi lucernæ vsum in Templis inuenerunt: vel ab Herculis instituto, qui vt Saturni aras non mactatis viris, sed accensis cereis excolerent, suos admonuit. Vide Dionysium Halicarnassæum in primo Annalium Romanorum. Quin nullum erat sacrum apud eos, in quo non adhiberentur lucernæ & faces ex tædæ ligno. Citat Istrum Suidas, qui perscripserit, Athenienses cùm sacra facerent Vulcano, lampada excogitâsse, & ob ejus rei memoriam perpetuos illi Deo ludos consecrâsse: sanxerunt etiam, vt pariter in Mineruæ & Promethei sacris lampade posteri vterentur. Pythagoræ quoque Symbolum fuisse legimus, Non absque lumine de rebus diuinis loquendum. Apud Romanos quoque Vestales virgines in Templo sacrum & perpetuum ignem custodierunt, ex institutione Noachi vxoris, vt quidam volunt,

quæ marito in constituenda Republ. & ducentis colonijs occupato, sacri ignis, & sacrificiorum curæ, erudientisque puellis præcipuè vacâsse dicitur: unde eam quoque Vestam nominârunt, sic enim *Ouidius*:

> Nec tu aliud Vestam, quàm viuam intellige flammam.

Lucernæ in vsu Messalianis hæreticis. *Eandem ferè consuetudinem obseruârunt etiam Euchitæ vel Messaliani, de quibus Epiphanius hæc narrat:* Construxerunt, *ait*, sibijpsis domos quasdam, aut locos amplos instar fororum, & adoratoria vel peccatoria appellârunt. In alijs verò locis etiam naturâ Ecclesias ad similitudinem sibijpsis fecerunt: & ad vesperam & manè multis lucernis ac luminibus incensis congregantur, *&c*

Lucernarū diurnus vsus in Templis damnatus à patribus. Tertullianus. *Damnauit igitur hunc lucernarum, luminum, seu Lampadum & cereorum vsum diurnum in Templis Tertullianus, cùm inquit:* Cur die læto nec laureis postes obumbramus, nec lucernis diem infringimus? *Item*, Quis, *inquit*, philosophum sacrificare, aut deierare, aut LVCERNAS meridie VANAS proferre compellit? *de Christianis agens in Apologetico, qui ad hæc compellebantur.*

Lactantius. *Lactantius etiam, qui anno 300. floruit, vehementer inuehitur in candelas de die in Templis ab Ethnicis accensas, lib. 6. cap. 2. Institutionum.* Si cœleste lumen, *inquit*, quod dicimus Solem, contemplari velint, jam sentiant, quòd non indigeat lucernis eorum Deus: qui ipse in vsum hominis, tam claram, tam candidam lucem dedit: & tam eum in tam paruo circulo, qui propter longinquitatem, non amplius, quàm humani capitis videtur habere mensuram, tantum sit fulgoris, vt cum mortalium luminum acies, non queat contueri: & si paulisper intenderis, hebetatos oculos, caligo & tenebræ consequantur: quid tandem luminis, quid claritatis apud Deum, penes quem nulla est nox, esse arbitremur? qui hanc ipsam lucem sic moderatus est, vt neque nimio fulgore, neque calore vehementi noceret animantibus: tantumque istarum rerum dedit ei, quantùm aut mortalia corpora pati possunt, aut frugum maturitas postularet. Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui Authori & Datori luminis, candelarum ac cerarum lumen offert pro munere? Aliud verò ille à nobis exigit lumen, & quidem non fumidum sed (vt ait Poeta) liquidum atque clarum, mentis scilicet, propter quod à Poetis φῶς nuncupatur, quod exhibere non potest, nisi qui Deum cognouerit: *vide ibidem plura hac de re. Hæc Lactantius contra vsum lucernarum in Templis apud Gentes: quid dicturus fuisset, si hodie viueret? Apparet autem ex his Lactantij verbis, Christianos ejus ætate lucernas nullas in Templis habuisse Religionis causâ interdiu, alioquin hæc Ethnicis objicere non potuisset.*

Vigilantius. *Eandem consuetudinem cùm ab Ethnicis postea ad Christianos transijsset, propter χαρις-λίαν Nazianzenus damnauit circa annos Christi 350. Orat. 2. in Iulian. Nec floribus, inquit, plateas coronemus, nec visibili lumine splendescant domus: hic enim Gentilitiæ festorum celebrationis mos est. Nos verò ne his rebus Deum honoremus, verùm animæ puritate, & mentis hilaritate, & lucernis totum Ecclesiæ corpus illustrantibus, hoc est diuinis speculationibus & sententiis super sacrosanctum candelabrum erectis & excitatis, Orbique terrarum vniuersa prælucentibus. Hæc verba sunt Nazianzeni abusi huic quasi in limine resistere volentis. Vigilantius Barchinonensis in Hispania Presbyter his verbis quoque eundem ritum Ethnicum in Christianis insectatur:* Propè, *inquit*, ritum Gentilium videmus sub prætextu Religionis introductum in Ecclesia, Sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi, magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos, quos agnus, qui est in medio throni, cum omni fulgore majestatis illustrat. *Hæc ille. Floruit anno 360. Ac licet ab Hieronymo propter hac & alia huiusmodi reprehendatur, & tanquam hæreticus immodestè proscribatur, factum tamen id ab eo conuiciis magis & importunitate, quàm argumentis & rationibus: quod & Erasmo visum est, qui de scripto Hieronymi contra Vigilantium ita censuit:* In Vigilantium ita conuitijs debacchatur Hieronymus, vt plusculum in eo modestiæ cogar desiderare. Vtinam argumentis duntaxat egisset, & à conuitijs temperâsset.

Elibertinum *In Elibertino quoque Concilio cap. 34. prohibetur sub anathematis pœna*, ne cerei interdiu in Cœmeterijs accendantur, ne Sanctorum Spiritus inquietentur. Mirum autem est, eo ipso hodie quietem reddi Spiritus, quo olim inquietari credebantur.

Lucernæ quando in Templis extinguantur. *Lumina in Templis tribus illis noctibus ante Pascha festiuitatem exstingui, testantur Honorius & Rupertus, qui claruerunt circa annos Domini 1120. Et Durandus in Rationali Diuinorum lib. 6. cap. 72. non omnes refert simul, sed successiuè, & quidem à nonnullis singulas post singula cantica, in quibusdam etiam Ecclesiis cereâ quadam manu exstingui: vt videas humanam naturam in rebus friuolis esse industriam & laboriosam, in præceptis autem Dei admodum languidam ac segnem.*

CAPVT

CAPVT XXIII.

De origine ORGANORVM *Musicorum* in Templis, Germani vocant Orgeln.

Nihil dicam hoc loco de Origine & inventoribus Organorum, seu instrumentorum Musicorum omnium: id enim diligentissimè præstitit Polydorus Vergilius lib. 1. cap. 15. de Invent. rerum: sed tantùm de illo instrumento, quod in Templis Christianorum cantui Ecclesiastico adhibetur, ut concentus sit iucundior & suavior, quodque Germanicè vocant Orgeln. *De authore autem huius nostri tam concinni Organi Polydorus lib. 1. cap. 15. dicit*, quòd nomen eius ignotetur. *David quidem, magnus ille vates Dei, veria instrumenta inuenit Musica teste Iosepho in septimo Antiquit. vbi ait:* Diuersaque faciens Organa, docuit vt Leuitæ secundum ea hymnos Deo edicerent per sabbatorum dies, aliasque solennitates. *Organorum autem Dauidicorum species huiusmodi sunt: Canora cithara quidem decem chordis coaptata, & hac cum plectro percutitur.* Nablum *verò duodecim sonos habens, digitis tangitur, &c. Vnde perspicere licet, istiusmodi Organa à Dauide confecta diuersissima fuisse à nostris, quorum nunc est vsus in Templis frequentissimus: illa enim plectro pulsabantur, nostra verò inflantur follibus: vnde multis meatibus cicutis imparibus quasi vox erumpit, concentumque efficit. Polydorus lib. 1. cap 15. Et author Responsionum ad Orthodoxos, quæ Iustino adiecta sunt, In Responsione ad quæst.* 107. *significat*, in Ecclesia sublatam suo tempore fuisse consuetudinem, veteris nimirum Testamenti, canendi per instrumenta inanima, & retentas simplices cantiones, ideò quòd cantilenæ ad crepitacula & Organa magis decere videntur pueros quàm Ecclesiam *Fecerunt hoc sine dubio ad imitationem eius ætatis, quando Apostoli adhuc vixerunt, quæ simpliciter cecinisse leguntur, nullâ Organorum & aliorum instrumentorum musicorum mentione factâ.*

Author Organorum incertus.

Organorum Dauidicorū species.

Organa inanima offerede bent in Ecclesia Christi.

Marianus Scotus in suis Chronicis indicat, sub annum Domini 757. Organum primùm venisse in Franciam, missum Pipino regi à Constantino Imp. ex Græcia. *Id quod Auentinus Annalium Boiorum lib. 3. fol. 300. fusius exponens, sic scribit:* Constantinus ad Pipinum iubet proficisci legatos: Munera quæ à legatis deferebantur, erant instrumentum musicæ maximum, res adhuc Germanis & Gallis incognita: ORGANVM appellant, cicutis ex albo plumbo compactum est, simul & follibus inflatur, & manuum pedumque digitis pulsatur, &c. *Idem videre est etiam apud Aunonium lib. 4. de Francorum gestis capite sexagesimo quarto, & centesimo decimo tertio.*

Organa quando primùm in Franciam deportata.

Balæus Angliæ Episcopus, Vitellianus *ait*, patria Signinus vel Campanus, insignis musicus, cantum in Templis circa annos D. 660. & Organa per consonantias humanis vocibus adhibuit, iuxta illud Baptistæ Mantuani:

Vitalianus Papa instaurator author Organorum.

Signius adiunxit molli conflata metallo
Organa, quæ festis resonant ad Sacra diebus.

Eadem exstant in libro Pontificali: & lib. 2. cap. 1. Metrop. Cranzij.

Bellarminus de bonis operibus Cap. 17. Fatemur, inquit, Vsum instrumentorum Musicorum non ita convenire perfectu: ac ideò in Ecclesiam SERO *admitti cœpisse, Circa annum Domini 660. Si Platina Credimus: si fidem habere volumus Aimoino, annos ducentos post.*

In Francia hæc Organa Musica primùm cœpere circa annum Domini 828. ad Aquas granest industriâ cuiusdam Georgij Veneris Sacerdotis, & sumptibus Ludovici Regis. fabricari, uti refert Aimoinus lib. 4. de gestis Francorum cap. 114. cui etiam adstipulatur Auentinus lib. 4.

Progressu temporis omnem modum excedere cœperunt in fabricandis huiusmodi Organis, ita ut nec maximis sumptibus pepercerint. Nam Michaël Constantinopolitanus Imp. ea ex auro conflari curauit, Zonara teste tom. 3. Et Bruschius de Monasterijs Germ. folio 107. *refert*, Georgium Abbatem Salemitanum in Basilica sui cœnobij fabricari iussisse Organum, cuius maxima & medioxima fistula habuerit in longitudine pedes 28. in circumferentia Spithamas 4.

Abusus organorum.

Quid his Organis accesserit circa annum Salutis 1480. Sabellicus indicat Enne. 10. lib. 8. vbi inquit: Sixti IV. Pontificis tempore, Musicæ artis virum omnium, qui vnquàm fuerunt sine controuersia præstantissimum plures annos Venetiæ habuerunt, Bernardum cognomento Theutonem argumento gentis in qua ortus esset. Primus is in Organis auxit numeros, vt & pedes quoque iuuarent contentum funiculorum attractu.

Organorum progressus.

Colligimus ex his, Organorum huiusmodi vsum veteri & Apostolicæ Ecclesiæ prorsus incognitum, seroque inuentum atque receptum fuisse, quod etiam fatetur Thomas Caietanus Cardinalis in sua summula: vbi etiam addit, in rei huius signum Ecclesiam Romanam adhuc hodiè non vti Organis coram Pontifice: licitum tamen esse eorum vsum dicit, propter carnales fideles & imperfectos.

Organorum vsus in Templis illicitus.

Et Lindanus in Panopl. lib. 4. cap. 78. inquit; Quis hujus ætatis Musicam cum illa prisca componat?

Adversatur autem doctrina Apostolorum 1. Corin.

1. Corinth. 14. De hoc nihil iam dicam, quòd turpia & obscœna sæpè sono Organorum exprimuntur, vt carnis potius voluptati quàm ædificationi spiritûs seruiant. Lactantius Institutionum lib. 2. c. 7. acriter Gentes taxat, quæ Dei cultum constituerunt in iis quæ stultitia hominum admiratur. Adeóne, *inquit*, Deorum Religio nihil aliud est, quàm quòd cupiditas humana miratur? Veniunt ad Templa non tam Religionis gratiâ, quàm vt videant & audiant quod oblectet: *&c. Nónne hæc de Christianis quoque dici possent? Vidi ego aliquoties magna cum admiratione plurimos è Templis exeuntes, quàm primum dulcis Organorum sonus cessâsset: Tantam deuotionem in animis hominum concitârat. Vnde non immeritò Erasmus in suis ad 1. Corinth. 14. cap. Annotationibus doctè & grauiter contra vsum Organorum in Templis disserens*, Nec his contenti, *inquit*, operosam quandam & theatricam musicam in sacras ædes induximus, tumultuosum diuersarum vocum garritum, qualem non opinor in Græcorum aut Romanorum theatris vnquàm auditum fuisse. Omnia tubis, lituis, fistulis ac sambucis perstrepunt: cumque his certant hominum voces. Audiuntur amatoriæ fœdæque cantilenæ, ad quas scorta mimique saltitant. In sacram Ædem velut in theatrum concurrit, ad deliniendas aures. Et in hunc vsum, aluntur magnis salarijs, Organorum opifices, puerorum greges, quorum omnis ætas in perdiscendis his consumitur, nihil interim bonæ rei discentium. Alitur sordidorum, vt plerique sunt hominum, colluuies, & tantis sumptibus oneratur Ecclesia ob rem pestiferam etiam. Quæso te vt rationem ineas, quot pauperes de vita periclitantes, póterant ali cantorum salarijs. Cur hæc nobis sola placent, quæ Paulus ceu paruulorum infantiam parcissimè vult adhiberi, imò quæ nullo pacto laturus fuerat? *Rursus de eodem idem Erasmus de lingua pag. 68.* Quid, *inquit*, hodiè operosius quàm nostra Musica, tot vocibus, multarum auium garritum imitans? Quid diceret Emerepes ille Laconum Ephorus (qui Phrynidis Musici duas è nouem cordas incidit bipenni, dicens, Ne corrumpas Musicam (si nunc audiret in Templis eadem Organa referre tubas, cornua, lituos, tibias apertas, tibias obscuriores, tibias vacuas, tonitrua, voces hominum & volucrum? Qualis est Musica nostra, talis est cultus, talis ædificatio; prisca simplicitas nusquam est, indies augescunt operosæ deliciæ. *Præstaret itaque multorum doctrinâ & pietate celebrium virorum iudicio, Organa hæc auferri ex Templis. Nec enim objiciant nobis cultum Dei, quem in veteri Testamento per instrumenta musica exercuerunt.* Primò *enim organa illa à nostris, vti diximus suprà, fuere diuersa.* Deinde *Procopius Gazeus in Comment. ad lib. 4. Regum testatur*, cultum hunc Dei, non à Deo traditum, sed à Dauide excogitatum fuisse. Tertiò, *ob varias causas multa fieri passus est Dominus in veteri suo populo, circa quæ eos, qui per Christum in virum perfectum adoleuerunt, occupari amplius non vult.*

De Organis Templorum iudicium Erasmi.

CAPVT XXIV.

De Origine ANATHEMATVM aliorumque ORNAMENTORVM in Templis.

Templa anathematis exornari quando cœperint.

CONstantini M. tempore Ecclesias vasis aureis, anathematis, variisq; Ornamentis locupletare atq; immodicè exornare cœperunt, aut superstitione, aut prauâ imitatione Iudæorum simul & Ethnicorum. Narrat enim Eusebius lib. 4. de vita Constantini, quo pacto Imperator ille Templum illud magnificum Hierosolymitanum Christo Saluatori dedicatum, anathematis ex auro argento & lapidibus pretiosis exornârit: Quod & in alio Templo Apostolorum ab eo factum ibidē prodidit idem. Romæ quoq; in hortis Equitii Ecclesiā condidit, cui donauit patenam argenteam librarum 20. schyphos duos librarum 20. calicem aureum duarum librarum, & alia vasa tum argentea, tum aurea, quæ enumerare longum nimis esset: Platina in vita Syluestri. Ac si vera sunt quæ idem author ibidem indicat de donis à Constantino Magno Lateranensi, Vaticanæ aliisq; Basilicis seu Templis à se conditis, exhibitis, omnem modum ea in re excessit, neq; enim lex vel præceptum ea de re vel Christi vel Apostolorum vspiā exstat. Ante Constantini Magni ætatem ornamenta in Templis rara fuerunt admodum. Deinde illa habuerunt, vt in vsus pauperum, ægrorum, aut alia quæcunque necessitate laborantium erogarentur, vel etiam captiui ob Christianam Religionem iis redimerentur.

Anathematum in Templis progressus.

Crescente autem superstitione & Imaginum cultu atque veneratione, nimirum in modum etiā præposterum hoc exornandi locupletandiq; Templa studium creuit: falsò enim homines erant persuasi, tali ratione cultum Deo præstari. Hac igitur occasione non modò anathemata pretiosissima, sed omnis generis tabula, cortinæ, vela, sigillaria, oscilla, vexilla, spolia hostibus erepta, & similia in Templa sunt recepta ibique suspensa. Cosroës Rex Persiæ Antiochiam in Templum Sergii mittit aureas cruces duas, quas Theodora Iustiniani cōiunx eidem dedicauerat, aliaq; ex præda accepta: item discum ex auro factum, thuribulum aureū & alia, hac persuasione inductus quòd Sergius à se rogatus, victoriam sibi & liberos ex Syra coniuge daret: vt videas à quibus ista vota & donaria sint profecta: Euagr. lib. 6. cap. 21. Et Iustinianus Imperator Templo Petri Romæ

dono

dono misit scyphum aureum librarum 6. gemmis exornatum: duos scyphos argenteos 12. librarum, calices argenteos duos librarum 15. Platina in vita Ioannis 2. & Sabellicus lib. 2. Enne. 8. Bellisarius victo Gilimere Vuandalorum Rege, Romam victor veniens, S. Petro auream crucem centum librarum, pretiosissimis gemmis ornatam, in qua suas victorias inscripserat, per Vigilium Papam obtulit. Paulus Diaconus lib. 16. Sigebertus, Beda, Platina. Sophia socrus, & Constantina vxor Mauritio Imper. coornam fecerant quondam: eam ad se delatam ille in Ecclesiam deferens, Deo obtulit: Cuspinianus. Carolus Magnus ecclesias ornauit sacris Vasis & Vestibus, aliaque plurima dona ad Ornatum spectantia ijs contulit. In primis Compostellæ ædem D. Iacobi multis dotauit muneribus, Henrico Erdfordiensi authore cap. 68. Et Vexilla, quæ deuictis Cremonensibus Brixiani deportârant, in cathedrali ipsorum Ecclesia, in perpetuam rei memoriam suspensa leguntur apud Bergomen. lib. 12. Idem Carolus pannum ad altare Petri, de vestimentis suis aureis compositum eum duabus coronis aureis, gemmis intertextis misit: Aimoinus libro quinto, cap. 27. Mensam auream, quæ formâ quadrangulâ descriptionem Constantinopolis continebat, inter alia donaria Romam ad basilicam Petri: Eginardus in ejus vita. Idem Victo Caiano Hunnorum Rege, qui ex toto orbe spolia congesserat, prædæ non minimam partem Cœnobiis & monasteriis liberaliter concessit. Hinc illæ diuitiæ Templi Moguntinensis, vbi crux ex solido fuit auro nomine Benna, *pondere* 1200. *marcarum: hoc est, 600. librarum:* vnde *Versiculus*,

Auri sexcentas habet hæc Crux aurea libras.

Solùm eius aurum, præter gemmas, & duos maximos carbunculos, circiter octoginta millia coronatorum valuit. Fuerunt insuper illic duo calices aurei, vterque gemmis pretiosissimis exornatus, minor marcas 18. siue 9. libras auri purissimi habebat, vini sextarium capiens. B. Rhenanus, lib. 2. rerum German. & in Tertull. libro de Corona militis refert idem Rhenanus, in eodem Templo, duas fuisse grues argenteas, in quarum ventre ignis fuerit depositus, super quem quum aromata fusa atque incensa, per apertum rostrum suffitum emisisse: Fistulas item argenteas, quibus Laici in sacra Cœna ex calice sorbuerint: multa præterea vasa alia argentea, quæ valuerint tunc temporis ad millies millenos florenos *Henric. 2. Imper. Cluniacum Religionis causâ profectus, coronam auream gemmis redimitam Deo in mysteriis sacris obtulit: Cuspinianus. Agnes Henric. III. Imper. vxor Benedicto Cassinensi obtulit aureas purpuræ absque vestes, & Euangeliorum codicem, cuius tabulæ argenteæ auro erant obductæ: Chron. Cassin. lib. 3. cap. 30. Gisala Henrici secundi Imperat. soror, & Vngarorum Regis Stephani vxor, quæ ad Templorum Ceremonias Ritumque spectabant, magnificè simul & munificentissimè largita est: Phrygionum vicefuncta, vestes sacras suis manibus neuit & resarciuit: Auentinus libro quinto, Annalium Tabellas quoque parietibus Templorum appenderunt pro recuperata sanitate alijsque impetratis beneficijs. Sed tempus me deficeret, si omnia, quæ huius generis apud authores exstant, referre coner, cùm ne hodie quidem hujus peruersi studij finis vllus cernatur.*

Didicerunt hoc Christiani primò à Iudæis. Israelitarum enim tribuum Duces 12. à Mose instituti in oracularis Tabernaculi & Aræ inunctæ dedicatione similiter liberalitatem suam ostenderunt. Sex vehicula tecta & 12. boues obtulerunt, quibus Leuitæ in sacris vehendis vterentur. Item scutellas argenteas 12. totidem phialas, & lanceas aureas totidem. Vasa argentea 2400. siclis sacris pendebant: aurea 120. Num. 7. Ensis Goliathi dedicatus est à Dauide Nobæ in Templo, apud Abimelechum Sacerdotem, 1. Reg. 11. Idem victo Adarezero Sophenæ Rege, cæsis 20. millibus peditum, & 1700. equitibus, & multis curribus, pharetras aureas, & arma pulcherrima Hierosolymitano Templo donauit: 2. Reg. 8. Asa Rex Iudæorum ea quæ vouerat pater suus, obtulit in domum Domini: argentum, aurum, vasorumque diuersam supellectilem. 2. Paralip. 15. Inditha omnem supellectilem Holofernis, sibi eo cæso à ciuibus dono datam, Hierosolymis Deo dedicauit, vnà cum velamine, quod ipsa ex eius cubiculo abstulerat. Iudit. 16. Omitto candelabrum aureum, mensam propositionis, thuribula, pateras crateres, & infinita alia huius generis, quæ Moses ex præcepto Dei febricari iussit, & in Tabernaculo recondidit, quæ postea in Templum Hierosolymitanum translata sunt, & à Solomone alijsque mirum in modum aucta. *Anathematis Templa exornare à Iudæis.*

Negari etiam non potest, quin hæc prauâ quadam imitatione Ethnicorum facta sint à Christianis. Cùm enim in primordio Ecclesiæ multi Gentilium ad Christianam religionem adducerentur, nemini dubium esse debet, quin ex eorum consuetudinibus, ceremoniis ac Ritibus multa, animi quidem intentione non mala, retenta, & ipso vsu pedetentim vel confirmata, vel paululum immutata, & minus rectè ad alios fines deinde translata sint. Testem huius rei habeo Polydorum Vergilium lib. 5. cap. 1. vbi porrò indicat ex libro Strabonis Geograph. 8. apud Græcos morem fuisse, in Templo ejus Dei, qui auxiliatus esset, & præsertim Æsculapij, quod Epidauri insigne erat, tabellas appendere, in quibus morbi curati inscripti fuerint. *Apud Gentiles etiam in More fuit, argenteas statuas, adesque earum pro re aliqua assequenda vouere, pictásque tabellas, rem ipsam* *Anathematis Templa exornare ab Ethnicis.*

cuius

chius compotes facti fuissent, repraesentantes, in Templis suspendere. Vnde C. Cotta hac apud Ciceronem, de Natura Deor. lib.3. Tu, qui Deos putas humana negligere, nónne animaduerris ex tot tabellis pictis, quàm multi votis vim tempestatis effugerint, in portúmque salui aduenerint? *Et Horatius lib.1. Carm. ad Pyrrham:*

Me tabula sacer
Votiua paries indicat Vvida
Suspendisse potenti
Vestimenta Maris Deo.

Solebant itidem tabula picta argento etiam fabricari. Hinc Cicero Verrin: Tabulas pictas etiam argenti bene facti. Et Lucianus in Alexandro lib.4. Accedebant, *inquit*, ad hæc picturæ, Imagines, signa Deûm ferentia, partim ex ære, partim ex argento effictæ. *Sed & Dio in Rhodiaca offerri consueuisse ait* ejusmodi Dijs Imagines, non ex terra fictiles, ne numen injuriâ afficerent; sed æreas vel argenteas Dijs esse gratas, quæ semel dicatæ, perpetuo permanerent. Suas enim, filiorumque, vel nepotum Imagines in Deorum fanis offerri consueuisse, idem auctor confirmat. *De Philistaeis etiam 1.Reg. 9. legitur, eos ad auertendam plagam per mures & vlcera diuinitùs illatam, juxta numerum suarum Prouinciarum fecisse quinque mures aureos, totidemque aureos anos, quos delicti expiandi gratiâ apud Arcam fœderis in capsula deposuerint. Sic etiam in Templum Dianæ Ephesiæ, vel pictas tabellas, vel sculptas aut conflatas argento Imagines offerentes, vota persoluebant, quarum opificio argentorii ingentem sibi vim pecuniæ comparabant, vt est videre Act. 19.cap.* Sic & nos, *inquit, Polydorus*, ex cera sigillaria, hoc est, Imagunculas Templis offerimus, & oscilla: quoties enim pars aliqua corporis læsa fuerit, vt puta manus, pes mamilla, statim vota facimus Deo, & ejus Diois, quibus mox recuperatâ sanitate, illam manum, illum pedem, illam mamillam ex cera formatam offerimus. Quæ consuetudo vsque adeò increbuit hactenus, vt istiusmodi sigillaria ab hominibus ad reliqua etiam animalia transierint: vt eodem modo pro boue, pro equo, pro oue oscilla Templis offerant Christiani. In qua re quispiam verecundè scrupulosus fortassis dicet, se planè nescire, an priscorum Religionem potius, vel superstitionem æmulentur, quum talia Christianæ Ecclesiæ rectores etiámnum admittant: quando, auctore Catone de re rustica, sic Romanorum moris fuit, pro bobus, vt valerent, vota facere, cujus rei modum valdè me hercle ridiculum ille ibidem ponit. *Hæc omnia & plura alia Polydorus. Hercules quoque clauam suam, ab oleastro ad Saronidem paludem inuento abscissam, Mercurio Polygio dedicauit Træzena: eamque aiunt radicibus actis regeneràsse, & oleaster ille ætate etiam Pausaniæ ostendebatur: Pausanias in Corinth. Cumque ante Midam Gordii F. Phrygiæ regem Delphicum Templum fuerit* ἀνάργυρον καὶ ἄχρυσον, *vt Cœlius lib. 6. cap. 11. ex Athenæo refert, primus Midas regiam sellam, in qua jura dicere solitus fuerat, Delphico Apollini dono misit. Post eum Gyges Dascyli F. qui Candaule obtruncato, regnum Lydorum inuasit, eò quòd regnum ei confirmârat Pythia; præter auri & argenti immensam vim, crateres aureos sex, pondo 30. talentorum, muneris loco obtulit: locus, in quo reposita fuere, Gygadas dicebatur. Eius abnepos Halyattis, Sandiattis F. secundus ex hac domo, vbi conualuisset, dedicauit Delphis grandem ex argento craterem: itemque alterum ex ferro paruulum, compactilem, inter omnia Delphorum donaria dignissimum spectatu: opus Glauci Chij, qui primus omnium ferri compactionem excogitâsse dicitur. Crœsus Halyattis F. muneribus omnes vicit, qui mille aureos lateres dono misit, teste Zeze hist. 1. vt aurea tota ara ex ijs strueretur: Herodotus lib.1. Idem rex aureum scutum dedicauit Delphis Mineruæ Pronœæ, quod postea Philomelus Phocensis eripuit, vt Pausanias indicat in Phocicis. Aiunt etiam Themistoclem Delphos profectum Apollini Medorum exunias attulisse: percunctantem autem nunquid intra Templum ea dona locaret, iuisse Pythiam, vt eas omnino extra fani limen auferret*, inquiens:

In Templo pulchras nostro ne figite Persei
Exuuias, subitò sed vestras mittite in ædes.

Vbi certè cum admiratione causa quæri potest, cur ab vno Themistocle oblata dona de Medis, accepta Deus non habuerit. Sunt qui Persica omnia spolia itidem repudiatùrum fuisse credant, si antequam dedicarentur, nunquid sibi ea vellet offerri, quæsitum esset. Non desunt, qui dicant Apollinem, qui præsciret supplicem ad Persas iturum Themistoclem, idcirco sibi exunias illas dicari prohibuisse, ne religiosis monimentis testatum odium, fidem deprecationi abrogaret, Pausania in Phocicis referente.

Græci post pugnam ad Salaminem, partâ de Xerxe victoriâ, prædam inter se dispartiere, ex quibus primitias Delphos misere. Vnde statua effecta est longitudine cubitorum decem, truncam nauis partem manu sustinens: eodem in loco stans, vbi Alexander Macedo aureus. Missis Delphos primitijs, Græci publicè percontati sunt, nunquid perfectas & acceptas primitias accepisset? Quibus ille respondit, habere se quidem à Græcis alijs, verùm non ab Æginetis: sed reposcere donum optimæ nauatæ ad Salaminem operæ in pugna nauali. *Id cùm audissent Æginetæ, aureas stellas tres dedicauerunt: quæ super malum nauis æreum steterunt apud angulum,*

proximè Crœsi craterem; vt Herodotus testatur lib. 8. In pugna ad Plateas commissa contra Persas, repertum est equorum præsepe Mardonij Ducis ex ære totum, spectatu dignum quod Thegeatæ in Templo Aleæ Mineruæ reposuerunt, Herodoto authore lib. 9. In medio fastigij apice Templi Iouis Olympij inaurata est Victoria, infra Victoriæ signum fixus est aureus clypeus, in quo Medusa Gorgon cælata est. Dedicârunt Lacedæmonij cum hac inscriptione:

Ex auro phialam capta posuere Tanagra.
Iuverat hæc bello quòd Lacedæmonios.
Cecropidæ Argiuique Duces, & Ionica proles
Victores partis de spoliis decimam:

Pausanias libro quinto. Dedicârunt Delphis Ambraciotæ aneum asinum, victus nocturnâ pugnâ asini beneficio Molossis. Nam cùm in illos noctu insidias disposuissent Molossi, asinus, qui fortè ex agro in oppidum agebatur, asellam insectans cum multa lasciuia vehementem ruditum sustulit. Ipse etiam agaso per tenebras, obscura & incondita voce inclamabat. Injecit ea res tantam Molossis trepidationem, vt statim insidiarum locum deseruerint. Eos Ambraciotæ detectâ fraude noctu inuadentes prælio superârunt: Pausanias in Phocicis. Athenienses palmam aneam cum Mineruæ signo aureis intecto laminis Delphis dicârunt, victoriâ ad Eurymedontem partâ. Echecratides Larissæus Apollinem paruum Delphis dedicauit: quem Delphi dicunt antiquissimum ac primum donariorum omnium fuisse, authore Pausaniâ in Phocicis. Alexander Magnus Thebis direptis Lychnuchum pensilem arboris modo mala ferentem cepit, & Apollini Cymæo dicauit: Qui deinde in Templum Apollinis Palatini à Romanis translatus fuit, Plinio teste libro trigesimo quarto, capite 3. Gelon Syracusanus tripodem 16. auri talentis eductum, Delphos misit Apollini, pro gratia numinis & benè rei gestæ contra Carthaginenses habenda, & in posterum conciliandâ: Diodorus lib. 11. cap. 1. Euelthon rex Salaminis Cypriæ Delphis dedicauit thuribulum spectatu dignissimum: Herod. lib. 4. Romanorum omninò nullus neque plebeius neque patritius ante L. Mummium, in Græcorum Templis donum vllum ponendum curauit. Primus Mummius de manubijs Achæorum Iouem in Olympia aneum dedicauit ad læuam eius, qui à Lacedæmonijs dedicatus fuerat: Pausanias lib. 5. Idem captâ Corintho plurima signa Tabulas & Statuas secum auexit, quæ postea in ædem Fortunæ collocauit. Cæsis ad Clastidium à M. Marcello Gallis, Romani Delphico donum crateram auream centum pondo gratiæ referendæ causa misere: Plutarchus in Marcello. Capitolium quod Tarquinius Priscus vouit, Tarquinius Superbus ædificare cœpit, & librarum argenti quadraginta millia in fundamenta impendit, sed regno expulsus perficere nequiuit, Horatius autem Puluillus dedicauit, quodque Cicero Deorum immortalium domicilium, Lactantius autem vrbis Romæ & Religionis summum caput appellat, tanta apud Romanos venerationis fuit, vt quisquis populo Romano gratificari vellet, hoc Templum honoraret ornaretque. Carthaginenses enim S. P. Q. R. *victoriam de Samnitibus, authore Marliano, gratulatnri, auream coronam Ioui Max. eò miserunt. Et Philippi Regis legati, vt in Capitolio sacrificare, & Ioui Opt. Max. ex auro donâ ponere liceret, à Senatu petiuerunt: quòd cùm ipsis permitteretur, coronam ex auro centum pondo obtulerunt, vt refert Blondus lib. 1. Roman. triumph. Quòd cæteri etiam Principes & florentissimarum Rerumpub. magistratus, quia Romanis gratum esse videbant, certatim imitati sunt. Simile enim quid refert Strabo lib. 4. de legatis Anglorum tempore Cæsaris. Et de Antiocho Rege narrat Cicero Verrina 6.* quòd candelabrum è gemmis clarissimis opere mirabili perfectum, in Capitolio ponere Ioui Opt. Max. voluerit, nisi Verres in Sicilia intercepisset. *Quod eius tam nefarium, tam impium, tam crudele facinus perstricturus*, Multi, *inquit*, Reges, multæ liberæ ciuitates, multi priuati, opulenti, ac potentes habent profectò in animo Capitolium sic exornare, vt Templi dignitas imperijque nostri nomen desiderat. Qui si intellexerint, interuerso regali hoc dono grauiter vos tulisse, grata fore vobis populoque Romano sua studia ac dona arbitrabuntur: sin hoc vos in Rege tam nobili, in re tam eximia, in injuria tam acerba neglexisse audierint; non erunt tam amentes, vt operam, curam, pecuniam impendant in eas res, quas vobis gratas fore non arbitrentur. *Liuia Augusta crystallum etiam in Capitolio librarum 50. dicauit, vt Plinius indicat lib. 37. cap. 2. Marlianus quoque lib. 2. cap. 10. indicat.* Persarum Regem ab extremis Indis allatum pallium misisse; ad quod aliæ vestes admotæ, cineris diuini fulgoris colorem attraxerint. *Ipsi quoque Romani quotiescunque prouinciam aut vrbem imperio suo adiecerant, laurum in Iouis Opt. Max. gremium, gratias acturi deponebant. Quò pertinet illud Probi ad* S. P. Q. R. *apud Vopiscum:* Coronas quas mihi obtulerunt omnes Galliæ ciuitates aureas, vestræ Patres conscripti clementiæ dedicaui: & has Ioui Opt. Max. cæterisque Dijs immortalibus consecrate. *Tanto igitur sumptu sic certatim omnes Capitolium ornauerunt, vt ferè quicquid in eo conspiceretur gemmeum & aureum esset. Imò & laquearia eius post euersam Carthaginem primò inaurata sunt censurâ Mummij, qui Achaiam vicit. Inde transiere in cameras, in parietes quoque;*

qui tandem & ipsi tanquam vasa inaurabantur, Plinio teste. Qua ex re factum est, vt totum Capitolium in maximum splendorem excresceret: & quantum diuinæ res humanas, tantum hoc Templum cætera mundi Miracula superaret: Iouisque terrestre domicilium vocaretur. Vnde & Amianus historicus inquit: Hujus totius artis ornamenta, quibuscunque Ægyptiorum Miraculis sunt anteponenda. *In cellam Capitolini Iouis sexdecim millia pondo auri, gemmasque ac margaritas quingenties sestertium vnâ donatione contulit Augustus, Tranquillo teste. Coronas ex Cinnamo interrasili auro inclusas, primus omnium in Templis Capitolij atque Pacis dicauit Vespasianus Imperator. Radix eius magni ponderis videbatur in Palatii Templo, quod fecerat diuo Augusto coniunx Augusta, aureæ pateræ imposita: ex qua gutta edita annis omnibus in grana durabantur: Plinius libro 12. capite decimo nono. In Pacis Templum, quod Vespasianus Imperator exstruxit, omnia collata & reposita sunt, quorum visendorum studio homines antea per totum orbem vagabantur. Adrianus Rom. Imp. in eo Iunonis Templo, quod fuit in planiore Euboeæ parte situm, inter catera memoratu digna, quæ visebantur, pauonem ex auro, & lucidis pretiosissimisque lapillis dono dedit: Natalis Comes Mythol. lib. 2. cap. 4. Victo M. Antonio & Cleopatrâ, Augustus alterum vnionem cuius comparem sexcenties H. S. æstimatum Cleopatra aceto dissolutum absumpserat, dissecari curauit, vt in Veneris vtrisque auribus Romæ in Pantheo omnium cum admiratione spectarentur. Plinius lib. 9. cap. 35. Aurelianus Imp. cùm bellum aduersum Marcomannos gereret, diuino auxilio victoriam nactus, ne parùm gratè cælo demissam agnoscere opem videretur, præter munera variaque ornamenta per vrbem Romam multis Templis data, soli Capitolino Ioui quindecim millia auri pondo, & magnam gemmarum vim pluribus collationibus dono dedit, authore Fulgoso libro 1. cap. De religionis cultu. Parietes quoque Templi Æsculapij quod fuit Tetropoli, vt Plin. scribit lib. 8. pictis tabellis vbique fuerunt tecti, in quibus scripti erant morbi & nomina eorum, qui se ab illo Deo sanatos fuisse credebant, sicut etiam in Coo insula, & in Trica. Somniauerat enim insulsa antiquorum multitudo, quòd si quis ex aliquo morbo conualuisset, cui contigisset Æsculapium inuocare, illud Æsculapij operâ factum fuisse: pro qua re & tabellas appendebant parietibus Templorum, & alia nuncupata vota persoluebant, vt etiam refert Natalis Comes de Mythologia lib. 4. cap. 11.*

Hæc propterea pluribus commemoro, vt inde perspicuum fiat, à quibus mos variis anathematis & ornamentis exornandi Templa ad Christianos manârit. Licet autem Ethnicorum exempla nihil prorsùs ad defensionem peruersi hujus studij Christianorum faciant, cum illorum ipsorum sapientes à Sacris auri argentique vsum summouendum existimârint, quod Dionysius lib. 2. Antiquit. Rom. de Romulo testatur, ex eius instituto in sacris Ædibus cœnas Diis appositas in mensis ligneis antiqui operis, pultemque in canistris, & quadrulis fictilibus, far item & liba fructuumque quorundam primitias, & huiusmodi cætera exilia paratuque facilia, omni morosa curiositate carentia: libâsse etiam eodem auctore non argenteis aureisúe poculis, sed culignis & ampullis testaceis: *Inter alia quoque in Legibus* XII. *tabularum à Decemviris sic cautum fuit:* Ad diuos adeunto castè, pietatem adhibento, opes amouento. *Hanc legem Cicero de Legibus 2. ita interpretatur:* Quod autem, *inquit*, pietatem adhiberi, opes amoueri jubent, significant, pietatem gratam esse Deo, sumptum esse remouendum. Quid enim paupertatem, cum diuis etiam inter homines esse æqualem velimus, cui eam sumptu ad Sacra addito, Deorum aditu arceamus? præsertim cum ipsi Deo nihil minus gratum futurum sit, quàm non omnibus patere ad se placandum & colendum viam: *Sua etiam ætas, Tacito auctore, varia de Luctatio Catullo existimauit, quòd tegulas Capitolij æreas inaurâsset primus: Ouidius quoque lib. 1. Fast. hunc Templorum ornatum hoc ipso improbâsse videtur, quòd de Capitolii magnificentia dicit:*

Pluris opes nunc sunt, quàm prisci temporis annis,
Dum populus pauper, dum noua Roma fuit.
Dum casa Martigenum capiebat parua Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis vlua torum.
Iuppiter augusta vix totus stabat in æde,
Inque Iouis dextra fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis, *&c.*

Et Persius poëta exclamauit:

Dicite Pontifices in Sacro quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ.

Ac Alexander Rom. Imp. in Templis nunquam præter quatuor aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem aut bracteolam posuit, vt testatur Ælius Lampridius: Nihilominus tamen præsidii aliquid in eo se habere nostri illi putant, quod in Tabernaculo & Templo Solomonica omnis generis anathemata, & ornamenta stupendi operis Dei ipsius iussu habuerunt. Quærunt igitur, cùm hæc in veteri Testamento sint adhibita, cur idem in Nouo non liceat?

Soluun-

Soluuntur argumenta Bellarmini pro ORNAMENTIS Templorum Christianorum.

Bellarminus col.2212.confidenter sic colligit: Deus voluit Tabernaculum vetus ornatissimum esse, ita vt omnia ferè instrumenta Sacrarij aurea essent, vsque ad emunctoria lampadum: cortinas autem Tabernaculi, & vestes Sacerdotales voluit esse pretiosissimas: Singuli etiam Principes obtulerunt in ornatum Tabernaculi immensa donaria auri & argenti. Ergo Christianorum etiam Templa sub Euangelio sumptuosissimè decoranda & exornanda sunt.

Cur Deus voluerit Tabernaculum & Templũ Solomonicum ornatissimũ esse

Respondemus, In veteri Testamento rem fuisse Deo cum hominibus & rudibus, & pronis ad Idololatriam: iccirco voluit Deus, cùm illa externa mirarentur plus æquo, illos auocare ab Idololatria, & in suo cultu retinere. Deinde attendendum est, hæc aurea & argentea ornamenta in veteri Testamento iustum suumque vsumque habuisse. Nam si exstabat in Templo candelabrum aureum, suâ luce splendidum locum reddebat: Si mensæ propositionis, ei panes imponebantur: Si thuribula, & stati & certi suffitus in eis fiebant. Pateræ atque crateres & phialæ ad sanguinem victimarum excipiendum, ad aspergendum & ad libandum conducebant: & cætera instrumenta ad ignem cùm fouendum tum expurgandum faciebant. Et quoniam Deus tales Ceremonias Israëlitas habere decreuit, iccircò etiam hæc instrumenta ipsis ad manus esse oportuit. Quando verò post Christi aduentum, eius generis Ceremoniæ, tanquam typi & figuræ, sublatæ sunt, tot generibus ornamentorum aureorum & argenteorum non opus est Ecclesiis Christi: neque etiam quæ vni ætati prosunt, alteri sunt vtilia. Aut si decreuerunt omnia reuocare in Ecclesiam Christi quæ in veteri Testamento sunt agitata, cur etiam sacrificia Mosaica non repetunt? Fateantur se spiritum puerorum, non adultorum, seruitutis, non libertatis habere. Fingant sibi oportet alium Christum, qui hoc genere cultûs delectetur: nam verus Christus filius ille Dei, & Mariæ Virginis, qui in cruce pro nobis passus est, nunquam talia requisiuit.

Paralogismi Bellarmini pro ornamẽtis Templorum.

Duplicem igitur Bellarminus in hoc vno argumento fallaciam committit: Vnam ab Ignoratione Elenchi: Res enim dissimillimas pro iisdem sumit; Templa nimirum Christianorum cum Tabernaculo Ceremoniali & Templa typico confundens. Tabernaculum & Templum veteris Testamenti typi fuerunt Christi, & Cæli beatorum sedis, Heb.9.& 11.& Ecclesiæ, ipso Bellarmino teste colum.2212. Debuerunt ergò ornatissima quoque esse, vt figura veritati responderet: Christianorum verò Templa non sunt typica, sed ædificia ordinis Ecclesiastici & conuentuum publicorum causâ tantùm instituta. Alteram fallaciam committit A non consequente: Res enim à Iesuita hic comparatæ sunt dispares, dispar igitur vtriusque ratio & collectio est. Adhæc ornatus iste Tabernaculi & Templi Hierosolymitani vsurpatus est Dei ipsius iussu & mandato. Causæ autem tum quidem fuerunt certæ & graues, vt paulò ante quoque indicauimus, cur Deus sic voluerit & mandârit, quæ apud Christianos non habent locum. Populus enim Iudaicus nimis ad Idololatriam Gentilium propensus erat: allectus illo idolorum splendore, quem in Ægypto viderat. Deus igitur, cui negocium erat cum populo rudi & duræ ceruicis, vt eum ab Idolorum cultu & admiratione auocaret, voluit hac in parte illis aliquid indulgere. Maximum igitur voluit ornatum esse in suo Templo & cultu externo, vt illo detinerentur in vero Dei cultu, tanto splendore oblectati, qualem Gentes nunquam habere potuerunt. Nunc verò causa hæc cessauit: ergo effectus quoque cessauit. Sed hac de re vide plura in præfatione Operis huius. Deinde, vt modò etiam diximus, nullum erat vas in toto Templo Solomonis, quod non haberet suum vsum honestum, ad cum pertinentem. At quid nunc ad Cultum Religionemque Christianam prosunt aurea, argentea & similia preciosissima ornamenta ac vasa? Olim aurei Sacerdotes habuerunt ligneos calices: hodiè lignei & plumbei Sacerdotes habere volunt aureos calices. Sed audiamus Hieronymum ad hoc argumentum Bellarmini respondentem in epistola ad Nepotianum: Neque verò, *inquit,* mihi aliquis opponat diues in Iudæa Templum, Mensas, Lucernas, Thurribula, Patellas, Scyphos, Mortariola, & cætera ex auro fabricata. Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecudum erat remissio peccatorum: quæ omnia præcesserunt in figura. Scriptum est enim propter nos, in quos fines seculorum deuenerunt: nunc verò quam paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicauit, portemus crucem, & delicias lutum putemus. *Audis Iesuita, à te aliisque tui similibus Sophistis non esse obiiciendum & opponendum nobis, id quod Iudæi olim fecerunt: Nam illa longè alia erant tempora. Tunc sanguis pecudum erat remissio peccatorum, tunc vmbra, tunc figuræ pingebantur, quæ sunt omnes adimpletæ & deletæ Christi sanguine. Adrianus etiam 1. Papa Tharasio Patriarchæ Constantinopolitano scripsit:* Antiquis figuris & vmbris, ad veritatis præfigurationem sanctæ Ecclesiæ traditis, valedicentes; gratiam & veritatem præferimus, & sic plenitudinem legis recipimus: *vt est videre Actione 2. Nicenæ 2. Synodi: legitur etiam de Consec.dist.3.cap.29.*

Eysdem fallaciis vtitur Bellarminus in Secundo Argumento. Christus laudauit vi-

Argumētū 2. Bellarmini prò ornamētis Templorum.

duam, quæ in gazophylacium Templi misit omnem victum suum. Ergò rectè faciunt, qui saltem partem bonorum suorum ad ornanda Templa Christianorum conferunt. *Nam hoc ad vetus Templum pertinet: Inepta est ergò argumentatio ab illo ad nostra Templa. Deinde, de Eleemosyna loquitur hîc Christus; quam commendat, non de sumptibus in Templorum ornatum erogatis. Sunt ergò dissimilia quæ pro ijsdem sumit Iesuita Secundò;* quòd Dominus non reprehendit magnificentiam illam Templi Hierosolymitani, quum eam ostenderent Christo discipuli Marci 13. vel saltem non instruxit discipulos, dicendo, licuisse in Testamento veteri ornare Templa, in Evangelio autem non fore licitum: *&c. Iesuitam nihil juvat: Docuit enim discipulos lapides illos pretiosos prorsùs esse demoliendos, & omnem ornatum Templi destruendum: nec addidit, illum sub Evangelio esse restituendum. Tertiò, quòd argumētatur à minore ad maius, videlicet à corpore Christi ad Templa Christianorum, tanquam res pretiosiores, impium est. Sic enim argumentatur,* Si licuit, prætermissis pauperibus tanto sumptu inungere caput Domini, cur non liceat etiam magno sumptu ædificare Templa? *Nam hac collectione corpus Christi à Maria vnctum ante mortem, minoris æstimat Iesuita, quàm Templa Lapidea.*

Argumētū 3. Iesuitæ.

Tertium argumentum Bellarmini est ex vaticinio Isaiæ 60. cap. Ibi pollicetur Deus Ecclesię Christianę, fore, vt auro, argento, gemmis aliisque rebus pretiosis abundet: *Ergo, vult Bellarminus* Templa Christianorum esse sumptuosè ornanda. Nam, *inquit*, præcipui expositores fatentur ad literam hîc agi de Ecclesia Christiana in terris existente. *Sed hoc falsissimum esse ex Hieronymo in hunc locum constat, qui apertissimis verbis Iesuitam refellit. Sic enim inquit:* Si quis contentiosus est, & carnaliter hæc promissa contendit (*En, qui hanc prophetiam ad literam intelligit, quod facit Bellarminus, eum contentiosum Hieronymus vocat*) respondemus ei, Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Illudque addimus, Quòd etiamsi carnaliter sunt promissa Iudæis, tamen sub conditione sunt promissa, vt si suscepissent lumen suum, quod ad eos missum fuerat, tunc etiam ista sequerentur: quòd videlicet per desiderium auri, & opum abundantiam, rerumque carnalium, quarum semper ista Gens capiatur illecebris, susciperent ad se missum Dei filium, quem quia non susceperunt, vniuersa sublata sunt, & suscipientibus spiritualiter reddita hæreditas. *Hactenus Hieronymus; ex cuius tota in hanc prophetiam disputatione intelligitur, Chiliastas eam ad literam accepisse. Vtitur ergo Iesuita fallacia Ab æquiuocatione, seu Figura dictionis. Nam absque tropo intelligit hæc verba Propheta de Templis Christianorum, & donis terrenis in ea conferendis quum loquatur de donis spiritualibus & cœlestibus per Evangelij prædicationem Ecclesiæ Christi acquirendis. Confirmatur hæc sententia ex ejusdem Isaiæ c. 54. & 66.*

Argumētum Bellarmini, 4.

Quartum Bellarmini argumentum sumptum est ab Authoritate Patrum, qui omnis generis ornamenta Templorum probant & laudant. Respondetur, vt supra aliquoties, Patres omnes quos citat Iesuita, post hunc errorem in Ecclesia ortum & approbatum demùm floruisse: communem igitur consuetudinem & vulgi opinionem sequuti hæc & similia multa receperunt & approbârunt etiam ipsi, immemores quòd consuetudo mala non sit sequenda. Deinde, non quid Patres senserint, sed quid consentienter verbo Dei scripserint, attendendum & recipiendum est. Quū igitur quæ de ornatu Templorū scribunt & probāt illi, Ecclesiā Christi ad Iudaicas Ceremonias revocent, Christi beneficiū aboleant, libertatē per eū acquisitam proscriptant, adeóq́; Christum inutilem faciant, illorum scripta de his Templorum Ornamentis non sunt sequenda. Monent hoc ipsum Patres sæpè de suis scriptis. Ita enim Augustinus ad Fortunatianum scribit: Neque enim quorumlibet disputationes, quantumvis Catholicorum & laudatorum hominum velut Scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat saluâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorū scriptis improbare atque respuere, si fortè inuenerimus quòd aliter senserint quàm veritas habet, diuino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, quales volo esse intellectores meorum. *Contra Cresconium autem scribens ità loquitur:* Nos nullam Cypriano facimus injuriâ, cùm ejus quaslibet literas à Canonica divinarum literarum authoritate distinguimus. Neque enim sine causa tam salubri vigilantiâ Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorū libri pertineant, quos omninò judicare non audeamus, & secundum quos de cæteris literis vel fidelium vel infidelium liberè judicemus. *Basilius autem in Moralibus pronunciat,* quòd auditores in Scripturis eruditos oporteat probare ea, quæ à doctoribus dicuntur, & quæ quidem consona sunt Scripturis suscipere, quæ verò aliena rejicere. *Ambrosius verò lib. 1. de Officiis inquit:* Quæ in Scripturis Sacris non reperimus, quemadmodum volumus vsurpare possumus. *Hieronymus in Titum,* Sine authoritate Scripturarum, garrulitas non habeat fidem. *Et in Haggæum Prophetam scribens,* Gladium Dei, *inquit*, percutere ea, quæ sine authoritate Scripturarum, solâ traditione sunt introducta. *Idem ad Minerium & Alexandrum,* Nec, *inquit*,

Patres quantū sibi suisque scriptis tribui velint.

juxta

juxta Pythagoræ discipulos, præjudicata Doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est. Si quis autem contrariæ factionis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco? sciat me illud libenter audire Apostoli, Omnia probate, quod bonum est tenete: & Saluatoris verba dicentis, Estote probati nummularij, vt si quis nummus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est monetâ publicâ, reprobetur. Qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur.

Argumentis 5. Bellarmini.

Quintum argumentum sumitur à pietate quatuor præcipuè Imperatorum, qui magnificentissima Templa exstruxerunt atque etiam superbissimè exornârunt: quales fuerunt Constantinus M. Iustinianus, Carolus M. & Carolus IV. *Respondeo, Si ornatus hic Templorum vel à Christo vel ab Apostolis fuisset requisitus, tanquam res ad cultum Dei necessaria, tum rectè fecissent Imperatores nominati & alij plures: sed quia hoc non fecerunt, studium hoc ipsorum immodicum, & Zelus non secundum scientiam pro errore potius, quàm pietate haberi debet: præsertim cùm hoc facto suo fenestram aperuerint toti isti luxui, quem hodie in Romana Ecclesia conspicimus.*

Rationes pro ornatu Templorum.

In Sexto argumento rationes quinque proferuntur à Bellarmino, quibus hunc ornatum Templorum probare conatur. Prima & Secunda *ducitur ex* magnitudine Dei, cui propterea magnificæ ædes sint exstruendæ. *Respondeo, ratio hæc nulla est, nulla enim domus ædificari potest quantumvis magnifica, quæ majestatem Dei aliqua saltem ex parte exprimere possit. Deinde non est Deus aliter colendus quàm ipse præscripsit. In nouo autem Testamento nihil tale præscribitur, aut à nobis exigitur.*

Tertia *ratio hæc est:* Qui magnificum Templum erigit, magnificum testimonium ædit fidei suæ, & charitatis erga Deum, nec non pietatis & gratitudinis. *Negatur: Fides enim solo Dei verbo nititur, & in ipsius vero cultu à Deo præscripto acquiescit, nec carnis arbitrium in Deo colendo Dei voluntati præfert: Nouit enim frustra Deum coli doctrinis quæ sunt mandata hominum.*

Quarta *ratio sumitur ab vtilitate magnificorum Templorum:* ea enim attrahunt homines facilius ad res pias, quæ in Templis geruntur. Deinde conseruant maiestatem Sacramentorum, & reuerentiam quæ rebus diuinis debetur. Iuuant pietatem & deuotionem fidelium, &c. *Respondeo, Est fallacia A non causa vt causa. Veros enim fideles hæc externa non mouent ad reuerentiam rerum diuinarum, sed potius Dei institutio & mandatum eius. Et vt magnifica Templa, eorumque ornamenta deuotionem in animis hominum excitent, Bernardus indicat in Apologia ad Guilermum Abbatem. Ibi enim, quum de ejusmodi Templis eorumque ornatu verba fecisset, hæc addit:* Hæc dum orantium in se retorquent aspectum, impediunt & affectum, & mihi quodammodo repræsentant antiquum ritum Iudæorum. *Item:* Quorum quæso in his deuotionem excitare intendimus? Quem inquam ex his fructum requirimus? Stultorũ admirationem, an simplicium oblectationem? *Rursus:* Ipso visu sumptuosarum, sed mirandarum vanitatum, accenduntur homines magis ad offerendum, quàm ad adorandũ: quia nescio quo pacto vbi amplius diuitiarum cernitur, ibi offertur libentius. Ostenditur pulcherrima forma sancti vel sanctæ alicujus, & eò creditur sanctior, quò coloratior. Currunt homines ad osculandum, inuitantur ad donandũ; & magis mirantur pulchra, quàm venerantur sacra. *Item:* Quid putas in his omnibus quæritur? Pœnitentium compunctio, an intuentium admiratio? *Iterum:* Tam multa denique tamque mira diuersarum formarum vbique varietas apparet, vt magis legere libeat in marmoribus, quam in codicibus, totumque diem occupare singula ista mirando, quàm in lege Dei meditando.

Quinta *ratio sumitur* à pœnis seuerissimis de ijs sumptis, qui Templa destruxerunt eorumque ornamenta diripuerunt. *Respondeo, pœnæ illatæ direptoribus Templorum non indicium fuerunt simpliciter, Deo magnifica Templa & eorum ornatum placere: sequeretur enim, Delphicum quoque Templum, ejusque ornatum Ethnicum & Idololatricum Deo gratum fuisse, quòd Archidamus Agesilai Filius Rex Lacedæmoniorum, Tarentinis in Italia suppetias ferens, in pugna interfectus, sepulturæ honore caruisse dicitur à Pausania in Laconicis, irâ Apollinis, quem offenderit, eo quòd Phocensibus, qui Delphicum Tẽplum diripuerant, contra Thebanos auxilio fuerat: quòd etiam Brennus & Galli, qui illud diripuerunt, diuinitus, fulmine icti & horribiliter puniti sunt. Sequeretur etiam auro Tolosano Deum honoratum fuisse, quòd eius direptio tum Q. Cepioni, tum illius copijs exitium attulit. Est igitur eadem cũ superiore fallacia. Puniti sæpè sunt horribiliter à Deo nonnulli, non propter direptionem ornamentorum & vasorum Templorum simpliciter, quòd Deus iis tantopere delectetur, sed propter sacrilegiũ & furtum potius, non tam contra Dei, quàm naturæ legem commissum. Sic à reformatarũ Ecclesiarum magistratibus hodiè direptiones eiusmodi puniuntur, non quòd ornatum Templorum immodicum probent, sed propter furtũ contra Dei & charitatis legem admissum. Deinde ij, qui in ipsius Dei odium & contemptum Templa diruerũt & diripuerunt, quales Iuliani Apostatæ auunculus eiusque Quæstor, quorum Iesuita meminit, fuerunt*

runt, à Deo sæpè, vt hostes Dei & veræ Religionis contemptores iurè puniti sunt. Insevit enim Deus has notitias mentibus hominum, esse aliquem Deum, eumque colendum & adorandum: & qui has notitias delere conantur, meritò puniuntur. Cùm autem ornatus ille Templorum, tanquam idololatricus cultus, aufferetur, non id improbatur aut punitur à Deo, vt testantur exempla Iehu, Ezechiæ, Iosiæ & aliorum.

His deniq; addit Bellarminus, Ornare Templa per se quidem pium & bonum opus esse: sed abusu vitiari interdum. *Respondeo: Opus hoc bonum esse ac pium, nullo sacræ Scripturæ testimonio, vel alio argumento probare potest Iesuita: præsupponit igitur verum esse de quo controuertitur: Quod si abusus aut vitium aliquod accedat huic operi, eò peius est.*

Vt autem summatim dicam, cùm non sacræ modò, sed & prophanæ literæ testentur, ad Euangelij prædicationem opes & ornamenta illa Templorum ac falsorum numinum casura fuisse: præterea lege abrogatâ, ne Iudæorum quidem jussa quondam & imperata à Deo opulentia substiterit, ipso etiam Templo funditùs subuerso: quid oro nos agimus, dum contra Apostolorum exemplum, contra vsum ecclesiæ primitiuæ, contra clarissima scripturarum oracula, in hoc solùm incumbimus, vt domus sacræ id genus elegantijs sint conferta, vtque gemmis, auro & argento Tēplorum parietes fulgeant, eam solum ob causam, vt hoc instituto rem gratam Deo faciamus, & hoc pacto ejus gratiam promereamur, qui tamen, Paulo teste Act. 17. rebus humanâ manu factis non colitur? Quanto satius foret opes in viua Dei Templa, hoc est, captiuos, pauperes, & literarum, præsertim sacrarum studia, quàm in non sentientes structuras effundere? Certè hunc fuisse vsum ornamentorum aliarumque opum Ecclesiasticarum in veteri Ecclesia, inde apparet, quòd cùm Decius imperator à Beato Laurentio Ecclesiæ thesauros extorquere vellet, eos jam distributos in pauperes intellexit. Cumque Romani milites captiuos Persarum Azazenâ regione vastatâ, reddere regi Parthorum nullo modo vellent, captiui fame consumebantur, cùm essent circiter septem millia, quod Persarum Regem non mediocriter contristabat: tum Acatius Amidæ ciuitatis Episcopus clericos sibi subiectos conuocans, Viri, *inquit*, fratres Deus noster nec discis nec calicibus opus habet, nam neque comedit neque bibit. Et quia multa vasa aurea & argentea Ecclesia nostra ex oblatione Christianorum habet, conuenit ex ijs liberari exercitum captiuorum egentibusque cibos afferri. *Hæc & his similia cùm dixisset, conflans vasa & militibus dedit pretium captiuorum, quos cùm recreâsset cibis datis sumptibus ad regem suum destinauit. Ad hoc mirabile opus Acatij Persarum rex obstupuit, quòd & bello Romanos & beneficijs euicissent; vt Socrates tradit lib. 11. cap. 16. Tripart. historia. Laudatur etiam Cyrilli Hierosolymorum Episcopi pietas quòd cum in magna aliquando fame, quæ regionem Hierosolymitanam occupauerat, hominum multitudo ingens cibo necessario destituta, ad eum tanquam confugisset, nec in promptu esset pecunia, vasa Ecclesiæ, quantumvis necessaria, pretiosa quoque & sacra vela, in subsidium indigentium distraxerit lib. 5. capite 37. Tripartita historia. Sed & Iustinianus Imperator, l. 18. de sacrosanctis Ecclesiis, sanxit,* non posse Vasa sacra Templorum & vestes oppignorari aut alienari, nisi ob captiuorum redemptionem. *D. Ambrosius lib. 2. de Officiis conqueritur*, quòd aliquandò in inuidiam inciderit, quòd confregerit vasa mystica, vt captiuos redimeret. *De S. Augustino refert Possidonius in vita eius, quòd de vasis dominicis propter captiuos & quamplurimos indigentes frangi & conflari jusserit, & indigentibus dispensari. Quibus Erasmus in Præfatione ad tom. 1. Operum Augustini addit*, quòd aliquoties tentârit vniuersum Ecclesiæ censum populo resignare, sibique & suis nihil reliquum facere ad victum, nisi quod spontanea plebis liberalitas quotidiè deferret. *D. Bernhardus quoque vult epistolâ 348. sacros Ecclesiæ calices vendi & distrahi, & pauperibus succurratur.*

Anathematum Templorum vsus in primitiua Ecclesia.

Valde etiam displicuit veteris Ecclesiæ Patribus, si, neglectis pauperibus, huiusmodi dona fidelium in hunc saltem finem sunt reseruata, vt Templa, Templorumque laquearia & paries ijs exornarentur. Qua de re Ambrosium audiamus qui lib. 2. cap 28. Officiorum grauissimè admodum inquit: Qui sine auro misit Apostolos, & Ecclesias sine auro congregauit. Aurum ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget, & subveniat in necessitatibus. Quid opus custodire quod nihil adjuvat? An ignoramus quantū auri & argenti de Tēplo Domini Assyrij sustulerint? Nónne melius conflat Sacerdos propter alimoniam pauperū, si alia subsidia desint, quàm sacrilegus contaminata asportet hostis? Nónne dicturus est Dominus, Cur passus es tot inopes fame emori? Et certè habebas aurum vt ministrâsses alimoniam. Cur tot captiui deducti in cōmertium sunt nec redempti? Cur tot ab hoste occisi sunt? Melius fuerat vt vasa viuentium seruares quàm metallorum. His non posset responsum referri. Quid enim diceres? Timui ne Templo Dei ornatus deesset. Responderet, Aurum Sacramenta non quærunt, neq; auro placent quæ auro non emuntur. Ornatus Sacramentorum redemptio captiuorum est. Et verò illa sunt pretiosa vasa quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini qui operatur quod sanguis ejus operatus est. Tunc vas Dominici sanguinis agnosco, cùm in vtroque videro redemptionem, vt calix

lix

llx ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit. Quàm pulchrum vt cùm agmina captiuorum ab Ecclesia redimuntur, dicatur: Hos Christus redemit. Ecce aurum quod probari potest. Ecce aurum vtile. Ecce aurum Christi quod à morte liberat, *&c. Et Hieronymus in Comment. ad Ierem. capite* 7. præcepit, *inquit*, & tunc populo Iudæorum, & hodiè nobis qui videmur in Ecclesia constituti, ne fiduciam habeamus in ædificiorum splendore, auratisque laquearibus & vestitis parietibus marmorum crustis. *Et ad Nepotianum de vita Clericarum idem dicit*, Multi ædificant parietes & columnas Ecclesiæ substruunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur, & ministrorum Christi nulla electio est. *Rembertus quoque Bremensis Episcopus ad redemptionem captiuorum penè cunctis, quæ habebat, expensis, cùm multorum adhuc apud infideles detentorum calamitatem cernere cogeretur, etiam sacri Altaris vasa ob illos redimendos impendere non dubitauit: cùm autem quibusdam non rectè fecisse videretur, quasi in alienos et profanos vsus converteret, quæ sacris essent deputata ministeriis, & à quodam interrogatus esset, cur id faceret, iustâ ratione sciscitanti satisfaciens:* Non ignoro, *inquit*, res ecclesiastici officii dignè tractandas, & sub magna obligatione ad hoc esse depositas opes: Veruntamen plus est apud Deum, per eas subveniri captiuis Christianis in angustia constitutis, quàm esse queat depositum eas custodiendi; cumque incumbit necessitas è duobus bonis alterum eligendi, altero carendi, præferendum est illud, quod est præstantius, & id quod inferius est, relinquendum. Vnde etiam ego, *ait*, cùm nullum aliud suppetit consilium, non sum arguendus impietatis, si Christianum, qui filius Dei est, thesauris ecclesiæ redimo: quandoquidem semper invenire possumus, quod ad vsum sacri Ministerii sufficiat: irrecuperabilis verò damni est, si Christianus in captiuitatis afflictione deficiat. *Et Cæsarius Arelatensis Episcopus sæpissimè dicere solitus fuit:* Velim respondeant mihi plerique Sacerdotes, & reliqui è Clero, qui nescio quo superfluitatis amore nolunt dare insensibile argentum & aurum ex Christi donariis pro mancipiis Christi: velim, inquam, dicant mihi, si quo casu ipsi in eam calamitatem inciderent, vellent ne ejusmodi insensibilibus donariis in libertatem vindicari, aut porius Sacrilegii loco haberent, si quis eis ex divinis munusculis subveniret. Equidem non puto id ingratum esse Deo, de suo ministerio redemptionem parari, qui seipsum pro hominibus redimendis dedit. *Cumque Arelaten Gotthi cum innumera captiuorum turba reuerterentur, replerenturque sacræ Basilicæ infidelium multitudine, & multâ inopiâ laborarent, quæ ad victum vestitumque pertinerent, affatim eis prabuit Cæsarius Arelatensis Episcopus, donec omnes ab ipso essent redempti ea argento, quod Eonius antecessor ejus Ecclesiæ mensæ reliquerat, obseruans illud, quod Dominus in paropside intinxisset panem, non in vase argenteo, discipulisque præcepisset, ne possiderent aurum vel argentum. Et hoc sanctum opus ita persecutus est, vt etiam ab illis, quæ ad diuini ministerij dispensationem pertinerent, non abstineret, thuribulis, calicibus, patenis pro eorum redemptione datis, excussisque à cancellorum columnis, ornamentis argenteis, ne homo rationalis, sic enim dicere solebat, Christi sanguine redemptus, amissa libertate, & dura pressus seruitute, aut Arrianus efficiatur, aut Iudæus, aut ex ingenuo, seruus, aut ex seruo liber. Hoc igitur pacto ornauit & defendit, non deformauit Ecclesiam: & patere voluit filijs viscera matris non præcludi: Verba sunt cuiusdam Cypriani discipuli Cæsarij apud Surium tom. 4. de vitis Sanctorum. Sed plura contra ornatum Templorū omnem modum excedentem, supra in capite de præpostero studio exstruendi magnifica & sumptuosa Templa diximus.*

Ornamenta Templorum veterum Ecclesiæ incognita

Quin aliquot Patres primitiuæ Ecclesiæ huiusmodi Ornamenta Templorum prorsus vel ignorârunt vel respuerunt & damnârunt. Id quod in Ethnicis grauiter fecit Lactantius in libro Institutionum, vbi inter alia inquit: Auri, gemmarum & eboris pulchritudo acriter perstringit oculos, nec vllam Religionem putant, vbi illa non fulserint: veniunt igitur ad Deos, non tam Religionis gratiâ, quàm vt aurum oculis hauriant, nitorem leuigati marmoris aspiciant, & quantò fuerint ornatiora Templa, & pulchriora simulachra, tantò plus majestatis habere creduntur. Adeò Religio Deorum nihil aliud est, quàm quod cupiditas hominum miratur. *Item*, Vestes, gemmas, & cætera quæ habentur in precio, si quis putet Deo chara & offerenda, is planè quid sit Deus nescit. *Hæc Lactantius de Ethnicis, quæ de nostris Christianis hodie quoque iure optimo dici possunt. De Exuperio Tolosano Episcopo D. Hieronymus ic Epistola ad Rusticum Monachum ita scribit:* S. Exuperius Tolosæ Episcopus, viduæ Sareptensis imitator esuriens pascit alios, & ore pallente jejuniis fame torquetur alienâ, omnemque substantiam Christi visceribus erogauit. Nihil illo ditiùs qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portet in vitro, qui avaritiam eiecit è Templo, qui absque funiculo & increpatione cathedras vendentium columbas, id est, dona sancti spiritus, mensasque subvertit mammonæ, & numulariorum æra dispersit, vt domus

Dei domus vocetur orationis, & non latronum spelunca. *Et Bonifacius Martyr rogatus, an aurea aut lignea vasa deberent adhiberi ad vsum Sacramentorum, respondit:* Cùm aurei Sacerdotes essent, habuerunt ligneos calices: nunc lignei Sacerdotes, calices volunt habere aureos.

Respōdetur calumnijs Feliciani Scalensis Episcopi.

Ex his quæ supra dicta sunt, facilè responderi potest etiam Feliciano *Scalensi Episcopo. Is anno* 1583. *in honorem ac vsum serenissimi Principis Maximiliani Guilielmi vtriusque Bauariæ Ducis primogeniti Latinâ linguâ in lucem edidit Ingolstadij, ac postea quidem in Germanicum sermonem transtulit, librum precationum, quas Carolus Caluus Imperator, Ludouici Pij filius, sibi adolescenti pro quotidiano vsu, in vnum colligi, & literis aureis scribere mandauit. In præfatione ad Maximilianum Bauariæ Ducem, scribit,* Carolo Caluo Imperante, Ludouicum fratrem eius majorem natu, Tiguri Monasterium Virginibus illustribus, quod nostrâ linguâ das Frauwen-Münster/ vocatur, construxisse, & magnis opibus, ac pretiosarum rerum thesauro honorificè donâsse, quod postea successorum eius liberalitate ac munificentiâ, cumulatius diuitiis & privilegiis auctum ac decoratum sit. Anno verò Domini 1528. diebus Septembris 14. & Octobris septimo euacuato Ecclesiæ Sacrario, omnia clenodia aurea, argentea, & gemmis affabrè facta atque ornata ingenti pretio & numero à Tigurinis distracta & ablata esse, quorum catalogum ad libri finem adijcit, vt quanta auri, argenti, gemmarum, sacrorum Ornamentorum, & rerum aliarum pretiosarum vis & copia in eo monasterio seu Templo fuerit, intelligi, & veterum principum pietas & religio percipi & considerari possit. *Ita quidem ille odio Religionis incensus. Ego verò hunc librum eo consilio editum ab eo, & Catalogum rerum pretiosarum in fine adjectum esse, sanctè affirmare ausim, vt amplissimo prudentissimoque Senatui Populoque Tigurino summum odium & inuidiam, tanquam Sacrilegis, apud Principes constet. Verùm grauissimâ nec tollerandâ injuriâ eos afficit. Conuersum est enim Monasterium hoc à Senatu Tigurino, de voluntate & consensu Abbatissæ fœminæ religiosissimæ, quæ tum temporis Catharina à Zimmeren fuit, in meliorem vsum, hoc est, in Scholam & Collegium, in quo bonarum literarum & artium studiosi quindecim, sæpè etiam viginti cum pædagogo liberalissimè aluntur, & vbi studiorum suorum cursum grauiter confecerint, Ecclesiis in vrbe & agro Tigurino præficiuntur. Res verò illæ pretiosæ, quarum Felicianus Catalogum, nescio quàm bonâ fide, contexuit, aurum, argentum, vestes, ad subleuandam pauperum necessitatem distractæ sunt, vt ciues vrbis Tigurinæ optimè norunt. Quis igitur piorum & verè fidelium negabit præstare, vt sacrarum præsertim literarum studia, ex bonis illis Ecclesiasticis, & Templorum ornamentis inutilibus, promoueantur, & viuæ Dei Imagines, id est, pauperes potius, quàm ligna & lapides alantur ac vestiantur? Aut putabit aliquis Christum spoliari, & Sacramenta debito honore non ornari, sed fraudari, cùm aurum & argentum è parietibus Templorum accipiuntur, & in vsus pauperrum conuertuntur? Audiat talis obsecro, quid in hac re verum sit: Christus tum spoliatur, cùm negliguntur pauperes, cùm ligno & lapidi impenditur, quod viuæ Imagini Dei impendendum erat, cùm veritas propter Doctorum seu ministrorum Ecclesiæ inscitiam & ignorantiam periclitatur. Non colitur Christus auro, argento alijsque rebus pretiosis per Templa suspensis, sed charitate, misericordiâ, fide & justitiâ. Non dicit, quicquid lapidibus, lignis, Templorum parietibus, & Imaginibus feceritis, sed,* quatenus fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Multus est in hac re approbanda, & in confutando cultu illo externo Lactantius, author vetustus, qui in libris Institutionum hoc saxum præcipuè voluit. Proinde si quisquam spoliat Christum illi maximè spoliant, qui opibus & donis Ecclesiasticis abutuntur ad externum Templorum & Sacramentorum cultum. Si sacrilegium committunt, qui ornamenta Templorum distrahunt, & ex ijs studia bonarum literarum promouent ac fouent, pauperes alunt, captiuos redimunt, agros reficiunt, sacrilegus fuit Exuperius, qui omne aurum & æs distribuit in pauperes, adeò vt etiam sacram Cœnam non aureis pateris & patinis crystallinis ecclesiæ exhiberet, sed calicibus vitreis & canistris vimineis. Sacrilegi etiam fuissent Laurentius, Cyrillus, Achatius, Ambrosius, Augustinus & alij. Sed absit vt hoc crimen illis intentemus, cùm misericordiæ opus fecerint. Nam D. Ambrosius disertè dixit:* Si in sua aliquis deriuet emolumenta, crimen est. Sin verò pauperibus eroget, captiuos redimat, misericordia est.

De Collegio studiosorum iuvenum Tiguri.

Respōdetur objectioni.

Si quis objiciat, contra fundatorum mentem & voluntatem, Ornamenta illa Templorum quæ Ecclesiis donârunt, in alios vsus transferri: Respondemus, temporum injuriâ, & Sacerdotum Monachorumque fraude factum, vt putârint, se Deo rem gratam facere si Templa exornarent. Deinde illorum consilium fuit hoc pacto propagare Dei gloriam. Nunc verò cùm ex verbo Dei didicerimus, Deum his externis non coli, sed in spiritu & veritate: Christum quoque hæc externa non commendâsse, sed pauperes, tanquam seipsum, nequaquam illorum voluntati repugnat, si externus ille Templorum ornatus, in verè pauperes, non in ligna, lapides, & otiosos ventres transferatur.

Varia

Varia Decreta de ORNAMENTIS & VTENSILIBVS Templorum.

SIXTVS I. *instituit*, ne à quoquam, nisi à Ministris sacrorum, mysteria & Vasa sacra tangerentur, maximè verò à fœminis: *Platina, Sabellicus, Panthaleonis Chronic. Syluester* I. *in* 3. *Synodo Romana sancivit*, Ne quis Lector vel ostiarius Vasa sacra contingeret. *Tom.* 1. *Concil. Sed confictam hanc Synodum ab aliquibus, multa evincunt. Quò verò hæ leges spectent, quivis facile potest animaduertere, nempe ad euehendam, quod ad eius fieri potest, Sacrificulorum Papisticorum dignitatem, & eorum farcienda marsupia.*

Sanxerunt etiam, vt festis diebus, Ecclesiæ thesauri, pretiosa supellex, simulachra ac quicquid est in Templis ornatûs magnificentioris, spectatoribus visecendum proferatur, *sicut Durandus refert lib.* 1. *cap. de Pictur. & Cort. & Ornament. Eccles. Vbi etiam ostentationis huius nundinariæ, has rationes affert : ait enim*, primum in celebrioribus panegyribus, thesauros Ecclesiæ in publicum proferri, vt exploretur eius fides & diligentia, qui eorum custodiæ præfectus est*: deinde* vt his ornatiora sacra reddantur*: postremò* vt tanquam monimenta quædam spectatoribus memoriam refricent eorum à quibus dicata sunt *: sed veram causam omisit*, vt nimirum stupidus populus in his externis animum occupans. Christum eiusque verbum & meritum facilè negligat. *His præterea adjungit ibidem rationem, cur Struthionum quoque oua, & hujusmodi alia, quæ spectatores rapiunt in admirationem; Templis appendi soleant :* vt, *inquit*, per hæc quæ rarò conspici consueuere, populus ad Templa attrahatur facilius, & magis afficiatur, *ô nouam & inauditam rationem attrahendi populum ad Templa. Sed quò sunt frequentiora & densiora hæc ipsorum theatra, eò & quæstus histrionum est vberior.*

In Synodo Auernensi anno 545. *habita iuxta Panuinium cap.* 7. *Statuitur*, Ne suppellectilis Ecclesiæ Sacra ad nuptias seu res civiles vsurpetur. *In Synodo Bracarensi* 3. *anno* 674. *celebrata, sancitur cap.* 2. vt qui Ecclesiastica ornamenta, vela, vel alia quælibet indumenta, atque etiam vtensilia scienter in suos vel aliorum vsus transtulerit, si secularis sit perpetuâ excommunicatione damnetur: si religiosus, ab officio deponatur. *In Concilio Lateranen. sub Innocentio* III. *habito anno* 1215. *capite* 19. *præcipitur*, vt Oratoria, sacra Vasa, corporalia, vestimenta Ministrorum, pallæ altaris cæteraque ornamenta omnia, ac tota denique Sacrorum reliqua supellex, quàm purissima nitidissimaque conseruetur. *In Concilio Oxonien. anno* 1222. *celebrato, sancitur*, vt quælibet Ecclesia calicem habeat argenteum cum alijs vasis decentibus, & sindonem mundam ac candidam. *capite* 3. *Ibidem cap.* 18. *statuitur*, vt Archidiaconi habeant redacta in scriptis omnia ornamenta & vtensilia Ecclesiarum : vestes quoque & libros singulis annis videndos exhibeant, vt videant quæ addita, vel perdita sint. *His sic per aliquot Capita exaratis, recordatus sum loci, qui extat apud Strabonem lib.* 10. *Commune, inquit, hoc Græcis cum Barbaris, vt Sacrificia celebrent* μετὰ ἀνέσεως ἑορταστικῆς *alia cum furore* (ἐνθουσιασμοῦ) *alia sine eo: alia cum, alia sine Musica: alia in arcano, alia palàm: Idque naturâ sic dictante. Nam feriæ animum ab humanis cogitationibus abstrahunt, mentemque otiosam ad Deum conuertunt, & enthusiasmus instinctum quendam divinum habere videtur, & ad fatidicum genus accedere, & mystica sacrorum occultatio Majestatem numini conciliat, imitans eius naturam effugientem nostros sensus: tum Musica in saltatione, rhythmo, cantilenâ versans, voluptate artisque varietate nos ea de causa conjungit cum Deo. Ex his intelligit Lector, quã vicina sit Gentilium Theologiæ Papisticâ quæ cum credat. Deum effugere nostros sensus, multa excogitavit, nempe, Templa, Altaria, Imagines, lucernas, lumina cereorum & lampadum, cantum Organa Musica, anathemata, aliaque ornamenta Templorum, quibus rudis plebs, quæ magis sensibus quàm ratione regitur, quasi naso ad cultus superstitiosos & Idololatricos ducitur. Contempletur autem Lector Apostolicæ & primitiuæ Ecclesiæ formam. Quid eâ simplicius? Quid ad exercitia precum & dilectionis officia accommodatius? Vbi* ἄνεσις ἑορταστική*? Vbi* ἐνθουσιασμός*? vbi saltationes, rhythmi, organa, cerei, thuribula, anathemata, & infinita alia Idololatriæ instrumenta?*

CAPVT XXV.

De Origine AQVÆ Lustralis.

DVRANDVS *in Rationali libro* 4. *capite* 4. *quatuor genera Aquæ benedictæ seu lustralis constituit : Primum genus est, Aqua in qua fit judicium purgationis, de qua dicit quòd in vsu non sit. Illam ipsam autem, ni fallor, intelligit, quâ olim Deus apud Hebræos pudicis vxoribus consulere atque succurrere constituit, aduersus falsas zelotyporum maritorum suspiciones, & horrendo publicoque exemplo, impudicas & adulteras infamare & castigare ac violata matrimonij iura vindicare. Hoc verò lustralis aquæ genus meritò tanquam obsolutum explodunt: nam si vterentur eo, & tam tristi ac funestâ aquâ conspergerent mulieres, neque tanta illis esset cum mulieribus cognatio & familiaritas, neque tantus ca-* *Aquæ benedictæ varia genera.*

tus earum & tam frequens ad ipsos concursus: quo vix vllum ipsis incommodum posset grauius & nocentius contingere.

Secundum, *aqua baptismi, quâ antiquitùs homines aspergi solebant priusquam chrismarentur, sed hodiè interdictum est: putabant enim se iterum à peccatis huius aquæ aspersione mundari, cùm constet nullum bis baptizari posse.*

Tertium *genus est, aqua, quæ sanctificare dicitur in dedicatione Ecclesiæ & Altaris.*

Quartum, *quâ in Templis asperguntur homines: De his duobus posterioribus generibus hoc capite potissimùm agemus.*

Aqua lustralis non à Deo instituta.

Eam verò non à Deo institutam, Gabriel ingenuè fatetur in 4.dist.1. q. 1. artic. 1. sed ab Alexandro 1. qui Romanæ Ecclesiæ circa annos Christi 113.præfuit, in Ecclesiam introductam esse his verbis indicatur de Consecrat. dist. 3. Aquam sale conspersam in populis benedicimus, vt eâ cuncti aspersi sanctificentur & purificentur: quod omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. *Platina ita habet* Instituit Alexander I. vt Aqua, quam sanctam appellamus, sale admixtâ, interpositis sacris orationibus, & in Templis, & in cubiculis ad fugandos dæmones retineretur. *Funccius Comment.in Chron. lib.5. hoc sic commemorat:* Alexandri Romani Pontificis, *inquit*, decretum est, Aquam admixto sale precibus benedicendam, eamque & in Templo, domique ad sathanam propellendum, & ad peccata tollenda, servari jussit, eâque finitis Sacris populum aspergendum esse, vt sanctificarentur ac purificarentur. *Eadem referunt Antoninus tit. 7.capit.5.Sabellicus Enne. 7.lib.4. Panthal.in Chron.*

Aquæ lustralis Christianorum vis.

De vi quoque & efficacia Lustralis huius aquæ Iohan. Sleidanus Comment.lib.2.ita scribit: Hæc, *inquit*, conspersio creditur ad mentis atque corporis conferre sanitatem, & insidias abigere diaboli, & expurgare non solùm homines, verùm etiam res inanimes. Nam in solum, atque saxa, & mortuorum sepulchra conijcitur, & sacrificus Deum precatur, vt hanc ei vim & efficaciam indat. Mulieres etiam, à puerperio, cùm ad Templum redeunt, in primo statim aditu lustrantur hac aquâ. Denique multiplex est illius vsus, maximè verò, cùm adversus nocturna spectra dimicatur, & agitur exorcismis. Noti sunt etiam illi rhithmi: Aquâ benedictâ, deleantur tua delicta, sit tibi laus & vita.

Costerus Iesuita in libello de Sodalitate B. Mariæ virginis *docet*, vi aquæ lustralis profligari dæmones ex locis & creaturis. 2. remitti venialia peccata. 3. phantasmata, prauas cogitationes & mentis distractiones in oratione, aliique temporibus excludi. 4. Mentes à terrenis rebus colligi. 5. disponi animum ad orationem & deuotionem. 6. gratiam, fauorem & præsentiam S. Spiritus impetrari. 7. præparari mentem hominis vt rectiùs diuina mysteria peragat, Sacramentaque suscipiat: valere enim hanc aquæ aspersionem adversus omne, quod Sacramentorum effectum impedire possit: & hanc ob causam in altarium & Templorum consecratione adhiberi, vt à locis illis omne excludatur orationis, deuotionis & Sacramentorum impedimentum: ob eandem causam etiam juxta fores ecclesiæ in promptu semper esse aquam benedictam, vt ingressuri ejus aspersione, dæmonem inanesque cogitationes & curas excludant, atque ad orandum deuotius se parent & colligant: egressuri verò adversus omnes occurrētes peccandi occasiones sese muniant: & hos Spirituales *dicit*, aquæ hujus esse effectus. *Corporales hos recitat:* 1. Curari eâ sterilitatem hominum, jumentorum, humanarumque rerum 2. impetrari bonorum multiplicationem & vbertatem. 3. infirmitates corporum, ne inuadant, præcaueri, & vbi occupauerint præcurari: concedi etiam sanitatem mentis & corporis. 4. noxium aërem purgari, depelli pestem, & omnem contagionem.

Qua de re etiam Thomas Naogeorgus, lib. 3. Regni Papistici ita canit:

Quin delicta etiam sacratæ aspergine lymphæ
Deleri credunt, procul & cacodæmonas atros
Pelli: nempe quibus tormentum pergraue, gutta est.
Sæpius aspergunt igitur sese, populumque:
Dextrisque excipiunt tensis, & vertice aperto,
Ejus aquæ guttas summi doctique Papistæ:
Semper & in Templis mediis atque ostia propter
Amula cum aspergillo astat, ne copia desit
Dæmones arcendi, delendique omnia vitæ
Crimina. Priuatas etiam portatur in ædes
Illa aqua, consperguntque domum, conclauia, lectos:
Nemo nisi aspersus digito, sua limina transit:
Rebus ita in multis est hujus maximus vsus.
Nec mirum, tantæ cùm sit virtutis, opisque.
Delinguunt etiam vulgo res propter easdem

Grana

Grana salis, puerisque eadem bobusque ministrant,
Dæmonis incursu ne quid lædantur iniqui.
His quid opus Christo, minimo qui magna labore
Efficiunt? delent peccata, & dæmones arcent.
Aut aquulæ gutta, candentis vel salis esu?

Rationes quib. probãt aquæ lustralis vim inepta & impia.

Rationes autem quibus Alexander 1. *hanc suæ aquæ vim astruere conatur & ineptæ & impiæ sunt* : Si enim, *inquit*, cinis vituli aspersus populum sanctificabat atque mundabat, multo magis aqua sale aspersa diuinisque precibus sacrata populum sanctificat atque mundat. *Hujus argumenti pars prior, ex scripta ad Hebræos Epistola desumpta est, sed nefariè mutilata: posterior verò magno cum Sacrilegio perversa. Nam pro Christi sanguine, cui Apostolus eo in loco veram adscribit peccatorum emundationem, Alexander Papa, incantatam suam aquam supponit intolerabili blasphemiâ. Non enim sanguinis Christi dignitas & opus, elementis huius mundi, præsertim cùm verbo Dei carent, attribui debent. Sed fecit hoc eiusdem spiritûs afflatu, quo postea Missæ sacrificium substitutum est ad peccatorum expiationem, quam soli Christi victimæ acceptam ferre conuenit. Qui igitur Alexandrum huius aquæ authorem faciunt, hi intolerabilis huius erroris, & nefariæ in Christi meritum contumeliæ, eundem authorem constituunt. Vbi & glossa eius loci docta, si Diis places, quod scribitur de cinere Vaccæ rufæ atque habetur in libro Numer.* scribi ait, in Leuitico: *& cùm Sacrificium rufæ Vaccæ offerretur pro peccato populi, & à populo ad Sacerdotem adduceretur, affirmat*, oblationem illam pro peccato Sacerdotis consueuisse fieri, quem oportuerit illam victimam ex proprio sacrificare. *Quo ipso satis declarant Canonistæ hi, se diuinas literas prorsus ignorare, cùm tam aliena & à vero diuersa referant.*

Depravatio loci Hebr. 9.

Sequitur altera ratio: Et si sale asperso per Hæliseum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis diuinis precibus sacratus Sal sterilitatem rerum auffert humanarum, & coinquinatos sanctificat & purgat: bona multiplicat & insidias diaboli auertit, & à phantasmatis versutiis homines defendit. *de Consecr. distinctione* 3. *Vbi obiter notandum, quàm friuolum & absurdum sit, ex eo, quod semel aut iterum Propheta aliquis vel Apostolus gessit, aut sacramentum, aut rem, vt vocant, sacramentalem velle instituere. Vt si Deus voluit semel per Helisæum, adhibito sale aquas emendare, an idcirco ritus huiusmodi erat in Ecclesiam inuehendus? Gestauit olim Ieremias in collo jugum ligneum & Esaias vlcus Ezechiæ curauit ficubus: Cur non etiam totidem hic fecerunt Sacramenta?*

Progreditur deinde vlterius in Decretali suâ Alexander Papa, & rursum argumento admodum impio vtitur. Si fimbriæ, *inquit*, vestis Domini nostri, cùm ab ægrota muliere tangerentur, sanam illam reddiderunt, quanto magis hæc aqua sanitatem fidelibus & animi & corporis afferret? *Ex quibus rursus clarissimè liquet, aquam istam piacularem sanguini Christi aquari, & fimbriis vestium eius præferri, quasi peccata nostra adeò leuia sint, & infirmis radicibus hæreant nostris animis, vt leui aspergine superstiosæ aquæ deleri possint.*

Confer hæc quæso cum Prophetarum & Apostolorum scriptis, Deus bone quantum ab illorum maiestate distant? quantum autem à Ioannis Euangelistæ scriptis differunt, qui propè ad huius Alexandri tempora ætatem suam produxit? Dominus quidem in lege ablutiones & purgationes ad sanctificandum & expiandum instituit, non quòd Ceremonia externa vim hanc haberet, sed vt homines admonerentur, se quidem immundos esse, ideoque ad Deum accessum nullum habere, nisi prius mundentur & sanctificentur. Veram autem sanctificationem pij non in externis ritibus & Ceremoniis quærebant, sed in promisso Messia Christo Domino, quem verâ fide amplectebantur sanguine suo abluentem peccata nostra, & spiritu suo sanctificantem. In quam sententiam David clamat, Laua me plurimùm ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Expiabis me hyssopo, & mundabor, lauabis me, & niue candidior ero. *Et Ioannes dicit*, Sanguis filii Dei emundat nos ab omni iniquitate. *Quamuis verò sanguis iste verè ignis ille sit purgatorius, quo peccata nostra tolluntur & expiantur, ac verum lauacrum quo animæ nostræ abluuntur: habet tamen sua quoque organa Christus, quibus purificationem illam nobis confert: non quidem Aquam hanc pontificiam, sed verbum suum & Spiritum sanctum: ex quibus illud quidem per prædicationem in hominum mentes seminatur, hic verò ita seminatum & fide exceptum viuificat, ut corrupta naturæ sordes auferat, & his sublatis fructus dignos in nobis ferat. Ideò Christus discipulis dicebat*, Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis. *Et Petrus* fide purificat, *aiebat*, corda hominum, *nimirum ad illud respiciens, quòd per hanc verbum Dei, & in hoc ipsum Christum percipimus, verum & unicum purificationis authorem. Quia verò hoc beneficium Baptismi Sacramentum obsignat, hic quoque peccata abluere dicitur, juxta illud Ananiæ, qui Paulo dixisse scribitur:* Surge, baptizare, & ablue peccata tua, inuocata nomine Iesu. *Act.* 22. *Sed & cruce purgari dicimur, eò quòd hæc carnem nostram coërceat, & instar vitis & segetis pinguioris luxuriantem falce salutari resecet, ut sordibus libe-*

Cur Baptismus peccata abluere dicatur.

liberetur, quas mundus & hujus princeps illi aspergunt.

Aqua lustralis aspersio non in omnibus Ecclesiis ab initio recepta.

Quamuis autem certa sint conjecturæ ob quas istiusmodi ceremoniam non ab Alexandro Pontifice Romano sed posterioribus temporibus institutam demùm crediderim, & pro antiqua venditam: nam Ecclesiastici scriptores, qui ante Gregorium M. floruerunt, nusquam eius mentionem fecerunt: Dabimus tamen hoc illis præsertim cùm Romana Ecclesia, fronte semel perfrictâ nihil non ineptissimarum rerum, ne quid grauius dicam, semper ausa fuerit, & filius ille perditus homoque peccati maturè mysterium illud iniquitatis operari in ea cœperit: illud verò nequaquam concedemus, aquæ huius aspersionem in reliquis quoque Ecclesiis in vsu fuisse, quas fortasse puduit ineptas & pueriles ceremonias instituere. Nam de vsu instituto aquæ aspersionis, in aliarum Ecclesiarum ritibus nihil prorsus invenimus: vt mirum sit, si tum fuit caput omnium Ecclesiarum Romanus Episcopus, quòd tam nullos mandatis suis habuerit obsequentes discipulos.

Valentinianus aquam lustricā respuit.

Valentinianus enim, qui postmodum Imperator factus est, cùm tribunus adhuc militum esset, sequereturque Iulianum Apostatam in Fortunæ fanum, vtrinque autem ad ianuas starent aditui lustrationibus purgantes, vt arbitrabātur, ingressuros vbi vidit guttā aspersā chlamydi suæ, adituo pugnum inflixit, quòd se Christianum, & hoc pacto pollutum non purgatum *diceret: vt refert Theodoretus lib. 3. cap. 16. item Vrspergensis fol. 92. Frisingensis lib. 4. cap. 12. Auentinus. In qua narratione duo aduertenda puto, primum, quòd Theodoretus apertè dicit,* gentiles ARBITRATOS se aquâ hac purgari: *alterquòd Valentinianus tribunus pugnum inflixit ei, qui ipsum aquâ istâ lustrali aspersit, quòd Christianum se diceret, adeoque minimè ferendum innuens, vt iuxta Ethnicorum Ritum aquâ purgaretur. Quod si verò eiusmodi lustratio Christianis tunc temporis quoque in vsu fuisset, nec Valentinianus istam aspersionem adeò grauiter tulisset, nec Theodoretus, quasi per Sarcasmum scripsisset,* Ethnicos arbitratos se aquâ illâ lustricâ expiari. *Idem Theodoretus eodem libro cap. 15. indicat,* Iuliani Imp. jussu in macello omnia venalia, veluti carnes, panes, fructus, olera & quæ alia victui comparantur, lustrata, adeóque polluta fuisse, *Cumque Augustinus dicat,* quasdam suo tempore Ecclesias, solennem Christi imitationem in lotione pedum refugisse, ne ad baptismum ritus ille pertinere videretur, *haud obscurè innuit, nullum eo tempore lotionis fuisse genus, quod cum Baptismo vllam haberet similitudinem, qualem aqua lustralis hodiè apud Christianos habet, vt ex Durandi Rational. lib. 4. capite 4. colligi potest; vbi dicit,* homines & loca in significationem Baptismi aquâ benedictâ aspergi: *item,* aquam lustralem in memoriam baptismi omni die dominicâ benedici.

Aquæ lustralis vsus ex Iudaismo petitus. Apud Iudæos varia lotionum genera.

Nata est autem hac superstitio apud Christianos partim ex praua quadam imitatione Iudaismi. Apud Iudæos enim varia lotionum & purificationum fuerunt genera. Aliquas Deus per Mosem instituerat, quibus mundabantur, qui aliquid immundi tetigerant, inter quas primatum tenebat aqua lustralis, quæ ex cineribus vaccæ rufæ conficiebatur, & sanguinis Christi meritum adumbrabat, qui nos ab omni iniquitate emundat, tam eâ quam ex primis parentibus hæreditario quasi iure contraximus, quàm illâ quæ ex quotidianis lapsibus & mundi huius commercio aspergitur. Vide de his Num. 19. & Levit. 15. Cùm igitur Ceremonia hæc Christi sanguinem adumbrârit, eius morte abrogata fuit, ideoque non oportuit ea propriâ authoritate reuocari. Dum enim fuit in vsu, verbum Dei conjunctum secum habuit: nunc verò quando illo destituitur, est mera superstitio. Quibus adde, quòd aqua hac lustrationis Testamenti veteris, quæ admistam habuit cinerem vaccæ rufæ, & quam Alexander vult figuram fuisse aquæ huius lustricæ noui Testamenti, typus fuit Baptismi, secundum Augustinum in quæstionibus super Numeros, cap. 33. At his non contenti Iudæi, nouos purificationum & ablutionum ritus ex suo cerebro finxerunt, quos priuatim domi suæ exercebant, sicuti videre est Marci 7. capite, vbi sic scribitur: Pharisæi & omnes Iudæi, nisi certatim lauerint manus, non edunt, tenentes traditionem majorum. Et à foro reuersi, nisi loti fuerint, non edunt: & alia multa sunt, quæ acceperunt tenenda, nempe lotiones poculorum, & sextariorum, & æramentorum, & lectorum, &c. *Vtque fieri consueuit, superstitio cum ambitione conjuncta fuit: quâ factum est, vt in singulis propè ædibus vasa plura & ampla, adhæc materiâ & opere pretiosa prostarent, quibus purificandi studium indesinens testabantur. In hunc vsum posita fuerunt, in iis ædibus in Cana Galilææ, in quibus nuptiæ celebratæ sunt, quibus ipse Christus interfuit, sex hydriæ secundum purificationem Iudæorum, de quibus Ioannis 2. cap. Peruasit (vt diximus) ista superstitio in Ecclesiam, quando inepti quidam non contenti expiatione peccatorum, quæ in veteri Testamento adumbrata, in cruce autem sanguine Christi præstita fuit, in Baptismi autem lauacro nobis quotidie obsignatur, insuper publicæ purificationis ergò aquam lustralem excogitârunt sale conditam, quâ Templum ingredientes purificentur. Et quia per hanc non modò pollutos purgari, verùm etiam diabolos fugari, & spectra arceri crediderunt, plerique etiam illam domi in Vasis æneis artificiosè factis asseruârunt. Eoque horribilior est istorum superstitio, quòd hanc suam aquam mortuorum sepulchris & tumbis lapideis inspergunt, vt quæ mortuorum delictis expiandis*

dis seruiat, & Purgatorij ardores ipsis tolerabiliores reddat.

Ebionitæ & Turci vtuntur lustricâ aquâ.

Hanc Iudæorum superstitionem deinde Ebionitæ quoque imitati sunt, atque etiam Turci, quibus nefas est etiamnum illotos in Templa admittere.

Aqua lustralis ex Ethnicismo.

Partim etiam ab Ethnicis hæc superstitio ad Christianos manauit, apud quos in vsu fuisse aquæ lustralis aspergines Iustinus testatur Apologia 2. vbi inquit: Qui adeunt Templa (*gentiles intelligit*) seipsos aspergunt, postea offerunt numinibus grates, nidores atque libamina: aut etiam totos se abluunt, antequam subeant delubra Deorum. *Et M. Beleth quidem in suo Rationali cap.* 110. *testatur:* Ethnicos Templa sua juxta fontes exstruere solitos, vt aquam ibi semper in promptu haberent, per cujus aspersionem se purificari crediderint, ita vt illos fontes Delubra appellauerint, à diluendo. *Ac Æditorum apud eos munus fuisse, adstare ad januas Templi, & ingredientes aspergere aquâ lustrali ex Valentiniani historia, paulò antè citata; patet. Inquit enim Theodoretus,* ἑκατέρωθεν δὲ τῶν θυρῶν εἱστήκεισαν νεωκόροι περιῤῥαντηρίοις τοὺς εἰσιόντας προκαθαίροντες ὡς ἐνόμιζον, *id est,* Ab vtraque januæ parte steterunt æditui, qui vasis plenis aquâ lustrali ingredientes priùs lustrabant, vt arbitrabantur. *Et Sozomenus ejusdem historiæ mentionem faciens, ait:* ἐπεὶ δὲ ἔμελλον ὑπαμείβειν τοῦ ναοῦ τὸν οὐδὸν, θαλλούς τινας διαβρόχους κατέχων ὁ ἱερεὺς νόμῳ ἑλληνικῷ περιέῤῥαινε τοὺς εἰσιόντας, *hoc est,* Cùm autem jam superaturi essent Templi limen, Sacerdos quidam ramos madefactos manibus tenens, ingredientes more Græco aspergebat. *Meminit hujus moris etiam auctor libri de Morbo sacro, qui Hippocrati vulgò ascribitur, vbi,* Deus, *inquit,* est, qui maxima & sceleratissima peccata purgat & purificat, & liberatio nostra existit: ipsique terminos Templorum & delubrorum nostrorum Diis designamus: vt nullus, qui non purus sit, eos transcendat. Et ingressi respergimur, non veluti qui inquinemur, sed, si quod etiam prius peccatum habemus, purificemur. *Sic Æneas Evandrum aditurus per Tyberim nauigat, quòd eum esset reuerturus Herculi Sacra facientem; vt sic purificatus, sacris posset hospitalibus interesse. Hinc & Iuno ipsa conqueritur, non magis quòd Æneam contigisset contra voluntatem suam in Italiam peruenire, quàm quòd optato potiretur Tybridis alueo: quia sciret eum hoc omne purificatum, posse Sacra etiam sibi ritè perficere: nam ne supplicari quidem sibi ab eo velle. Græci ad fores priuatarum ædium tantisper, dum illæ ob defunctum funestæ essent, & dum* πρόθεσις *ejus, qui obierat, fieret, vas magnum statuebant, aquâ lustrali plenum, quæ esset è domo non funesta allata: quâ se quisque exiens adspergebat, qui ad exequias venerat. Iuno quoque ab inferis ad superos rediens iridis aquâ prius lustrata dicitur apud Ouidium libro 4. Metamorph.*

Læta redit Iuno; quum cœlum intrare parantem
Roratis lustrauit aquis Thaumantias iris.

De eadem consuetudine Vergilius etiam loquitur lib. 6. Æneid. cum Misenum sepultura mandari refert:

Idem ter socios purâ circumtulit vndâ
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.

Circumferre pro lustrare.

Circumtulit vndâ hoc loco idem est, quod aquâ purgauit. Circumferre enim pro lustrare, verbum antiquum & pontificale est, vt Seruius ad hunc versum notat. Sed & idem Poëta cùm facit Æneam apud inferos ramum Proserpinæ consecraturum, ita refert Æneid. 6.

Occupat Æneas aditum, corpusque recenti
Spargit aquâ.

Eadem de re sic scribit Festus:

Itaque funus prosecuti, ignem supergrediebantur aquâ aspersi, quod purgationis genus Suffitionem appellabant.

Aqua lustralis non ex quauis aqua sumpta apud Ethnicos.

Ad has autem aspergines, si fontes nulli juxta Templa essent, non quavis vtebantur aquâ Ethnici. Nam Romani aquam de fonte Iuturnæ qui circa Numicum labitur, adhibebant, vt in 12. Seruius scribit, aspergebantque: ac eam super terram ponere, piaculum ac triste omen erat. Apud Athenienses verò aqua sumebatur ex Callirrhoë fonte, magnæ Religionis in maximis sacris, & sponsalitiis ceremoniis, in quibus aliam adhibere nephas habebatur. In Delij Apollinis Templo præcipua aqua fuisse fertur, sacrificantium vsui accommoda: quam ad alios vsus hausisse, magni criminis instar erat. Græci in sacrificijs & expiaminibus Eleutheri aquam frequentes adhibebant. Træzenij, ex Hippocrene: Persici reges ex Coaspe, quàm profecturi secum etiam ferebant. Arabum reges ex Euleo, qui ortus à Medis, præcipuo nitore fluit. Præ cæteris Ægyptij, tanti Nili aquam fecere, vt cùm hydria ad Templum humeris ferebatur, omnes procumberent, & sublatis manibus Dijs gratias agerent, nimirum cùm & fluuium ipsum Deum existimarent, vt refert Gyraldus De Dijs gentium Syntagm. 17.

Christiani superstitiosiores Ethnicis.

Quamobrem hoc ipso Ethnici minus superstitiosi Christianis fuisse videntur, quòd has aquas lustricas nullis incantamentis suis infecerunt, sed ijs purissimis vsi sint, quales viua fontis omnisque scaturigio suppeditauit. Huc spectat & illud Propertij:

Ac primùm pura somnum tibi discute
lymphâ.

In huiusmodi igitur lauacris, nullus erat salis vsus, nulla mistura cum aquis lustralibus, nisi quòd Proclus asserit De sacrif. & mag. etiam aquâ marinâ purgationes factas apud antiquos, & hodiè fieri à Mauris alÿsque multis nationibus Gyraldus testatur. Cicero de parricidis agens, in culeo insutis: Non sic, *ait*, in flumen abjicere, ne cùm delati essent in mare, ipsum pollucrent, quo cætera quæ violata sunt, expiari putantur. *Meminit & Aristophanis interpres super eo comici versiculo*, φρά͂ζον μὲν αὐτὸν ἐπὶ θάλατταν ἤγομεν, ἔπειτ' ἐλούμεν, Nam, *inquit*, moris fuit expurgare profanatos, si ad mare deferantur, & abluantur. *Hinc etiam illud Catuli ad Gellium:*

Suscipit ô Gelli, quantum non vltima
Thetys.
Nec genitor Nympharum abluit Oceanus.

Hoc fiebat vnam hanc ob causam, Proclo teste, quòd aqua marina vi purgandi esset prędita, quòd salis esset particeps, qui aliquam in se continet ignis particulam: ideoque Ethnici sacerdotes eâ in suis lustrationibus vtebantur, illaque aspergebant quæ lustrare volebát. *Quæ sanè Procli sententia, plus videtur habere rationis, quàm quòd Papistæ nugantur de Helisæi imitatione. Quid enim habet simile Helisæi exemplum, huius magiæ? An aquam sale conspersit ad expianda peccata? Quorsum igitur hæc ridicula imitatio? Si salsis aquis inesse vim putant purgandi, se lotio (si placet) cum Samaritis proluant polluti: atque hoc pacto & sali parcent, & lustralem aquam se dignam habebunt. Nam Epiphanius huiusmodi lustrali aquâ vsos esse scripsit Samaritas, contra hæres. libro primo, tom. 1. Sectione 99.*

Aquæ lustralis vasa varij generis & formæ.

Vasa autem quæ ante Templa posita aquas lustrales continebant, erant varii generis & formæ. Apud Romanos, qui aquam lustralem super terram posuisse nefas erat, ideò vas lato ore, & fundo angusto, in quo hauriretur, ne stare posset, adhibebant: quod vas Donatus & Seruius Futilo *vocant. Et de eodem Lactantius libro octauo, Theb.* Futile, *inquit*, vas est quoddam lato ore, fundo angusto: quo vtebantur in sacris Deæ Vestæ, quia aqua ad Sacra in terra non ponebatur: quod si factum esset, piaculum erat: vnde excogitatum est vas, quod stare non posset, sed si positum esset, statim funderetur. *Vnde & homo commissa non retinens, futilis dicitur: & contrà, non futilis, bonus consiliis. Licet quidam eruditi, hoc vas cadum etiam & scyphum dixerunt: illudque manibus tenere oportebat, quod quidem Flaminicæ Virgines Sacrorum Ministræ, aut Vestalium famulæ, & nonnunquam pueri flaminum Ministri, quos Camillos appellabant, patrimi & matrimi omnes coronati manibus tenebant, vt eodem loco Gyraldus annotat. Apud Græcos vas illud, quod ante fores ædium eius, qui obierat, aquâ plenum statuebant; quâ se quisque exiens aspergebat & lustrabat, qui ad exequias venerat, figlinum erat, & ἀρδάνιον propriè nuncupabatur, authore Polluce lib. 8. Et Suid. Aristophan. dicitur ὄστρακον. Hesych. γάστρα. Qui plura scire desiderat de labris atque vasis, quæ aquam lustricam ante Templa continebant, legat Guilielmi Choulÿ librum Gallicum, de Antiqua Romanorum religione.*

Aquæ lustralis aspergillum vnde factum apud Ethnicos.

Aspergillum *autem apud nonnullos ex oliua fieri solitum ex loco Vergilij Æneid. 6. apparet, vbi inquit:*

Idem ter socios pura circumtulit vnda:
Spargens rore leui, & ramo fœlicis oliuæ.

Licet Lauro potius fieri soleret vt dicit Donatus, & consentit Seruius: sed & ex illo Iuvenalis patet:

Lustrari si qua darentur,
Sulphura cum tædis, & si foret humida laurus.

Vergilius autem mutauit propter Augustum: nam quo die natus erat Augustus, nata in palatio laurus erat, ex qua triumphantes coronabantur: & ideò ne lustrationi lugubri videretur adhibere, mutavit in felicem oliuam.

Aquâ lustrali Ethnici se non solum asperserũt, sed totos abluerũt

Neque solum Ethnicis in more fuit sese aquâ aspergere, sed etiam corpora tota antequam rem divinam facerent, in fluminibus abluere. Sic apud Vergilium Æneas, nefas esse dicit, se attrectare Sacra, quòd tum primum ex graui bello, & cæde recenti venerit, donec se flumine abluerit.

Tu genitor *(ait)* cape sacra manu patriosque penates
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo.
Abluero.

Idem testatur receptum fuisse veteribus Sophoclis interpres in Aracom. Sic etiam Orestes occisâ matre furiis agitatus, fluvio, qui septem ostiis in mare effunderetur, ablui iussus est. Et Apuleius libro nono ait: Confestimque discussâ pigrâ quiete, alacer exurgo, meque protinus purificandi studio, marino lauacro trado: septiesque submerso fluctibus capite, quòd eum numerum præcipuè religionis aptissimum, divinus ille Pythagoras prodidit. *Vbi non præter eundem videtur quod Macrobius libro 3. Saturnal. cap. 1. monet:* Constat, *inquit*, Diis superis sacra factorum corporis ablutione purgari: cùm verò inferis litandum est, satis actum videtur, si aspersio sola contingit. *Fateantur ergo Sacrificuli in Papatu, dum res simpliciter aspergunt*

Aquâ

Aquâ Lustrali, se non Deo supremo, sed Dijs manibus, hoc est, inferis facere Sacrificia, alioquin tota abluenda essent. Quamvis sint qui existiment, totius corporis lotione in peccatis grauioribus, aspersione verò in leuioribus solum vsos fuisse Ethnicos.

Aquâ lustrârũt vrbes Ethnici. *Quibus & illud addendum puto, quòd non homines solùm, sed & vrbes ac alia inanimata aquâ suâ lustrali expiârunt Ethnici, perinde vt Christiani quoque Templa, Cœmeteria, Campanas, Altaria, Vestes & similia suâ aquâ lustrant.*

Aquæ lustralis vis apud Ethnicos *Huic lustrali aquæ Ethnici non minorem vim & efficaciam quàm Christiani affinxerunt, vt ex præcedentibus satis intelligi potest. Clarissimè autem id docet Cicero libro primo de Legibus, vbi dicit,* Aspersione aquæ labem corpoream tolli, & castimoniam corporis præstari. *Et Euripides inquit,* θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά*: hoc est,* cuncta mortalium mala prorsus abluit mare: *quod eum ideò scripsisse ferunt, quia ablutione marina aqua per Sacerdotes Ægyptios à morbo curatus fuerat.*

Quin etiam prisci Ethnici putârunt, nullum esse nefas, vel scelus adeò grande, quod aqua lauacro deleri non posset. Nam & parricidia hoc purgamine lauari posse dixerunt: sic enim Peleus purgauit Patroclum à cæde Clysonomi: & Acastus lauit Peleum à nece fratris sui Phoci: sic Ægeus purificauit Medeam à parricidijs & veneficijs per eam patratis: sic Almeon purgauit seipsum à nece matris: vnde Ouidius lib. 2. Factorum sic canit:

Græcia principium moris dedit: illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.
Actoriden Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci
Cæde per Æmonias soluit Acastus aquas.
Vectam frenatis per inane draconibus Ægeus
Credulus immerita Phasida fouit ope.
Amphiaraides Naupacteo Acheloo,
Salue nefas, dixit: soluit & ille nefas.

Item:

Omne nefas, omnemque mali purgamine causam,
Credebant nostri tollere posse senes.

Idem Poëta lib. 5. Fastorum de Mercurialis aquæ viribus quâ tanquam lustrali mercatores vtebantur, hæc canit.

Est aqua Mercurij portæ vicina Capenæ:
Si juvat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunicâ mercator, & vrnâ
Purus suffusam, quam ferat, haurit aquam.
Vda fit hinc laurus: lauro sparguntur ab vda
Omnia quæ Dominos sunt habitura novos.
Spargit & ipse suos lauro rotante capillos,
Et peragit solitâ fallere voce preces.
Ablue præteriti perjuria temporis, inquit,
Ablue præterita perfida verba die.
Siue ego te feci testem, falsòue citaui,
Non audituri nomina vana Iouis.
Sive Deum prudens alium, divamúe fefelli
Abstulerint celeres improba verba Noti:
Et pereant veniente die perjuria nobis,
Nec curent superi si qua loquutus ero.
Da modò lucra mihi, da facto gaudia lucro:
Et face vt emptori verba dedisse juuet.

Quam multos hodiè inuenias inter Pontificios, qui instar mercatorum istorum, persuasum habeant, nullum tam graue scelus à se admissum esse, quod non protinus eluatur, si hac conspersi & & lustrati Aquâ Sacrâ, Missam audierint, eiusque Sacrificio sua redemerint peccata?

Imò vrbes, quas aquâ hac lustrârunt Ethnici, putabant à periurijs cædibus, injustitiâ, & publicis criminibus expiatum iri. Irridet autem Poëta priore loco hanc vanam & stultam hominum persuasionem, dicens:

Ach nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Flumineâ tolli posse putatis aquâ.

Cicero etiam de Legibus lib. 2. testatur, animi labem nec aspersione aquæ, nec manibus elui, nec dierum numero & diuturnitate vanescere tollique posse.

Clemens Alexandrinus quoque Strom. lib. 4. laudat cuiusdam dictum, ἴσθι μὴ λουτρῷ, ἀλλὰ νόῳ καθαρός*, id est,* Esto non lavacro mundus, sed animo. *Addit & alias sententias, cuiusmodi est illa notatu dignissima,* ἱκανὴ δ' οἶμαι ἀνθρώπῳ κάθαρσις, μετάνοια ἀκριβὴς καὶ βεβαία*, hoc est,* sufficiens, meâ quidem sententiâ, hominis est purgatio, perfecta, firma stabilis

bilisque pœnitentia.

Cæterum de hac aqua aspergine apud Ethnicos, de Aspergillo partim è rore marino, partim ex oliua fœlici, partim è lauro confici solita, & in genere de veterum lustrationibus vide Turnebi Aduers. lib. 15. c. 21. Scripsit etiam Ioannes Checus Angelus de Aqua lustrali, cineribus & palmis ad Vintoniensem lib. 1.

Miracula falsa pro confirmanda AQVA lustrali.

Colonienses in suo Antididagmate ad commendandam Aquam Lustricam, miraculum proferunt ex libro 9. capite trigesimo quarto Tripartita historia. Cùm enim Templum celeberrimi cujusdam idoli comburendum esset, & frustra ignis ei supponeretur, adstabat enim cacodæmon, & vim ignis repellebat, Marcellus Episcopus Apameensis animaduertentes in proclivi esse, nec plebi adhuc infirmæ offenderetur, & existimaret cacodæmonem Christo fortiorem esse, accurrit ad Ecclesiam & iubens afferri sibi aquam, iuxta altare procumbens magno spiritu & fide orauit. Deinde illi aquæ Crucis signum impressit, & Equitio diacono suo mandauit, ut eam in fanum idoli conijceret, & deinde ignem alacriter supponeret. Quod ille cùm fecisset, concrematum est magnâ facilitate cùm idolum tum etiam Templum.

Adducunt etiam id quod Narcissus Hierosolymorum Episcopus fecit, ut Eusebius indicat libro sexto, capite octauo. Nocte enim Paschatis, quâ fideles olim vigilias celebrabant, cùm iam deesset oleum lampadibus, nec lumina viderentur ampliùs posse durare, plebsque mirum in modum tristaretur mandauit Narcissus aquam sibi de puteo vicino afferri: cumque vehementer orâsset, lampadibus eam infundi iussit: & aqua illa in oleum mutata est, ac lumen totâ nocte in lampadibus fuit. Quid verò hac ad rem? Historia non perhibent aquas illas fuisse lustrales. Deinde si visum est Deo istos Episcopos instrumento aquâ illustrare, ad eorum sanam doctrinam confirmandam, num oportuit Aquam Lustralem propterea instituti? Certè ut propter singulare aliquod exemplum lex fieri non solet, ita propter miraculum aliquòd editum, Sacramenta non sunt in Ecclesia fabricanda, hominum arbitrio.

Nugatur etiam Vincentius libro 25. capite 87. Monachos fœtorem teterrimum, qui fulminis ictum in Ibericeltumbensi cœnobio, sequutus fuit, aqua consecrata aspersione abegisse. Cranzius lib 5. cap. 42. Vuandalia refert, in die Pascha aliquot captiuos catenis vinctos per Euermadum Racesburgensem Episcopum miraculosè liberatos: cùm nimirum catena, Aquâ benedictâ conspersa dissoluerentur. Presbyter quidam, iussus à Cuthberto Lindisfaren. Episcopo, Aquâ benedictâ aspersit mulierem exanimi simillimam, & lectulum ejus: sed & os illius aperiens, haustum aqua immisit. Mulier è vestigio sanitatem recepit, & exurgens suæ sanitatis ministris inseruiuit, ut refert Surius ex Beda tom. 1. de Vitis Sanctorum. Malachias Archiepiscopus Armachanus Danidis Scotia Regis filium aquâ benedictâ aspersâ sanâsse legitur in vita eius. Ibidem indicatur, quòd in Anglia Gisiburni mulierem cancro laborantem curârit, locum affectum eadem aquâ aspergens. In vita S. Bernhardi scribitur, quòd quum puero cuidam dæmoniaco per vim Aqua Benedicta per os infusa esset, dæmon continuò euolârit, libro secundo, capite tertio. Et libro quarto, capite quarto indicatur, cùm Bernhardus Aquam Consecratam pariendi difficultate cuidam mulieri laboranti propinâsset, fœtum statim in lucem prodiisse. Et Surius ex suspectis authoribus in vitis Sanctorum multa nugatur de Aqua Lustrica, quòd eâ dæmones ab hominibus expulsi, de loco in locum fugati, aliaque similia miracula edita sint. In Templis quoque extrui, consueuerunt duo Pastophoria. Eorum quidem fit mentio in Constitutionibus Apostolicis lib. 2. cap. 61. quæ falsò Clementi Rom. tribuuntur, & pro Apocryphis habentur, vel ipso quoque Baronio teste Tom. 1. Annal. pag. 117. & Paulino appellantur Epistola 12. Secretaria, hinc inde apud apsidem posita. Quorum quis fuerit usus, duo hæc disticha ab eodem desuper ipsa inscripta declarant.

A dextra apsidis:

Hic locus est veneranda penus, quâ conditur & quâ
Promitur alma sacri pompa ministerij.

In sinistra eiusdem:

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas,
Hic poterit residens sacris intendere libris.

Significat autem Pastophorium, ut Hieronymus explicat in Ezech. c. 42. thalamum, seu interius cubiculum.

CAPVT XXVI.

De Origine CAMPANARVM & earum pulsu.

Tintinnabulorum inuentum recens non est: Mosis siquidem ætate, teste Iosepho Antiquitatum libro tertio, capite undecimo, eorum usus fuit. Iubetur etiam Moses per circuitum tunicæ summi Sacerdotis quasi mala punica facere ex hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & bysso retorta, mistis in medio tintinnabulis: ita ut tintinnabulum sit aureum, & malum punicum: rursum tintinnabulum aliud aureum, & malum punicum, *Tintinnabulorum origo vetus.*

punicum, & sic deinceps, vt audiatur sonitus quando ingreditur Pontifex Sanctuarium in conspectu Domini, *sicut etiam Exodi 28. refertur. Apud Ethnicos quoque si quis è vita excessisset, æra pulsabantur, vt peruetus Theocriti scholiastes in Poetæ pharmaceutria indicat, quòd is sonus crederetur esse* Καθαρὸς καὶ ἀπελαστικὸς τῶν μιασμάτων, *hoc est, auertere spectra & dæmonum ludibria: Vnde etiam receptum arbitror, vt tonante cœlo campanarum boatu perstrepatur. Legimus & Lacones rege defuncto lebetes vice campanarum complodere solitos esse. Apollodorus quoque in libro, quem de Diis inscripsit,* Hierophantam, *hoc est, Proserpinæ sacerdotem* tintinnabulum siue nolam, ἠχεῖον *nominat* pulsare Athenis consueuisse *scribit. Deinde Campanæ sonitu apud Romanos populum in thermis statis horis vel aduocari vel dimitti solitum fuisse, ex Martiali constat, vbi inquit:* Redde pilam, sonat æs thermarum. *Ex Luciano quoque de Merc. Cond. constat; hæc tintinnabula non leuem sonum edere solita: nam eorum pulsatione excitari consueuisse seruos & mercenarios ad opera exhibenda, eodemque sono ad ea iterum reuocari. cùm ait: Manè ad tintinnabulum expergefactus, discussâ ab oculis dulcissimâ somni parte, vnâ sursum deorsumque circumcursas, hesterno luto etiam pedibus inhærente. Et mox: Dum hæc tecum loqueris, iam sonuit tintinnabulū, iamque ad eadem tibi redeundum est. Præterea Græci in Piscatorio foro sub cœnam pulsabant nolam, Plutarcho teste: qui etiam Sympos. lib. 4.* φιλόψυς, *id est, helluones, obsonatoresque dictos fuisse indicat, qui in foro piscatorio esitarent, celeriterque tintinnabuli pulsum exaudirent: Græcè est,* καὶ κώδωνος ὀξέως ἀκούοντας: *quod ipsum & Geographus libro decimo quarto docet, de Iassiis loquens, qui citharœdo artem ostentanti tantisper aures præbuerunt, dum increpuisset nola quæ in Cupidiario erat foro, quo audito cuncti ad cœnas dilapsi, solum illum destituerunt, præter surdastrum vnum, qui & ipse, intellecto quòd cæteri simul cum nolæ crepitu diffluxissent, valere iusso citharœdo, confestim abierit curriculo: ita enim habet,* ὡς δ' ὁ κώδων ὁ κατὰ τὴν ὀψοπωλίαν ἐψόφησε, καταλιπόντας ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸ ὄψον. *Strabo libro decimo quinto scribit,* Persas in vnum locum cœtus cogere ante lucem nolæ sonitu, ψόφῳ χαλκοῦ πρὸ ὄρθρου. *Samanæi, quod post Brachmanas secundum Indiæ Philosophorum genus est, cœlibem ducentes vitam, ad pulsum tintinnabuli (* ὑποσημαινόντων κωδώνων *) cœnacula vbi cibum capere solent, ingressi orant, à peractis precibus iterum* διακωδωνίζειν, *id est, tintinnabulum pulsare, vt refert libro quarto,* περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων *Porphyrius. Quin & excubitores nocturnis vigiliis, antiquitus nolam pulsârunt, ad cuius pulsum respondendum erat illicò, vt Suidas refert: qui mos etiamnum Caleti in Gallia aliisque locis præsidiariis durat. Antileon in gratiam amasii Hiparini, vt indicat Parthenius, nolam quæ in arte munitissima Heracleæ Italicæ præsidii indicium erat, asportauit clàm, occiso custode per insidias: ita enim ait,* λοχήσας τὸν φύλακα τοῦ κώδωνος καθαιρεῖ. *Similiter si qua vis ingrueret, æris tinnitu indicium eius rei dabatur olim. Ande Thebaidos 6. Papinius eleganter cecinit,* Procul auxiliantia Gentes Æra crepant. *& Titus Liuius:* Campanarum, *inquit,* imbellis multitudo æris cum crepitu, qualis in defectu Lunæ silenti nocte fieri solet, ædidit clamorem. *Dion Cocceius libro quinquagesimo quarto scribit,* Augustum Cæsarem, quùm ei per somnum visus fuisset Iupiter dicere, vt præsidij loco Iouem tonantem, cui ædem vouerat, haberet, postero die Iouis statuæ nolam appendi jussisse: cujus apud præsidiarios milites vsus salutaris erat. *Deo eodem Suetonius paulò aliter;* cùm, *inquit,* dedicatam Iouis tonantis ædem Augustus assiduè frequentaret somniauit, queri Capitolinum Iovem, cultores sibi abduci: Seque respondisse, tonantem pro janitore ei appositum. Ideoque mox tintinnabulis fastigium ædis redimiuit, quòd ea ferè Ianuis dependebant. *Eodem spectat illud Statij in Achilleide:* Paulumq; exercita pulsu, Æra tacent, *vbi loquitur de sacris Bacchi Trieteritis, quæ nocturno nolarum tintinnabulorumq; pulsu perstrepebant. Huc refer & Corybantia æra ex Vergilio. Nobilia sunt & Themesæa æra in succurrēdo laboranti lunæ apud Ouidiū. Quin etiam æra Dodonæa multiplici repercussu obstrepera legūtur, de quibus Ausonius:* Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni. *Adde, quòd qui ad consulendum oraculū proficiscebantur,* χαλκωμάτων πατάγῳ περιψοφεῖσθαι, *id est, æneorum nolarum crepitu vndique perstrepentiū circumsonari soliti fuerint, Plutarcho teste, in capitum Romanorum enumeratione. Legimus & tintinnabulis explorari solitos fuisse equos, an sint consternaces* καὶ ψοφοδεεῖς. *Sophocles tragicus tribuit alicubi Troianis* σάκος κωδωνοκρότον, *hoc est, clypeum nolis quibusdam pulsatilibus sonorum. Hæc omnia ex lib. 3. c. 11. Adriani Iunij Animaduersionum huc adscripsimus.*

Nos autem hoc loco de authore & Origine hujusmodi κωδώνων, *hoc est, tintinnabulorum, nolarum, crepitaculorum, aut quocunque nomine appellare libeat, non agemus, neque etiam constare id puto, sed tantùm de majoribus illis ex ære aliisque metallis fusis instrumentis, quæ Campanas vulgò, Germanicè* Glocken *vocant & quibus populus ad Templa, ad auditum verbi diuini, ad preces & alia conuocatur. Quamuis vtroque vocabulo pro eodem sine discrimine hodiè sæpè authores vtantur, & nos quoque hoc capite idem facturi simus.*

In veteri Testamento tubis conuocabatur po-

Tubis convocati Iudaei ad coetus sacros.

pulus ad cœtus publicos, sicut ipse Dominus instituit Num.10. ideoque etiam voluit eas fieri argenteas & sonoras, quo in longinquis & remotis locis audirentur. Fac tibi, inquit Deus ad Mosem, duas tubas argenteas, ductiles facies eas, quas in hoc habebis, vt conuoces cœtum, & indices illis quando mouenda sint castra. Quum ergo clangetis istis tubis, conuocabitur ad te vniuersus cœtus ante ostium tentorij constitutionis. Si verò vnâ duntaxat clanxerint, conuocabuntur ad te Principes, tribuni Israelis. Si verò sonitu inciso clanxeritis, soluent castra, ea scilicet quæ ad Orientem posita sunt. Quum secundò clanxeritis sonitu inciso, soluent castra quæ sunt ad meridiem. Quando verò cœtus fuerit congregandus, clangetis duntaxat, nec edetis clangorem incisum. Filii Aaronis Sacerdotis tubis clangent.

De vsu etiam indicendi tempus apud Iudaos, quo auspicandus esset dies festus, sic scribit Iosephus de bello Iudaico libro quinto, capite nono. Quarta turris supra verticem Pastophoriorum condita erat, vbi moris erat, vnum de Sacerdotibus adstantem post meridiem, quòd septimus quisque dies inciperet, tubâ significare: rursumque vesperi, quòd desineret: nunc ferias populo, nunc vt opus faciat, denunciantem.

Campanarum vsum nō habent Turci.

Apud Turcos hodiè, si vera sunt qua Bartholomaus Georgieuiz refert, Sacerdos turrim altam circa Templum tempore Orationis ascendit, voceque altâ, digitis in aures insertis, hæc verba ter repetit, Allach Hechber, *id est*, Deus verus, vnus. Quo clamore audito, conuenitur ad Templa: *capite primo, de Turcicis Ceremoniis. In eandem ferè sententiam Iodocus à Meggen quoque in sua peregrinatione Hierosolymitana capite decimo sexto, ait*: Cùm campanis Turci non vtantur, campanilibus tamen, quæ vocant, simillimas turres, miræ altitudinis habent quàm plurimas, muscheis coniunctas, aliquot ambitus siue circuitus habentes, in quos aliquoties eorum æditui singulis diebus, designatis horis, ascendunt, tam eorum sacra, quàm horas altâ voce populo indicantes: eo enim clamore, horologiorum instar, vtuntur, cum his aliàs penitus careant. Mediâ verò nocte ascendentes populum augendum indicant, vt eo crescente, fides quoque eorum multiplicetur.

Campanis quādiu caruerint Christiani infantia.

Quibus autem signis Christiani primitiua Ecclesia, atque post Constantini Magni tempora ad conuentus Ecclesiasticos conuocati fuerint, non satis liquet. Petrus Paulus Vergerius Iustinopolitanus olim Episcopus in libro de Aqua benedicta & Campana baptizata Origine indicat, ante inuentionem Campanarum vsos esse instrumento quodam, quod excitârit vehementem strepitum, & Cymbalum appellâsse: Et hinc adhuc hodiè moris esse, vt Episcopi Papales in distributione quatuor minorum Ordinum, Ostiario dicant, Ostiarium oportet percutere Cymbalum.

Vnde mos convocandi cœtum tribus vltimis diebus maioris hebdomadæ sonitu lignorum.

Amalarius lib. de Ecclesiast. offic. capite vigesimo primo existimat, tempore persecutionis Ecclesiæ, sonitu lignorum, vt hodie fit tribus vltimis diebus maioris hebdomadæ, ad Synaxin vocari solitos Christianos. *Eius autem rei vsus cùm nullum prorsus vetus reperiatur monumentum literis consignatum, nec ratio ipsa patiatur, vt cum hac illi secretius agenda curarent, tanto lignorum strepitu omnium Gentilium aures & oculos in se conuerterent, haud nobis probari potest. Post ea verò tempora vnicum exemplum exstat Actione quarta, Nicana secunda Synodi, quo probari potest, Ecclesiam pulsatione lignorum populum conuocare solitam: In ea enim Synodo ex libello illi oblata de miraculis Martyris Anastasij hac leguntur*: Cùm Cæsariæ Palestinæ reliquiæ sacræ appropinquâssent, omnibus ea res fuit declarata. Itaque lætitiâ magnâ omnes perfusi, surgentes subitò, ligna que sancta pulsantes inuicem obuiam facti sunt in veneranda Virginis Deiparæ æde, *&c. Monasteriorum autem Monachos olim hoc in vsu habuisse exempla testantur quadam apud Cyrillum in Actis Theodosij Cœnobiarcha. Sed etiam apud hos diuersa erat consuetudo: nimirum, vt vel omnes æquè vnà pulsatione conuocarentur, vel sigillatim fores singulorum pulsarentur. Vnde Palladius in Lausiacis*; Postquam hoc modo solitum tempus impleuisset, signo mallei, quo cæteros fratres excitabat, percutiens fores omnium cellarum, propria Oratoria deducebat. *Ac nec apud omnia Monasteria hic vsus receptus erant, vt pulsatione lignorum omnes conuocarentur: nam ex Hieronymi Epistola 27. constat, in Monasterio S. Paula, vnâ voce altius decantatâ, nimirum Alleluia, omnes ad synaxin vocari solitas moniales.*

Sic enim inquit: Post Alleluja cantatum, quo signo vocabantur ad collectam, nulli residere licitum erat: sed prima seu inter primas veniens caterarum opperiebatur aduentum, pudore & exemplo eas ad laborem prouocans, non terrore.

Campanis conuocare ad sacros cœtus quis instituerit, & cur.

Quicquid sit, illud tamen constat, annis ferè *quingentis post Christum natum, nullum in Ecclesia Christi Campanarum fuisse vsum: Cùm autem circa illa tempora pietas hominum frigeret & decresceret, vnà cùm alijs Ceremoniis, quibus humana mens nimiùm addicta est, etiam Campana in Templa & omnia loca sacra sunt introducta, & ab initio quidem haud malo proposito. Cùm enim homines constitutis horis ad sacros*

cœtus

cœtus negligentius convenirent, Sabinianus *Papa, qui Gregorio Magno successit, constituit*, vt sono seu pulsu Campanarum deinceps convocetur ad sacros cœtus populus. *Bergomen. libro decimo. Polydorus Vergilius libro sexto, capite duodecimo. Quamvis sint qui simpliciter dicant*, cum diem & horas Campanarum pulsu officii gratiâ distinxisse. *Platina. Panthaleon in Chronicis. Balæus Centuriâ primâ, capite sexagesimo octauo, in Sabiniano.*

Hic Sabinianus ille ipse fuit, qui adeò in Gregorium Magnum irâ & inuidiâ exarserat, vt parùm abfuisset, quin ab eo omnes Gregorij libri comburerentur. Platina. Ac horrendo quodam noctu visu obstupefactus, anno Domini 606. *infami morte concidit: Balæus Centuriâ primâ, capite sexagesimonono, in Sabiniani vita.*

Facilè autem approbatum fuit illud institutum Ecclesiis: quoniam hac magna erat commoditas signo publico convocandi populum: & in reipsa nulla adhuc erat superstitio.

Walfridus Abbas de Câpanarû pulsu.

Vualafridus Abbas circa annum Domini 840. *in libro de Offic. & ritibus Ecclesiast. capite* 5. *de Campanis differens, dicit*, esse nouum inventum, & olim non adeò necessarium, quòd tunc non ita crebrò ad Templa concursârint, nec (*vt ipse loquitur*) tam multiplex apud eos conuentuum assiduitas fuerit, sicut hodiè: scilicet, dum jam ad matutina, jam ad Missas, jam ad horas concurritur: sed tantum statutis quibusdam temporibus, ad conciones conuenerint, quæ eis etiam sine Campanis nota fuerint. *Catal. Testium. fol.* 130.

Inventor Campanarum.

Authorem verò huiusmodi Campanarum ignorari, dicit quidem Polydorus lib. 4. cap. 6. Gilbertus autem Cognatus vir diligentissimus, libro 4. *Narrationum, testatur*, Paulinum Nolæ vrbis Campaniæ Episcopum primum in sua Ecclesia Campanæ vsum invenisse, & ad pia munia transtulisse, vt nimirum ejus strepitu exciti possent remotiùs habitantes, ad conciones sacras precationesque. *Hac verò ratione Paulinus hic, qui juxta Trithemium circa annos Christi* 420. *floruit, instituti huius author existeret, & Sabinianus Pontifex tantùm approbator. Licet aliqua etiam modo Campanarum author videri possit, quòd nimirum earum vsum Romæ primus instituerit & receperit.*

Câpana & Nola vnde dictæ.

Atque hinc fortasse obtinuit consuetudo, vt Nolæ & Campanæ *vocabulis censerentur tintinnabula ab hac Campania Nola. Sunt tamen qui Onomatopœiam seu fictionem vocis esse putant.*

Zacharias Papa circa annum demùm 747. *à nato Christo Cassinensibus Monachis concessit*, horas Campanæ pulsu propter officia Ecclesiastica distinguere. *Chronicon Cassinense.*

Græci autem circa annum 874. *demùm vti Campanis primò cœperunt, beneficio Venetorû, qui Basilio Imperatori Græco miserunt duodenas magni ponderis artificiique non vulgaris, Campanas, teste Sabellico Enne.* 9 *lib.* 1.

Câpanis quando Græci primò vti cœperint.

Crescente autem superstitione vsus hic Campanarum tollerabilis nec improbandus, in abusum, quemadmodum pleraque alia, transiit, idque variis modis. Primò enim varia campanarunt tintinnabula, campanas & crepitacula, quibus pro varietate Sacrorum suorum, atque horarum & feriarum, variè etiam vterentur, ac tanquam percussa ære Dodonæo omnia vndiq; perstreperent, nec pulsandi finis & modus vllus sit, vt Tot pariter pelues, & tintinnabula dicas Pulsari, *sicut Iuuenalis dicit Satyr.* 6.

Câpanarum abusus. Câpanarum genera varia excogitata.

Enumerant autem ceremoniarum magistri, & præsertim Durand. in Rat. libro 1. sex tintinnabulorum genera, quibus in Papatu cuncta die noctéque perstrepunt: nempe Squillam, Cymbalum, Nolam, Nolulam *seu* duplam Campanam, Campanam, Signum, Squillam *vocant, Tintinnabulum, quod pulsari solet in confectione corporis & sanguinis Christi, dumque portatur ad ægrotos Eucharistia: quorum illud constituit Gregorius 9. circa annum* 1235. *Nauclero teste Generat.* 42. *hoc verò Innocentius* 3. *circa annum Christi* 1210. *vt Balæus indicat lib. 5. de gestis Rom. Pontifice. Est etiam* Squillæ *vsus in circumgestatione quæ fit in corporis Christi festo:* quando mula capellam cum squilla Domini Papæ, *vt Durandus loquitur libro 4. diuin. id est, asinus mysteria* portat, *vt prouerbio dici solet. Quod ideò fit, vt ad sonum huius Squillæ prostrati homines, pani illi diuinum honorem exhibeant. Corporis autem Christi festum ab Vrbano* 4. *circa annum demùm* 1264. *cum suis Ceremoniis institutum fuit. A Squilla Germani videntur mutuati esse suum vocabulum* Schellen, *quod idem cum Squilla significat. Sed ad propositum redeamus.*

Tintinnabulorû genera. Squilla quid & eius vsus.

Schällen vnde dictæ. Cymbalû Nola, Nolula, Câpana, Signum.

Squillam propriè triclinio, quod refectorium vocant, destinant. Cymbalum *verò claustro:* Nolam *choro: quamuis alij contrà*, Cymbalum *choro*, & Nolam *monasterio assignent:* Nolulam, *quam &* Duplam Campanam *vocant, horologio:* Campanam *Campanili* (*sic enim loquuntur*:) Signum *verò turri. Alij verò dicunt*, Campanam *in turribus pulsari, & Signa pro quouis pulsandi instrumento accipi posse, quo quidpiam significetur. Beleth in suo Ratio. cap.* 86.

Alter abusus, qui circa Campanas excreuit, est, quòd eas non amplius signi loco habent, cujus rei gratiâ ab initio institutæ sunt, sed ipsis ipsarumque sono & tinnitui ea attribuunt, quæ sacra literæ docent verâ fide & ardentibus precibus impetrari posse à Deo, quaque ab ipso solo petenda & exspectanda sint, sicque magicam quandam, imò propè diuinam virtutem illis

2. *Câpanarû sono vis diuina ascribi.*

Digitized by Google

ascribunt, sicuti sub titulo De Consecratione Campanarum dicetur fusius.

3. *Ad cāpanarum sonum preces alligatæ. Salue Regina quis ad cāpanæ pulsū cantare instituerit.*

Tertiò, ad Campanas earumque sonum seu tinnitum preces allıgârunt, ita vt in Papatu omnes ad sonitum Campanæ omnibus in locis, tam publicis quàm priuatis, ceu sydere quodam tacti, in genua procidant, vel aliâs detectis capitibus orent. Qui mos post millesimum ducentesimum à Christo nato annum in Ecclesia inoleuit demùm.

Gregorius 9. *enim circa annum* 1230. Salue Regina, *&c. certis diuinæ rei horis ad campanæ pulsum cantari in Templis instituit contra Fridericum* 2. *Imperatorem Balæus lib.* 5. *de Actis Roman. Pontificum. Vrspergen. Paralipomena. Cranzius in Saxonia lib.* 8. *c.*10. *Dignum certè tali Pontifice institutum. Quæ enim contra legitimum suum Magistratum Fridericum* 2. *Imp. patrârit scelera, quibus artibus, dolis, imposturis, fraudibus & proditionibus adversus eum processerit, qui ignorat, legat historias.*

Cāpanæ pulsus vespertini author. Bätt-glock.

Mox hunc sequutus Ioannes 22. *instituit circa annum* 1325. vt ter in singulos dies, tintinnabula ad vesperum pulsarentur, ac tum vnusquisque ter Salutationem Angelicam divæ Virgini sacram recitaret. *Institutum hoc ita mansit, vt hodie vbique gentium sit in vsu, atque audito tintinnabuli sono, cuncti confestim in vestigio genua flectant, atque orent. Polyd. Vergil. lib.* 6. *c.* 12. *Fuit hic Ioannes Ludouico* 4. *Imp. Bauaro infensissimus, quod ipsum adorare nollet, ideòque cùm anathematis vinculo ipsum, cum omnibus Imperij Principibus & ciuitatib. ei adhærentibus, ex quibus Tigurum quaque patria nostra fuit, innodâsset, contra eos quoq; Orationem hanc, seu potius Salutationem Angelicam instituit. Quocirca apud quos ex nostris Salutationis angelicæ vsus adhuc est reliquus, ipsi in suam suorumque, & præsertim dulcissimæ suæ patriæ perniciem hoc obseruant.*

Meffreth vanissimo figmento probare conatur, recitationem Salutationis angelicæ ad Campanæ pulsum, antiquissimam esse consuetudinem, & mox post annunciationem Conceptionis Dominicæ ab Angelo factam, institutam. Nugatur enim ex quodam libro trium Regum, qui eiusdem erit pretii cum suo Hortulo de Sanctis, Helenam Imperatricem fabricâsse in Nazareth pulcherrimi operis Templum, in quo camera fuerit, in qua beata Virgo ea ipsa hora extiterit, quâ Angelus Conceptionem Domini annunciârit ei: In illa camera columnam lapideam fuisse ad quam Angelus steterit, & suam Imaginem ei sicut ceræ, in signum annunciationis huius impresserit: hoc signum in columna permansisse, quumque Sol ante suum occasum id tetigisset, tunc illam ipsam horam fuisse, quâ Angelus Mariam salutârit, & conceptum Domini annunciârit. Non diu post certos ministros deputatos in hac Capella, qui vbi Sol tetigisset hoc signum, Campanæ signum dedisse, ad quod homines qui audierint, in genua procideriut, & angelicam Salutationem, seu Aue Maria *recitârint, & inde hunc morem inoleuisse. Serm.*1. *de Annunciatione Mariæ.*

Laur. Surius autem Tom. 4. *de vitis Sanctorum ex oratione ab Octauiano de Martinis Suessano, coram Sixto* 4. *Pontifice habita, refert: Bonaventuram Ordinis Minorum Generalem Ministrum instituisse, vt Minoritæ populum hortarentur, ad salutandam Virginem Mariam, signo Campanæ audito, post completorium: quòd creditum sit, Eandem eâ ipsâ horâ ab Angelo salutatam fuisse. Hoc institutum à Bonaventura annis circiter* 70. *ante Ioannem XXII. Si verum est quod Surius indicat.*

Quod igitur Pentheus apud Ouidium lib. 3. *Metamorph. miratur eos, qui Orgia Bacchi clamore, vlulatibus, discursu magnaque insaniâ celebrabant & ad Tympanarum tubarumque sonitum quasi in furorem agebantur, inquiens:*

> Ærâne tantum,
> Ære repulsa valent, & adunco tibia cornu?
> Et magicæ fraudes? vt quos non bellicus ensis,
> Non tuba terruerit, non strictis agmina telis,
> Fœmineæ voces, & inania Tympana vincant?

Nos certè longe justiorem haberemus causam admirandi eos, qui, cùm vel primùm pulsum seu sonum Campanæ vespertinæ audierint, non dico in priuatis ædibus, sed in ipso foro, ceu sydere quodam tacti fuerint, in genua procidunt, & nescio quas preculas demurmurant.

Cāpanæ pulsus meridiani author. Mittag-leuten.

Calixtus quoque 3. *circa annos Christi* 1457. *instituit,* vt in meridie sonum Campanis darent, ad Salutationem Virginis Mariæ: vt ea oratione *(inquit Stella & Platina)* eos adjuvarent qui contra Turcos continuè dimicabant. *Balæus in vita Calixti. Valerius Anshelmus Ryd. fol.*54. *quod ipsum etiam clarius patet ex Calixti super hoc edita Bulla, quam manuscriptam exstare Louanij in collegio Pontificio Adriani* 6. *Ioan. Molanus in libro de Picturis & Imaginibus testatur. cap:* 72.

4. *Cāpanis miracula ascripta.*

Quartò. quòd miracula quoque edidisse Campanas nugantur superstitiosi homines: Vuernerus in Fasciculo temporum, & Mutius lib. 7. *de Germania. Cùm enim ad Fuldense Monasterium Bonifacij, Archiepiscopi Moguntini & hujus cœnobij primi fundatoris, cadauer esset perlatum ex Frisia, omnes Campanæ eius Monasterij suâ sponte, absque omni hominum pariter & jumentorum ope, seu agitatione & impulsu, agitatæ & pulsatæ, solito amœniorum & suauiorem sonum ediderunt. De cuius tamen fabulæ veritate ipse quoque Bruschius dubitat, in Chron. de Germaniæ Monasteriis. Et Mutius inquit:* Hoc relinquo aliis judicandum an credendum sit.

sit. Multa hujusmodi figmenta & somnia exstant, quæ etiam faciunt, vt vera non credantur. Et in hoc confingit ingeniosus mille artifex Satan. *Sunt verba Mutij. Sic ad obitum Alberti de monte Drepano Carmelitæ campanam quam ille fieri curarat, per seipsam, nullo mouente, insonuisse, Ioannes Maria Politianus nugatur apud L. Surium tom. 4. de Vitis Sanctorum. Apud eundem tom. 5. in vita Lupi refertur, Chlotarium Franciæ Regem, Campanam quandam suauißimum sonum edentem, jußisse Parisios transferri, vt eius tinnitu sæpius oblectaretur: displicuisse autem Lupo Senonensi Episcopo factum Regis: Itaque mox vt ablata fuerit à Senonibus, omnem soni gratiam amisisse: Regem igitur jußisse suo illam loco restitui, & mox rediisse illi pristinum sonum, & ob Lupi merita septimo milliario auditum fuisse. Audoënus Rothomagen. Præsul in Vita Eligij Nouiomensis Episcopi testatur, cùm tempore* Interdicti, *vt vocant, quidam Campanam horâ constitutâ pulsare cœpisset, nullum sonum reddidisse, ac licet perstiterit restim Campanæ summis viribus trahendo, sonum tamen exprimere non potuisse: soluto autem interdicto sonum edidisse: atque ita Campanam omnis rationis expertem ob sequentiorem Episcopo, quàm ratione præditos homines fuisse.*

An ad CAMPANÆ pulsum meridianum ac vespertinum sit Evangelico, & fideli homini necessariò orandum, & num ad ejusmodi preces jure cogi possit.

QVia hodie inter multos, etiam illos, qui reformatam Religionem, & puram Euangelij doctrinam profitentur, quæstio hæc vt plurimùm agitatur, possit ne aut debeat Euangelicus ad Campanæ sonitum meridianum ac vespertinum à Ioanne. 22. & Calixto 3. institutum, cum Papistis orare, vel ad eiusmodi preces cogi, an non? *haud alienum à nostro instituto fore puto, si hac de re aliquid in præsentia in medium afferam, præsertim cùm hæc quæstio à nemine, quod sciam, ex professo sit tractata hactenus.*

Rationes quæ probare videtur ad Cāpanæ pulsum orandum esse.

1. *Qui affirmatiuam partem tuentur, in aduersarijs suis vehementem, & nimium quendam ardorem, ac præposterum zelum in repurganda Religione accusant, & tantùm non damnant ac execrantur. Deinde experientiam docere aiunt, Ecclesiam sine aliquibus externis ritibus constare non posse, præsertim vbi crassiores & rudiores*
2. *sint homines: satis ergo esse, si aliqui saltem à su-*
3. *perstitione sint purgati. Præterea omni loco ac*
4. *tempore, juxta Apostolum, orare nos debere: &*
5. *id quidem vltrò: sed quia tardiores sumus, quàm oportebat, publico signo, quasi classico quodam ad preces nos excitari debere. Sin obijcias, illo signo Papam vsum esse ad superstitiosas preces: quærunt, an non Campanis ad sua sacra conuocent Papistæ suam Ecclesiam, & an propterea nobis quoque nefas sit Campanis nostros cœtus conuocare, ad verbum Dei audiendum, & sacramenta ritè obeunda? Hieremiam prophetam, cùm Epistolâ conscriptâ populo Dei præciperet, quid illis faciendum esset, in Babylone inter homines Idololatras, jubere, cùm viderint Babylonios circumferre Deos suos argenteos, aureos & ligneos turbâ Babyloniorum eos adorante, mente & cogitatione dicere:* Te Domine oportet adorare: *Cur igitur nobis quoque non liceret, papanis diuam virginem, aliósue Diuos inuocantibus, in animo, in cogitatione & spiritu vnum Deum patrem adorare per filium suum vnigenitum? An abusus nobis eripere libertatem quouis loco & tempore orandi? Sunt etiam qui censeant, etiam-* 6.
si non necessarium sit, vt signo hoc dato aliquis oret: tamen eos qui hoc bono animo & intentione bonâ faciant, non reprehendendos, sed multò magis laudandos esse. Cùm enim sonante Campana orare vel non, liberum sit, quomodo non laudem meretur bona illa animi intentio, cùm vltrò id faciat quis bonum, quod omittere liberum erat? Intentionem quidem animi non efficere, vt opus suo genere malum, bonum fiat: neque ferendum eum, qui alienas opes rapit & depredatur, quo possit largior esse in pauperes: sed cùm orare sit opus suo genere bonum: hoc autem vel illo tempore orare sit ex eorum genere, quæ saluâ pietate, quandoque fieri, quandoque etiam omitti possint, & ideò neutra seu indifferentia nominentur: arbitrantur Deo non displicere hanc animi promptitudinem. Vt enim Artaxerxi illi magno gratum fuit eius munus, qui cum aliud nihil haberet, aquam è profluente manibus haustam dono regi offerebat: ita summo illi regi regum hæc quoque dona propter animum offerentis grata acceptáque esse putant. Ac licet alij hoc pulsu abutantur, hoc tamen nihil ad eos, qui alio animo suas preces fundunt. Et si maximè in eorum imitatione esset aliquis error, tamen is bonæ voluntati 7.
condonandus. Sicut enim homines æquo animo ferunt leues amicorum injuriolas quas illi animo juuandi aliquando patrant: vt si quis agrum, & jacentem durius attrectet: & vt infantibus, quos tenerè amamus, non irascimur, vbi nos alieno & sæpè inepto nomine blandienti linguâ vocant: ita non dubitandum Deum leues hos errores, si qui sint, cùm pro suo in nos amore condonare, tum in his non factum, sed animum nostrum reputare, vt benè fiat, quod fit bono animo. Probare deinde conantur, posse nos ritibus externis ijsdem benè vti, quibus alij malè. Negari non potest, inquiunt, ceremonias legis Mosaicæ post Ascensio- 8.
nem Christi in cœlos fuisse abolitas: itaque locum non habebant in Ecclesia. Adhuc Iudæi superstitiosè illas ceremonias obseruabant, & summam pieta-

pietatis in his ponebant: Attamen ea res non absterruit Paulum, quo minus in gratiam gentis suæ se tonderet, ac purificationem voueret ex ritu legis. Et quod grauius est, Naaman Syrus, postquam à lepra curatus fuisset per Eliseum Prophetam, professus est se sequuturum posthac Deum Israëlis: petiit tantùm ab Eliseo, vt sibi cum rege suo Idoli Templum ingredi liceret: & quia solebat Rex eius humero incumbere, veniam simul petiit, si vnà cum rege corpus suum flecteret seseq; incuruaret: atqui istud permissum est ei à Propheta: putant ergo nos duriores Eliseo Prophetâ esse non debere, sed concedere nostris, vt aliis adorantibus diuam virginem, ipsi Christum adorent, non quidem coram Idolo procumbentes, quod tamen Naaman ille fecit, sed tantùm ad eum sonum, & ad idem signum genu flectentes. Cumq; errores illi Papistarum non tam tetri sint atque gentium, etiamsi cum Papistis hoc ritu colluderet quis, quod tamen non fiat adeò duriter tamen non esset tractandus, vt accusaretur nescio cuius abnegationis. Gentes habuisse profanos ritus, impuras Ceremonias & falsos Deos: itaque mirum non esse, si sacræ literæ hæc omnia exercentur: Papistarum contra ritus plerosque ex antiquissima Ecclesia ad posteros deriuatos esse, aut ex veteri Testamento petitos, ex illis ipsis legibus, quas Deus populo suo dederit: & vtcunque sint multa vitiata, tamen eò tendere omnia, vt Deus adoretur, & vnâ formâ, quam Christus ipse tradidit, inuocetur. Longè ergo diuersam esse rationem harum superstitionum quàm Gentilium: nisi fortè Papistas etiam in numero Christianorum habere nolimus.

9. *Adhæc negari non posse aiunt, veteres semper habuisse certas & constitutas horas precum. Daniel domum suam ingressus apertis fenestris in cœnaculo suo contra Hierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat. Quæ autem illa tempora fuerint explicat D. Hieronymus:* Tria, *inquit*, sunt tempora, quibus Deo flectenda sunt genua? Tertiam horam, Sextam & Nonam Ecclesiastica traditio intelligit. Denique tertiâ horâ descendit Spiritus sanctus super Apostolos. Sextâ volens Petrus comedere, ad orationem ascendit in cœnaculum: Nonâ Petrus & Ioannes ascendebant in Templum. *Tertullianus præterea, quo inter Ecclesiasticos scriptores vetustiorem Latini non habent:* Intelligamur, *inquit*, saluâ planè indifferentiâ semper & vbique & omni tempore orandum: tamen tres istas horas, vt insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publicè resonant, ita & solenniores fuisse in precibus diuinis: quod suadet etiam Danielis argumentum ter die orantis, vtpote per aliarum horarum exceptionem, non aliarum autem quàm insigniorum, exinde Apostolicarum, tertiæ, sextæ, nonæ. *Omitto hic aliorum Patrum testimonia, & è scripturis sanctis exempla, qui certis horis interdiu atque etiam noctu Deum adorârunt. Satis sit Sanctis vtriusque fœderis certas horas fuisse precum. Quòd si eas horas deligere licuit, cur non etiam publico signo liceret ad earum obseruationem homines excitare? Et vnde probari poterit illud olim factum nec ne? Certè Tertullianus tres horas, Tertiam scilicet, Sextam & Nonam* RESONARE *dicit.*

Præterea assidua apud nos esse debet beneficio- 10.
rum Christi memoria. Quis ergo impium vel saltem inutile esse affirmare ausit, illa tempora, quibus Christus singulare opus salutis nostræ peregit, propriis notis insignire? vt nimirum homines illo tempore ad agendas Deo gratias excitentur. Itaque tres illæ horæ modò commemoratæ, à veteribus ideò obseruatæ videntur, quòd tertiâ horâ sententia mortis contra Christum lata est, Sextâ cruci affixus, Nonâ spiritum in manus Patris tradidit. Quid ergo vetat nos easdem, aut alias etiam horas obseruare? Matutinam scilicet, quâ vinctus, & ad Pilatum ductus, Meridiem seu Sextam, quâ crucifixus: Vesperam, quâ de cruce depositus ac sepultus est: quo videlicet memoria beneficiorum Christi animis rudium, & imperitorum hominum insereretur, & plebecula assuefieret ad hæc beneficia Seruatoris meditanda, & ad agendas illi gratias? Cùm itaque Passionis, Mortis & Sepulturæ Christi his signis publicis admoneamur, quis Christianus ea obseruare superstitiosum aut inutile esse dixerit?

In pugna aduersus patriæ hostes nondum pro- 1.
fligatos, nemo bonus potest nimiùm vehemens videri. Potest ne ergo in hac pugna aduersus Antichristum aliqua nimia esse virtus & vehementia, præsertim cùm hostis adeò nondum sit expugnatus, vt veteribus erroribus nouos subinde addat? Vtinam omnes simus tam ardentes in Antichristo confutando, & regno Christi instaurando, quàm esse nos oporteret. Neque enim vereor, ne vlla hic sit nimia nostra diligentia.

Respondetur his rationibus.

Ecclesiam, *inquiunt*, sine externis ritibus
constare non posse, præsertim vbi crassio- 2.
res sint & rudiores homines: ideò relinquendos esse populo aliquos Papanos errores, modò sint à superstitione repurgati: *Respondeo, superioribus seculis plus satis experti sumus, quas tenebras ceremoniarum multitudo inuexerit in Ecclesiam Dei. Itaque, vel ipsâ experientiâ teste, vtilissimum esset Ecclesiæ, vt non multas numero Ceremonias haberet, easque quàm simplicissimas, & quæ à verbo Dei nihil, aut quàm minimùm recederent. Quid enim? An Christo incognitum erat, quibus rebus crassi & rudes homines erudiendi essent? Et tamen ille, abrogatis veteris Testamenti Ceremoniis suos libertate donauit, neque temporum & dierum, ciborum & similium rerum obseruatione, nos obstringi denuo voluit.*

Quod

Quod autem sibi sumunt pro certo, Ecclesiam ritus à Papanis debere mutuari, aut à majoribus mutuatos retinere: *quis nam quæso paulò seuerior disceptator huius causæ hoc illis concesserit? Adeóne existimant Christi regnum nullam propriam & peculiarem Eutaxiam habere, vt ob Antichristo ceremonias suas emendicare oporteat? Ego quidem hanc primam Ecclesiæ Christi calamitatem fuisse arbitror, quòd Pseudoapostoli, cum quibus tam acre certamen Paulo fuit, sensim post Apostolorum tempora obrepserunt in Ecclesiam, & illi dudum abolitas Ceremonias Iudaicas obtruserunt. Hinc illa contentio longo & gravis in veteri Ecclesia de Paschate celebrande, quæ aliquando Orientem ab Occidente seiunxit. Deinde quòd Episcopi plures, Romani præsertim, vt facilius fortè gentes ad Christianismum adducerent, festa, & ritus Gentilium quibusdam immutatis in Ecclesiam intreduxerunt: id quod omnes norunt, qui vel mediocriter in factis Pontificum exercitati sunt.*

Sed aiunt: huiusmodi Ritus & Ceremonias à superstitione expurgandas esse. *Quæro autem, an satis illis videatur hic ritus, quem defendunt, repurgatus, vt nulla sit superstitionis suspicio reliqua, quin ritu eodem manente, illi tantùm addant hac horâ, hoc pulsu, quibus Papistæ creaturam invocant, nobis creatorem invocandum esse? Videant quæso quàm Apostoli in his rebus fuerint diligentes, Sabbatum divinitus præceptum est, & dies septimus statim ab orbe condito à Deo est sanctificatus. Iudæi postea religiosam obseruationem sabbati sua nimiâ superstitione quasi contaminârunt. Apostoli igitur in Ecclesiis Christo dicatis, ne vllo modo superstitionibus eorum consentire viderentur, cùm tamen scirent, & certum tempus necessarium esse, quo plebs ad sacros cætus conveniat, & viderent hanc esse substantiam divinæ Legis, diem vnum septimanæ Deo esse separandum & consecrandum, servatâ hac rei substantiâ, octaui diei, qui nobis Dominicus est, obseruationem Ecclesiæ tradiderunt, quo die Christus à mortuis resurrexit, ne septimum observando cum Iudæis consentire viderentur. Apostoli ergo in die divinitùs consecrato temporis etiam mutationem faciendam putârunt, & non tantùm verbis superstitionem Iudaicam damnandom: & illi nostri hodie eum ritum, quem Antichristus instituit, satis purgatum existimant, si is integer in Ecclesia relinquatur, modò quo illi malè & superstitiosè vsi sunt, nos benè vtamur.*

3\. At, *inquiunt,* cùm orare omni tempore & loco nobis liberum sit, & nos etiam assiduos esse oporteat in precibus, vtile esse nostram ignauiam nobis hoc quasi publico signo & classico quodam excuti. *Respondeo, si quem vel manè lucis ortus, vel vesperi ingruentes tenebræ non commoverint, vt Deo gratias agat, eumque invocet, neque ita institutus fuerit, vt assueuerit Deum quotidiè manè & vesperi, & sæpe etiam interdiu in ipsis rerum actionibus inuocare, & sese illi cõmendare, apud hunc metuo ne parum virium campanarum pulsus habeat, vt ad pias preces eum commoneat. Deinde fateor, preces neque loco, neque tempori alligatas, & liberum esse orationis vsum, vt isti dicunt: eóque magis miror ipsos, qui alios iudicant, quando, campanâ sonante, sedent vel stant tecto capite, nec vnà cum illis orant: hos, inquam, toruis oculis aspiciunt, & nescio quid super hoc facto murmurant, ac sæpè parùm abest, quin vi, magnoque impetu pileum de capite trahant: quare ipsis manifestè libertatem circa preces adimunt. Atqui Paulus dicit,* Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi: *Et,* Precio empti estis, nolite fieri serui hominum. *Loquitur hic quidem Apostolus, de legalibus obseruationibus, quas suo tempore quidam Christianis affirmabant esse necessarias: quantò igitur inquiens est Christianorum conscientias, mandatis ac placitis hominum constringi, cùm eas ne illa quidem ligent, quæ negare non possumus non fuisse humanitùs, sed divinitùs præcepto? Interim tamen, vt ad rem redeam; dico etiam, posse circumstantiam loci & temporis, quamvis per se libera sit, nostras preces vitiosas reddere. Scimus quid de Hypocritis dictum sit à Seruatore,* qui amant in conuentibus & angiportis platearum stando orare, vt appareant hominibus. *An non locus liber erat illis? & tamen reprehenduntur, quòd in angiportis & conuentibus orent. Obijciunt,* Damnari eorum hypocrysin: qui cùm non ex vera pietate orarent, tantùm Religionem quandam ostentabant. *Respondeo, nec illæ preces absunt, quibus de hic agimus. Nam cùm in conuiuiis certant poculis, cùm de rebus inanissimis sermones inter se conferunt, aut cùm hinc inde obambulantes nugas agunt, aut etiam in campo choreas ducunt: continuò hoc pulsu nouus aliquis afflatur spiritus ipsis quasi, ita toti extra se rapti cum Deo, quod precum est munus colloquuntur: demurmuratis autem præcipitanter ac festinanter verbis orationis Dominicæ, aut fortè etiam Salutationis Angelicæ, statim ad intermissas nugas ac choreas reuertuntur. Obijciunt,* Licet plerique non orent ex animo, non tamen publicum signum tollendum esse; quo alij benè vtantur. *Sed quódnam hoc signum est? Sacræ literæ duo tantùm genera precum faciunt, publicas nimirum & priuatas: tertij alicuius generis, quod sciam, non meminere. Hæ igitur preces, quibus de loquimur, si publicæ sunt, cur non, quod quidem in his fieri oportet, in cœtum vnum conueniunt? Imò cur illi ipsi hodiè inter nos, qui tanti istiusmodi theatricas preces faciunt, tam rari in Templis conspiciuntur? Si quis Templum ingrediatur tempore publicarum precum, tanta est solitudo ibi, vt sit pudendum. Aut*

cur

cur illo signo publicarum precum dato, non saltem detecto capite domi orant, & suas preces tum Ecclesiæ precibus conjungunt? Vel, si hic pulsus campanæ matutino & vespertino tempore signum est publicarum precum, cur belli isti homunculi inter Papistas alibi versantes, se his eorum precibus adjungunt, & illorum sacris superstitiosis hac ratione communicant? Quòd si preces privatim ab vnoquoque ineunte & exeunte die fiunt, vt fieri debent, quis est vsus publici signi ad privatas preces concipiendas? Revocandum est Christi præceptum in memoriam: Tu cùm precaris, *inquit*, introito in conclaue tuum, & clauso ostio tuo precare patrem tuum qui est in occulto, & pater tuus, qui te aspicit in occulto, reddet tibi in propatulo. *Quòd si verò hoc signũ publicũ à Pontific. ib Romanor. institutum adjungitur precibus privatis, verendum ne illæ non modò hypocriticæ, verùm etiam superstitiosæ meritò à piis censeantur.*

4 *Aiunt*, nos Campanis populum ad sacros cœtus conuocare, quod etiam à Papistis fiat: *& quærunt*, cur non eodem exemplo liceat precum signum campanis dare? *vel* si hoc malum sit, etiam illud malum esse. *Respondeo, pro paribus sumunt ea, quæ multùm distant, & quæ reipsâ sunt dissimilia, quamuis eandem rationem habere primo aspectu videantur. Primùm enim Campanarum vsus in convocandis sacris cœtibus absque superstitione aliquando in Ecclesia vsurpatus est: At verò pulsus ille matutinus & vespertinus jam inde ab initio suo superstitiosus fuit. Sonitum enim Campanæ, cùm ad sacrum cœtum conuocantur homines, etiam vulgus Papistarum signi loco plerunq; habet. At cùm mane & vesperi precum causâ pulsatur, credunt nescia quid sanctimoniæ hunc sonum precibus suis addere. Deinde necesse est aliquo signo publicos cœtus conuocari: sed istiusmodi preces non sunt publicæ, verùm privatæ, ideoque non egeno publico signo. Adde, quòd publici cœtus eorumque conuocatio, & exemplum habent & præceptum: pulsus verò Papisticus, neq; præceptum, nisi hominum, neque exemplum habet nisi Pharisæorum à Christo reprobatum. Matth. 6.*

5 *Quod ad verba Ieremiæ, quæ objiciunt, attinet, posset simpliciter responderi, librum Baruchi, in quo hæc verba leguntur, Apocryphum esse. Sed ipsa verba expendamus: Quid ijs quæso aliud agit Propheta, quàm quòd Israëlitas hortatur, vt in media Babylone versantes, veram Religionem sibi non patiantur ex animo excuti? Num verò propterea concedit, vt externâ aliquâ actione cum Babyloniorum sacris communicent? Certè tale quid ex hoc loco non potest confici. Adde, quòd captivi in Babylone his quotidie spectatores interesse inuiti cogebantur: Nos verò Papisticis superstitionibus interesse, nedum communicare, nemo nisi ignauum adulandi studium cogit.*

Verba Ieremiæ qui in libro Baruch. 6. cap. extat explicantur.

Præterea quærendum ex nostris illis, an hunc Papisticum pulsum accenseant impuris Babyloniorum sacris? si non: Cur ergo hoc exemplo vtuntur? Sin ita judicant, cur non ex Babylone fugiunt, cùm id sibi liceret? Adhæc, præsentibus Papistis non tantùm in corde suo Deum inuocant isti, sed etiam externo gestu se illis accommodant, ita vt cùm cor videre non possint, existiment eos quoque Virgini matri hunc honorem & cultum exhibere.

6 *Subjiciunt*, Indifferentia quæ bono animo fiunt, benè fiunt, & propter intentionem animi bonam Deo probantur: Sed hoc est indifferens: nam cùm orare bonum sit, & hoc vel illo tempore orare liberum sit, jam hoc quoque tempore orare, cùm campana pulsatur, erit ipsum quoque indifferens. *Respondeo, Primò ea suo genere indifferentia sunt quæ benè, & malè fieri possunt: ea autem vt probentur Deo, necesse est, nec tantùm animi intentio bona sit, sed etiam vt nihil vitij sit in adjunctis. Exempli causâ: Carnibus vesci quouis die, aut non vesci liberum est, & est hæc actio indifferens: non tamen si carnibus vescar immolatitiis excusabor. Notum est quid Apostolus hac de re scribat: Gloriabantur Corinthij, se nosse quòd simulachrum sit nihil, & quòd non alius Deus sit nisi vnus: Itaque se liberè vicinarum conuiuia accedere, & quibusvis quæ apposita sint vesci, cùm sciant idola carnes neque sanctificare neque contaminare. Respondet autem Apostolus*, non in omnibus esse scientiam: itaque aliorum conscientiam infirmam horum exemplo pollui. *Idem Apostolus Rom.* 14. *diligenter monet*, in esu carnium, & vini potu, harumque abstinentiâ, spectandum esse ne quis offendatur. *Quare offensio fratris efficit, vt id quod erat adiaphoron, non amplius liberum sit. Quòd autem sumunt*, orare cum Papistis, quando campana pulsatur, adiaphoron esse, *nequaquam concedendum: Rei enim additur ea circumstantia, quæ tollit libertatem. Primùm enim, illi Cultum Dei in hoc constituunt: nos autem scimus Deum abominari omnem illum Cultum quem homines instituerunt absque verbo Dei. Accedit huc multorum offensio.*

Adiaphora quæ.

7 Sed, *inquiunt*, omnibus his offensionibus medetur bona intentio. *Scilicet norunt omnes alicuius animum. Itaque non injuriâ hoc facto offenduntur. Nónne hæc bona intentio nobis Monachatum, superstitionum omnium sentinam peperit? Equidem fateor indifferentia, quæ malo animo & repugnante conscientiâ fiunt, malè fieri: verùm non retrò hoc commeat, vt quicquid bonâ intentione, & non reluctante conscientiâ fit, benè fiat. Est omnium adiunctorum habenda ratio, & quicquid non fit ex fide peccatum pronuntiat Apostolus. Quæso quod habent fidei fundamentum in illo opere, quod hypocrisis*

Digitized by Google

crisis & superstitio coniunctæ aluerunt & educarunt? Animus bonus facilè iactatur: quis enim in alterius animum inquirat? Sed sint quæso iudices sui ipsorum paulò seueriores, & facilè concidet illa iactationes. Singulis diebus summo mane signum orandi campanâ datur: vbi tum intentio eorum? vbi animus ille ardens ad preces? Num sese è lecto proripiunt: & non potius vespertinam compotatiunculam somno excoquunt? Proferunt similitudines, quibus docere volunt, etiamsi in facto ipso error aliquis insit, eum tamen veniam mereri propter bonam animi intentionem. *Quasi verò de Dei judiciis ex hominum opinione, & non ex verbo ipsius statuendum sit. Huiusmodi egregiæ similitudines nobis intercessionem diuorum pepererunt, & tot mediatores, vt vnicum mediatorem Christum Iesum paucissimi agnouerint. Fateor delicta nobis condonari, errores hos non imputari: sed non propter nostræ intentionis meritum, sed ex Dei gratuita bonitate: Condonantur errata, sed non his, qui suos errores pertinaciter tuentur, verùm his, qui illorum agunt pœnitentiam & resipiscunt. Amici leues offensiunculas commissas studio juuandi condonant: sed vicissim domini seruos suos puniunt contra mandata sua facientes, etiamsi bonam intentionem prætexant. An verò putant leue esse offendere fratrem infirmum suo exemplo, superstitiosum hominem in suo errore confirmare? cultum Dei in humanis inuentis ponere? Omitto quòd infirmiorum errores non alendi, sed emendandi, non confirmandi, sed ijs medendum. Paulus lacte primùm cibauit infirmos Corinthios, at vsque pueros increpat.*

Quòd autem extenuant superstitiones Papisticas præ gentium Idololatria, in eo pueriliter, ne quid dicam durius, agunt. An non Idolum adoratur, quotiescunque Deum colere peruerso & illicito ritu aggredimur? an non Templa eorum idolis referta sunt? Et illa idolomania Papistarum, mutatis tantùm nominibus, à Gentilibus reuocata est. Habent armatum Martem Georgium: Neptunum Nicolaum aut Christophorum: Lucinam Margaretam: Sed quid necesse est hæc commemorare, cùm nulla sit vrbs, nullum oppidum tam vile, quod non suum proprium tutelarem Diuum habeat? nulla ars & conditio, quæ non habeat patronum peculiarem? Imò sunt Veiones inter eos, qui igne sacro, epilepsiâ & alijs morbis homines excruciant. Deum adorant, & orationem Dominicam recitant cum symbolo, & psalmos canunt: quasi verò non magi quoque & incantatores, impurum & vanissimum genus hominum, psalmos recitent, & nomina Dei, Iehoua, Adonai, Elohim & alia ingemiscant. Quo hæc sanctiora sunt, eò grauius peccatur, cùm nomen Dei in vanum sumitur. Vel num illi Deum inuocari existimant, cùm præmurmuratâ oratione Dominicâ genibus deinde coram Idolo flexis, canitur: Salue regina cœlorum: *aut,* Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos protege: in hora mortis suscipe: *aut simile quid. Sumpserunt sanè quædam à veteri Ecclesia: quædam ex lege in Ecclesiam transtulerunt. Sed an ne ideò lex abolita est à Christo, vt eandem Papa reponeret? & nos ijs quæ Deus sanciuit in lege non tenebimur, & ijsdem legibus à Papa non renouatis sed prophanatis tenebimur? Ritus aliqui ex veteri Ecclesia repetiti sunt, fateor: sed quàm plerique superstitionibus conspurcati & fœdati? Neque hos reijcimus si à superstitione purgantur. Illum tamen quo de nunc agimus supra docuimus, supra trecentos annos in vsu Ecclesiæ non fuisse.*

Videamus autem quàm benè cum Christi ritibus Papistici conueniant, & quàm longè à gentium superstitione absint. Conferamus Missam eorum, & omnes Missæ formas ac species, totamque illam saltationem theatricam, cum Cœnâ Domini, in cuius locum illi abominandũ hoc Idolum & Deum Maozim substituerunt. Si quem videre libeat quàm pura sint eorũ Sacra, ingrediatur septa Monialium, & claustra Monachorum: fatebitur eos egregiè litare Veneri & Baccho.

Pauli exemplum nobis opponunt, & non vident, se quodammodo in Deum ipsum contumeliosos esse, dum Ceremoniam illam cum superstitioso Antichristi instituto conferunt. Nihil, *inquiunt*, fuit hæc ceremonia, lege dudum per Christum abolitâ, *Fateor: sed nondum fuit damnata. Donec enim Euangelium clarius illucesceret, ritus illi Mosaicæ legis medij fuerunt, quibus Christiani ad ædificationem vti poterãt: Et erant hæc Dei instituta non abrumpenda sed juxta Augustinum, honorificè sepelienda. His verò longè dissimilis est ratio superstitiosorum rituum Antichristi. Præterea dubium non est, Apostolum hîc nihil aliud spectâsse, quàm vt vitaret offendiculum, vtque rudibus in ædificationem aliquid concederet. Hunc zelum etiamsi nostri illi prætexant quoque, tamen aliud ipsorum facta arguunt, dum ea non faciunt quæ magis erant necessaria ad ædificandum, & illa non omittunt, quæ ædificationi obstant.* Pauli exemplũ excutitur

Naamani exemplum minus eos iuuat: Cur enim quæso particulare exemplum regulam vitæ sibi proponunt? nesciunt legibus, non exemplis viuendum? Aut vnde ipsis constat, fuisse hunc verâ fide præditum? annon potuit esse fides temporaria ex magnitudine miraculi, & beneficij diuini ita subitò orta, quæ illi hanc confessionem expresserit? habemus certè huius rei multa exempla in Euangelica historia. Sed esto, fidem ipsum firmam viuamque habuisse. Nonne sciunt Deum aliquando priuilegio quodam suis indulgere multa, quæ in exemplum rapere non liceat. Non legitur Naamanum circumcisum esse: num propterea existimant Baptismi vsum omittendum esse? Non est credibile eum Pascha vnquam celebrâsse, ad quod nemo præputiatus admittebatur. Iohus 4. Reg. 5. de Naamã Syro pōditatur.

tur. Num verò hinc excusationem capient, quâ sibi liceat à Cœna Domini abstinere? Sed & hæc missa faciamus, ac Naamani historiam penitus inspiciamus, in qua sunt quædam, quæ laudari, quædam quæ excusari, & quædam quæ reprehendi possint. Laudem illa merentur: primùm quòd miraculosæ curationis virtutem, quâ mundatus à lepra fuerat, nec aquis, nec Elisæo Propheta, sed soli Deo Israëlis tribuit. Deinde, quòd agnovit, & confessus etiam est, non esse alium Deum in universa terra, nisi tantùm in Israël, Verè scio (*inquit*) quòd non sit alius Deus in universa terra, nisi tantùm in Israel: *quâ confessione omnes alios Deos tanquam falsos reprobauit ac damnauit. Tertiò, quòd in posterum nullis alijs Dijs, nisi soli Deo sacrificare constituit.* Non faciet ultrà (*ait*) servus tuus Holocaustum aut victimam, Dijs alienis, nisi Domino. *Sic videlicet agnovit cultum Sacrificiorum non deberi, nisi soli vero Deo: deinde, id penes se constituit, ut posthoc Dijs alijs, quos ad id usque temporis coluerat, nullum cultum exhiberet, quandoquidem certò jam sciret, non esse eos veros Deos. Hæc insunt in ea historia, quæ laudari possunt, unà cum eo, quòd erga Prophetam etiam animi gratitudinem admodum luculentam ostendit. Excusationem meretur illud quòd onus duorum burdonum de terra Israelis secum abstulit, quo aram constitueret, in qua Deo Israelis sacrificaret. Non moratur quidem ista Deus, verùm pro temporum illorum qualitate, quibus etiam in populo Dei cultus Dei externus Sacrificijs pecudum constabat, non poterat vir bonus alio cultus genere fidem ac Religionem cordis sui ergo Deum declarare, quàm quem in Israele vigere sciebat. Reprehensibile verò erat, quòd cognito jam vero & unico Deo, sese non statim ex aula & ministerio Regis sui avulsit, sed in pristino statu permanens officium suum Regi, in ipso quoque falsi Dei templo, & cultu præstitit, à cujus debebat abhorrere ingressu pariter & aspectu. Quòd autem factum hoc reprehensibile existeret, ipse quoque Naaman sentiebat & fatebatur. Nam sic eum ad Prophetam dixisse legimus.* Hoc autem solùm est, de quo deprecceris Dominum pro servo tuo. Quando ingredietur Dominus meus Templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in Templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. *His verbis satis indicabat, agnoscere se, non cariturum culpâ, si propter Regem suum in templo Remmon postea genu flecteret, cùm constituisset jam, quòd nullum Deum amplius, nisi solùm verum illum & unicum colere vellet. Hinc orabat Prophetam, ut pro hoc solo Deum deprecaretur. Non quidem certò statuebat quòd hoc facere vellet: sed metuens, ne fortè se commodè ab eo officio avellere non posset, non dicit, Adorabo in templo Remmon: sed,* Si adoravero in Templo Remmon: *hoc est, Si me ab eo officio eximere non potero. Voco autem istam incurvationem, officium, quod Regi præstabat, non cultum quem Dijs falsis destinâsset. Id satis ex eo liquet, quòd non simpliciter dicit: Si adoravero in templo Remmon: sed*, quando ingredietur Dominus meus in Templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in Templo Remmon, adorante eo in eodem loco, &c. *Non habebat quidem vir pius in animo, quòd Deum Remmon adorare vellet amplius: verùm quoniam sciebat non esse satis, si corde illum non adoraret, nisi & à specie adorationis abstineret, culpam ejus rei deprecatur, orans, ut quicquid illud esset, à Domino sibi ignosceretur. Hæc adeò manifestè insunt isti historiæ ut nemo qui eam legit, illo non statim intelligat. Præterea, si maximè adoravit, fuit id factum reprehensibile, quod ipsemet quoque fatetur. Imitanda verò non sunt, quæ laudari nec debent nec possunt: ideóque prudenter discernendum est in exemplum Sanctorum, in eo quæ laudem merentur, & eo, quæ quoniam vitiosa sunt, culpam habent, & indigent, ut per gratiam Dei condonentur. Nec est, quòd objiciant*, Prophetam Heliseum ipsum, non judicâsse peccaturum Naaman, si in gratiam Domini sui adoraturus esset in Remnon: vel certè leuiter, atque ita peccaturum, vt id peccati, secundùm ipsius portionem facilè condonaturus esset Dominus. *Petierat enim Naaman, ut pro se Dominum deprecaretur, quo sibi ignosceret, si adoraret post hæc in Templo Remmō. Respondet Propheta:* Vade in pace: *quæ verba omnino consensum aliquem includūt, verùm ad id quod petitum fuerat. Ergo non respōdit de condonatione peccati, quæ erat in manu Dei, sed de oratione sua, quâ oraturus esset pro ipso ad Dominū sicut petierat. Nō debet igitur hinc colligi, quòd huiusmodi adorationis genus nihil habeat peccati. Alioqui Prophetam id disertè exprimere conueniebat, ne frustra vir bonus conscientiâ peccati divexaretur, vbi nihil esset peccati.*

Expendendæ quoque sunt in persona Syri hominis circumstantiæ, quæ Prophetam ad hoc permoverunt, vt petitioni illius tanto facilitate assentiretur, illumque in pace à se dimitteret. Erat homo Ethnicus, in magno dignitatis gradu apud Regem Syriæ constitutus, & tum primùm ad cognitionem Dei conversus, inque fide veri & unici Dei recens ac tenera plantula, nondum etiam Sacramento initiationis populo Dei insertus: quare nondum illi gravia perfectionis opera imponi poterant, quæ vix illi portant, qui multis annis in fide ac populo Dei sunt enutriti. Deinde, sanctè promiserat non culturum se amplius Deos alienos, sed solùm Deum Israelis. In cuius rei testimonium tantùm terræ secum auferebat, quantùm in sua patria ad ædificationem altaris sufficere

existi-

existimabat. Hoc etiam Propheta Israelita non concessisset: erat enim illicitum Iudæis aliquo in loco sacrificare Domino, nisi quem ille elegisset. Sed abundè multum esse putabat, quòd tam egregiè damnatis Diis alienis, vnum ac verum Israelis Deum agnoverat: confessus etiam fuerat, ac vnicè sibi colendum esse statuerat. Hæc conversionis principia Propheta non immeritò in homine Ethnico vsque adeò probabantur, vt quod reliquum defectum attinebat, juberet illum animo esse quieto, polliceretur que oraturum se pro ipso ad Dominum, vt clementer, sicuti petebat, condonaretur. Quid verò hic inter nostros illos & hunc simile? Illi à pueris in vera Religione educati sunt, ipsis clara lux Euangelij ante oculos fulget; nec tamen ciuilem ritum sed superstitiosam consuetudinem Papistarum dudum abolitam in vsum reuocant, inq; ea cultum Dei constituunt.

Veteres autem habuisse certas precandi horas, manè præsertim ac vesperi, *fatemur quidem: fuere autem hæ preces publicæ, in quibus ad sacrificia peragenda conuenie bant, aut ad sacros cœtus conuocabantur. In priuatis etiam precibus easdem horas, & præterea etiam alias obseruatas fuisse non negamus: Sed quo ad publicos cœtus Ecclesia singula suam libertatem semper habuere de his rebus constituendis: id quod testatur magnum discrimen in Ecclesiis obseruatum circa has horas vt in Ecclesiastica historia Socratis traditur lib. 5. cap. 22. Itaque non dubitandum est, horis priuatarum precum maiorem fuisse libertatem: quamuis verisimile sit, plerosq; eas amâsse, & si possent, etiam delegisse, quas à Prophetis & Apostolis nouerant vsurpatas. Quod si putant vtile esse constitutas horas publico signo indicari: quæso cur non easdem seruant, quas Apostoli seruârunt?* Sextam, *aiunt,* retinemus, quæ nobis est vndecima. *At veterum sexta cum nostra duodecima, quando media est dies, conuenit: sed discrimen hoc non moramur.* Petrus Sextâ orauit: *Petrus, inquam, volens comedere prius ad orationem ascendit in cœnaculum: Nostri verò illi sæpe orationem nullam cibo præmittunt: rarius etiam gratias agunt: Et certè non tam seriò preces ante cibum sumptum, & gratiarum actionem finito conuiuio vrgent, atque hanc Campanariam orationem.*

Iam verò hæc illorum consecutio nulla est: Licuit olim horas certas deligere, licet ergo publico signo eas denunciare. *Si putant Ecclesiam posse horas cœtuum sacrorum constituere, & ad illos homines conuocare procedit hæc illorum argumentatio: Sed hoc loco de priuatis precibus verba faciunt: & non vident hoc signo publico ex priuatis se facere publicas preces: quæ tamen non fiant in aliquo publico cœtu, nullâ certâ formâ, eum nullo Ministerio sacra conjuncta: quod mihi quidem perabsurdum videtur. Quòd si sunt priuatæ, nullo modo mihi concedendum videtur, vt publico signo indicentur ac denuncientur, non modò quia hoc cum natura priuatarum precum pugnat, verum etiam quia hujusmodi instituta periculosa sunt, & plerunq; in superstitionem & frigidam Ceremoniam degenerant: id quod in his veterum horis factum videmus, quà tandem alius etiam horis quatuor additis, ad perficiendum septenarium numerum, ad solos Sacerdotes relegata sunt. Videmus veteres, & ipsum Christum in suis precibus priuatis quietem & secessum sæpe quæsiuisse: scimus etiam ad orandum attentionem summam requiri, & animum ab omnibus aliis curis auocatum: at vbi campana insonuerit, cùm hic fortè in conuiuio sedeat, alter deambulet, tertius in negotiatione aliqua versetur, poterit ne subitò, & hoc signo dato, animum ab his rebus & sermonibus, quibus paulò ante erat immersus, auocare, & totum rerum diuinarum meditationi addicere? Credo equidem vix sexcentesimum quemque hoc facturum: & tamen, ne solus videatur cæteris irreligiosior, caput nudabit, genu flectet, orationis speciem præbebit, animo interea alijs & varijs curis distracto. Quis ergo has preces probare poterit?*

Quòd autem ex Tertulliano conijcere volunt, veteres Christianos publico quodam signo ejus ætate denunciasse hæc constituta precum tempora, eò quòd has horas publicè resonare dicat: *ridicula admodum, quod pace illorum dixerim, est conjectura. Quis enim credat illis temporibus, quibus vix in publicum prodire licebat Christianis, quando priuatis in domibus, aut etiam in subterraneis Cryptis metu persecutionis orandi causa conueniebant, tubis aut campanis, aut voce præconis statas horas denunciatas fuisse? Loquitur Tertullianus de ciuili obseruatione, quæ apud Romanos in vsu erat. Tres horæ nominatæ totum diem in quadrantes distinguunt, & certa quasi officia singularum erant. Notum est illud Poëtæ:* Exercet raucos tertia causidicos. *Item:* Sexta quies lassis. *Et rursus:* Imperat exstructos frangere nona thoros, *Quare cùm causas in foro agere tertiâ: Sextam otio & meditationi darent: Nonâ cœnarent, hinc inquit Tertullianus, istis horis, vt insignioribus diem distribui, negotia distingui, & easdem publicè resonare, vel quòd celebres, vel quòd cùm alia hora clepsydris, & gnomonis vmbrâ lucente Sole indicarentur, hæ signo aliquo sonoro publicè indicabantur. Et quid vetat meam quoque conjecturam proferre? Vt milites suas habent vigilias, in quas noctem distinguunt: ita crediderim prætorianos milites in hæc tempora distribuisse excubias aut stationes suas, quibus sibi succedebant. Cùm igitur hæc tempora insigniora essent*, veteres *Christiani pro sua pietate illis horis, quibus alij in foro litigabant, aut domi delitiabantur, ipsi Deum inuocabant & adorabant: Horum igitur pietatem imitari nemo prohibet: imò probamus eos, qui his*

Tertulliani locus explicatur.

& alijs horis orant ex animo & vera fide, amouent ostentationem & hypocrisim, cauent omnem offensionem: Sed vt sentiamus publicum signum instituendum esse, id rationibus expositis adducti facere non possumus. Quod si tantopere exempla veterum imitanda, & in publicum vsum transferenda existimant, mediâ nocte homines Campanæ pulsu ad orandum excitandi erunt, cùm in Psalmis legamus: Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi: *Paulus quoque & Sylas mediâ nocte in carcere adorantes laudabant Deum. Quin etiam veteres Christiani olim vigilias instituerunt, quòd Christi vltimum aduentum noctu futurum crederent, vt semper parati inuenirentur. Et tamen hi nocturni cœtus, qui in vsu veteris Ecclesiæ fuerunt, cùm periculosi viderentur, ipsis pontificibus consentientibus, aboliti sunt: & nos pontificium institutum superstitione plenum in vsum reuocabimus?*

10. Vtile autem esse *inquiunt*, vt hominibus in memoriam revocetur Servatoris supplicium, quod insons pro expiatione nostrorum peccatorum luit: & quibus horis ea euenere, quæ præcipua sunt in passione: ideò has potissimum horas obseruandas esse. *O nouam & inauditam rationem docendi. Christus redemptor corpore suo terris excedens, semper tamen ipse præsens Ecclesiæ, Apostolos, Pastores & Doctores dedit Ecclesiæ, hisce mandauit, vt Evangelium prædicarent, & ita homines in Religione erudirent: dedit etiam Ecclesiæ suæ mysticam Cœnam, in qua panis frangitur, vinum funditur in commemorationem mortis Christi. At verè nos quasi Christo prudentiores hit non contenti, nouas docendi rationes excogitabimus? Quàm autem vtiles sint illæ probat ipsa experientia. Etenim in hunc finem positæ sunt primùm Imagines in Templis, vt homines simplices de Christi factis, & præsertim de his suppliciis, quæ redemptionis nostræ causa pertulit, admonerent, & quasi laicorum libri essent: sed breui hoc institutum in horrendam idolemaniam degenerauit. Quid aliud nobis quoque expectandum est, si nos etiam in rebus diuinis nostro arbitratu sapere voluerimus? & nouos Apostolos passionis Christi Campanas fecerimus? Vtamur illis mediis, quæ à Christo sunt instituta. Vis quotidie campanas pulsari ad commemorationem mortis Christi excitandam in hominibus? an non illæ quotidie pulsantur ad homines in cœtum Ecclesiæ conuocandum? Illic sonat verbum Dei, quo nos Christus vult erudiri: illic ministri à Christo ordinati eius merita nobis commendant: illic cœtus fidelium quotidie Christo pro acceptis beneficiis gratias agit, & ea secum meditatur: ad hunc cœtum se adiungant: quærant Christum vbi quæri vult, & inuenient. Num æs mortuum viuentibus Dei ministris anteponemus? Num Antichristum Christo prudentiorem existimabimus? Num eius instituta potiora nobis erunt Christi legibus? Malunt cum paucis orare fortè inter pocula, quàm cum vniuerso Ecclesiæ cœtu preces suas coniungere.*

CAPUT XXVII.

De Crucibus, Gallis-gallinaceis, Stellis & aliis ἀχειροποιήτοις in TEMPLORUM turribus; *itemque* Leonibus TEMPLORUM Valvis adpictis, *aut* propè valvas & januas lapidibus incisis.

A*D hoc caput referenda videtur consuetudo jam olim exorta & multis iam seculis obseruata, quâ Templorum pinnis aut turribus* gallorum *effigies imponuntur. Qua re admonere voluerunt, in Templis Verbi Dei prædicationem perpetuò sonare, & eius ad ministros gallorum instar pœnitentiam securis & dormientibus intonare, & quosuis ad eam excitare debere. De quo Durandus lib.* I. *cap.* I. *Rationalis sic scribit:* Gallus enim profundæ noctis peruigil horas suo cantu diuidit: dormientes excitat: diem appropinquantem præcinit: sed prius seipsum alarum verbere ad cantandum excitat. Hæc singula mysterio non carent. Nox enim est hoc seculum: dormientes sunt filij hujus noctis in peccatis jacentes. Gallus prædicatores, qui distinctè prædicant & dormientes excitant, vt abjiciant opera tenebrarum: lucem venturam prænuntiant, dum diem judicij & futuram gloriam prædicant: & prudenter antè, quàm alijs virtutes prædicant, seipsos à somno peccati excitant. Hi etiam, sicut & Gallus contra ventum se vertunt, quando increpando & arguendo contra rebelles fortiter resistunt, ne lupo veniente fugisse arguantur. *Hæc Durandus. Hoc quidem proprium Episcoporum munus in veteri Ecclesia fuit: at postquam Episcopi auro argentoque abundare cœperunt simul etiam gallicinium istud conticuit, & cum hominum traditionibus superstitiones inutiles irrepserunt, in quibus plerique pœnitentiam consistere putant.*

Interdum imponuntur Templorum turribus Cruces, *ad significandum Ecclesiam vel Cruce redemptam, vel Cruci in terris subiectam perpetuè fore. Potest etiam hæc consuetudo ponendarum Crucium in summitate Templorum aliam Originem habere. Cùm enim Episcopus Apameensis, partem Crucis Dominicæ circumgestaret, Persico exercitu vrbi imminente, eaque ostensâ Apameenses liberarentur, vt quidem refert Euagrius ex Procopio, eius miraculi memoriæ causâ Crux in summo Templi vertice proposita fuit.*

Non rarò etiam imponuntur eis Stellarum *effigies, ad demonstrandum, vel verbum Dei in*

Eccle-

Ecclesia instar stellarum fulgere, vel Ecclesia, hoc est, populi & præsertim ministrorum bona opera ita lucere debere, vt ea videntes homines glorificent Patrem qui in cœlis est.

Mos etiam fuit olim Templorum valuis Leonem appingere, quòd animal omnium vigilantissimum esse ferunt, vt qui semper apertis oculis dormiat. Hoc significare voluerunt, Episcopum & Pastorem Ecclesiæ non debere esse somnolentum aut segnem, sed oculatum & acrem in rebus Ecclesiæ curandis, adeoque vigilantem adversus mundi & Satanæ insidias.

CAPVT XXXIII.

De Origine & progressu PROCESSIONVM ad Templa & alia Loca Sacra: Vbi & de STATIONIBVS, LITANIIS, ROGATIONIBVS, & SVPPLICATIONIBVS.

SVB PROCESSIONVM nomine, tanquam genere, STATIONES LITANIAS, ROGATIONES & SVPPLICATIONES, vt species comprehendo: In his enim sacrificalibus pompis, vt à Polydoro Vergilio lib. 6. capite octauo, de Inuent. vocantur, publicè proceditur ad Templa Deorum, & binos praecedendo bini longo ordine sequuntur, à loco ad locum progrediendo, ac magnâ voce orando: Polydorus ibidem.

De STATIONIBVS.

Stationes quid in primitiua Ecclesia, & hodie.

STATIONES in primitiua Ecclesia fuerunt feriæ, quibus populus in certis vel locis vel Templis conueniebat ad auditum verbi, ad communionem Sacramentorum & ad preces publicas. Vt verò hodiè celebrantur, sunt Processiones solennes conuentus, ad alicuius Sancti Templum, vt gratiæ illi Sancto persolvantur & agantur pro acceptis beneficiis: Beleth in suo Rationali cap. 6.

Stationes cur sic dictæ

Appellabantur autem apud Veteres in primitiua Ecclesia Stationes, quasi stata, id est, certis diebus ac statutis celebres. Nam sic statæ Ceremoniæ, vt Festo Pompeio placet, dicebantur Sacrificia, quæ certis quibusdam diebus & statutis celebrabantur, nec mutabantur, sed stabilia & firma starent. Vnde Cato, Sacra stata & solennia Sacra seruâsti. Alij Stationes dictas volunt ex militari exemplo, quòd perinde hæc Sacra, siue hæ ædes sacræ in quibus illa fiunt, statutis diebus custodiantur, frequententurque, ac solent loca ad custodiam assignata militibus quando stant Vigilantes: Polydorus libro 8. capite 1.

Beleth in suo Rationali, cap. 6. Stationes inde dici putat, quòd stantes Deo agant gratias, non flexis genibus, sicut in litaniis: nec in iis supplicationis vtantur vocibus, sed laudes Deo & Sanctis cantent. Stationis igitur voce, vt Panuinius refert in Appendice ad Platinam, significabant antiqui Christiani actum quendam corporis, quo in sacris conuentibus orantes stabant, quod præcipuè Dominico die fiebat. Tertullianus in libro de Corona militis, de milite Christiano loquens: Iam, inquit, & Stationes aut alij magis faceret quàm Christo, aut & Dominico die quando nec Christo? Quæ vt rectius intelligantur, illud scitu dignum est, apud veteres Christianos inter plura duo fuisse comprecationum genera: Primum, cùm genibus flexis: alterum, cùm stantes orarent. Historia de legione Fulminatrice Christiana in expeditione Germanica M Antonini, quæ exercitui in ardentissimæ siti pluuiam precibus à Deo (Tertulliano teste in Apologetico & ad Scapulam) impetrauit, indicat, orantes genibus flexis prouoluisse se in terram, eumque orandi ritum antiquissimum, & certissimum fuisse, omnibus seculis apparet. Clemens vltimo Stromat. refert, orantes solitos abjicere sese in terram: quod de geniculis adorare in libro de Corona militis, & Geniculatio ad Scapulam Tertullianus vocat: Quando non, inquit, geniculationibus & jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ? Idem testatur Origenes lib. 4. in Numeros. Aliud porrò precandi genus erat, cum stantes orabant: quod de geniculis non adorare, vocat idem Tertullianus: quem orandi morem die Dominico, & per totum id tempus, quod inter Pascha & Pentecosten est, vsurpabant. Tertullianus in libro de Corona militis: Die Dominico jejunium nefas duximus, vel de geniculis adorare.

Duo comprecationum genera apud veteres.

Stationes vnde in Ecclesiam transsumptæ:

Refert Beleth modo citato loco, Stationes has ex Iudaismo in Christi Ecclesiam transsumptas esse. Populus Iudaicus, inquit, atque etiam complures Ethnici Hierosolymam conueniebant in maximis solennitatibus, In Paschate nimirum & Pentecoste, vt in Templo adorarent, & ibidem munera offerrent, ac Deo gratias pro innumeris beneficiis agerent. Ab hac ergo est consuetudine, quod etiamnum hodie Pontificij obseruant: vt omnes pariter ab oppidis, villis, aliisque locis suburbijs in septimana Paschali & Pentecostes ad Episcopalem Ecclesiam conueniunt.

Stationes quando & à quibus in Ecclesiam translatæ.

Quando autem & à quibus in Ecclesiam Christi translata sint, quæritur? Sunt qui eas statim post Apostolorum tempora à Christianis vsurpatas esse contendant, idque ex Tertulliani libro de Corona militis, aliisque, probare conantur. Respondeo, facit quidem Tertullianus Stationum aliquoties mentionem: eæ verò à Pontificiorum Stationibus diuersæ fuerunt. Nam in iis Sancti non adorabantur, nec vllus cultus eis exhibebatur: sed erant statæ feriæ,

Digitized by Google

quibus populus conueniebat ad auditum verbi, ad communionem Sacramentorum, & adorationem Dei. Et quia stantes verbum Dei audiebant, orationes faciebant & Sacramenta percipiebant, Stationes vocarunt eas. Vnde rectè B. Rhenanus in suis ad Tertulliani librum de Corona militis Annotationibus, scribit, Stationes veterum nil nisi statis diebus conuentus fuisse, in quibus stantes orârint. *Hodiè verò diuersissima earum est ratio.*

Stationes maxima ex parte à Gregorio M. institutæ.

Platina autem & Sabellicus Enne. 8. cap. 5. de Stationibus referunt, quòd maxima ex parte à Gregorio M. Papa inuentæ & institutæ sint: præsertim quæ habentur Romæ in Basilica Petri die Natali Christi, in Epiphaniis, in Passione, in albis Paschæ, in Ascensione, in Pentecoste, in Natalibus Apostolorum, in tertia Dominica Aduentus, in Dedicatione Templi Petri & Andreæ, in Cathedra Petri. *Hanc Romanorum consuetudinem imitatæ sunt etiam aliæ Ecclesiæ, Durandus enim libro 7. capite 1.* Sicut, *inquit,* Romani pro vitandis suis periculis statuerunt suas stationes in vrbe: *sic ad eorum imitationem alij in suis vrbibus ob causas similes Stationes instituerunt. Et Beleth supra citato capite,* Stationes, *inquit,* à Romanis habuerunt initium, qui eas maximè frequentant: qui cum intercessionibus Sanctorum, quorum suffragia implorabant, pericula euasissent, cum Processione veniebant ad Ecclesiam illius Sancti, cujus patrocinio fuerant liberati, laudes Deo cum gratiarum actionibus persoluentes. *Ex quibus simul intelligimus, Pontificiorum Stationes, vt jam seculis aliquot vsurpatæ sunt, ad cultum idololatricum & venerationem Sanctorum mortuorum institutas esse.*

Gregorius M. ad certas Stationes Romæ nō instituit indulgētias.

Quòd autem dicunt Pontificij, Gregorium M. suo tempore ad certas in Templis seu Ecclesiis Romanis Stationes dedisse Indulgentias, *vanum, fictum, falsum & fabulosum est. Nihil enim tale, vel in Gregorij scriptis, vel in certis illorum temporum historiis inuenitur. Occasio verò huius fabulæ inde arrepta esse videtur. Posteriores Pontifices Roman. ad Stationes in certis Romæ vrbis Ecclesiis multas & magnas profuderunt Indulgentias. Et quia Gregorius Magnus Stationes instituit, ideò illi quoque Indulgentias Pontificias, de quibus hodiè dimicatur, adscribunt, sed sine vllo prorsus documento ex Gregorij scriptis. Nam & Tertullianus aliquot in locis de Stationibus in Ecclesia sui temporis scribit: non tamen inde sequitur, Tertullianum vel authorem vel approbatorem fuisse Pontificiarum Indulgentiarum quæ hodiè in Stationibus dantur.*

Diu post Gregorium M. Stationibus

Longo igitur tempore demùm post Gregorium Indulgentiæ hæ Stationibus, seu conuentibus in Templis Romanæ vrbis celebratis, eorundemque Templorum visitatoribus concessæ fuerunt:

Indulgētiæ additæ.

Cùm enim in primitiua Ecclesia, sicut diximus ab initio huius capitis Stationes essent feriæ, quibus populus in certa Templa ad audiendum verbum Dei, ad participandum Mysteria, & ad preces peragendas conueniebat: Progressu verò temporis exercitia hæc ferè obsoleuissent, addiderunt Indulgentias, vt homines eò inuitarentur. Et Bonifacius VIII. *primus hoc priuilegium dedit, Pauli & Petri Basilicæ: Clemens* VI. *addidit Ecclesiam Lateranensem: Sixtus* IV. *Templum Mariæ maioris. Et in Iubilæis tantùm in his Templis Indulgentias primùm vendebant. Postea negociatione feliciter procedente, addiderunt alias etiam Ecclesias vrbis, & Indulgentiarum numerum singulis diebus in infinitum auxerunt.*

Summa notationis indulgētiarum in Stationibus Rom.

Adscribam autem hoc loco summam notationis Indulgentiarum in Stationibus Romanis, sicut Latinè editæ sunt Romæ, anno 1475. & postea Noribergæ amplificatæ anno 1491. vt Lector impudentiam cauponationum, licitationum & nundinationum Romanistarum, in breui quasi tabella ob oculos habere possit.

Dicunt igitur Romæ fuisse mille quingentas quinque Ecclesias, inter quas septem sunt Principales, priuilegiatæ maiori priuilegio.

Primam dicunt esse Ecclesiam Lateranensem, *quæ sit caput totius Orbis & vrbis. In illa sunt omni die quadraginta & octo anni Indulgentiarum, & totidem quadragenæ, & remissio tertiæ partis omnium peccatorum.* Item: *Papa Syluester & Gregorius, qui eam consecrârunt, dederunt tantas Indulgentias, quòd nemo potest enumerare, nisi solus Deus, testâte Bonifacio* VIII. *qui dixit,* Si homines scirent Indulgentias Ecclesiæ Lateranensis, non opus esset, quòd irent per mare ad S. Sepulchrum, *vel* ad S. Iacobum. *Item:* Dicit *Papa Bonifacius:* Si quis ad sedem nostram Lateranensem, deuotionis, orationis, aut peregrinationis causâ veniret, ille absolueretur ab omnibus suis peccatis. *In Capella, quæ vocatur* Sanctum Sanctorum, *quam mulieribus non licet ingredi, est vera & plenaria remissio omnium peccatorum. In eadem Capella sunt gradus 28. qui steterunt ante domum Pilati in Hierusalem. Et quicunque hos gradus ascenderit cum deuotione, habet pro quolibet gradu nouem annos Indulgentiarum, & totidem quadragenas, ac remissionem tertiæ partis omnium peccatorum. Qui verò geniculando gradus illos ascendit, is vnam animam, pro qua orat, liberat ex purgatorio. In die dedicationis, qui vocatur* dies Salvatoris, *est ibi plenaria remissio omnium peccatorum à culpa & à pœna. Cumque Papa primùm indulgentia illam largiretur, Angeli præsente populi dixerunt:* Amen. *Item: quando capita Petri & Pauli ibi ostenduntur, tunc Romani habent indulgentias trium millium annorum; Vicini sex millium, qui è longin-*

Sanctum Sanctorū Romanū.

longinquo venerunt, duodecim millium. In illa Ecclesia est aurea Porta, quæ tantum in anno Iubilæo aperitur. Sunt autem tres portæ, per quarum vnam Christus Hierosolymis ad mortem suam iuit: Cumque non certò constet, quæ ex istis tribus illa sit, itur per omnes tres. Et qui deuotione per illas transit, liber fit à peccatis non aliter ac homo, cùm primùm baptizatur: Etiam pro animabus itur per illas portas. Item: cum Gregorius Ecclesiam illam Lateranensem denuò dedicaret, dedit tot dierum indulgentias, quot guttæ cadunt, si per tres dies & noctes continuè pluat. Cumque Gregorius metueret, ne thesaurus gratiæ illâ profusione euacuaretur: Christus apparuit ei, & dixit: se concedere vt plures det indulgentias, populum enim his opus habere.

Secunda Ecclesia principalis Romæ eiusque Indulgẽtia.

Secunda *Ecclesia principalis Romæ est ad* Sanctum Petrum in Vaticano, *in qua sunt omni die quadraginta & octo anni indulgentiarum, & totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis omnium peccatorum. Pro quolibet altari quæ fuerunt centum & nouem dantur decem & octo anni. In festis duplicibus duplicantur illæ indulgentiæ. In festo Annunciationis Mariæ sunt ibi mille anni indulgentiarum. Qui ascendit gradus Petri cum deuotione (sunt autem viginti octo) pro quolibet conceduntur septem anni. Alexander postea ad singulos gradus dedit mille annos. Quando ibi ostenditur* Veronica, *tunc Romani habent indulgentias trium millium annorum Itali sex millium, longinqui duodecim millium. In omnibus festis Christi, Mariæ & Petri sunt ibi mille annorum indulgentiæ. Ad summum Altare omni die sunt octodecim anni. Pro peregrinis est ibi plenaria remissio, etiamsi quis patrem & matrem verberâsset. Sub altari sunt corpora Petri & Pauli, ibi sunt quatuor millia annorum. Apud Altare ante chorum sunt quatuordecim millia annorum, & liberatio vnius animæ ex purgatorio. Est autem præcipua porta aurea, quæ in Iubileo aperitur in Ecclesia S. Petri, altera in Lateranensi, tertia in Ecclesia Mariæ maioris.*

Tertia Ecclesia principalis Romæ eiusque Indulgẽtiæ.

Tertia *Ecclesia principalis est ad* S. Paulum, *in qua sunt omni die* 48. *anni indulgentiarum, & totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis omnium peccatorum. In conuersione Pauli sunt ibi centum anni indulgentiarum. In dedicatione Ecclesiæ sunt ibi mille anni. In festo Innocentium* 48. *anni.*

Quarta Ecclesia eiusque Indulgẽtiæ.

Quarta *Ecclesia principalis est ad* Sanctam Mariam maiorem, *in qua sunt omni die* 48. *anni, totidem quadragenæ, & remissio tertiæ partis omnium peccatorum. Nonâ die Maij est ibi remissio omnium peccatorum à pœna & à culpa. In omnibus festis Mariæ sunt ibi duodecim millia annorum. In die dedicationis mille anni & quatuordecim.*

Quinta *Ecclesia est ad* S. Laurentium, *in qua sunt omni die* 48. *anni, totidem quadragenæ, & remissio tertiæ partis omnium peccatorum. Qui lapidem, super quo assatus fuit Laurentius visitauerit: & sepulchrum eius habet septem millia annorum. Qui omni quartâ feriâ per annum vnum Ecclesiam illam intrauerit, liberat vnam animam ex purgatorio.*

Sexta *Ecclesia est ad* Sanctum Sebastianum, *in qua præter generales indulgentias* 48. *annorum sunt omni die mille anni. In mense Maio est ibi vera & plenaria remissio omnium peccatorum. Similiter etiam in Cœmiterio Calixti. Varij demùm Pontifices visitantibus dederunt* 48. *millia annorum. Ibi est locus, vbi Angelus apparuit Gregorio dicens:* In hoc loco potest vnusquisque contritus & confessus remissionem omnium peccatorum à culpa & pœna promereri.

Septima Ecclesia principalis Romæ & eius Indulgẽtiæ.

Septima *Ecclesia principalis est ad* Sanctam Crucem, *in qua sunt omni die* 48. *anni. Omni die Dominicâ sunt ibi trecenti anni. In Capella Ierusalem est plenaria remissio omnium peccatorum. Deinde sex Pontifices fuerunt, quorum quilibet mille annos dedit. In die dedicationis est ibi plenaria remissio.*

Ecclesia Mariæ ad Arã cœli.

In Ecclesia Mariæ ad Aram Cœli *sunt omni die mille anni. In festo Assumptionis sunt sex millia annorum. In festo Annunciationis plenaria remissio. In Ecclesia* Sancti Syluestri *sunt quadraginta anni. In Ecclesia* Sancti Praxedis *trecenti anni. In* Capella Mariæ, *quæ vocatur* (libera nos à pœnis inferni) *sunt omni die duodecim millia annorum. In Ecclesia* Iohannis ante portam Latinam *potest quis liberare vnam animam de purgatorio; dicendo vel faciendo dicere vnam Missam. In Ecclesia* Mariæ nouæ *sunt omni die ducenti anni indulgentiarum. Ad* Mariam Transtyberinam *omni die ducenti anni. Ad* Chrysogoni *omni die centum anni. Ad* Bartholomæi *omni die mille anni, & in die Bartholomæi plenaria remissio. Ad* Iohannis de Insula *quotidie mille anni. Ad* Anastasii *quotidie quadraginta millia annorum. Ad* Mariæ ad scalam Cœli *quotidie septingenti anni. Singulis festiuitatibus Mariæ quatuor millia annorum. Die dedicationis plenaria remissio. Ad* Sixti *quotidie septem anni. Ad* Clementis *quotidie quadraginta anni. Ad* Cosmæ & Damiani *quotidie mille anni. Ad* Adriani *quotidie mille anni. Ad* Mariæ rotundæ *singulis Dominicis & quartis ferijs* 30. *anni. In* Choro *quotidie quadraginta anni.* In festo omnium Sanctorum *plenaria remissio. Ad* Barbaræ *mille anni. Ad* Iacobi *quotidie* 1500. *anni.* Ad sancti Spiritus *quotidie vndecim millia.*

De LITANIIS, ROGATIONIBVS & SVPPLICATIONIBVS.

Vas Graci λιτανείας, *Latini* Rogationes & Supplicationes *vocant. Ea ad vitanda quidem mala fiunt, atque omne effugiendum periculum, sed non sine ieiunio & veste humili, aut habitu lugubri, vocibus in modum supplicantis, vt Beleth & Durandus testantur. Exstat Græcum vocabulum* λιτανείας *etiam in Epistola* 63. *Basilij, & explicatur in Can.* 32. *Moguntini Concilij sub Carolo M. celebrati his verbis:* Litaniæ Græco nomine appellantur, quæ Latinè dicuntur Rogationes. Inter λιτανείας autem & ἐξομολογήσεις hoc differt: Quòd Exomologeses, pro sola peccatorum confessione agantur: Litaniæ verò indicuntur propter rogandum Deum, & impetrandum in aliquo misericordiam ejus. Sed jam vtrumque vocabulum sub vna dignatione habetur. *Hac Canon ille.*

Litaniæ & Exomologesis differētia

Supplicationum vsus apud Ethnicos fuit longè frequentissimus, inprimis Romanos; earumque tempore Iustitium *fuit, hoc est, publica feriatio: & tribus de causis eas institutas ab illis reperimus.*

Supplicationū vsus frequens apud Romanos, & cur.

Primò *cùm aliquod à Dijs Romani petere instituissent, præsertim cùm bellum aliquod ordirentur. De hujus generis Supplicationibus Liuius loquitur,* Ab hac, *inquit*, oratione in suffragium missi, vt rogârat bellum jusserunt. Supplicatio inde à Consulibus in triduum ex Senatus consulto indicta est, obsecratique circa omnia puluinaria Dij: quod bellum cum Philippo populus jussisset, id benè ac feliciter eueniret. *Et lib.* 2. *Belli Punici* 2. His, *inquit*, Senatus consultis perfectis, L. Cornelius Lentulus Pontifex Maximus consulendum de verè sacro censet, iniussu populi non posse voueri. Rogatus in hæc verba populus: Velitis, jubeatis ne hoc sic fieri? si res populi Rom. Quiritium ad quinquennium proximum, sicut velim eam, salua seruata erit: hisce duellis datum donum duit populus Rom. Quiritium, quod duellum populo Romano cum Carthaginensi est. *Et mox:* Ejusdem rei causâ Ludi magni voti, æris 133. millibus triente: præterea bubus Ioui trecentis: multis alijs diuis, bubus albis, atque cæteris hostiis. Votis ritè nuncupatis, Supplicatio edicta, supplicatumque vt cum coniugibus ac liberis non vrbana multitudo tantum, sed agrestium etiam, quos in aliqua sua fortuna publica quoque contingebant.

2. Secundò, *in rebus aduersis fiebant Supplicationes, ad Deorum iram deprecandam. De his ita scribit Liuius lib.* 10. Eo anno prodigia multa fuerunt, quorum auerruncandorum causâ Supplicationes in biduum Senatus decreuit, publicè vinum ac thus præbitum, supplicatum iere frequentes viri fœminæque. *Et lib.* 2. *de bello Punico* 2. Augebant metum prodigia simul ex multis locis nuntiata. In Sycilia militibus aliquot spicula, in Sardinia autem in muro circumeunti vigilias equiti scipionem, quem manu tenuerat, arsisse: & littora crebris ignibus fulsisse, & scuta duo sanguinem sudâsse, & milites quosdam ictos fulminibus, & Solis orbem minui visum, & Præneste ardentes lapides cœlo cecidisse, & Arpis palmas in cœlo visas, pugnantemque cum Luna Solem, & Capenæ duas interdiu Lunas ortas, & aquas Cærete sanguine mistas fluxisse, fontemque ipsum Herculis cruentis manâsse sparsum maculis, & Antij metentibus cruentas in corbem spicas cecidisse, & Falerijs cœlum findi visum velut magno hiatu, quaque patuerit ingens lumen effulsisse, sortes suâ sponte attenuatas, vnamque excidisse ita scriptam: Mauors telum suum concutit. Et per idem tempus Romæ signum Martis Appiâ viâ ad simulacra luporum sudâsse, & Capuæ speciem cœli ardentis fuisse, lunæque inter imbrem cadentis. *&c.* His, sicut erant nunciata expositis, authoribusque in curiam introductis, Consul de religione Patres consuluit. Decretum est, vt ea prodigia partim majoribus hostijs, partim lactentibus procurarentur, & vti supplicatio per triduum ad omnia puluinaria haberetur. *Rursus lib.* 4. Hæc prodigia, *ait*, hostiis majoribus procurata sunt ex aruspicum responso, & Supplicatio omnibus Dijs, quorum puluinaria Romæ sunt, adhibita est. *Item*, Tempestates fœdæ fuerunt, in Albano monte biduo continenter lapidibus pluit: tacta de cœlo multa, duæ in Capitolio ædes, vallum in castris multis locis supra Suessulam, & duo vigiles exanimati, murus, turresque quædam Cumis non ictę modò fulminibus, sed etiam decussæ. Reatæ saxum ingens visum volitare, Sol rubere solito magis, sanguineoque similis. Horum prodigiorum causâ diem vnum Supplicatio fuit.

Tertiò, *etiam in prosperis rebus, puta ob victoriam, &c. à Romanis habebantur Supplicationes, quum Dijs gratias essent acturi. Meminit earum Liuius lib.* 3. Geminâ victoriâ duobus bifariam præliis partâ, malignè Senatus in vnum diem Supplicationes Consulum nomine decrevit: populus iniussu & altero die frequens iuit, supplicatumque est, & hæc vaga popularisque Supplicatio studiis propè celebratior fuit. *Et lib.* 10. Partem curæ exornârunt Senatum L. Volumnij Consulis literæ, quibus cæsos fusosque populatores Campaniæ cognitum est. Itaque & Supplicationes 3.

nes

nes ob rem benè gestam Consulis nomine decernunt, justitium remittunt, quod fuit 18. dies, Supplicatioque perlæta fuit. *Rursus eodem libro:* Literæ Consulum ingenti Lætitiâ, & in curia, & in concione auditæ, & quatridui Supplicatione publicum gaudium priuatis studiis celebratum est. *Et libro* 7. *Belli* 2. *Punici*, Post Romam allatum nuncium de cæso Asdrubale, ejusque exercitu, Senatus, *inquit*, quòd M. Liuius, & Caius Claudius Coss. incolumi exercitu, ducem hostium, legionesque occidissent, Supplicationem in triduum decreuit. Eam supplicationem A. Hostilius Prætor pro concione edixit, celebrata à viris, fœminisque est. Omnia Templa per totum triduum æqualem turbam habuere, quum matronæ amplissimâ veste, cum liberis, perinde ac si debellatum foret, omni solutę metu Diis immortalibus grates agerent. *Sic cùm Romæ, quæ Iulius Cæsar in Gallia gesserat, & literis & nuncijs audita sunt*, supplicatio ejus nomine in quindecim dies decreta est, quod ad id tempus datum erat nulli. *D. Brutus ob profligatum Antonium bello Mutinensi, quinquaginta dierum Supplicationem meruit.*

Ritus Supplicationum Romanos

In his Supplicationibus plerumque Senatores ac Patricij cum conjugibus & liberis ad delubra & aras procedebant: nonnunquam omnes tribus & ordines etiam, Pon. Max. præeunte: sed & alijs persæpè modis. Tunc pueri ingenui & libertini, itemque virgines omnes coronati & lauream præferentes, cum pompa thensas & fercula Deûm deferentes, tum & sacro carmine supplicare, & Deûm pacem exposcere solebant. Quoties etiam Supplicationes indicebantur, à iurgiis abstinebant, & vinctis vincula demebantur.

Puluinaria. quid apud Romanos.

Obseruandum etiam, quòd Liuius, vbi Supplicationum mentionem facit, Puluinariorum, *simul ferè meminit. Erant autem* Puluinaria *in Supplicationibus, lecti & puluini in angulis regionum locati, in quibus Simulachra Deorum recumbentia collocabantur. Acron Grammaticus inquit*, Pulvinaria fuisse, lecticas diuorum, aut tabularia, in quibus steterint numina, vt eminentiora viderentur. *Et ex Liuio apparet*, semper Deo & Deæ simul celebratum pulvinar, *videlicet Ioui & Iunoni vnum, alterum Neptuno & Mineruæ, tertium Marti ac Veneri, quartum Apollini & Dianæ, quintum Vulcano & Vestæ, sextum Mercurio & Cereri: lib. 2. Dec.* 3.

Lectisternii quid apud Romanos.

De Lectisterniis, *quorum crebra est mentio, Liuius lib. 5. ab Vrbe condita sic scribit:* Gravis pestilensque omnibus animalibus æstas excepit vrbem cũ insanabili pernicie: Quando nec causa nec finis inueniebatur libri Sibyllini ex Senatus cõsulto aditi sunt. Duumviri Sacris faciundis, Lectisternia tunc primùm in vrbe Romana facta per dies 8. Apollinem, Latonamque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum, tribus quæ amplissimè tum apparari poterant, stratis lectis placauêre: priuatim quoque id Sacrum celebratum est totâ vrbe, patentibus januis, promiscuoque vsu rerum omnium in propatulo posito, notos ignotosque passim advenas in hospitium ductos ferunt, & cum inimicis quoque benignè & comiter sermones habitos, jurgiis & litibus temperatum, vinctis quoque dempta in eos dies vincula: Religioni deinde fuisse quibus eam opem tulissent, vinciri. *Lectisternium in Capitolio sic celebrari solitum fuit*: Stratis tribus lectis convivium tribus Deis apponebatur, Iovi, Iunoni & Minervæ: Iovis Simulachrum in lectulo reponebatur: Iuno verò & Minerva in sellis, sic appositis epulis, non Dei, sed septem ipsi Epulones celebrabant. *Liuius lib. 7. ab Vrbe condita:* Eo nihil dignum memoriâ actum nisi quòd pacis Deûm exposcendæ causâ tertiò tum post conditam Vrbem Lectisternium fuit. *Lectisternii celebratio.*

Supplicationes vsurpatæ in veteri & nouo Testamento.

Obseruatum quoque fuisse morem Litaniarum & Rogationum, hoc est, publicarum & communium Supplicationum, non solùm in veteri, sed etiam in nouo Testamento periculosis temporibus, nemo potest negare. Sed in illis vnus & verus Deus, in nomine Christi Mediatoris, solus inuocabatur. Sic cùm Petrus ab Herode in carcerem coniectus esset, conuenerunt fideles in vnum locum & per supplicationes liberationem ejus à Deo expetiuerunt. Talium Supplicationum meminit etiam Irenæus. Iustinus capita harum Litaniarum in veteri Ecclesia vsurpata commemorat: nempe, quòd nati simus, quòd valetudini consultum sit, quòd species rerum conserventur, quòd vires animæ benè succedant, quòd immortalitatem sperare ac impetrare liceat. *Tertullianus addit*, Oramus pro inimicis, pro persequutoribus, precantes sumus semper omnes pro Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt. *Item:* Oramus pro Imperatoribus, pro Ministris eorum, & potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. *Cyprianus inquit*: Publica est nobis & communis oratio, non pro vno, sed pro toto populo. *Basilius quoque Litanias vsitatas fuisse in Ecclesia Neocæsariensium scripsit in Epistola* 63. *Achatius etiam admonitus à Deo de Nicomedia concussione, Clericis præcepit*, vt Deo seriò supplicarent, & preces placatorias pro sedanda illius ira, quam minabatur, funderent, *vt narrat Sozomenus lib. 4. cap.* 16. *Pro quibus rebus Supplicationes institutæ in primitiua Ecclesia.*

Et in

Et in illis publicis Supplicationibus, Ecclesiam ad ardentiores preces, peculiaribus exhortationibus & gestibus, excitatam fuisse constat. Cyprianus dicit: Quando inchoaturi essent preces, Sacerdotem hanc exhortationem præmisisse: Sursum corda. Et populum respondisse: Habemus ad Dominum. *Apud Iustinum* surgunt ad Supplicationes. *Apud Tertullianum* cœlum suspicientes, manibus expansis, capite nudo, precantur pro omnibus, aliquando stantes, aliquando genibus flexis. *Milites Antonini oraturi pro pluuia,* curuatis genibus prouoluunt se in terram *apud Eusebium. Apud Clementem* abiiciunt se in terram. *Apud Sozomenum lib.7.cap.23. Cùm populus Antiochenus, Theodosij Imp. iram ob motam ibi seditionem timeret, instituerunt Supplicationem publicam ad Deum, vt Imperatoris iram mitigarent, vsurpatis ad eam Supplicationem* melodijs lugubribus. *Author librorum de vocatione Gentium siue is Ambrosius siue Prosper est, explicans locum Pauli 1.Timoth.2.* Vt fiant obsecrationes, postulationes & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, *inquit*: Quam Legem Supplicationis, ita omnium Sacerdotum, & omnium fidelium devotio concorditer tenet, vt nulla pars mundi sit, in qua hujusmodi orationes non celebrentur à populis Christianis. Supplicat ergo vbique Ecclesia Deo, non solùm pro sanctis, & in Christo iam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus, & inimicis crucis Christi, pro hæreticis & schismaticis, *&c. Et talia exempla multa exstant in historijs, quod tempore belli, pestis, tempestatum, terramotuum decreta & celebrata fuerint tales publicæ ad Deum Supplicationes. Sic Imperator Theodosius Iunior,* cum tota Ecclesia Supplicationes fecit pro serenitate. Et ipse quidem medius hymnis canendis præiuit priuati habitu incedens: *vt testatur Niceph. lib.14.c.3. Ita etiam, cùm horrendo & diuturno terramotu maxima pars orbis terrarum, inprimis etiam vniuersa Constantinopolitanorum ciuitas concuteretur, Theodosius Impera. & Episcopus Proclus cum ciuibus extra vrbem periculi vitandi gratiâ egressi,* Supplicationibus celebratis ardentes ad Deum pro liberatione preces fuderunt.

Trisagij origo. *Hoc ipso etiam tempore hymnum angelicum, quem* TRISAGIVM *vocant, diuinitùs esse reuelatum narrant, vt Litaniarum & supplicationum precibus insereretur. Qua de re Nicephorus lib.14.cap.46. sic scribit:* Byzantij in maximum coniecti metum, à ruinis ædificiorum sibi timentes, muros reliquerunt, & extra vrbem in Campo, qui sic dicitur, morati sunt vnâ cum Imperatore Theodosio & Patriarcha Proclo continuis precibus incumbentes, Deumque, vt propitius eis esset, & ab imminenti calamitate orbem liberaret, obtestantes. Et cùm aliquando motu eo grassante, terra veluti fluctuans concuteretur, & homines per metum eam ex fundamentis ipsis exstirpatum iri vererentur, & omnes Litanijs & Supplicationibus dediti collachrymarent, & ex profundo intimoque animo misericordiam divinam implorarent: tum miraculum præter opinionem omnium, quod sensum & mentem omnem excedat, subsequutum est: Subitò namque è medio, spectantibus omnibus, diuinâ quadam vi puer in aërem sublimis ad cœlestem vsque tractum, ita vt jam non appareret, sublatus, divinam vocem, quâ Angelis Deum laudare mos est, audiuit: eaque voce percepta, rursum priore puer per aërem via reversus descendit: & Episcopo Proclo, ipsique Imperatori, & multitudini omni Supplicationibus operam danti, Deumque hymnis celebranti, ab Angelis canentibus se verba hæc audisse, renunciauit: SANCTVS DEVS, SANCTVS FORTIS, SANCTVS ET IMMORTALIS, MISERERE NOSTRI. Quæ vbi Proclus intellexit, statim ad eum modum populum psallere jussit, & terræmotus statim etiam constitit, omninoque quieuit, Imperator verò Theodosius, & fœminis admiratione omnium digna Pulcheria, tanto miraculo perculsi, constitutione Imperiali confestim, vt per orbem omnem hymnus diuinus iste concineretur, decreuerunt. Puer verborum eorum Mysterium exequutus, statim vitâ defunctus est, *&c. Refert etiam Paulus Diaconus lib.14. in Theodosium.*

Constantinopolitani Campū exierunt supplicaturi. *Ac singularem vrbis Constantinopoleos consuetudinem fuisse, vt ad certum locum in Campum exirent, quando in publicis necessitatibus communiter preces faciebant, ex Theodoro Lectore videre est: qui scribit,* Martianum Imper. hortatum esse Anatolium Episcopum, vt secundùm consuetudinem vrbis illius Episcoporum, à Tauro ad Campum vsque vectus supplicaret: libro primo.

De Origine & Institutione ROGATIONVM *vel* SVPPLICATIONVM triduo illo: quod *inter* Ascensionem Christi, & Dominicum diem interiectum est.

Claud. Mamercus instituit Rogationes Viennæ in Gallia Creutzwochen. vnde. POstea circa annos Christi 466. Claudianus *Mamercus, Viennensis in Gallia Episcopus constituit, vt quotannis in illa vrbe statis ac certis diebus* Rogationes *vel* Supplicationes *celebrentur, propter pericula terramotuum, incendiorum & passim errantium ferarum, homines que infestantium.* Alcimus Auitus, *Viennensis Ec-*

Alcimus Auitus triduana Litania.

sis Ecclesiæ Episcopus, qui post Esychium succedentem Mamerco sedis, in peculiari homilia, quam de occasione harum Litaniarum Supplicationum, earumque primâ institutione, ritibus peculiaribus & usu habuit, sic inter alia scribit: Terrorum, *inquit*, temporis illius causas multos nostrûm adhuc recolere scio: siquidem incendia crebra, terræmotus assidui, sonitus nocturni, cuidam totius vrbis funeri prodigiosum quiddam minirabantur. Nam populosis hominum conuentibus domestica syluestrarum ferarum species obuersabatur: Deus viderit, an ludificans oculis, an adducta portentis. Quicquid tamen ex ijs duobus foret, perinde monstrosum intelligebatur, seu sic veraciter immania bestiarum corda mansuefieri, seu tam horribiliter conspectibus territorum falsæ visionis phantasma posse confingi. Inter hæc, diuersa vulgi sententia, disparium que ordinum variæ opiniones: alij quod sentiebant dissimulando, quæ fletui nolebant dare, casui dabant: alij spiritu salubriore, abominabilia noua, quæque congruis malorum proprietatis significationibus interpretabantur. Quis enim in crebris ignibus, ignes Sodomiticos non timeret? Quis trementibus elementis, aut decidua culminum, aut disrupta terrarum imminere concrederet? Quis videns, aut certè viuere se putans, pauidos naturaliter ceruos, per angusta portarum, vsque ad fori lata penetrantes, non imminentem solitudinis sententiam formidaret? Quid multis? tracta fuit hæc inter timores publicos, & rumores priuatos, vsque ad imminentem Vigiliarum solennium noctem, quâ celebrari festum Dominicæ Resurrectionis annua consuetudo poscebat: siquidem hanc omnes laborum opem, malorum finem, metuentium securitatem, communibus animis operiebantur. Affuit igitur nox illa venerabilis, quæ ad spem publicæ absolutionis votiuum solenne patefecerat. Sed mox illic multò vehementior strepitus ictu flagelli grauius ferientis intonuit, vtpote quem jam emensis gradibus superlatiuum nihil sequi aliud quàm gladius intelligeretur. Ædes namque publica, quâ præcelso ciuitatis Viennensium vertici sublimitas in immensum fastigiata prætulerat, flammis terribilibus conflagrare crepusculo cœpit. Interpellatur itaque nuncio discrimenis jucunditas solennitatis, pleno timoribus populo Ecclesia vacuatur. Omnes namque similem facultatibus vel domibus proprijs casum de quadam præminentis incendij arce metuebant. Perstitit tamen coram festiuis altaribus inuictus antistes S. Mamercus, & calorem fidei suæ accendens flumine lacrymarum, permissam ignibus potestatem incendio abscedente compescuit. Igitur desperatione depositâ reditur ac Ecclesiam, & restinctâ flammarum luce clarescit luminum pulchritudo. Ex hujus liberationis occasione, ceu gratiarum loco, instituit annuam deinde celebrandarum Supplicationum festiuitatem triduo, quod inter Dominicæ Ascensionis, & diem Dominicum interjectum est. *Hæc Auitus.*

Prima quidem harum Supplicationum institutio, quando periculum illud ingruit, Paschale fuit; verùm ne jungerentur Resurrectionis gaudijs luctus orantium, & jejunantium afflictatio, triduum illud paucis annis post est electum: quod sacrum præcedit festum Ascensionis, vt Auitus eadem explicat homiliâ, quæ etiam citatur à Gregorio Turonensi lib. 2. cap. 34.

Litania triduana approbatio & progressus.

Mox verò hæc Litania non solùm in Gallia, sed etiam toto orbe Christiano approbata & recepta fuit.

Sidonius Auernorum Episcopus de triduana Litania.

Eadem planè de Occasione, authore & origine harum Supplicationum, cum Auito commemorat Sidonius *Auernorum Episcopus, epistolâ 7. ad Mamercum, & lib. 5. epistolâ quarta ad Aprum, in qua post Exordium hæc leguntur:* Rogationum solennitatem primus Mamercus Pater & Pontifex reverendissimo exemplo, vtilissimo experimento invenit, instituit, invexit. In his autem, quas suprafactus sacerdos & protulit pariter & contulit, jejunatur, oratur, psallitur, fletur. *Gregorius quoque Turonensis citato loco,* Cessantibus, *inquit*, terroribus, per cunctas provincias dispersa facti fama, cunctos Sacerdores imitari commouit. Quæ vsque nunc per omnes Ecclesias celebrantur. *Idem testatur Adon in Chronicis ætate 6. Anno 396. & rursus eadem ætate, Anno 452.*

Gregorius Turonensis.

Adon.

Aurelianense Concilium confirmat triduanam Litaniam.

Aurelianense etiam Concilium paulò post hæc tempora celebratum, his verbis Can. 29. has Rogationes sancivit: Rogationes, id est, Litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari: ita vt præmissum triduanum jejunium, in Dominicę Ascensionis solennitate soluatur. Per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs vniuersa conveniat: Quo triduo omnes abstineant, & Quadragesimalibus cibis vtantur.

Mantuanus de triduana Litania.

Et Mantuanus de hoc ipso Libro IV. Fastorum sic canit:

Vrbs sedet ad Rhodanum, Galli dixere Viennam:
Quæ tulit adversos casus, pastore Mamerco,
Et longum vexata fuit. Nam fulmine crebrò
Arsit, & horrificis terrarum motibus ar-ua

Scissa

Sciſſa dehiſcebant, rimis penetrantibus vſque
Ad Stygios amnes, vbi ſunt Iovis antra profundi.
Adde lupos, qui tartareis agitantibus vmbris,
In furias acti, nedum jumenta per agros,
Audebant laniare homines & in vrbibus ipſis.
Caſibus his perculſi omnes, divina coacti
Quærere ſubſidia, & Diuos excire precando.
Hinc traxit LITANIA ortum: tranſiuit in omnes
Religio ſimilis paruo poſt tempore gentes.

Naogeorgus de ritibus Litaniæ triduanæ

Quibus autem ritibus hodiè hæ triduanæ Supplicationes celebrentur, Naogeorgus lib.4. Regni Papiſtici his verbis deſcribit:

Hebdomas inde venit, peregrè quâ cum cruce vadunt
In vicinum aliquem vicum. Porrò inter eundum
Cantibus implorant diuos, Chriſtique parentem.
Præcipuè poſtquam ventum illuc, Templa ſubintrant,
Regnantemque illic Diuum diuamque precantur,
Vt ſeruet fruges, & grandinis atque pruinæ
Avertat mala, & annonæ leuet omne gravamen.
Poſt in cauponam properant, vel gramine ſtrati
In viridi prandent, largeque replentur Iaccho.
Abſque cruce vt redeant interdum, greſſibus atque
Incertis miserè titubent, revomantque comeſta.
Continuis omnes faciunt tribus iſta diebus.
Cum crucibus multis perſæpè venitur in vnum
Templum, cœtus vbi ſua cantica clamat in auras
Quiſque inde exoritur triſtis confuſio vocum
Dum ſuperare alios alij nituntur ineptè.
Sacrifici attendunt, placet hæc inſania iaſis
Donaque victrici tribuunt Baccheia parti.

Colonienſis Synodi decretum de celebratione triduanæ Litaniæ.

Quia verò in his Proceſſionibus extra vrbes & pagos multa obſcœna & turpia inter arbuſta, in Conuallibus, alyſque ejuſmodi rebus conuenientibus locis perpetrantur, quæ vel in vrbibus, vel domi perficere nec audirent nec poſſent: ideò Colonienſis Synodus anno 1536. celebrata, ea inhibere volens, cap. 8. partis 9. ſic decreuit: Quòd Proceſſiones per agros & campos peraguntur rationem quidem habet, nempe, quòd populus oret, vt ſegetes & fruges terræ à Domino conſerventur. Verùm vt alia plurima, ita & hic mos hominum malitiâ depravatus eſt, quòd per occaſionem talis deambulationis, quæ Deo placando erat inſtituta, pleraque ſcelera committantur: Quamobrem nobis ſatius videtur, vt hæ aliæque Supplicationes ac Proceſſiones de cætero intra ſepta Eccleſiarum fiant, vbi oretur Deus, & ad populum habeatur admonitorius ſermo.

Litania triduana Minor dicitur.

Dicitur autem hæc Litania MINOR*: quia à minori, nempe à ſimplici Epiſcopo: & in minori loco, ſcilicet Viennæ in Gallia inuenta & primùm inſtituta eſt: Minor tamen antiquior eſt tempore, nam inſtituta fuit Zenonis Imper. tempore.*

De Origine & Inſtitutione *Maioris* LITANIÆ, quæ in Feſto S. Marci quotannis celebratur.

MAior Litania celebratur in feſto S. Marci. Ea inventa ac inſtituta eſt à Gregorio M. Papa anno Chriſti 590. ad auertendam peſtem inguinariam, ſiue inflaturam inguinum. Eius inſtitutionis cauſas Paulus *Montiscaſſini monachus, qui Longobardorum hiſtoriam ſcripſit, his verbis prodidit:* Tempore, *ait,* Pelagij Papæ tanta fuit inundatio aquarum per Italiam, quòd aquæ aſcenderunt vſque ad ſuperiores feneſtras Templi Neronis quod erat Romæ (*Ioannes Beleth habet, B. Zenonis quod erat Veronæ*) nec aquæ intrabant Templum. Tunc per Tyberim effluxit multitudo ſerpentum, inter quos fuit maximus Draco: ex quorum flatibus aër eſt corruptus: & inde emerſit peſtis inguinaria, quâ homines paſſim & ſubitò moriebantur. (*Balæus Centuria* I. *Script. Brit. in Appendice Capitis* 61. *de hoc ſic ſcribit:* Anno Domini 589. die 17. Octob. multitudo ſerpentum, dracoque terribilis Romæ per Tyberim ad mare delapſus aquas infecit: & vehementiſſima ſecuta eſt peſtis, quæ ſine numero homines ſtrauit. Quod Myſterio non caret: Nam Draco magnus, qui eſt Diabolus ac Sathan, virtutem ſuam atque poteſtatem magnam, de qua Apocal. 13. c. beſtiæ daturus tunc erat: quam ſequebatur exitialis in religione peſtis, nempe, idololatria, ad multorum perniciem.)

Sequutum eſt, *inquit Polydorus*, aliud peſtis genus, vt quum quis ſternuiſſet, continuò

Vnde sternutātibus dicamus helf dir Gott.

tinuò occiderit: Vnde mos, sicut quidam tradunt, creuit, vt audientes quempiam sternutantem, illicò dicerent, Te Deus adjuvet: quod adhuc hodiè seruatur. Item & oscitare simul lethale fuit; propter quod sese crucis signo repentè communire consueuerunt adhuc hodiè quoque Papistæ. *Refert etiam Durandus in Ration. lib. 6. c. 102.*

Cùm hac peste ferè totus populus deleretur, Pelagius ad auertendam eam Ieiunium & Supplicationem indixit: sed in ipsa expeditione ipse expirauit, cum 70. alijs. Huic secutus Gregorius M. mox populum vniuersum ad pœnitentiam & Supplicationes hortatus est in concione quam ad eum habuit, quæque inter epistolas eius exstat: In ea his verbis inter alia adhortatus est populum: Nullus, *inquit*, vestrum ad terrena opera in agros exeans, nullus quodlibet negotium agere præsumat: quatenus ad Sanctæ Dei genitricis Domini Ecclesiam conuenientes, simul omnes mala quæ *fecimus deploremus*: vt districtus Iudex dum culpas nostras nos punire considerat, ipse à sententia propositæ damnationis pateat.

Ordo septenus in Gregoriana Litania obseruatur.

Septeno autem ordine clerum & populum Romanum in hac Processione ire voluit Gregorius,

1. *In primo ordine fuit omnis Clerus.*
2. *In secundo Abbates cum Monachis.*
3. *In tertio Abbatissæ cum omnibus Congregationibus suis.*
4. *In quarto omnes pueri & Infantes.*
5. *In quinto Laici perfectæ ætatis.*
6. *In sexto Viduæ & Continentes.*
7. *In septimo omnes Conjugati.* Durandus vt supra.

Concioni Gregorianæ, quæ scripta affixa est Albo Ecclesiæ S. Sabinæ in Auentino, Litaniarum harum ordo istiusmodi subscriptus habetur.

Litania Clericorum exeat ab Ecclesia B. Ioannis Baptistæ.

Litania Virorum ab Ecclesia B. Martyris Marcelli.

Litania Monachorum ab Ecclesia Martyrum Ioannis & Pauli.

Litania Ancillarum Dei ab Ecclesia B. Martyrum Cosmæ & Damiani.

Litania fœminarum conjugatarum ab Ecclesia beati primi Martyris Stephani.

Litania Viduarum ab Ecclesia Martyris Vitalis.

Litania pauperum & infantum ab Ecclesia beatæ Martyris Cæciliæ.

Hic Ordo apud Gregorium Turonensem lib. 10. c. 1. aliter dispositus inuenitur, cui sub finem hæc Gregorij Magni verba adjecta sunt: Vt de singulis Ecclesiis exeuntes cum precibus & lachrymis ad beatæ Mariæ semper Virginis genitricis Dei nostri Iesu Christi Basilicam congregemur: vt ibi diutius cum fletu & gemitu Domino supplicantes, peccatorum nostrorum veniam promereri valeamus. Hæc eo dicente, *inquit Turonensis Gregorius*, congregatis Clericorum cateruis psallere jussit per triduum, ac deprecari Domini misericordiam. De hora quoque tertia veniebant vndique Chori psallentium ad Ecclesiam clamantes per plateas vrbis, Kyrieleison.

Litaniæ Gregorianæ dicuntur etiam cruces nigræ.

Vocantur hæ Litaniæ Cruces nigræ; *quoniam in signum mœroris ex tanta hominum strage, & in signum pœnitentiæ homines nigris vestibus induebantur: cruces item & Altaria nigris velabantur.*

Processio septiformis.

Dicitur etiam Processio Septiformis, *quòd Gregorius Septeno ordine iri in ea in majoribus Ecclesiis ordinauit sicut dictum est.*

Litaniæ Gregoriana, Romana Maior.

Appellatur etiam Litania Romana, Gregoriana & Major: *quum authoritate loci, fuit enim instituta Romæ: tum authoritate instituentis: nam instituit eam Gregorius Magnus Papa, & publico decreto sanciuit, vt vbique terrarum celebretur, & pro omnibus auertendis malis preces habeantur, cum gratiarum actione pro tanto accepto diuinitùs beneficio. Exstat hujus indictionis formula inter Gregorij epistolas in Registro in princ. Indict. 10. & sic habet:* Solennitas annuæ deuotionis nos, filij dilectissimi, admonet, vt Litaniam, quæ Major ab omnibus appellatur, sollicitis ac deuotis debeamus, auxiliante Domino, mentibus celebrare: per quam à nostris excessibus, ejus misericordiæ supplicantes purgari aliquatenus mereamur. Considerare enim nos conuenit, dilectissimi, quàm varijs continuisque calamitatibus pro nostris culpis & offensionibus affligamur, & qualiter cœlestis pietatis nobis subinde medicina subueniat. Sextâ igitur feriâ veniente, a Titulo B. Laurentij martyris, qui appellatur Lucinæ, egredientes ad B. Petrum Apostolorum principem Domino supplicantes cum hymnis & canticis spiritualibus properemus: vt ibidem sacra Mysteria celebrantes, tam de antiquioribus, quàm de præsentibus beneficijs, pietati ejus, in quantum possumus, referre gratias mereamur. *Hæc Gregorius.*

Institutio seu confirmatio Litaniæ Gregorianæ.

Fabula de angelo apparente Gregorio & gladium in vaginam recondente.

Habent veteres Rituales libri vrbis Romæ, in, in vltimis Litanijs tempore pestis inguinariæ à Gregorio indictis, Processum esse ad Basilicam Apostoli Petri atque ab eodem Gregorio Imaginem Deiparę magnâ veneratione delatam: fuisse autem illa traditur, quæ exstat in Basilica S. Mariæ ad Præsepe, & à populo honorifico cultu frequentatur. Tunc verò accidisse tradunt, vt cùm peruenisset procedendo Gregorius ad molem Hadriani Tiberi adjacentem, insignum reconciliati

nominis, visus fuerit Angelus nudatum gladium in vaginam reponere, eoque symbolo morbum cessasse significare voluisse, quemadmodum per sagittas visas cœlitùs lapsas idem fuerat divinitùs præmonstratus. *Hac referunt Rituales illi libri, nec plura de hoc miraculo.*

Durandus autem in Rational. lib. 6. c. 89. longè aliter hoc narrat: vnde intelligi potest qua fides huic rei habenda sit. Cùm in vrbe Roma (*inquit*) esset magna aëris pestilentia, B. Gregorius in tempore Paschali ordinauit, vt imago B. Virginis, quæ in Ecclesia S. Mariæ in Ara cœli seruatur, quam B. Lucas pinxisse dicitur, & eidem Virgini similis perhibetur, processionaliter portaretur. Et dum ante Processionem reuerenter portaretur, ecce tota aëris infectio & turbulentia cedebat Imagini fugiens, ac si eam ferro non posset, sic quòd post Imaginem mira sanitas remanebat. Tunc autem juxta Imaginem auditæ dicuntur tres voces Angelorum canentium: Regina cœli lætare, Alleluia: Quia quem meruisti portare Alleluia: Resurrexit, sicut dixit, Alleluia. Statimq; Gregorius adjunxit, Ora pro nobis Deus, Alleluia. Quæ Antiphona in septem diebus post Pascha frequentatur. Et tunc Gregorius vidit supra Castrum Crescentij Angelum Domini, qui gladium cruentatum tergens in vaginam reponebat. Intellexit ergo Gregorius, quod pestis illa cessasset: quod & factum est. Vnde castrum illud exinde Castrum S. Angeli vocatum est. Præmissa imago in Ecclesia B. Mariæ in Ara cœli Romæ super limen Baptisterij seruatur, quam Romani Reginam vocant. *Hactenus Durandus. Idem etiam nugatur Apoldia in vita Dominici apud Surium Tom. 4. de Vitis Sanctorum.*

Angelsburg in Rom.

De Origine & Progressu INVOCATIONIS SANCTORVM in Litaniis & Supplicationibus.

HErmannus Gigas *his addit, qua modò dicta sunt, in Flore temporum,* ejusdem Gregorij M. institutum esse, vt, cùm in celebratione & solenni peractione Litaniæ Majoris ipsos Angelos canere audivisset, *Regina cœli lætare, &c.* subjici præceperit in hac sua Litania hæc verba: *Ora pro nobis Deum, Alleluia.*

Hac si vera sunt maximè, qua tamen non immeritò, tanquam fabella, rejiciuntur, intelligitur inde: Gregorium *hunc in Litanias vel Supplicationes publicas Ecclesia Sanctorum invocationem apud Latinos primum intrusisse: hactenus enim invocationes defunctorum & alia superstitiones Litanys nondum inserta fuerunt. Apud Græcos* Petrus Gnapheus, *qui in quinta vniuersali Synodo vt hæreticus damnatus fuit, primus author & inuentor exstitit, circa annos Domini 470. vt Litanys, alysque publicis Ecclesia precibus inuocatio Sanctorum insereretur ac misceretur. Nicephorus enim lib. 15. cap 18. inter ea qua Petrus iste Fullo inuenisse dicitur, etiam hac numerat,* vt in omni precatione Dei genitrix nominaretur, & diuinum ejus nomen inuocaretur. *Pontificij verò, qui in publicis Ecclesia sua precibus, inuocationi Sanctorum primum locum tribuunt, ne videantur Fullonem illum hæreticum hujus rei authorem habere, vniuersalis sexti Synodi Canonem septimum allegant, eoque probare conantur publicâ vniuersalis Ecclesia authoritate receptam atque adeò sancitam esse Inuocationem Sanctorum. Cumque reliqua dogmatica illius Synodi de Incarnatione Christi recipiamus, eadem authoritate etiam Sanctarum à nobis recipiendam esse existimant. Certum autem est, quod nec ipsi Pontificij negare audent, nouem illos Canones qui in Tomis Conciliorum sexta Synodo tribuuntur ex quibus etiam septimus ille est, suppositicios & adulterinos esse.*

Memorabile igitur est, & ad perpetuam rei memoriam dignum obseruatione, quod Inuocatio Sanctorum in Litanys, Supplicationibus, alijsque publicis Ecclesia precibus, non est prima & antiquissima veterum Litaniarum forma, sed Petri Gnaphei hæretici apud Græcos, & Gregorij M. apud Latinos assumentum vel additio. Veteres enim, vbi Litaniarum mentionem faciunt, expressè dicunt, Deo supplicatum fuisse. *Tertullianus in Apologetico dicit:* Sacrificamus prece pura pro salute Imperatoris, sed Deo vni & vero. *Prosper dicit:* Supplicat ergo vbique Ecclesia Deo. *Exstant apud Chrysostomum descriptiones, quales suo tempore vsitata fuerint Supplicationes in Liturgiis, homilia 26. in Matth. homil. 18. in 2. Cor. in 1. Tim. 2. cap. qua nihil habent de Inuocatione Sanctorum. Et Moguntini Concilij Canon dicit,* Litanias indici propter rogandum Deum. *Ipse etiam Gregorius & Paulus Diaconus testantur,* in Græca & Latina Ecclesia semper à Clero & à populo, in Litanijs acclamatum fuisse, κύριε ἐλέησον Christi eleison. *A plerisque etiam in Latinas Litanias agrè receptum fuit* Trisagium: *cùm antea ad singulas petitiones ingeminarent tantùm Kyrie eleison,*

Inuocatio Sanctorum in Litanijs non est antiqua.

Tandem sensim admisceri cœpit Litania, non quidem statim Inuocatio, sed tantùm commemoratio Sanctorum, ad hunc modum: Sanctissimæ Deiparæ & semper Virginis Mariæ cum omnibus Sanctis memoriam agentes, nos ipsos, & inuicem, & omnem vitam nostram Christo, Deo nostro commendemus.

Ex commemoratione verò hac, deinde secuta sunt suffragia, sic, vt primò dicerent: Precibus & supplicationibus Mariæ, & omnium Sanctorum,

ctorum; quorum memoriam celebramus, exaudi & respice nos. *Vnde in tertia parte Canonis Latini sic orant:* Communicantes, & memoriam venerantes, inprimis gloriosæ semperque virginis Mariæ genetricis Dei Domini nostri Iesu Christi. Sed & beatorum Apostolorum, ac Martyrum tuorum Petri & Pauli, Andreæ, Iacobi, *&c.* & omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio, per eundem Christum D. nostrum. *Inde hoc secutum est, quòd postea dixerunt:* Precibus Sanctorum tuorum, Saluator, salva nos. *Item:* Confirma nos, dirige, custodi vitam nostram, stabili gressus nostros, precibus & supplicationibus Mariæ & omnium Sanctorum.

Hinc tandem exstructa est directa Sanctorum inuocatio, vt dicerent: Maria, Deo supplica, vt animas nostras saluet. Apostoli legatione fungimini apud Deum, vt peccatorum remissionem animabus nostris tribuat. Pater Nicolae legatione fungere apud Christum Deum, vt animæ nostræ salutem consequantur. Martyres, Confessores, orare pro nobis, saluare animas nostras. S. Michael, rogamus te, vt tuis intercessionibus munias nos, vmbrâ alarum tuarum custodi nos. Ad te clamamus, à periculis erue nos. *Tales Inuocationes Litanijs addidit, & Ecclesiæ obtrusit* Honorius *I. Papa vt Balæus in vita ejus indicat.*

Atque hoc modo ex commemoratione Sanctorum, tandem ad Inuocationem eorum deuentum fuit. Inprimis autem postquam in publicas Ecclesiæ preces Gregoriana forma Inuocationis Sanctorum (S. Maria ora pro nobis) *Lege ab Honorio Papa sancita & recepta esset, sine fine & modo postea progressa est, vt omnia fermè, quæ Dei & Christi propria sunt, à Sanctis nominatim & publicè peterentur. Vnde apertè scribit Petrus de Natalibus lib. 4. c. 94. Catalogi Sanctorum*, Litanias dici Rogationes, quòd in ijs suffragia & patrocinia Sanctorum implorentur omnium singulariter & generaliter.

Varia decreta de LITANIIS & SVPPLICATIONIBVS.

Qvemadmodum autem Litania & Supplicatio à Gregorio instituta, sic vt suprà ostensum est, à Clero, monachis & populo Romæ celebrata est: ita in alijs Ecclesijs, quod non potuerunt in numero personarum, suppleuerunt in numero Litaniarum. Nam septies Litaniam dicunt prius, quàm insignia deponant: vt Durandus refert libro 6. Rational. capite 102. Petrus de Natalibus libro quarto, cap. 94. Catalogi Sanctorum.

Præter hanc verò Minorem & Majorem processione factam in Litanijs vel Supplicationibus à Mamerco & Gregorio institutis, aliæ quoque Processiones decretæ & institutæ sunt.

Agapetus I. *Papa circa annum Domini* 535. *Processiones singulis diebus Dominicis decreuit. De hoc instituto Durandus libro quarto, capite sexto, sic scribit:* Primitiua Ecclesia obseruauit etiam quintam feriam, hoc est, diem Iovis (pro festa die scilicet, vt Dominica est) & fiebat in ea Processio in memoriam Dominicæ Ascensionis: sed multiplicatis Sanctorum festiuitatibus, sublata est solennitas quintæ feriæ: & ejus Processio per Agapetum Papam in Dominicam translata est, vt à populo tunc ad Ecclesiam conueniente simul & solenniter valeat celebrari: Et propter hoc Iovis dies dicitur vulgariter cognata diei Dominicæ; quia scilicet antiquitus par solennitas fuit vtrique. *Sic Durandus. Refert idem Petrus de Natalibus in vita Agapeti. Balæus. Valerius Anselmus Ryd.* *Processio singulis diebus Dominicis.*

Liberius Papa *statuit circa annos Domini* 536. vt Processiones Litaniarum fiant pro guerra, fame, pestilentia, tempestatibus, intemperie aëris & alijs aduersitatibus. *Durandus in Rat. lib. 6. cap.* 102.

Gregorius M. Mariæ purificationis solennitatem *sub Vigilio Pontifice Rom. contra pestilentiam Constantinopoli in fastos relatam, à Sergio autem Pontifice cereis illustratam*; atque Palmarum diem, festâ Processione honorauit. *Valerius Anselmus Ryd.*

Honorius I. *instituit primus*, vt omni Sabbato fieret Processio solennis à Templo Apollinaris ad Petri vsque cum Litanijs. *Liber Pontificalis. Platina. Balæus & Funckius.*

Sergius Papa *instituit*, vt Litaniæ à S. Hadriano quotannis dicantur per vrbem die Annunciationis, Purificationis, Natiuitatis & Assumptionis Mariæ. *Sigebertus in Chronico.*

Hadrianus Papa, *ad petitionem Caroli Regis, pro conuersione Saxonum*, Litanias Romæ fieri curauit, & in omnibus partibus sub ditione Romanæ Ecclesiæ existentibus, 23. 26. & 28. diebus, hoc est, in vigilia Ioannis Baptistę, in Natali Ioannis & Pauli & in vigilia Petri Apostoli. *Monet etiam Carolum*, vt ijsdem diebus in omnibus suis finibus, seu transmarinis partibus, vbi Christiani morantur, Litaniam fieri curet: *in Epistola Hadriani Papæ ad Carolum.*

Leo IV. *Litanias & Processiones triduanas ante Ascensionem Domini sic ordinauit:* vt feriâ secundâ summus Pontifex cum Clero & populo ab Ecclesia Dei genitricis ad Pręsepe egrediens pergat cũ hymnis & canticis

ad Ecclesiam S. Saluatoris, quæ dicitur Constantiniana. Feriâ 3. ac Ecclesia S. Sabinæ ad Ecclesiam S. Pauli. Feriâ 4. Hierusalem ad S. Laurentium extra muros. *Chronicon Martini. Antoninus par. 2. tit. 16. cap. 1. Henricus de Erdfordia cap. 69. Balaus.*

In Synodo Toletana 5. cap. 1. statuitur, vt ab Idibus Decemb quotannis pertriduum peragatur Litania, pro indulgentia delictorum. *Tomi Concil.*

Singulis mensibus Processiones fieri debere pro terræ sanctæ liberatione, *in Concilio Lateranensi anno 1215. decretum est.*

Ritus varij in Processionibus obseruati. *His Processionibus præfertur Aqua benedicta, luminaria, cruces & vexilla. Campana etiam pulsantur dum fit processio. Interdum etiam panni & alia substernuntur in loca vbi transire processio debet. Durand. Ration. lib 4. cap. 6. præcedit interdum etiam capsa Reliquiarum: ibid. Rituum horum causas vel rationes valdè superstitiosas & idololatricas Iacobus de Voragine Legendâ 66. indicat:* Ideò, *inquit,* Crux in Processione defertur & Campanæ pulsantur, vt dæmones in ipso aëre ex stentes territi fugiant, & ab hominum infestatione desistant. Dæmones enim, qui sunt in isto aëre caliginoso, vehementer metuunt, quando tubas Christi, scilicet Campanas pulsari sentiunt, & vexilla, id est, Cruces conspiciunt. Et ista dicitur esse ratio, quare Ecclesia Campanas consueuit pulsare, quando tempestates concitari videt: vt scilicet dæmones, qui hoc faciunt, tubas æterni Regis audiant, & sic territi fugiant, & à tempestatis concitatione conquiescant. Hæc etiam est ratio, quare in quibusdam Ecclesijs tempore tempestatis, Crux de Ecclesia extrahitur & tempestati opponitur, vt scilicet dæmones vexillum summi Regis videant, & territi fugiant. *Hac ille.*

In Processionibus triduanis ante Ascensionem, consueuit quidam Draco maximè in Gallicanis Ecclesijs, vt Iacobus de Voragine Legenda 66. testatur, cum cauda longa erecta & inflata, duobus primis diebus ante crucem, & vexilla præcedere, vltima verò die, quasi retrò aspicient caudâ vacuâ atque depressâ retrò sequitur. Hoc significari fingunt, draconem, hoc est, diabolum per tria tempora, scilicet ante legem, sub lege, & tempore gratia, qua per hos tres dies adumbrari dicunt, homines fefellisse, & nunc quoque fallere cupere: in duobus primis temporibus regnâsse, & qua Dominum orbis fuisse caudâ longâ, id est, patenter, & inflatâ, id est, superbè incedens. In tempore verò gratia per Christum visus est: vnde die tertiâ diabolus quasi potestate amissâ post crucem sequitur: Durandus ibid.

In Dominica post Pascha descendunt in aliquibus locis processionaliter ad Fontes cum cereo per totam hebdomadam, in memoriam eius, qua Israelita, Pharaone cum suis in mari submersis fecerunt, qui pro gratiarum actione de submersione hostium per totam hebdomadam redibant ad mare cantantes. Tunc antefertur etiam quidam serpens imaginarius super virgam: & candela nouo lumine accensa, super caput serpentis retorta affigitur: ex qua cereus Paschalis, & omnes alia candela Ecclesia accenduntur: in memoriam eius, quad Moses in deserto erexit super palum serpentem aneum, vt qui percussi erant à serpentibus, per illius sanarentur aspectum: Durandus in Ration. libro sexto, c. 89.

Polydorus Vergilius lib. 6. de Inuent. rerum c. 11. In Supplicationum nostrarum pompa, *inquit,* solent ludicra quædam præcedere, hoc est, ordo militaris peditum equitumque vel effigies aliqua arguta, loquax, ridicula, aut magnis malis latè dehiscens, dentibusque sonitum faciens, vadè formidulosa, ac aliæ oblectationes ludicræ vagari, in quibus Prophetæ repræsentantur, alati pueri concinunt, chorus inducitur fœminarum & virorum tripudiantium, hic agit Dauidem, ille Solomonem gerit, alij Reginas fingunt, alij venatores ludunt simiam, el iumenta simul inducentes, vt denique in hoc ludicro apparatu multiiuges recitentur historiæ antiquæ. Item cereæ tedæ & symphoniæ adhibentur: loca velantur, quâ pompa vehitur. Item pueri & puellæ ex fenestris vetantur despicere, hoc est, ex fenestris deorsum versum spectare. Præterea Sacerdotes vel alij diuorum personas agunt, eorum Imagines aut Reliquias ferentes, viæ & plateæ varijs odoribus conspergunt, floribusque sternuntur, ac demum aliquot præficiuntur, qui iubeant viam dari vt pompa sine impedimento procedat. *Polyd. Vergil. de Supplicationi-rum.*

SVPPLICATIONES & PROCESSIONES à Pontificibus Romanis institutæ, earumque superstitiosæ Ceremoniæ ab Ethnicis maxima ex parte desumptæ.

ETsi *verò* Supplicationum *antiquissimus mos sit, & non tantum in veteri, sed etiam in nouo Testamento vsurpatus, nemini tamen dubium esse debet, quin* Processiones, *progressu temporis à Pontificibus Romanis instituta, & superstitiosa Ceremonia in eas sensim introducta, ab Ethnicis maxima ex parte desumpta sint. Fatetur hoc non obscurè Polydorus, qui ad descriptionem ludicra Supplicationum pompa in Processionibus, mox hac adijcit:* Sic etiam sacrificalis pompa apud Ethnicos priscos ducebatur, teste Dione lib. 7. Verùm ex illis figuris quæ præferebantur, aliam ridiculam Cato in

in M. Cæcilium vocat citeriam, dicens: Quid ego cum illo diſcerem amplius, quem ego denique credo in pompa vectitatum ire ludis pro citeria? Plautus verò aliam formidoloſam effigiem appellat manducem, in Rudente ſic ſcribens: Quid ſi ad ludos me pro manduce locem, quapropter clarè crepito dentibus? Sed ejus rei teſtimonium Apuleius in primis perhibet, qui libro undecimo, ſummatim ſingula exponit: ait enim, Ecce, pompæ magnæ paulatim procedunt anteludia, votibus cujuſque ſtudijs exornata pulcherrimè. Hic incinctus baltheo militem gerebat, illum ſuccinctum chlamyde (ſunt enim copides cultri recurui) & venabula venatorem fecerant. Nec ille deerat, qui magiſtratum faſcibus purpuraque luderet. Vidi & vrſam manſuetam, cultu matronali ſellâ vehebatur, & ſimiam pileo textili. *Sequitur:* Iam ſoſpitatricis Deæ (Lunam intelligit) peculiaris pompa moliebatur. Mulieres candido ſplendentes amicimine, vario lætantes geſtamine, verno florentes coronamine, quæ de gremio per viam, quâ ſacer incedebat comitatus, ſolum ſternebant floſculis. *Pergit:* Illæ etiam quæ cæteris vnguentis & geniali balſamo guttatim excuſſo, conſpergebant plateas. Magnus prætereà ſexus vtriuſque numerus lucernis, tædis, cereis, & alio genere facti luminis ſyderum cœleſtium ſtirpem propitiantes. Symphoniæ dehinc ſuaues, fiſtulæ, tibiæque modulis dulciſſimis perſonabant: eas amœnus lætiſſimæ juventutis veſte niueâ & cataliſtâ (collubium intelligit) prænitens ſequebatur chorus. *Et paulò poſt ſubdit:* Et porrique qui facilem Sacris viam dari prædicarent, *&c.* ſi Precones erant, qui proclamare ſolebant. Hoc agite: quibus verbis admonebât, reliquis rebus poſthabitis, ſola Sacrificia curanda eſſe. Velabant loca, quâ vehebatur pompa ſicut etiam fit apud nos. Cauſam tradit Verrius Flaccus, qui ſcribit: Quum populus Romanus peſtilentiâ laboraret, eſſetque reſponſum, id accidere, quod Dij deſpicerentur, anxiam vrbem fuiſſe, quia non intelligeretur oraculum, eveniſſetque, vt Circenſium die puer de cœnaculo pompam ſupernè deſpexerit, & matri narrârit, quo ordine arcana pilenti, (quod vehiculi genus eſt) compoſita vidiſſet. Quare Senatui nunciatâ, tunc placuit loca velis contegi, quâ pompa ſequeretur. Ac ita ex illo peſte ſedatâ, puer, qui ambiguitatem ſortis abſoluerat, prætextæ geſtandæ munus impetrauit. Ambiguitas autem oraculi fuit in verbo, *Deſpicerentur:* nam interpretabantur, Deos & Ceremonias negligi, quum tamen Oraculum intelligi vellet, Deos deorſum verſum aſpici, quod nefas erat, & ad pollutionem ſacrorum pertinebat. Vnde & noſtri hodiè in Supplicationibus pueris & puellis ex feneſtris vetant deſpicere. *Item*, eoſdem priſcos Deorum Imagines geſtâſſe, teſtatur idem Apuleius, inquiens: Secundus veſtitu quidem ſimilis, ſed manibus ambabus geſtâbat Altaria, id eſt, auxilia, quibus nomen dedit proprium Deæ Summatis auxiliaris providentia. Hinc quoque in pompa ſacrificali noſtri Diuorum Imagines vel reliquias geſtitant. *Item*, ex teſtimonio ejuſdem conſtat, priſcos conſueviſſe agere Deorum perſonas, ita ſcribentis: Nec mora, cùm Dei dignati pedibus humanis incedere, prodeunt. Sic arguiè faceteque jocatur Apuleius: Dicimus enim Deos incedere humanis pedibus, quando homines in hujuſmodi Sacrorum pompa, ſuſtinent perſonas & Deorum nomina: de quibus Tertullianus ait, Ipſos Deos noſtros ſæpè noxij induunt. Hunc & nos ritum pariter ſervamus, *inquit Polydorus*, ſed haud ſcio, an tam rectè quam bellè illud fiat. Vereor, vereor inquam, ne ijs in rebus Dijs potius Gentium quàm Chriſto gratum faciamus: Nam illi ſuos cultores in ſupplicijs, vt Salluſtius perhibet, magnificus eſſe volunt; hic verò nihil magis quàm illud horret, qui *inquit*, Tu autem, quum oraveris, introito in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora. Et quid igitur fiet nobis, ſi contra præceptum venerimus? Imò fiat quidvis; nos tamen venimus contrà: cujus rei vt magis pudeat, vnum ex ſexcentis, Ethnicorum exemplum valdè mehercule memorandum ponam. Athenienſes enim, vt Plato in ſuo Alcibiade ſecundo prodit, ſolebant quotannis multò ſumptuoſiſſimas ſacrorum pompas celebrare, ac magno facere ſacrificia apparatu. Contrà Lacedæmonij ea omnia præparcè, vt qui plus hærerent in precibus. Quapropter quoties res vlla inter eos erat populos, Athenienſium ſemper longè exiſtebat inferior: qui tantæ calamitatis cauſam ſcire auentes, Iovem Ammonem per Prophetam conſuluere. Propheta ad ea reſpondit, id accidere, quòd Deus pluris Lacedæmoniorum caſtas preces, quàm Athenienſium magnifica faceret Sacra. Noſtram igitur Nota
Ethnicorum æmulationem in ſupplicationum ritu, fas tandem aliquando eſſet moderari: Id quòd maturè fieret, ſi procul à publicis ſupplicationibus omne ludicrorum genus, ac quicquid contra pietatis cultum eſt, de medio removeretur. Quandoquidem modus iſte ſupplicandi introductus eſt, vt in rebus ſecundis ordine cujuſdam

cœlestis exercitus comperiro, læti triumpharemus de victoria Christi in cruce adepta pro nobis: ex quo crux ipsa, veluti signum militiæ Christi præferatur: aut in adversis tristes Deum precaremur, venerare-mur atque imploraremus, ab eoque veniam, auxilium & pacem summissè peteremus. *Hac omnia Polydorus: quibus apertè fatemur, Christianos in Supplicationum Ritibus & Ceremonijs Ethnicos æmulari: quod etiam ex sequentibus clarius patebit.*

Quemadmodum enim Papistæ hodie in periculis & aduersitatibus constituti, Supplicationes indicunt, & in ijs non Deum, sed Sanctos invocant, ab eisque auxilium & liberationem petunt, vt supra indicatum est & exemplis probatum: Sic olim etiam Gentes fecerunt. Nam Supplicationes & Lectisternia indixerunt, eaque ad Templa & pulvinaria Deorum, vel ob lætitiam, vel ad auertendam Deorum iram, celebrârunt: in quibus plerumque Senatores ac Patricij cum conjugibus & liberis, ad delubra & aras procedebant: nonnunquam omnes tribus & ordines, etiam Pontifice Maximo præeunte: sed & alijs persæpe modis. In his enim & pueri ingenui, & libertini, ac item Virgines, omnes coronati & lauream præferentes, cum pompa thensas & fercula Deûm deferentes, tum & sacro carmine supplicare, & Deûm pacem exposcere solebant. Lectisternia verò & Pulvinaria juxta Deorum Aras statuebantur, cum alijs ornamentis: quin & frondes virentes & adoriferæ, ac flores omnis generis, & verbenæ ante Deûm Ædes & in ipsis Templis sternebantur. Has Supplicationes & hujusmodi cætera à populo Romano frequenter celebrata, apud Liuium, & in alys historijs legimus.

Vt etiam Christiani discalceati, seu nudis pedibus ad Sanctorum Templa procedunt, eorumque Imagines circumferunt: Sic testatur Epistola Ieremiæ: Gentes in publicis Supplicationibus Statuas Deorum suorum circumgestâsse. *Et Arnobius lib. 8. refert*, Romanos crudâ hyeme nudos discurrere, alios incedere pileatos, scuta vetera circumferre, pelles cædere mendicantes, vicatim Deos ducere, quædam fana quotidiè, quędam solùm in anno adire. *In ludis quoque Cerealibus seu Mysterijs Cereris Deorum Simulachra & Imagines longo ordine praduci solebant, vt ex Macrobio intelligitur.*

Sicut Christiani in Dominico post Pascha, & inde per totam hebdomadam, aliquibus in locis processionaliter ad fontes descendunt: Ita Romani quoque in ferijs & sacris Fontanalibus *processiones celebrârunt, in quibus coronas in fontes jaciebant, & puteos coronabant, vt Varro testatur.*

Quemadmodum Christiani ob magnas siccitates Supplicationes sæpe instituunt: Sic etiam Aquilicia Sacra à Romanis fieri solita legimus: cùm in magna siccitate aqua euocando effet: quod cùm alibi, tum præcipuè apud Tertullianum est videre, qui ait, ea Ioui immolari, in Apologetico. Hinc & Sacerdotes, qui à Ioue aquam elicie-bant, Aquilices *dicebantur, eodem cantro Martionem authore.*

Vt Christiani in die S. Marci & circa, Supplicationes celebrant circum oppida & pagos, camposque lustrant, ne vlla tempestas segetibus alijsque fructibus noceat: Sic Romæ eodem die Robigalia *celebrata sunt. in quibus fiebat Processio à Flamine Quirinali, & Populo albis vestibus induto, in lucum* Robigini *consecratum. Ibi, factis precibus, quibus* Robinem *inuocabant, vt segetibus parceret, immolabatur, adhibita mero & thure, canis & ouis, eorumque exta in cineres cremabantur. De quo ritu vide plura in libro nostro de Festis Ethnicorum pag. 87. b.* Hoc ipso *quoque die Romæ* Floralia *festa celebrata sunt etiam: in quibus circumierunt & lustrârunt campos & sata quoque vota facientes pro felici rerum nascentium prouentu, inprimisque precantes, vt omnia benè deflorescerent.*

Sicut Ethnici Supplicationibus suis, tanquam opere, Deos suos placare & veniam peccatorum suorum promereri conati sunt: ita etiam inter Christianos res eò tandem deuenit, vt Processionibus suis ad Templa Sanctarum, tanquam apere operato, remissionem peccatorum suorum impetrare conarentur: qua persuasio circa annos demùm Christi 1390. in Germaniam introducta est. Sic enim Aventinus scribit lib. 7. Annal. Bonifacius IX. vt Boiorum animos sibi conciliaret, tribus fratribus, Stephano, Friderico, Ioanni nepotibus Imperatoris Ludovici IV. secularem omnium criminum, scelerum, suppliciorum veniam condonat: Quicunque Monachium voti reus proficiscatur, septem ibidem dies commoratus, quatuor Templa, Deiparæ Virginis, D. Petri, Sacrarum Fœminarum Xenodochium supplicandi gratiâ intret, quotidiè dona faciat, ab vniuersis inferis ereptus, cœlo asseritur. Erat ea res tum noua, atque inaudita in Germania. Quamobrem ex Bohemia, vniversa Germania, frequens populus quotidiè coibat, sexaginta millia hominum quotidiè confluxisse in acta relatum est. Durârunt hæ nûndinæ Ecclesiasticæ à Martio per quinque continenter menses. *Hac Aventinus.*

CAPVT XXIX.

De PEREGRINATIONIBVS ad Templa & alia Sancta Loca ex Voto, & Religionis ergo.

PEREGRINATIONES *vocantur in Papatu,* Profectiones *aut ad loca, quæ alius sanctiora* Peregrinationes quid.

ctiora existimantur: aut ad Templa, Sepulchra & Reliquias Sanctorum: aut ad Imagines, quarum fama alys est clarior & celebrior: in hunc finem instituta, quod quadam sanctitas, aliaq; utilitates, de quibus infra, ex hujusmodi Peregrinationibus, seu Profectionibus percipiantur.

Peregrinationes in primitiva Ecclesia non fuerunt in usu. Fabula de peregrinatione ad sepulchrum Clementis.

Error hic & Superstitio Iustini Martyris, Ignatij, Iranci, Tertulliani Cypriani ante annos Christi in carne nati 300. inter Christianos nondum nata fuit: ideoq; etiam scripta illorum vetustissima nullam prorsus mentionem ejus faciant. Nicephorus lib. 3. cap. 19. peregrinationum hominum ad Templum & Sepulchrum Clementis Romani Episcopi quidem meminit, sed neque loci, neque temporis, neque aliarum circumstantiarum, quæ ad narrationem probabilem requiruntur, mentionem facit, ut facilè appareat, pro rebus veris falsas & confictas ab eo narratas fuisse: Neque etiam congruunt cum his, quæ Platina in vita Clementis ex Damaso hac ipsa de re scribit. Nicephorus etiam sic habet: Clemens anchorâ ferreâ collo ejus appensâ, in altum mare projicitur. Mari autem diebus septem ad tria millia passuum diviso, multi eò eunt, & Martyris corpus exosculantur, Templo divinâ virtute excitato. Cætera, quæ ibidem sequuntur, de puero per oblivionem parentum ibi relicto, & undis obruto, postea verò cùm rursum fluctus recessissent, salvo apud lacudum Sancti reperto, satis arguunt fabulam esse: ut nihil de eo dicam, quòd credibile non sit, quenquam tam fatuum fuisse, ut in profundo maris Templum exstrueret: aut si maximè factum fuisset ab aliquibus, tamen ab impetuoso mari mox concussum & eversum esset. Has itaque absurditates animadvertens Platina, ex Damaso hanc rem paulò aliter commemorat. Hanc ob rem, inquit, motus Trajanus, ex satellitibus suis quosdam mittit, qui Clementem in mare projicerent, alligatâ ad collum anchorâ: cujus sacratissimi corpus non ita multò post ad littus delatum (en discrepantiam) est: atque eo loci sepultum, exstructo Templo, unde fons divinitùs emanaverat. Locum autem fontis his verbis ostendit: Dum ibi (ait) aquæ penuriâ laboraretur, Clemens collem haud longè positum conscendens, agnum vidit, sub cujus dextro pede fons divinitùs abundantem aquam scaturiebat, &c.

Martinus Polonus etiam in vita Cleti Papa refert, Cletum, circa annum Christi 85. omnibus populis scribentem approbâsse & commendâsse Peregrinationes ad Sanctos, & maximè ad limina Sancti Petri, & asseruisse, quòd validior sit ad salutem Sancti Petri visitatio, quam duorum annorum lejunium: & illos anathemate exsecratum esse, qui visitationem Apostolorum impediunt & dissuadent. Quàm autem hæc minimè conveniant cum Cleti temporibus, supra indicavimus, quum de locis publicorum congressuum Romæ post Apostolorum tempora ageremus.

Baronij error de peregrinationib. ab exordio nascentis Ecclesiæ institutis. Eusebij error.

Baronius quoque Tomo 2. pag. 276. in fine anni 199. asserit, Peregrinationum usum ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ cœpisse: Non autem hoc probat, nisi unico Exemplo Alexandri Ecclesiæ cujusdam circa hunc annum in Cappadocia Episcopi, qui tamen & ipse non ex voto, ut Baronius dicit, sed divinis revelationibus excitatus, Hierosolymam profectus est, ut socius Narcisso seni in Episcopatûs administratione jungeretur. Refert sanè Eusebius libro 6. cap. 11. profectum Hierosolymam fuisse Alexandrum hunc orandi causâ: Scribit autem hoc ex more & consuetudine sui seculi, quo Peregrinationes istæ in terram sanctam Orationis gratiâ usitatæ erant. Deinde disertè addit, hoc factum ab ipso quoque historiæ gratiâ, ut esset videlicet certior de historia Evangelica, & sic in fide sua confirmaretur. Bellarminus col. 2229. addit etiam Sancti Nicolai exemplum, qui adolescens ante Constantini Imperium voti causâ Hierosolymam peregrinatus sit: sed hoc exemplum citat ex Simeone Metaphraste, qui trivialis ludimagister Constantinopoli fuit, & Sanctarum vitas scripsit, quæ non immeritò Mendaciorum Legenda dici possunt, vixitq; circa annum Domini 1350.

De Origine & Progressu PEREGRINATIONUM in Terram sanctam.

Origo autem Peregrinationum Hierosolymam & in Terram sanctam referenda est ad Constantini Magni Imperatoris tempora, quibus primùm cœperunt terræ sancta loca, ab Ethnicis Idololatrys, quibus ab Adriano Imperatore profanata erant, impurissimis Diis Gentium desuper impositis, expurgari, excoli & nonnihil in pretio haberi, propter rerum ibi gestarum memoriam. Nam Constantinus Magnus in locum sepulchri Christi, Idolo Veneris fœdatum, Oratorium seu Templum magnificum ædificari præcepit. Et Helena quidem mater Imperatoris mulier superstitiosa & fœmineo zelo commota, primùm illuc profecta, terram quam vocant, sanctam, invisit, non tamen ipsius terræ gratiâ, sed Christi, & fidei suæ confirmandæ causâ, quia fidem suam & aliorum ipso aspectu rerum & monumentis passionis Christi (quæ à Iudæis, Ethnicis, & quibusdam Hæreticis negabatur) confirmare voluit. Quanquam in eo peccavit tamen, quòd plus fidei de Domino, cruci clavis & sepulchro, quàm Spiritui sancto, Apostolicis scriptis, & Evangelicis tribuisse videatur. Hac ipsa mulier Cruce Domini repertâ, dua Templa ibi exstrui curavit: unum propè Dominica nativitatis antrum, alterum in

monte, unde Dominus in cælos assumptus est, ut referunt Eusebius libro tertio, de vita Constantini. & Ruffinus libro primo, capite septimo. Postea Constantinus curauit in loco Cranij Templum exstrui: idque publicâ solennitate, accersitâ Synodo Patrum apud Tyrum congregatâ, dedicari, ut testatur Eusebius libro quarto de vita Constantini. Quæ res in anniuersariam solennitatem abijt, confluentibus eò ex omnibus terræ partibus Christianis, ut Sozomenus indicat libro secundo, capite vigesimo sexto. Atque hac ratione solennis illius ad terram sanctam Peregrinationis initium fuit: *verba sunt Onuphrij Panuinij in Appendice ad Platinam.*

Causæ ob quas fideles initio in terram sanctam peregrinati sunt

Duabus igitur de causis Christiani ab initio Hierosolymam & in terram sanctam profecti sunt. Prima *fuit, ut inuiserent loca propter rerum ibi gestarum memoriam, & ut contemplarentur oculis suis non solum singula, quarum fit in Euangelica historia mentio, sed etiam magnifica Templa & ædificia à Constantino Magno, eiusque matre Helena exstructa; hactenus enim Christiani humiles tantum domos pro Templis habuerunt.* Secunda *fuit, ut memoriam celebrarent celeberrimæ dedicationis templi in loco Crany ædificati. Aberant ergo ab his Peregrinationibus vota & superstitio, ut etiam ex sequentibus Patrum testimonijs patebit.*

Peregrinationes in terram sanctam ab initio non improbandæ mox erroris causa fuerunt.

Hic tamen usus, & consuetudo hæc, per se quidem non improbanda, paulatim in errorem multitudinem deduxit, ut terram illam & loca hæc sanctiora alijs judicarent esse. & proinde non in postrema pietatis & sanctitatis laude ponerent, ex remotissimis Christiani orbis partibus certatim eò confluere, & loca illa inuisere. Exempla multa in omnibus historijs sunt obvia, ex quibus aliqua saltem commemorabo. Theodosij posterioris conjunx Eudocia *Hierosolymam ex voto proficiscitur, quo sese astrinxerat: Nicephorus libro decimo quarto, capite vigesimo tertio.* Conradus *Constantiensis Episcopus ter sanctam inuisit terram, post annos* 935. *ut Schedelius indicat. Reversus autem tertiâ vice ex terra sancta, sepulchrum Domini in Constantiensi æde, quod Hierosolymitani illius formam ad amussim referret, adornari fecit, ad quod postea magnus concursus hominum undiquaque factus est, ut Bruschius & Schedelius referunt.* Sigfridus *Moguntinus,* Guntherus *Babenbergensis,* Ottho *Ratisbonensis,* Wilhelmus *Trajectensis, Episcopi, & alij proceres Galliarum septem millibus hominum stipati profecti sunt orandi gratiâ Hierosolymam, anno Christi* 1064. *Dum verò opes & magnificentiam suam magis quàm pietatem in itinere ostentarent, ab Arabibus obsessi multis vulneribus affecti sunt, ut Schafnaburgensis & Marianus Scotus narrant,* Robertus *Princeps Normanniæ nudipes & lachrymans sepulchrum Domini veneratus est: Polydorus libro secundo, capite sexogesimo sexto.* Robertus *Normanniæ Dux, pænitens quòd fratrem veneno necâsset, voti soluendi & peccati expiandi causâ Hierosolymam profectus est: Polydorus libro octavo. Ac testatur Aventinus libro quinto. Annal. in Palæstinam peregrinantes hoc tempore* Anserem *pratulisse, quem Spiritum sanctum esse prædicârint.* Henricum Leonem *Saxonum Ducem Hierosolymam, Oliveti montem, Bethlehem, Nazareth, Iordanem & alia loca, quæ Christus suis calcâsset pedibus, stultâ superstitione, quæ cum impietate maxima conjuncta erat, Episcoporum, Abbatum, Comitum, & infinita populi multitudine stipatum, perlustrâsse, emensis multorum bellorum ciuilium in Saxonia periculis, pro suorum expiatione peccatorum, post annum* 1100. *in Sclavorum Chronico scribitur libro septimo, capite septimo, ubi porrò indicatur,* quòd Hierosolymis annuos reditus, quibus cerei ad sepulchrum Domini arsuri compararentur, *idem Dux instituerit. Expugnato Vitriaco castro à* Ludovico *Francorum Rege anno* 1300. *in Ecclesia diversi sexus & ætatis homines cremati sunt. Quo facto motus Rex, terram sanctam pænitentiæ & precum gratiâ adijt, ubi integrum substitit annum. Sigeberti Continuator.* Guilelmus *Aquitaniæ Dux triplici cinctus cathenâ Hierosolymam, Romam & Sanctum Iacobum petijt, circa annos Domini* 1157. *ut in Chronico Hirsaugiensi indicatur.* Falco *Comes Andegavensis, Godofridi Martelli Pater, duorum tantum vernaculorum comitatu Hierosolymam peregrè profectus, illis jurejurando adactis, se quod imperaretur facturos, sumpto noxij damnatiq́ habitu eorum alteri se collo resti illaqueandum trahendumq́ ad Domini monumentum tradidit: alteri virgas dedit, quibus se tergo casum lacerumq́ eòdem fædè agerent, vociferantem,* Admitte Domine miserum Fulconem, perjurum & fugitivum tuum: *Æmilius lib.* 2.

Peregrinationes superstitiosæ pugnant cum verbo Dei.

Pugnat autem hæc superstitio cum verbo Dei. Paulus enim primâ ad Timotheum secundo cap. vult, Viros orare omni loco. *Quibus tamen verbis non vult confusionem inducere vel invehere in Ecclesiam, in qua jubet ipse,* ut omnia τάξεως & ordine fiant: *quasi jam nolit ullum esse communi totius Ecclesiæ consilio & delectu constitutum locum, in quem Christiani ad Deum precandum certo tempore conveniant: hoc enim planè furiosum esset & μανιῶδες: sed ut sparsi, & prout quemq́ fert animi impetus, orent separati, & disiecti, adeoq́ religionem propter loca ullam animis nostris inhærere vetat, quasi locus ipse sanctiorem gratioremq́ Deo nostram orationem efficiat. Votiuas igitur ad terram sanctam, & alia Martyrum loca Peregrinationes & precationes, quæ trecentis demum post natum Christum annis in Ecclesiam irrepserunt, hisce verbis damnat Apostolus, quæ ea de causa suscipiuntur à super-*

à superstitiosis hominibus, quòd nescio quid majoris sanctitatis in illis locis, & ipsi quam Dominus pedibus suis calcavit, terra inesse judicant. Quod falsissimum est. Si qua enim hodiè est terra maledicta, Iudæa est: & hujusmodi cogitatio plena est Idololatriæ & Blasphemiæ.

Monuit etiam nos Christus Matth. 24. ne eos audiamus, qui ipsum in terris hisce vel hic vel illic monstrare audeant. *Nec enim loco certo alligauit meriti sui gratiam Christus, sed vt Euangelium suum in orbe vniuerso prædicari voluit, ita vbique locorum efficax est erga omnes, qui ipsum verâ fide amplexi fuerint. Et cùm nationum & personarum discrimen omne in Christo sublatum sit, minimè credendum est, aliquem in terris locum eo priuilegio donatum esse, vt per se ad salutem nostram aliquid conferre possit. Quod non obscurè innuisse videtur Deus, quando eas vrbes horribili excidio deuouit, quas aliquandiu sui cultus sedem esse voluerat, sicuti de Silo, Nobe & Hierosolymis sacra Historia testatur. De Silo enim in psalmis scribitur:* Deseruit tabernaculum Silo, tentorium, quod inter homines inhabitabat. *De Hierosolyma autem Ieremias dixerat:* Si non audieritis, reddam domum istam similem Silo, & vrbem hanc contumeliæ exponam omnibus gentibus. *Nec inanes fuisse minas hasce Psalmus testatur, in quo pij de hostium insolentia quiritantes inter alia dicunt:* Rugierunt adversarii in medio Synagogarum tuarum, signa sua posuerunt pro signis. Sanctuaria tua igne incenderunt; ad terram affligendo Tabernaculum nominis tui prophanauerunt, &c. *Quòd si hæc eo tempore fieri passus est Deus, quando vmbris & ceremoniis locus adhuc certus erat ab ipso constitutus, quis obsecro sanæ mentis ipsius gratiam nunc loco alicui alligatam esse putauerit? Nec absque numine factum putabimus, quod mulieres Marci decimo sexto, quæ primæ omnium Christi sepulchrum inuiserunt, nihil illic repererunt præter Angelum, qui illas reprehendit, quòd verborum Christi parum memores essent, & Christum ibi quærere jussit, quò se iturum ante promiserat. Idem ergo nobis dictum putemus, vt nimirum illum non in terris hisce quæramus, sed in cœlis, quo illum ascendisse scimus, & vbi animus per fidem euectis sese inueniri patietur. Docuit hoc ipsum Deus olim memorabili exemplo, quando Christianis Sepulchrum Domini superstitiosè colentibus locum illum impiis fidei Christianæ hostibus subjecit, qui non contenti illum vndique congestis ruderibus obruisse, insuper illic Sacellum Veneri sacrum exstruxerunt: ut vel inde constaret, Christi meritum non illic alligari debere, ubi spurcissimæ deæ cultus nefarius exercebatur.*

Non probauit etiam Antonius Eremita ille famosissimus, has in terram sanctam & alia loca Peregrinationes. Nam, vt in eius vita legitur, Græci, *inquit,* studia transmarina sectentur, & in alieno orbe constitutos, inanium literarum quærant magistros. Nobis verò nulla proficiscendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet: in omni sede terrarum constituta sunt Regna cœlorum. Vnde & Dominus in Euangelio ait: Regnum Dei intra vos est. Virtus quæ in nobis est, mentem tantùm requirit humanam. *Peregrinationes in terram sanctam improbavit Antonius Eremita.*

Non probauit easdem Hieronymus in Epistola ad Paulinum: Non, *inquit*, Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis benè vixisse, laudandum est. Non audeo Dei omnipotentiam angusto fine concludere, & coarctare parvo terræ loco, quem non capit cœlum. Domini est terra, & plenitudo ejus: *Psalm.* 24. Veri adoratores neque Hierosolymis, neque in monte Garizim, sed ubique Deum adorabunt: *Ioan.* 4. Quum esset in Templo Christus dixit discipulis suis, Abeamus hinc. Et de Hierosolymis, & de Britannia æqualiter patet aula cœlestis. Nec quicquam fidei tuæ deesse putes, quòd Hierosolymam non vidisti. *Hæc magis congruunt cum verbo Dei, quàm quæ ad Marcellam scripsit Epistolâ 17. ut eam Româ ad se in Palæstinam evocaret:* Longum est, *inquit*, nunc ab ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorâssent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat. *Et ad Rusticum Epistolâ* 46. Redde *inquit*, quod præsente Domino spopondisti: incerta est vita mortalium, ne ante rapiaris, quàm tuam impleas sponsionem. *Hieronymus.*

Respondet Bellarminus ad locum Hieronymi ad Paulinum, reprehendere eum peregrinationes non simpliciter, sed tantum in Paulino, tanquam Monacho; Monachis enim, qui in claustris in silentio, precibus ac jejuniis exercentur, Peregrinationes non convenire. *Respondeo: Hieronymus in illa Epistolâ ejusmodi argumentis & rationibus vtitur, quæ non tantum contra Monachorum, sed in genere contra omnium hominum Peregrinationes faciunt cujuscunque sint status aut ordinis. Deinde, si Peregrinationes Monachis tantum non conveniunt, peccavit igitur in eo Hieronymus, quòd Marcellam sanctimonialem, & Rusticum Monachum hortatur, ut Peregrinationem Hierosolymitanam suscipiant.*

Dissuasit

monte, vnde Dominus in cœlos assumptus est, vt referunt Eusebius libro tertio, de vita Constantini. & Ruffinus libro primo, capite septimo. Postea Constantinus curauit in loco Cranij Templum exstrui: idque publicâ solennitate, accersitâ Synodo Patrum apud Tyrum congregatâ, dedicari, vt testatur Eusebius libro quarto de vita Constantini. Quæ res in anniuersariam solennitatem abijt, confluentibus eò ex omnibus terræ partibus Christianis, vt Sozomenus indicat libro secundo, capite vigesimo sexto. Atque hac ratione solennis illius ad terram sanctam Peregrinationis initium fuit: *verba sunt Onuphrij Panuinij in Appendice ad Platinam.*

Causæ ob quas fideles initio in terram sanctam peregrinati sunt.

Duabus igitur de causis Christiani ab initio Hierosolymam & in terram sanctam profecti sunt. Prima *fuit, vt inuiserent loca propter rerum ibi gestarum memoriam, & vt contemplarentur oculis suis non solum singula, quarum fit in Euangelica historia mentio, sed etiam magnifica Templa & ædificia à Constantino Magno, eiusque matre Helena exstructa; hactenus enim Christiani humiles tantum domos pro Templis habuerunt.* Secunda *fuit, vt memoriam celebrarent celeberrimæ dedicationis templi in loco Cranij ædificati. Aberant ergo ab his Peregrinationibus vota & superstitio, ut etiam ex sequentibus Patrum testimonijs patebit.*

Peregrinationes in terram sanctam ab initio non improbandæ mox erroris causa fuerunt.

Hic tamen usus, & consuetudo hæc, per se quidem non improbanda, paulâtim in errorem multitudinem deduxit, ut terram illam & loca hæc sanctiora alijs judicarent esse. & proinde non in postrema pietatis & sanctitatis laude ponerent, ex remotissimis Christiani orbis partibus certatim eò confluere, & loca illa inuisere. Exempla multa in omnibus historijs sunt obvia, ex quibus aliqua saltem commemorabo. Theodosij posterioris conjunx Eudocia *Hierosolymam ex voto proficiscitur, quo sese astrinxerat: Nicephorus libro decimo quarto, capite vigesimo tertio.* Conradus *Constantiensis Episcopus ter sanctam inuisit terram, post annos 935. ut Schedelius indicat. Reversus autem tertiâ vice ex terra sancta, sepulchrum Domini in Constantiensi æde, quod Hierosolymitani illius formam ad amussim referret, adornari fecit, ad quod postea magnus concursus hominum undiquaque factus est, ut Bruschius & Schedelius referunt.* Sigfridus *Moguntinus,* Guntherus *Babenbergensis,* Ottho *Ratisbonensis,* Wilhelmus *Trajectensis, Episcopi, & alij proceres Galliarum septem millibus hominum stipati profecti sunt orandi gratiâ Hierosolymam, anno Christi* 1064. *Dum verò opes & magnificentiam suam magis quàm pietatem in itinere ostentarent, ab Arabibus obsessi multis vulneribus affecti sunt, ut Schafnaburgensis & Marianus Scotus narrant,* Robertus *Princeps Normanniæ nudipes & lachrymans sepulchrum Domini veneratus est: Polydorus libro secundo, capite sexagesimo sexto.* Robertus *Normanniæ Dux, pœnitens quòd fratrem veneno necâsset, voti solvendi & peccati expiandi causâ Hierosolymam profectus est: Polydorus libro octavo. Ac testatur Aventinus libro quinto. Annal. in Palæstinam peregrinantes hoc tempore* Anserem *pratulisse, quem Spiritum sanctum esse prædicârint.* Henricum Leonem *Saxonum Ducem Hierosolymam, Oliveti montem, Bethlehem, Nazareth, Iordanem & alia loca, quæ Christus suis calcâsset pedibus, stultâ superstitione, quæ cum impietate maxima conjuncta erat, Episcoporum, Abbatum, Comitum, & infinita populi multitudine stipatum, perlustrâsse, emensis multorum bellorum civilium in Saxonia periculis, pro suorum expiatione peccatorum, post annum* 1100 *in Sclavorum Chronico scribitur libro septimo, capite septimo, ubi porrò indicatur,* quòd Hierosolymis annuos reditus, quibus cerei ad sepulchrum Domini arsuri compararentur. *idem Dux instituerit. Expugnato Vitriaco castro à* Ludovico *Francorum Rege anno* 1300. *in Ecclesia diversi sexus & ætatis homines cremati sunt. Quo facto motus Rex, terram sanctam pœnitentiæ & precum gratiâ adijt, ubi integrum substitit annum. Sigeberti Continuator.* Guilelmus *Aquitaniæ Dux triplici cinctus cathenâ Hierosolymam, Romam & Sanctum Iacobum petijt, circa annos Domini* 1157. *ut in Chronico Hirsangiensi indicatur.* Falco *Comes Andegavensis, Godofridi Martelli Pater, duorum tantum vernaculorum comitatu Hierosolymam peregrè profectus, illis jurejurando adactis, se quod imperaretur facturos, sumpto noxij damnatique habitu eorum alteri se collo reste illaqueandum trahendumque ad Domini monumentum tradidit: alteri virgas dedit, quibus se tergo cæsum lacerumque eòdem fœdè agerent, vociferantem,* Admitte Domine miserum Fulconem, perjurum & fugitivum tuum: *Æmilius lib.* 2.

Peregrinationes superstitiosa pugnant cum verbo Dei.

Pugnat autem hæc superstitio cum verbo Dei. Paulus enim primâ ad Timotheum secundo cap. vult, Viros orare omni loco. *Quibus tamen verbis non vult confusionem inducere vel invehere in Ecclesiam, in qua jubet ipse,* ut omnia τάκτως & ordine fiant: *quasi jam nolit ullum esse communi totius Ecclesiæ consilio & delectu constitutum locum, in quem Christiani ad Deum precandum certo tempore conveniant: hoc enim planè furiosum esset & μανιῶδες: sed ut sparsi, & prout quemque fert animi impetus, orent separati, & disiecti, adeoque religionem propter loca ullam animis nostris inhærere vetat, quasi locus ipse sanctiorem gratioremque Deo nostram orationem efficiat. Votivas igitur ad terram sanctam, & alia Martyrum loca Peregrinationes & precationes, quæ trecentis demùm post natum Christum annis in Ecclesiam irrepserunt, hisce verbis damnat Apostolus, quæ ea de causa suscipiuntur*

à super-

à superstitiosis hominibus, quòd nescio quid majoris sanctitatis in illis locis, & ipsi quam Dominus pedibus suis calcavit, terræ inesse judicant. Quod falsissimum est. Si qua enim hodiè est terra maledicta, Iudæa est: & hujusmodi cogitatio plena est Idololatriæ & Blasphemiæ.

Monuit etiam nos Christus Matth. 24. ne eos audiamus, qui ipsum in terris hisce vel hic vel illic monstrare audeant. *Nec enim loco certo alligauit meriti sui gratiam Christus, sed vt Euangelium suum in orbe vniuerso prædicari voluit, ita vbique locorum efficax est erga omnes, qui ipsum verâ fide amplexi fuerint. Et cùm nationum & personarum discrimen omne in Christo sublatum sit, minimè credendum est, aliquem in terris locum eo priuilegio donatum esse, vt per se ad salutem nostram aliquid conferre possit. Quod non obscurè innuisse videtur Deus, quando eas vrbes horribili excidio deuouit, quas aliquandiu sui cultus sedem esse voluerat, sicuti de Silo, Nobe & Hierosolymis sacra Historia testatur. De Silo enim in psalmis scribitur:* Deseruit tabernaculum Silo, tentorium, quod inter homines inhabitabat. *De Hierosolyma autem Ieremias dixerat:* Si non audieritis, reddam domum istam similem Silo, & vrbem hanc contumeliæ exponam omnibus gentibus. *Nec inanes fuisse minas hasce Psalmus testatur, in quo pij de hostium insolentia quiritantes inter alia dicunt:* Rugierunt adversarii in medio Synagogarum tuarum, signa sua posuerunt pro signis. Sanctuaria tua igne incenderunt; ad terram affligendo Tabernaculum nominis tui prophanauerunt, &c. *Quòd si hæc eo tempore fieri passus est Deus, quando vmbris & ceremoniis locus adhuc certus erat ab ipso constitutus, quis obsecro sanæ mentis ipsius gratiam nunc loco alicui alligatam esse putauerit? Nec absque numine factum putabimus, quod mulieres Marci decimo sexto, quæ primæ omnium Christi sepulchrum inuiserunt, nihil illic reperèrunt præter Angelum, qui illas reprehendit, quòd verborum Christi parum memores essent, & Christum ibi quærere jussit, quò se iturum ante promiserat. Idem ergo nobis dictum putemus, vt nimirum illum non in terris hisce quæramus, sed in cælis, quo illum ascendisse scimus, & vbi animus per fidem euectis sese inueniri patietur. Docuit hoc ipsum Deus olim memorabili exemplo, quando Christianis Sepulchrum Domini superstitiosè colentibus locum illum impiis fidei Christianæ hostibus subjecit, qui non contenti illum vndique congestis ruderibus obruisse, insuper illic Sacellum Veneri sacrum exstruxerunt: ut vel inde constaret, Christi meritum non illic alligari debere, ubi spurcissimæ deæ cultus nefarius exercebatur.*

Non probauit etiam Antonius Eremita ille famosissimus, has in terram sanctam & alia loca Peregrinationes. Nam, vt in eius vita legitur, Græci, *inquit,* studia transmarina sectentur, & in alieno orbe constitutos, inanium literarum quærant magistros. Nobis verò nulla proficiscendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet: in omni sede terrarum constituta sunt Regna cœlorum. Vnde & Dominus in Euangelio ait: Regnum Dei intra vos est. Virtus quæ in nobis est, mentem tantùm requirit humanam. *Peregrinationes in terram sanctam improbavit Antonius Eremita.*

Non probauit easdem Hieronymus in Epistola ad Paulinum: Non, *inquit*, Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis benè vixisse, laudandum est. Non audeo Dei omnipotentiam angusto fine concludere, & coarctare parvo terræ loco, quem non capit cœlum. Domini est terra, & plenitudo ejus: *Psalm.* 24. Veri adoratores neque Hierosolymis, neque in monte Garizim, sed ubique Deum adorabunt: *Ioan.* 4. Quum esset in Templo Christus dixit discipulis suis, Abeamus hinc. Et de Hierosolymis, & de Britannia æqualiter patet aula cœlestis. Nec quicquam fidei tuæ deesse putes, quòd Hierosolymam non vidisti. *Hæc magis congruunt cum verbo Dei, quàm quæ ad Marcellam scripsit Epistolâ* 17. *ut eam Româ ad se in Palæstinam evocaret:* Longum est, *inquit*, nunc ab ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorâssent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat. *Et ad Rusticum Epistolâ* 46. Redde *inquit*, quod præsente Domino spopondisti: incerta est vita mortalium, ne ante rapiaris, quàm tuam impleas sponsionem. *Hieronymus.*

Respondet Bellarminus ad locum Hieronymi ad Paulinum, reprehendere eum peregrinationes non simpliciter, sed tantum in Paulino, tanquam Monacho; Monachis enim, qui in claustris in silentio, precibus ac jejuniis exercentur, Peregrinationes non convenire. *Respondeo: Hieronymus in illa Epistolâ ejusmodi argumentis & rationibus vtitur, quæ non tantum contra Monachorum, sed in genere contra omnium hominum Peregrinationes faciunt cujuscunque sint statûs aut ordinis. Deinde, si Peregrinationes Monachis tantum non conveniunt, peccavit igitur in eo Hieronymus, quòd Marcellam sanctimonialem, & Rusticum Monachum hortatur, ut Peregrinationem Hierosolymitanam suscipiant.*

Dissuasit

Gregorius Nyssenus.

Dissuasit eandem superstitionem quoque Gregorius Nyssenus, *Cæsareæ Cappadociæ Ecclesiarum Episcopus & moderator vigilantissimus, in gravi Epistola ad amicum quendam ea de re ex professo scripta: eam quia brevis est & rarius exstat de verbo adscribemus, ut Lector intelligat, quid Pater hic de Peregrinandi consuetudine ad loca sancta senserit & judicârit.*

Quia me rogasti amice, per Epistolam, mihi ordine de omnibus respondendum esse existimavi. Equidem qui semel se altiori vivendi rationi dedicârunt, cum eis præclarè agi censeo, si perpetuò ad Evangelij voces intueantur: ac quemadmodum qui virgulâ quicquid propositum est dirigunt, ejus rectitudine tortuosa quæ in manibus habent, ad rectitudinem adducunt: ita convenire arbitror, ut veluti quandam regulam rectam & immutabilem, Evangelicam dico politiam, his admoventes, ejus arbitrio ad Deum hæc dirigamus: Cùm itáque sint qui solitariam & privatam vitam sibi delegerint, quibus vice pietatis habeatur Hierosolymitana loca vidisse, in quibus indicia Domini adventus per carnem conspiciuntur: præclarè se res habet, si ad regulam ipsam respiciamus, idque si velit præceptorum ductus, ut opus faciamus quasi mandatum Domini: Sin præter Domini præcepta id appareat introductum, haud scio quid sit, quod præcipiat velle quid aliquem facere, qui se sibi legem boni fecerit ipsum. Vbi ad regni cœlorum hæreditatem consequendam appellat Dominus benedictos, profectionem in Hierosolyma inter rectè facta, quæ eò dirigant, non enumeravit: ubi beatitudinem annunciat, tale studium, talemque operam non est complexus. Quod autem neque beatum efficit, neque ad regnum conducibile est, quid in eo studium & opera ponatur? Qui mentem habet, consideret. Atqui si id opus utilitatis quid habuisset, non ita, non tam præclarum à perfectis studio dignum visum fuisset. Quoniam autem id factum diligenter examinatum, animo detrimentum conciliat, ijs qui accuratè vitæ degendæ incumbunt, longo studio indignum est: imò maximè cavendum ut nihil attentet eorum, quæ lædant, is qui secundum Deum vitam instituit agendam. Quid igitur est in his quod lædat? Sancta & gravis vitæ institutio eadem omnibus viris & fœminis proposita est. Peculiaris est vitæ philosophicæ honestas & castitas: quæ in vita sua cujusque non mixta ac seorsim acta consummatur, veluti impermixta est, & minimè confusa natura: neque fœminis in consortium virorum, neque viris in mulierum ad tuendá castitatis & honestatis officia contendentibus. At verò itineris conficiendi necessitas nunquam non diligentem in his observantiam ad indifferentiam observandi adducit. Nam tantam viam fœmina, nisi qui eam conservet habeat percurrere nequit: tum quia propter naturæ imbecillitatem jumento vehenda esset, illincque reducenda: tum quia in difficultatibus tuenda ac servanda. Quicquid autem supponere possimus, sive notum habet, qui ei præstet obsequium, sive mercenarium, qui famuletur, ex utráque parte quod fiat reprehensionem non effugiat. Neque enim externo se committens, ac in eo acquiescens, neque proprio, continentiæ legem conservet. Cùm autem in locis illis Orientalibus diversoria & hospitia urbesque in multis licentiam & ad malum indifferentiam habeant, qui fieri poterit, ut qui per fumum ambulet, non exasperetur, oculis? ubi inquinatur auris, inquinatur oculus, inquinatur & cor per oculos & auditum nefanda excipiens, qui fieri poterit, ut non afficiatur, qui affecta loca transgreditur? Quid verò etiam plus est habiturus, qui locos illos adit? quasi verò etiamnúm Dominus corporaliter in locis illis degat, ac à nobis abierit: aut veluti sanctus spiritus apud Hierosolymitanos abundet, ad nos autem transire non possit. Atqui si ex ijs quæ conspiciuntur Dei præsentiam conjicere liceat, potius in natione Cappadocum Deum moram trahere, quis statuerit, quàm in externis locis. Nam quot sunt in ijs Altaria, per quæ Domini nomen celebratur? Nec sanè quis totius fortasse orbis enumeret altaria. Deinde etiam si in locis Hierosolymitanis plus gratiæ divinæ inesset, illic viventium peccatum non tam frequens & consuetum esset. Iam verò nullum est immundiciæ genus quod ipsi non audeant: ac malitiæ, adulteria, furta, Idololatriæ, veneficia, invidiæ & cædes: ac tantum in primis malum illic tam frequens & assiduum est, ut nusquam tanta sit ad trucidandum promptitudo, quanta illis locis inhabitat, ubi belluino more in sanguinem contribulorum mutuò incurrunt, frigidi lucri causâ. Vbi ergo hæc fiunt, quo argumento intelligas, illis in locis ampliorem gratiam esse?

Sed scio quid mihi multi adversus ea quæ dicta sunt, objiciunt. Aiunt enim: Quamobrem hæc contra te non decernis? Si enim nullum operæ precium facit, qui secundum Deum illuc peregrinatus fuerit, quamobrem frustra tantam viæ molestiam sustinuisti? Audiant igitur, quo jure me in ijs defendam. Mihi propter hanc viuendi rationem, in qua vt viuam, ab eo qui dispensat vitam nostram constitutus sum, necesse

cesse fuit pro sancto Concilio habito emendandæ Arabicæ Ecclesiæ gratiâ, ad loca ista proficisci. Ac cùm esset Arabia locis Hierosolymitanis contermina, pollicitus eram me vnà cum iis qui sanctis Hierosolymitanis præsunt Ecclesiis disceptaturum, quòd rerum illis esset status perturbatus ac quodam qui medius intercederet egerent. Præterea verò ipso quoque piissimo rege viæ facilitatem concedente publico curru, nulla nobis necessitas fuit ea perpeti, quæ etiam aliàs cogitabamus. Vehiculum enim nobis pro Ecclesia & Monasterio erat, omnibus per totam viam simul psallentibus, & jejunantibus Domino. Nostrum ergo exemplum neminem offendat, quin potius probabilius inde nostrum consilium fiat; quòd de rebus iisdem quæ nos aspeximus, consilium nostrum demus. Nos enim Christum, qui apparuit, esse Deum verum confessi sumus, etiam antequam eò iuissemus: itémque postea: fide neque imminutâ, neque postea adauctâ. Quodque homo per Virginem natus sit, antequam Bethleem intueremur, sciuimus. Et à mortuis resurrectionem, etiam ante monumentum visum credidimus: ac ascensionem in cœlos, non conspecto monte Oliuarum, veram fuisse confessi sumus. Emolumenti autem id tantulum ex itineris confectione habuimus, quod ex collatione cognouimus, nostra externis longè sanctiora esse. Vnde vos qui timetis Dominum, in quibus locis estis, eum laudate. Localis enim mutatio, vt Deus propior sit, non efficit: sed vbi vbi fueris, ad te Deus veniet, siquidem animę tuæ diuersorium tale inueniatur, vt in te Dominus inhabitet, inambuletque. Sin hominem interiorem peruersis cogitationibus plenum habeas, etiamsi in Golgatha fueris; etiamsi in monte Oliuarum, etiamsi sub monumento resurrectionis, tantundem abes, vt Christum in teipso suscipias, quantum qui ne initio quidem Religionem professi sunt. Consule ergo dilecte fratribus, vt à corpore peregrinentur ad Dominum, non è Cappadocia in Palæstinam.

Quod si quis objiciat, Domini vocem discipulis præcipientem, ne discederent ab Hierosolymis: intelligat, quid dictum illic voluit. Cùm sancti Spiritus gratiâ & dispersio nondum venisset Apostolis, jussit eis Dominus in eodem simul loco manere, donec induti essent virtute ab alto. Ac si, quod initio fiebat, vt Spiritus sanctus ignis specie dona singulis impertiret, hucusque fieret, omnes oporteret in eo loco esse, vbi dona distribuerentur. Sin spiritus vbi vult spirat: ij quoque qui hic sunt, ac credunt, participes fiunt, juxta fidei analogiam, non juxta peregrinationem in Hierosolyma susceptam. *Hactenus oratio Nysseni.*

Vtitur in hac Epistola Gregorius Nyssenus multis firmis & solidis argumentis contra Peregrinationes ad loca sancta: *Argumenta Nysseni contra peregrinationes in terram sanctam.*

1. *Qui Hierosolymam Religionis ergò proficiscitur propter mandatum Domini, rectè & bonum opus fecit. Sed de peregrinationibus ad eiusmodi loca sacra nullum mandatum Dei extat. Ergo.* Si enim, *inquit*, præter Domini præceptum aliquid introductum est, haud scio quid sit; quod præcipiat velle quid aliquem facere; qui se sibi legem boni fecerit ipsum.

2. *Vbi ad regni cœlorum hæreditatem consequendam appellat Dominus benedictos; peregrinationem Hierosolymitanam inter rectè facta, quæ eò dirigant, non enumerauit: Vbi beatitudines annunciauit, tale studium, talemque operam non est complexus. Quod autem neque beatum efficit, neque ad regnum conducibile est, quid in eo studium & opera ponitur?*

3. *Quicquid lædit ac nocet id non est sectandum. Sed peregrinationes lædunt ac nocent præsertim fœminis. Probatur: Tantam viam fœmina, nisi qui eam conseruet habeat, percurrere nequit: tum quia propter naturalem imbecillitatem iumento vehenda esset, illincque reducenda: tum quia in difficultatibus tuenda ac seruanda. Quicquid autem supponere possimus, siue notum habet, qui ei præstet obsequium, siue mercenarium, qui famuletur, ex vtraque parte quod fiat reprehensionem non effugiet. Neque enim externo se committens, ac in eo acquiescens, neque domestico, continentiæ legem seruare poterit. Cùm etiam in locis Orientalibus diuersoria & hospitia vrbesque in multis licentiam & ad malum indifferentiam habeant, quî fieri poterit, vt qui per fumum ambulat non exasperetur oculus?*

4. *Stultitia est in longinquis Regionibus quærere quæ domi habemus. Christum autem quem in terra sancta quærimus, domi habemus.*

5. *Error est putare, Dominum adhuc corporaliter in Palæstina degere: & quò Spiritus sanctus ibidem abundet, ad nos autem transire non possit.*

6. *Si ex ijs quæ conspiciuntur Dei præsentiam conijcere licet, potius in Cappadocia præsens erit, quàm alijs in locis.*

7. *Si Hierosolymis ac locis illis plus gratiæ diuinæ esset quàm alibi, illic viuentium peccata non tam frequentia essent. Atqui nullum immundiciæ genus est, quod non in locis illis grassetur.*

8. *Occurrit tacitæ objectioni & indicat causas ob quas ipse Hierosolymam profectus sit, nempe non Religionis ergò, sed ob alia negotia. Dicit enim*, se vehiculo publico & sumptibus

Regis

Regis sui, aliquando missum fuisse in Arabiam, ad corrigenda quædam vitia Ecclesiæ. Ex quo itinere obiter se diuertisse *scribit* ad fratres Hierosolymitanos, atque inter eos cùm dissensio nata esset, mediatorem & sequestrum egisse.

Bellarmini responsio ad argumenta Nysseni, eorumq; refutatio

Bellarminus ad hanc Epistolam respondet primò *in genere, & dicit*, fortasse eam non esse Gregorii. *Respondeo, hoc in more habere Iesuitas, quum aliquid obijcitur ex Patribus, quod soluere nequeant, respondere, scriptum aut locum suppositititium esse. Sic etiam Sanderus scribit libro 2. de Honoraria Imaginum adoratione cap.* 4. Partem vltimam eius Epistolæ quam Epiphanius ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopum contra Imagines in Templis scripsit, Epiphanii non esse, sed à quodam Iconomacho confictam & assutam. *Puduit igitur ipsum Baronium quoque huius responsionis, qui tomo* 4. *Annalium concedit*, hanc Epistolam germanum Nysseni partum esse.

Secundò *respondet in specie ad Gregorij Nysseni, non omnes quidem, sed aliquas saltem rationes.* Secundâ eius ratione *dicit*, probari solùm, Peregrinationes non esse opus necessarium ad perfectionem, vel ad salutem. *Respondeo, contradicit ergo Nyssenus Bellarmino, qui Colum.* 2231. *scribit*, peregrinationes cedere in honorem Dei: augere deuotionem: inprimis autem opus esse pœnitentiæ & satisfactionum. *Hæc autem omnia ad salutem nostram faciunt, postremum maximè juxta Bellarminum, qui tomo* 2. *Disputationum suarum col.* 1507. *ex Scriptura sacra euincere conatur*, Pœnitentiam viam esse ad justificationem: *Et col.* 1515. *probare vult*, tribus partibus pœnitentiæ, *nimirum* Contritione, Confessione & Satisfactione remissionem peccatorum acquiri: *Et Thomas testatur*, quòd omne peccatum in hac vita per pœnitentiam deleri possit. *Si ergo Peregrinationes juxta Nyssenum neque ad Christianorum perfectionem, neque ad salutem pertinent, falsa erit Bellarmini & Pontificiorum de ijsdem doctrina contrarium affirmans: Ideóque de ijs nos minimè solicitos esse vult Nyssenus.*

Ad tertiam rationem respondet Bellarminus, loqui ibi Nyssenum de periculis Monachis solùm & Sanctimonialibus in itinere Hierosolymitano imminentibus: ad reliquos igitur homines nihil pertinere hoc argumentum. *Respondeo, Scripta quidem hæc fuit Epistola ad amicum quendam Nyssenam de peregrinationibus Monachorum & Monialium consulentem. Rationes autem quibus vtitur, non solum ad illos, sed, si diligenter inspiciantur, in genere ad omnes homines ad loca sancta peregrinantes pertinent: Inspiciantur, verba Epistolæ, & patebit vera esse quæ dicimus.*

Ad quartam dicit, nihil esse Hierosolymis, quod non possit alibi inveniri, si agamus de rebus essentialibus, & necessariis ad Religionem. *Respondeo, contenti ergo ijs esse debemus, nec alibi ea quærere quæ ad salutem & religionem necessaria sunt. Sed obijcit Iesuita*, negari non posse, quin aliquid Hierosolymis sit, quo deuotio juuetur, quod alibi non inueniatur, nimirum sapulchrum Domini, & loca illa quæ calcauit Dominus, &c. *Respondeo, demus hæc deuotionem hominum in Palæstinam venientium iuuare aliquid, peccata tamen & scelera quæ ibidem hodiè grassantur, eandem rursus exstinguunt, delent, aut saltem impediunt. Habemus domi quoque sacram Scripturam, cælum, sydera, terram, & ingentia beneficia quæ in nos quotidiè confert Deus, ea deuotionem nostram quàm maximè iuuare possunt, vt minimè sit opus tam longinquas peregrinationes hanc vnam ob causam suscipere. Terra illa quæ hodiè* Sancta *vocatur, plurimùm præ cæteris excelluit olim: ibi visibili formâ sæpè suis apparuit Deus: in ea plurima Miracula edidit, & pluribus Iudæos benedictionibus cumulauit. Hoc confitemur, & etiam ad tempus ejus fuit hæreditas & peculium. Sed alia hodiè rerum vicissitudo est. Qui peregrinari jam eò voluerit, vt ibi deuotionem, sanctitatem & benedictionem aliquam, qualis olim fuit, inueniat, aliud nihil videbit, propter Iudæorum obstinatum animum, quàm notas maledictionis diuinæ, sicut ipsis sæpè minatus fuerat Dominus. In hac terra fuit Christus, calcauit eam pedibus suis, cernitur ibi locus natiuitatis eius, locus in quo ex cruce pependit, sepulchrum etiam. Hoc ita esse concedamus: quid autem eò proficisci iuuat? quid ad salutem nostram facit, aut quam deuotionem excitare potest hæc oculis cernere? Nónne satis est vt credamus illud quod per Euangelium edocemur? an alia fidei schola hodiè est? Clamauit mulier Luc.* 11. Beatus venter qui portauit te, & vbera quę suxisti. *Respondet autem ei Dominus*, Imò verò beati qui sermonem Dei audiunt, & eum obseruant. *In Palæstina fuit Christus, sed cùm in ea amplius non sit, cur illum ibi quæsiuerimus? Quod ad sepulchrum attinet, nónne ad omnia subsequentia secula vox Angeli pertinet,* Quid inter mortuos quęritis eum qui viuit? Surrexit, non est hîc. *Non amplius secundum carnem cognoscitur. In cælis est, nostrum est eum fide sequi. Malumusnè illum in sepulchro quærere, in quo cum maxima abjectione & ignominia aliquandiu iacuit, quàm ad dexteram Dei in cælis, qui sunt eius gloriæ domicilium? Ea loca eius præsentiam nobis non exhibent. Ea credentibus exhibetur per verbum, per eius Spiritum, per eius gratiam absque omni locorum distinctione. Hierosolymam igitur proficisci ad* visi-

visitanda ea loca cum maioris alicuius sanctitatis opinione, ac deuotionis & religionis ergò, in vanum laborare est, & Euangelij doctrinam ignorare: est etiam cum maxima superstitione conjunctum, etiamsi nihil aliud inesset mali. Quod si hoc opinione Cultûs diuini, aut sub meriti spe, fit, cum triplici errore conjunctum est, quod nulla vnquam poterit ratione excusari.

De Origine & Progressu PEREGRINATIONVM ad *Templa, Sepulchra* & *Reliquias Sanctorum.*

DIXIMVS *hucusque de* PRIMO *genere* Peregrinationum: *Nunc agemus etiam de* SECVNDO, *quod priore est perniciosius:* Peregrinari *videlicet* ad Templa & Sepulchra Sanctorum, quærere eorum ossa, aliasque exuuias seu Reliquias, eas exosculari, vota ad eas facere, in ijsque sperare: *nam hoc pacto apertissimè à Deo ad creaturas deficitur.*

Secundi generis Peregrinationũ origo.

Hoc verò Secundum genus Peregrinationum, seculo Sexto demùm post natum Christum exortum & natum, vehementerque progressu temporis, promißionibus indulgentiarum largißimis interuenientibus, auctum & confirmatum est: quum euanescere inciperet doctrina de vero Dei cultu, & de innocatione eius, quòd vbiuis locorum in spiritu & fide rectè poßit innocari: & falsa persuasio mentes hominum prorsus occupâsset, quasi alius locus alio sacratior sit ad innocationem, & quasi in alio atque alio loco sancti mortui magis sint præsentes & propitij: qui non postremus stabiliendi Antichristi nervus fuit. Vnde quò magis cultura mortuorum hominum & Sanctorum, vel opinione saltem talium immodicè adaucta est, hoc magis etiam visitationes eorum, & Peregrinationes ad eos creuerunt. Narrat Paulus Diaconus lib. 2. capite 9. de Gestis Longobard. Fortunatum *Pictauiensem Episcopum ex oculis laborantem, &* Felicem *collegam ipsius Rauennam profectos esse sanitatis causâ, ad basilicam Petri & Pauli, vbi & Altare fuit Martino dedicatum: Refert etiam Gregorius, ægrotos ad sepulchrum Iuniani propè vrbem Lemonicinam excurrisse: atque sanitate receptâ, ei sancto sese tributarios fecisse: lib de gloria Confessorum, capite* 103. Carolum M. *intra annos* 47. *quater Romam profectum esse vt vota persolueret, Lateranensem & cæteras Ædes sacras inuiseret, ibique oraret, Eginardus in vita eius, Blondus decad. 2. lib. 1. & Cranzius in Saxonia lib. 2. capite 8. testantur. Ex Francia quoque multos nobiles Romam ad limina Apostolorum, & orationis causâ profectos esse, Ino sub Leone Isauro refert.* Eangytha *mater Eadburgæ, seu Buggæ, Abbatissa in Britannia. scripsit cum filia Epistolam ad Bonifacium Apostolum, in qua quæritur de molestiis suis ob peccata sua: ac petit consilium eius, an debeat Romam ire, & peccatorum suorum indulgentiam petere. Vnde perspicere licet, superstitiosam mulierem, extinctâ verâ doctrinâ de remißione peccatorum, somniâsse vim abolendi peccata in Pontificis Romani indulgentiis & Peregrinationibus labore potius, quàm in Christi merito consistere. Cœperunt etiam post annos Christi* 800. *obsessos ad loca sacra & Reliquias Sanctorum ducere, & à mortuis liberationem petere, vt est videre apud Antonium lib. 5. cap. 30. de Francis. Vterque* Ottho *secundus & tertius Impp. Romã, post acceptum Imperij diadema, in Apuliam ad Garganum montem, qui hodie S. Angeli dicitur, precum ibidem faciendarum gratiâ abierunt. Henricus Nordouicensis Episcopus, ad eluenda peccata, quibus in juventute sese contaminârat Romam ex voto profectus est: Polydorus lib.* 10. *Verbum Dei autem non hoc præcipit: sed jubet scindere corda verâ cognitione peccatorum: credere in Christum, ac petere remißionem peccatorum ex misericordia, & desinere à peccato & benefacere Circa annum Domini* 1072. *magno numero concurrerunt homines ad S. Sebaldum Noribergam, vt Schafnaburgensis testatur. Ab Imperatore etiam, Papâ & Rege Radulpho, Rex Angliæ & Daniæ Cnuto impetrauit suis subditis, vt Romam Religionis causâ proficiscentibus, sine omni angaria clausurarum & vectigalium solutione, securè ire ac redire liceat, vt Malmesburg lib. 2. cap. 71. indicat. Et* Boleslaus *Polonorum Dux, expiandæ fraternæ cædis gratiâ, in Narbonensem prouinciam prouectus D. Ægidij, apud Vngaros D. Stephani sepulchra, & Gnesnæ Adelberti Reliquias inuisit, Cromero teste lib. 5. rerum Polonicarum, &c.* Conradus *etiam quidam Germanus scelerum pœnitens Romam venit Hildebrandus Pontifex loricam loco interulæ illum ferre jubet, quinque catenis ligat, literas peccatorum Catalogum continentes obsignatas dat, loca sancta totius orbis obire præcipit, sicubi veniam exorare, & peccatorum remißionem consequi poßit, vt Bonfinius indicat lib. 1. Dec. 2.*

De Origine & progressu PEREGRINATIONUM, quæ fiunt ad Limina *seu* Templa Apostolorum Romæ, in IUBILEO Anno.

POST *Purgatorij terriculamenta hominum levitas persuasione de Indulgentijs plenarijs vehementer dementata est. Finxerunt enim Pontifices Romani, & per quæstores suos persuaserunt hominibus, animas istiusmodi Indulgentijs plenarijs munitas, ab omni pœna post mortem liberas esse, statimque in cœlum ad sedes beatorum evolare. Magno igitur studio, curâ & labore, quin etiam grandi ære hujusmodi Indulgentias sibi quisque comparavit. Hunc gustum*

non in suavem cùm percepissent ex Indulgentijs istis Pontifices Romani, subinde alia & nova excogitârunt aucupia, ut quæstum Indulgentiarum longè uberrimum non solùm retinerent, sed augerent etiam, etiamsi conscientiâ ipsorum præsertim in fraudibus, imposturis & expilationibus tam manifestis & notorijs, non tam contradiceret, quàm reclamaret. Testatur enim Platina de Bonifacio 9. quòd aliquoties constituerit profusiones plenariarum Indulgentiarum revocare: sed ob agnatos suos locupletandos coactum fuisse eum ad aucupium illud maximè compendiarium reverti.

I. *Ob hanc ipsam causam quoque* Bonifacius 8. *Peregrinationem novam instituit Romam primus omnium ad annum Christi* 1300. *mandavitque* ut ab hoc anno deinceps singulis centesimis annis celebretur: & qui centesimo illo anno Romæ Basilicam Petri & Pauli visitaret, non solùm plenam & pleniorem, sed plenissimam omnium suorum concessit veniam peccatorum. *IVBILEVS à Bonifacio 8. institutus.*

Sic enim habet Bulla ejus: Antiquorum habet fida relatio, quòd accedentibus ad honorabilem basilicam Principis Apostolorum de urbe, concessæ sunt magnæ remissiones & Indulgentiæ. Nos igitur, qui juxta officij nostri debitum, salutem appetimus & procuramus, libentius singulorum, hujusmodi remissiones & Indulgentias omnes & singulas ratas & gratas habentes, ipsas autoritate Apostolica confirmamus, & etiam innovamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Ut autem beatissimi Petrus & Paulus eò amplius decorentur, quò ipsorum basilicæ de urbe devotius fuerint à fidelibus frequentatæ, & fideles ipsi spiritualium largitione munerum ex hujusmodi frequentatione magis senserint se refertos, nos de omnipotentis Dei misericordia, & eorundem Apostolorum ejus meritis & autoritate confisi, de fratrum nostrorum Consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis, omnibus in præsenti anno M. CCC. à festo Nativitatis Domini nostri Iesu Christi præterito proximè inchoato, & in quolibet anno centesimo sequuturo ad Basilicas ipsas accedentibus reverenter, verè pœnitentibus & confessis, vel qui verè pœnitebunt & confitebuntur, in hoc præsenti, & in quolibet centesimo sequuturo annis, non solùm plenam, & longiorem, imò plenissimam omnium suorum concedemus, & concedimus, veniam peccatorum: statuentes, ut qui voluerint hujusmodi Indulgentiæ à nobis concessæ fieri participes, si fuerint cives Romani, ad minus triginta diebus continuis, seu interpolatis, & saltem semel in die: si verò peregrini aut forenses, simili modo diebus quindecim ad Basilicas casdem accedant. Unusquisque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & devotius frequentabit. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, innovationis, concessionis & constitutionis infringere, &c. Datum Romæ apud S. Petrum 8. Calend. Martij, Pontificatûs nostri anno sexto. *Hæc est Bulla Bestia plena blasphemiarum: Unde etiam in principio ejus ascripta est glossa notanda, his verbis:* Hæc Epistola satis grossè composita est. *Appositissimè sanè: est enim cùm absurda & barbara in verbis, tum impia & blasphema in rebus.*

Fatetur autem Ioannes Andreæ, qui tempore Bonifacij VIII. *vixit, Papam interrogatum,* quid sit plenissima Indulgentia, *respondisse Consistorio,* Esse Indulgentiam adeò plenam, prout Clavium potestas se extendit. *Glossa verò primò Indulgentiam peccatorum ex Scholasticis interpretatur de pœnis pro peccatis debitis. Sed paulò post disputans, quare Bonifacius non Quinquagesimo, sed Centesimo anno constituerit Iubileum, hanc reddit rationem:* Quòd in Iubileo contritis & confessis duplex Indulgentia concedatur, culpæ videlicet & pœnæ. *Postea addit:* Per istam Indulgentiam fit totalis culpæ remissio, & totius pœnæ Indulgentia: & quia talis est sine obligatione ad pœnam, si sic moritur, statim evolat, & habet ingressum domûs cœlestis. *Sic Glossator in Extravaganti. In Clementinis verò, Abusionibus. Glossa dicit,* Plenissima peccatorum remissio est à pœna & culpa, quam solus Pontifex concedit, &c. *Hæc quamvis blasphema sint, & plurimùm derogent merito Christo, adulatores tamen Pontificum summorum ea quoque modo defendere conati sunt. Nam Andrea dicit,* olim talem concursum Romam ad templa Apostolorum non fuisse. *Vult tamen,* quia in adventu Christi annus Iubileus legalis & typicus finitus, vetusque Iubileus inchoatus fuerit: ideò Bonifacium rationabiliter annum Iubileum ad plenarias Indulgentias instituisse: quia scriptum sit, ut prædicarem captivis Indulgentiam. *Licet etiam vetustiores Scholastici vel Sententiarij hoc Axioma constanter defenderint;* Indulgentias non valere ad remissionem culpæ: *recentiores tamen ad Pontificum opiniones, quantumvis blasphemas & horrendas, docendo & disputando mirificè & impudenter sese accommodârunt.* *Indulgentia plenissima quæ dicatur in Iubileo quid. Iubileus cur centesimo, non 50. anno institutus.*

Polydorus Vergilius lib. 8. *cap.* 1. *de Rerum invent. indicat, quod etiam Bonifacius* VIII. *in sua Bulla innuere videtur, hunc Papam* instituisse hanc Iubilei anni ceremoniam ad imitationem veterum Christianorum, quorum plurimi, non solùm viri, sed etiam fœminæ

minæ inde ab extremis orbis partibus paulatim Romam peregrè sua sponte confluxerint, sacra loca adeundi, divorumque sepulchra visendi causâ: hocque studium populorum Gregorium M. accendisse institutione Litaniarum, & certorum dierum, quibus in præcipuis urbis templis solenni ritu sacrificaretur, oraretutque suppliciter. *Ac ut populus generatim simul* frequentior eò statis aliis diebus concurreret, proposuit idem Papa *(verba recito Polydori)* delictorum veniam ad id solenne accedentibus, constitutis ad ipsa templa sacerdotibus, qui audirent volentes confiteri, ut inde remissionem omnium delictorum consequerentur. Duravit inde perpetuò illud Institutum. Conveniunt undique adhuc multi mortales in urbem, qui ubi eò pervenerint, nihil prius habent, quàm ipsa sacra invisere loca, in quibus Stationes celebrentur, sic enim ea solennia Gregorius appellavit. Hanc postremò hominum (*præposteram*) pietatem adauxit plurimùm Bonifacius IIX. Iubilei anni institutione: quod ideò fecisse videtur, ut populum comprimis Romanum ab inani Secularium ludorum celebratione avocaret, & ritum illum Ethnicum in meliorem commutaret. Fuerunt autem ludi

Ludi seculares qui. seculares, ut Festus attestatur, in honorem Apollinis & Dianæ instituti centesimo quoque anno, clamante præcone, Venite ad ludos quos nemo mortalium vidit, neque visurus est. Capitolinus in Gordiano ait, hos Ludos à Valerio Publicola ob exactos reges centenis quibusque annis ab Vrbe condita institutos. *Hactenus Polydorus. De Origine, Progressu & forma Secularium ludorum, vide librum nostrum de Origine & Progressu Festorum Iudæorum, Ethnicorum & Turcarum. Ex quibus hoc saltem hic addendum putavi, Quòd quemadmodum in Secularibus ludis ordo & numerus annorum ab initio definitus, progressu temporis ambitione Imperatorum id solenne suis temporibus exhibere cupientium, interruptus fuit, & pro libidine sæpè mutatus: Sic in numero Iubilei anni idem postea Iubilei anni idem postea* ambitione *& avaritiâ à Romanis Pontificibus factum, ut infra indicabitur.*

Quòd autem Polydorus scribit, Gregorium M: suo tempore ad certas in Ecclesijs Romanis Stationes Indulgentias dedisse, vanum ac fabulosum esse, ac unde figmentum illud ortum sit, præcedente capite indicavimus.

Iubilei anni ceremonia. *Ceremonia verò, quâ primò Bonifacius* IIX. *& eum deinde sequentes Pontifices in anni Iubilei celebratione usi leguntur, talis ferè est: Convocantur omnes undique Christiani anno definito ad visitanda limina Apostolorum. Eò ubi ingens multitudo ex toto orbe Christiano confluxit, sub initium Iubilei,* auream, *uti vocant,* portam *in Basilica Petri aperit Papa in præsentia infinitæ turbæ, hoc modo: Malleolo Pontifex aureo portam ferit, quem deinde honoris causâ alicui largiri solet. Sunt enim qui se beatos hoc nomine putant. Et Iulius* III. *suum donavit Otthoni Truggsessio Augustano Cardinali petenti. Dum autem Papa aureo hoc malleolo portam patefaciendam ferit, adsunt intus in Templo opifices, fabri, latomi, cementarij, qui simul atque audierunt impulsum mallei Papalis; protinus vectibus ferreis atque ligneis, panniculis aut fistucis murum concutiunt, dirutaque dejiciunt, ut per portam illam auream populo ingressus pateat in sancta sanctorum, ubi assequatur Papa gratiâ remissionem omnium peccatorum. Promittit enim Papa toto Iubilei anno durante, non solùm plenam & pleniorem, sed plenissimam omnium peccatorum remissionem; non tantùm quoad pœnam, sed etiam quoad culpam ut dictum est, per hanc portam intrantibus in sancta ad confitendum, & à pœnitentiarijs absolutionem accipiendam. Quæ insignis est in Dei filium blasphemia, cùm constet fide solùm in Iesum Christum, per quem habemus iubileum perpetuum, & qui solus via ostium & porta in cælum est, obtineri remissionem omnium peccatorum, & vitam æternam.*

Accedit huic idolomania & alia stulti populi insania. Dum enim porta diruitur, irrumpit miser populus certatim, ejusque ruina calcem atque rudera miro studio colligit, eaque suspendit à collo, ac retinet inter pretiosissima & sanctissima. Sub finem Iubilei anni porta hæc rursus clauditur, & lateribus calce compactis obstruitur nec aperitur, nisi sub initium alterius Iubilei anni, id est, post 25. demum annos. Hæc ferè Sleidanus lib. 21. historiæ suæ.

Multitudo hominum Romæ tempore Iubilei I. *Eo anno quo primus Iubileus sub Bonifacio habitus est, tanta venit hominum multitudo Romam, ut vix incedere per urbem, quantùmvis amplissimam, licuerit. Platina in vita Bonifacij* IIX. *Polydorus Vergilius lib. 8 cap. 1. de Rerum invent. Trith. in Chron. Hirsaugien. Mutius in Chron. Germanico.*

Bonifacij spiritus verè Antichristianus. *Bonifacius cùm tanta hominum frequentia Romæ convenisset, primo die pontificaliter indutus populo benedixit. Sequenti die iterum Imperatoriali habitu & coronâ ornatus prodit in publicum: & gladium vaginâ vacuum ipsi præferunt, addentes ejusmodi acclamationem:* Ecce duo gladij hîc. *Vrspergensis. Hic exclamat Crãzius,* Vides, *ait,* ô Petre successorem tuum: & tu salutifer Christe, tuum cerne vicarium. Vide quo ascendit superbia Servi Servorum tuorum, *lib.8. cap.36. Saxon.* *Nota.*

NOTA. Bonifacius 8. quis. *Exordium igitur Iubilei pontificij dignissimum fuit tali authore. Hic siquidem Bonifacius ille ipse fuit, qui præter ea quæ dicta sunt, etiam malis usus artibus Pontificiam sellam ascendit, quippe qui Cælestinum multis præstigijs impul-*

sum potius, quam persuasum, inde deturbauit, eruditione opus non pietate ratus esse ad id munus obeundum.Sabell Enne. 9.lib.7. Et multa, quæ Platina in vita eius narrantur,satis indicāt, eum fuisse hominem arrogantissimum, audacissimum, irreligiosi & impotentis animi,contemptorem quoq; Deorum & hominum. Vnde etiam manuscriptum Chronicon Martini, & Nauclerus gener. 44. indicant, Regem Galliæ Philippum Bonifacium hunc in Synodo Parisina per Arelatensium Archiepiscopum de his criminibus accusasse: 1. quòd sit Simoniacus. 2. quòd dicat se non posse committere Simoniam. 3. quòd homicida sit. 4. quòd vsurarius, idque esse manifestissimum. 5. quòd non adhibeat fidem conficientibus Eucharistiam. 6. quòd dicat animam esse mortalem. 7. quòd gaudium aliud non sit, nisi præsentis vitæ. 8. quòd sit reuelator confessionum. 9. quòd habeat duas neptes concubinas, & ex vtraque filios progenuerit: 10. quòd stipendio allexerit Saracenos ad inuadendam Siciliam. *De illo Pontifice ipsi hoc scribunt*, Intrauit vt vulpes, regnauit vt lupus, mortuus est vt canis. *Platina sub finem vitæ eius*, Moritur, *inquit*, Bonifacius ille, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus & populis terrorem potius, quam Religionem inijcere conabatur; quique dare regna & auferre, pellere homines & reducere pro arbitrio animi instituebat, aurum undique conquisitum plus quam dici potest sitiens, tantæ item arrogantiæ, vt omnes præ se contemneret, *&c.* Attamen cùm talis esset, ausus est gloriari, se cœli esse clauigerum, qui à nemine sit judicandus, ipse judex constitutus sit omnium.

Prodigia & portenta primi Iubilæi tempore. 1. *Paulò antequam Bonifacius hic Iubileum instituisset, tantus repentè terræmotus exortus est, quantus nunquam antea. Reate tum Pontifex erat cum tota Curia, qui veritus ne ruinâ ædificiorum opprimeretur, casulam quandam ex tabulatis subtilibus, in medio claustro fratrum Prædicatorum, prato admodum lato, ædificari jussit, eóque in loco aliquandiu resedit, licet horrida sæuiret hyems. 2. Apparuit tum quoque Cometa, mali alicuius indicium: Platina in vita Bonifacij: Sabellicus Enne. lib. 7. 3. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi indicat*, Cometam hunc multa mala sequuta esse, seditiones & bella in diuersis regionibus. 4. *Hoc ipso quoque anno Ottomanus quidam filius Zichi, qui tenuis conditionis homo fuit, Imperium adeptus Turcarum, nomen, vires ac dignitatem habere cœpit. Atque is exstitit, qui Turcarum Imperatoribus, nimirum ys, qui per masculorum rectam lineam descendunt, nomen familiæ dedit. Is, inquam, magnum ingenium cum viribus corporis conjunctum, ac fortunam mirum in modum fauentem habuit. Plurima loca munita Pontico mari adiacentia, in deditionem accepit: & egregias suas victorias maximopere nobilitauit debellatâ Siuâ ciuitate pulcherrimâ, quæ antiquitùs Sebastia dicebatur. Hoc ipso declarare voluit Deus, quantopere sibi hoc Bonifacij factum displiceat.*

II. IVBILEVS Clemens 6. Iubilæum ex centesimo ad 50. annum reduxit. Clemens VI. *Papa cùm cognouisset annum primum Iubileum fructuosissimum Bonifacio VIII. fuisse, hanc Indulgentiarum nundinationem à Bonifacio institutam, à centesimo anno ad quinquagesimū reduxit, & Basilica Petri & Pauli ipse visitationem Lateranensis Ecclesiæ addidit atque secundum Iubileum celebrauit anno Christi* 1350. *Platina, Sabellicus, Cranzius lib. 9. cap. 1. & 43. Metrop. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi: Baleus Centur. 5. cap. 50. in Appendice ex Christiano Massæo: Paralipom Vrspergensis, Mutius in Chron pag 269. Auentinus lib. 7. Annal pag. 783.*

Bulla Clementis 6. indictionis Iubilæi. *Bulla autem Clementis de institutione hujus Iubilei sic de verbo ad verbum habet:* Vnigenitus Dei filius de sinu patris in vterum dignatus est descendere matris, in qua & ex qua mortalitatis nostræ substantiam diuinitati suæ, in suppositi vnitate, ineffabili vnione conjunxit, id quod fuit permanens, & quod non erat assumens: vt haberet vnde hominem lapsum redimeret, & pro eo satisfaceret Deo patri: Vbi enim venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum sub lege, natum ex muliere, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem reciperent filiorum. Ipse namque factus nobis à Deo Sapientia, Iustitia, Sanctificatio & Redemptio, non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æternâ redemptione inuentâ. Non enim corruptibilibus auro & argento, sed suipsius agni incontaminati & immaculati pretioso sanguine nos redemit quem in Ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad verbum pro redemptione totius humani generis sufficeisset, sed copiosè velut quoddam profluuium noscitur effudisse: ita ut à planta pedis usque ad verticem capitis, nulla sanitas in ipso inueniretur. Quantum ergo exinde ut nec superuacua, inanis aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisiuit, volens suis thesaurisare filijs pius pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes effecti sunt. Quem quidem thesaurum non in Sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum cœli clauigerum, ejusque successores suos in terris vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum & proprijs & rationabilibus

bilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ tam generaliter, quàm specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) verè pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum. Ad cujus quidem thesauri cumulum, beatæ Dei Genitricis, omnium electorum à primo justo vsq; ad vltimum merita adminiculum præstare noscuntur: ne cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita, quàm pro eo quòd quantò plures ex cjus applicatione trahuntur ad justitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. Quod felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. prædecessor noster piè (sicut indubiè credimus) considerans, & attentâ meditatione reuoluens, quantum apud homines religiosi Principes terræ Petrus & Paulus (per quos Euangeliũ Christi Romæ resplenduit, & per quos Ecclesia Religionis exordium sumpsit, qui facti Christiani populi per Euangelium genitores, gregis Dominici pastores, fidei lucernæ, Ecclesiarum columnæ præ cæteris Apostolis peculiari quadam prærogativâ in ipso Salvatore fidei virtute præcellunt: Quorum vni, scillicet Apostolorum principi, sicuti bono dispẽsatori, claues Regni cœlorum commisit: alteri tanquam idoneo doctori magisterium Ecclesiasticæ eruditionis injunxit) in speciali veneratione haberi debeant & debitâ honorificẽtiâ venerari, pro ipsorum memoria recolenda crebrius, & reverentia à cunctis Christi fidelibus eius devotiùs adhibenda, ipsorumq; patrocinio fauorabilius assequendo, in cõsumptibilem thesaurum huiusmodi excitanda & remuneranda deuotione fidelium voluit aperire: decernens de fratrum suorũ consilio, vt omnes qui in anno à natiuitate Domini M.CCC. & quolibet anno C. extunc secuturo, ad dictorum Apostolorum Basilicas de vrbe accederent reverenter, ipsasq; si Romani ad minus XXX. si verò peregrini aut forenses fuerint, XV. dieb. continuis vel interpolatis, saltem semel in die; dum tamen verè pœnitentes & confessi existerent, personaliter visitarent: suorum omnium obtinerent plenissimam veniam peccatorũ. Nos autem attendentes, quòd annus 50. in lege Mosaica (quam non venit Dominus soluere, sed spiritualiter adimplere) Iubileus remissionis & gaudii, sacerq; dierũ numerus quo lege fit remissio, censebatur: quodque ipse quinquagenarius numerus in testamentis, veteri quidem ex legis latione, nouo ex visibili Spiritus S. in discipulos missione, per quem datur peccatorum remissio, singulariter honoratur. Quodq; huic plura & grandia diuinarum adaptantur mysteria scripturarum, & clamorem peculiaris populi nostri Romani, videlicet hoc humiliter supplicantis, ac nos ad instar Moysi & Aarõ per proprios & solennes nuntios ad hoc destinatos specialiter orantis pro toto Christiano populo & dicentis: Domine aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ, desiderantes benignius exaudire, non quidem vt sicut illius Israëlitici populi indurati cesset murmuratio, sed vt illius præ dilecti populi & cunctorum fidelium augeatur deuotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementius incalescat: volentesq; quamplurimos hujusmodi indulgentiæ fore participes, cùm pauci multorum respectu propter vitæ hominum brevitatem valeant ad annũ centesimum pervenire, de fratrum nostrorũ consilio prædictam concessionem Indulgẽtiç ex suprascriptis & aliis justis causis, ad annũ quinquagesimũ duximus reducẽdam. Statuentes de fratrum consilio prædictorũ & Apostolicæ plenitudine potestatis, vt vniversi fideles, qui verè pœnitentes & confessi in anno à Nativitate ejusdem 1350. proximè futuro, & deinceps perpetuis futuris temporib. de quinquaginta in quinquaginta annis prædictas eorundem Petri & Pauli Apostolorum Basilicas & Lateranensem Ecclesiam (quam inclytæ recordationis Constantinus, postquam per B. Sylvestrum, sicut per eosdem Apostolos Deo revelante cognovit, renatus fonte baptismatis fuerat, & à contagio lepræ mundatus, in honorem Salvatoris construxisse, quamq; idem B. Syluester nouo sanctificationis & chrismationis genere dedicâsse legitur, & in cujus Ecclesiæ parietibus præfati Salvatoris imago depicta primum toti populo Romano visibiliter apparuit deuotius veneranda, quàm ex his & aliis certis & rationabilibus causis, vt ipsa Ecclesia pariter Indulgentiæ prædictæ priuilegio decoretur, & deuotius ab eodem Saluatore, qui in præfatis Apostolis mirabilis prædicatur, eorum meritis & precib. Indulgentiæ mereatur percipere largitatem, in hoc censuimus venerandam) causâ deuotionis modo prędicto visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam consequantur; ita videlicet, vt quicunq; voluerint Indulgentiam huiusmodi assequi, si Romani ad minus triginta: si verò peregrini aut forenses, modo simili quindecim dieb. ad prędictas Basilicas & ecclesias accedere teneantur: Adjicientes, vt ij etiam qui pro ea consequenda ad easdẽ Basilicas & ecclesias accedent, post iter arreptum impediti legitimè, quo minus ad vrbem illo anno valeant pervenire, aut in via vel dierum prætaxato numero non completo in

dicta vrbe decesserint, verè pœnitentes (vt præmittitur) & confessi, eandem Indulgentiam consequantur: Omnes nihilo minus & singulas Indulgentias per nos vel prædecessores nostros Romanos Pontifices tam prænominatis, quàm alijs basilicis & ecclesijs de dicta vrbe concessas, ratas & gratas habentes: ipsas auctoritate Apostolica confirmamus & approbamus, ac etiam innouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ reductionis, constitutionis, & cætera: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & dictorum Petri & Pauli Apostolorum sese nouerit incursurum. Datum Auin. 6. Calend. Februarij, Pontificatûs nostri anno primo.

Animaduersiones in Bullā Clementis 6. Iubileum Christianorum ad imitationem Iubilei Iudæorū Clemens instituit, eumque Iubileum primus appellauit.

Ex hac Bulla intelligitur PRIMO, *Clementem annum Iubileum à centesimo ad quinquagesimū reduxisse ad figuram & similitudinem Iudaici Iubilei. Vnde Cranzius etiam lib. 9. c. 43. Metrop. scribit:* Rationabilis hæc visa est tum omnibus Iubilei institutio, quòd ad figuram veteris Testamenti aptaretur: & quòd brevis hominum vita ad centesimum pertingere non posset. *Quemadmodum enim Romanos Pontifices in alijs quàm plurimis Ritibus non puduit Mosem cum suis ceremonijs in Ecclesiam Christi reuocare: ita quoque hanc Iudaici Iubilei obseruationem in Ecclesiam induxit Clemens, non tamen talem, quæ, vt Iubileus Iudaicus, politico alicui vsui seruiret, vel delictorum omnium remissionem in Christo hominibus promitteret, sed quæ superstitioni & inexhaustæ auaritiæ Romanæ sedis & Curiæ accommodata esset. Et, vt Bellarminus testatur in libro de Indulgentijs & Iubileo,* annum hunc, in quo adeuntibus Apostolorum Basilicas Indulgentiæ plenissimæ conceduntur, Iubilei nomine appellandum primus censuit Clemens.

De etymologia vocis Iubilei.

De Etymologia autem Iubilei Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est. Rabbini docent, Iubileum à sonitu cornu arietini sic nominari, quòd ejusmodi sonitu annus remissionis indiceretur. *Sed hanc sententiam non probant omnes: Nam etsi vno in loco, videlicet Exod. 19. videatur* IOBEL *sonum buccinæ, vel ipsam buccinam significare, tamen, vbi agitur propriè de Iubileo, nimirum Leuit. 25. sonitus buccinæ, quo indicebatur Iubileis, non vocatur* IOBEL, *sed* THERVHA: *qua etiam voce vtitur David in Psalmis vbicunque jubileum, vel jubilationem nominat. Putant igitur, si Iubileus Hebraicè diceretur à sonitu buccinæ debuisse omnino Mosen, Leuit. 25. vbi ait:* Et clanges buccinâ mense septimo: decimâ die mensis propitiationis tempore, in vniuersa terra vestra, sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cūctis habitatoribus terrę tuę, ipse enim est Iubileus: *debuisse, inquam, Mosem, vti voce* IOBEL, *in designando sonitu buccinæ, quod tamen non fecit, sed vsus est voce* THERHVA, *vt diximus. Volunt itaque alij non dici Hebraicè* Iubileum *à Iubilatione, cùm ille* IOBEL, *ista,* THERHVA *dicatur: sed dici, à* IABVL, *quod germinare & producere significat, vnde est nomen* IEBEL *quo fruges & fructus omnes significari solent: Et hæc sententia Bellarmini est lib. 1. c. 1. de Indulgentiis. Ac rectè quidem hæc Etymologia Bellarminiana Iubileo Papistico competit: dicitur enim Iubileus iuxta illam, quasi annus germinans, vtilis & fructuosus: quia in eo Romani Pontifices ex Indulgentiarum nundinatione ingentes opes corradunt & colligunt.*

Quod autem annum Iubileum *Iudaicum ipsum attinet, is veteri populo secundùm literam, & spiritum considerandus fuit. Quod literam attinet, Moses, sicut Leuit. 25. & ab Iosepho lib. Antiquit. 3. itemque ob Origine super Numeros, refertur, statuit,* vt inter dies, septimus quisque dies obseruaretur sabbatum: & inter menses, septimus quisque mensis sabbatum esset mensium, in quo agerentur solennia sacra quæ dicerentur sabbata sabbatorum: item inter annos, septimus quisque annus, & in eo si quando Cananæam Iudæi recepissent, quam tandem David & Salomon Reges assequuti sunt, terra vacaret, id est, non araretur, & quæ suâ sponte ferret, quinquagesimo quoque anno tribulibus essent & extraneis communia.

Porrò hoc Mosis decreto, libertate donabantur serui, debitores à creditoribus laxabantur, prædia æstimatis ex æquo fructibus & impensis, restituebantur antiquis possessoribus, quæ omnia Iosephus Historicus supra nominato libro latè persequitur. Reddit Eusebius ex Philone, hujusmodi agrorum vacationis rationem non contemnendam, ita in 8. Evangelic. Præpar. scribens: Facilè de septimo quoque anno dicere possumus: non enim ipsi ab operibus, sicut septimis diebus, cessant, sed agros ipsos cessare patiuntur, vt vires ad futura suscipiant: multò enim fœcundiores redduntur, si quum cessauerint, innovalia rursus proscindantur: quod etiam corporibus hominum accidit: semper enim eundem ferre laborem, & valetudini obest, & robur animi atque corporis dejicit. *Et subdit:* Magnæ autem humanitatis eorum illud præcipuè signum est, in septimo quoque anno, ipsi ab agriculturæ laboribus abstinent, & si quid spontè agri protulerint, non colligunt, neque deponunt: sed quia nullo suo labore productum est communiter cuique volenti, omittitur, *&c. Hæc Polyd. Vergilius lib. 8. c. 1 ex Eusebio.*

Alium deinde literalem vsum, & eum quoque politicum hujus Ceremoniæ indicat Philip. Melanchton lib. 5. Chronici. Non enim, *inquit*, hoc fine

fine institutus erat Iubilæus Iudaicus, vt ejus observatio existimaretur esse cultus Dei, sed proderat ad docendos homines de mundi temporibus. Singulari enim Consilio distinxit Deus tempora, ordinauit dies, menses, annos, & multa mensium & annorum discrimina: quia vult intelligi discrimen inter æternitatem, & hujus mundi tempora. Vult sciri hunc mundum liberrimo Consilio conditum esse, nec semper fuisse. Vult in Ecclesia notam esse seriem annorum, vt sciamus, quo ordine, quibus modis se patefecerit, & promissiones ac legem ediderit, & quando venturus fuerit Messias, vt fieret victima, & quę sit vltima ætas generationis humanæ, postquam Filius Dei in Ecclesia resuscitata triumphabit.

At observatio anni quinquagesimi, quem Iubileum vocabant, valdè illustris fuit: quia ad colligendos annos & centenarios, commodior numeratio est, per quinquagesimum, & ad memoriam firmior, quàm aliæ partes Centenarij.

Doctrinæ itaque causâ instituta erat, & addita erant beneficia politica, vtilia ad conseruationem illius honestę politiæ, quibus cavebatur, ne ex nidulis suis prorsus ejicerétur homines honesti, quod in qualibet politia ad familiarum conservationem vtile est. Nec solùm pauperibus consuluit Deus restitutione fundorum, sed etiam restinxit mutuationes & venditiones. Non poterant fundos prorsus transferre homines prodigi. Erant igitur pauciores emptores. Nec multi dabant mutuò, cùm fœnus accipere à ciuibus non liceret. *Hactenus Melancht.*

Iubilei anni Iudaici consideratio spiritualis.

Secundum Spiritum verò si consideretur hic annus, in eo non obscurè continebatur mysterium Christi *Domini, qui ipse nobis hujus Ceremoniæ significationem aperuit ex Isaia cap.*61.*apud Lucam* 4.*cap. vbi dicit*, se esse eum, qui reuera Iubileum aperiat, & veram denunciet libertatem, ipsum inquam annum Domini acceptum. *Annunciauit autem remissionem & libertatem omnibus fidelibus, non tubâ quidem arietinâ, quâ annus hic apud Iudæos indicebatur, sed Euangelicâ. Nam per misericordiam Dei in merito Iesu Christi Filij Dei, remittuntur credentibus per vniuersam terram agentibus omnia debita siue peccata: quæ verissima libertas est. Ideoq. in Christo habemus vacationem & requiem veram & sempiternam. Per Christum conceditur nobis reditus ad possessionem vel patriam illam cælestem.*

Annus Iubileus Papisticus cum Iudaico nil simile habet.

Hæc omnia si diligenter perpendat Lector, facilè intelliget, Annum Iubileum Papisticum, licet ad figuram Iudaici institutus sit; nihil tamen prorsus simile cum eo habere: & neque Leuiticum seu Iudaicum, neque Christianum, sed Antichristianum esse. De Antichristo enim vaticinatus est Gabriel Angelus apud Danielem: Sermonem contra excelsum loquetur, & putabit se posse mutare tempora & Leges: *Danielem.*7. *Leuiticum autem non esse inde liquet, quòd in eo neque serui libertati restituuntur, neque are alieno obnoxijs nomina remittuntur, neque agri ad familiam, à qua venire, reueniunt: neque terra eo tempore, quo ille agitur, cultu & satione vacans, fruges in communi profert. Quod si autem in his per omnia Leuiticum referret maximè, tamen reijciendus & explodendus esset. Abrogatus enim Leuiticus cùm fuerit per Euangelij splendorem, à nullo deinceps repeti ac reduci debuit. Firma est enim hæc Apostoli sententia:* Hęc sunt vmbra rerum futurarum, corpus autem Christi; Col. 2. *Item:* Nam Lex vmbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam expressam rerum speciem, Heb. 10. *Multò minus Romanus ille Iubileus Christianus est seu Evangelicus: Nam hic à tempore vulgati Evangelij per Apostolos cœpit denunciari, & tantisper durat, dum Evangelium Clangorem suum edit, ad nulla vel tempora vel loca affixum. Papisticus autem tempore & loco definitus est: Tempore quidem, cùm alij centesimo quoque anno, alij quinquagesimo*, &c. *celebrandum illum statuerint, Loco verò, quia Romæ ad limina Apostolorum institutus est, contra apertissimam sententiam Christi:* Regnum cœlorum non venit cum obseruatione, *nempe, vel personarum, vel temporum, vel locorum: Luc.* 17. *Item, contra dictum illud Ioan.*4. *ad mulierem Samaritanam:* Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabunt Patrem: sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu ac veritate. *Præterea in Christiano Iubileo remissio peccatorum gratis fit: In Antichristiano autem quæstus & lucrum quæritur: in primisque Roma ad limina Apostolorum peccatorum remissio, iustitia, cælum, infernus, coniugia, sacramenta, sacerdotia, sacra & profana, omnia, propter inexplebilem avaritiam Romanorum Pontificum, venalia prostant. Denique, vt verus Christianorum Iubileus confirmatus est voce angelorum, denuntiatus tubâ Euangelij per Apostolos repletos spiritu sancto, corroboratus prodigiis & ostentis veris: Ita Antichristi Iubileus dæmonum sententiâ ac falsis signis comprobatus, per eos editur, à quibus humana merita pro Christi meritis, iustitia cælestis, quæ solâ fide in Christum percipitur, pro iustitia terrena, quæ humanis operibus nititur, tenebræ pro luce, elementa mundi pro veris bonis, seruitus misera conscientiæ pro libertate amabili extolluntur atque amplificantur.*

Clementẽ vmbram veteris Testamẽti Christi Ecclesiã reduxit.

SECVNDO *patet ex hac bulla, introduxisse hunc Clementem Iubilei anni institutione in Ecclesiam Christi veteris Testamenti ceremoniam, iampridem aduentu Christi & prædicatione*

Evangelij abrogatam. Non licere autem post adventum Christi & gratia ejus manifestationem reducere in Ecclesiam figuras & umbras veteres, in ipso Iure Pontificio apertissimè docetur. Nam de Consecrat. dist. 3. cap. 29. hæc verba leguntur : Antiquis figuris, & umbris, & ad veritatis præfigurationem sanctæ Ecclesiæ traditis valedicentes, gratiam & veritatem præferimus. *Item Causa 12. q. 2. cap. 71. ex Hieronymo hæc verba leguntur* : Neque verò mihi aliquis opponat dives in Iudæa Templum, mensas, lucernas, thuribula, patellas, scyphos, mortariola, & cætera ex auro fabricata. Tunc hæc probabantur à Domino, quando sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecudum erat remissio peccatorum : quæ omnia præcesserunt in figura : scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorum devenerunt : nunc verò cum paupertatem domus suæ, pauper Dominus dedicavit, portemus crucem, & delicias lutum putemus. *His verbis Hieronymus apertissimè docet, non esse opponendum & objiciendum nobis, id quod Iudæi fecerunt aliquando : Nam illa longè alia erant tempora, quàm nunc sunt. Tunc sanguis pecudum erat remissio peccatorum : tunc umbræ & figuræ in usu erant, quæ nunc sunt omnes adimpleta, & Christi sanguine deleta.*

Clemens vendit plenissimam omnium peccatorum veniam.

TERTIO, *in hac Bulla vendit Clemens omnibus visitantibus Petri & Pauli Apostolorum basilicas & Lateranensem Ecclesiam, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam : Et hoc insuper addit*, ut ij etiam qui pro hac venia consequenda ad easdem Basilicas & Ecclesias accedant, post iter arreptum impediti legitimè quo minus ad urbem illo anno valeant pervenire ; aut in via vel dierum præfixato numero non completo in dicta urbe decesserint, verè pœnitentes & confessi, eandem indulgentiam consequantur. *In alia Bullo sic decernit* : Quicunque peregrinandi causâ ad sanctam Civitatem accedere proposuit, illâ die quâ de hospitio suo viam arripere voluerit, eligere potest Confessorem seu Confessores, & in via, & in locis alijs quibuscunque. Quibus quidem Confessoribus authoritate nostrâ concedimus plenam potestatem, absolvendi omnes casus Papales, ac si persona nostra ibi esset. Item concedimus, quòd si verè confessus in via moriatur, quòd ab omnibus peccatis suis sit immunis penitùs & absolutus. Et nihilominus prorsus mandamus Angelis Paradisi, quatenus animam à Purgatorio penitùs absolutam, in Paradisi gloriam introducant, &c.. *Et in alia Bulla* : Nolumus, *inquit*, quòd pœna inferni sibi aliquatenus infligatur, &c. *En cornu loquens grandia ; Daniel 7. & Regem loquentem mirabilia ; Daniel 11. cap. Sed dubium an illi Angeli & infernus paruerint Antichristo.*

De lepra & baptismo Constantini fabula.

QVARTO *dicit Clemens*, se hoc honore afficere velle Lateranensem Ecclesiam, ut in ea Iubileus celebretur, *primò*, quòd hoc Templum à Constantino M. fabricatum & exstructum fuerit, cùm in lepram incidisset, eamque sanguine infantum curare jussus, & à Petro & Paulo admonitus, baptizatus, & à lepra per baptismum mundatus liberatusque esset. *Id autem fabulosum non nobis solùm, sed etiam Valla & Platina alijsque visum est. Sic enim Platina in vita Marci Papæ scribit* : Quòd in lepram inciderit Constantinus, ut vulgò dicitur, baptismóque mundatus, confictâ prius de sanguine infantum nescio quâ fabulâ nullo modo credo, Socratem hac in re secutus, qui affirmat, Constantinum ipsum, ubi 65. ætatis annum attigisset, ægritudine captum, ex urbe Constantinopoli ad aquas calidas egressum valetudinis causâ, nullâ de lepra mentione habitâ. *Præterea verò hac de re à nullo Scriptorum fit mentio, non dico ab his, qui Ethnici sunt habiti, sed ne à nostris quidem. Non reticuisset hoc Orosius, non Eutropius, non illi qui Constantini res gestas quàm diligentissimè scripsêre. Recentiores solùm Historici ex apocrypho quodam libro de rebus à Sylvestro gestis hoc referunt, quos ineptè Clemens Papa in sua Bulla sequutus est.*

Constantinus M. an Lateranense Templum chrismate consecrârit.

Secundò scribit, se hunc honorem Lateranensi templo tribuere velle, quòd Sylvester illud consecraverit novo quodam consecrandi ritu per unctionem Chrismatis. *Hoc si verum est, Sylvester veterem illam consuetudinem consecrandi & dedicandi Templa unctione scilicet, quæ in usu fuisse apud Iudæos constat, propter figuras, quæ istiusmodi Ritibus adumbrabantur, primus in Ecclesiam Christi revocavit: cùm antea id factum esset per Evangelicos tantùm sermones, precationes & gratiarum actiones, ut infra referemus. Falsum autem tunc erit, quòd quidam pontificiorum tradunt, templum Loretanum, vel certè Capellam, in qua Mariæ virginis imago collocata est, ab ipsis Apostolis ad hunc modum consecratam fuisse.*

Tertiò scribit, celebritate Iubilei se voluisse hoc templum decorare, quòd in ejus parietibus Salvatoris imago depicta primùm toti populo Romano visibiliter apparuerit. *Hoc autem apud nullum probatum authorem legitur. Referunt alij, in consecratione hujus Templi, angelos vultum Christi in id intulisse per auream portam, supra quam adhuc hodie conspiciatur.*

Nota. Clades & prodigia, quæ tempore Iubilei 2. deciderunt.

Eo tempore, quo Clemens 6. Iubileum annum ex centesimo in quinquagesimum decurtavit, vastabatur Italia trium annorum spacio. Eodem quoque anno ingenti motu terræ, qui ad 8. Cal. Februar.

Digitized by Google

Februar. factus est, die Pauli conuersione solenni, pleraque ædificia publica & priuata Venetijs corruere, aliqua terrifico aspectu acclinârunt, & in his sacrarum ædium turres, vno atque altero loco, inde dies quindecim plus minúsue terra mota est, quo contigit, vt omnes ferè grauidæ mulieres, quæ tum in vrbe erant, abortum fecerint. Vide hac de re Cranzium lib. 9. cap. 43. Metrop. Inde fœdißima pestilentia innasit ciuitatem, Inguinariam *dixere: fuit ea vis morbi adeò lethalis, vt ex omni languentium numero vix centesimus quisque mortem euaserit. Serpsit inde non modò in reliquam Italiam, sed etiam in totam Europam tanta vi, vt omnibus historiarum monumentis similis non comperta fuerit: tot vrbes, tot monasteria, tot insulas deuastauit. Et in Italia quidem aliquanto tempore jus redditum non est ob pestilentiam. In vnica Florentinorum vrbe* 40000 *homines perempti dicuntur peste. Quin species igneâ terribili magnitudine à boreali plaga per cælum latè euagata est eo tempore quoque. Quidam authores bestiolas multitudine immensâ è cælo decidisse eadem tẽpestate tradũt, quibus exstinctis & putrescentibus, sit vniuersus cæli tractus grauiter infectus, diraque pestilentiâ laboratum. Est & Cometes ingens in cælo obseruatus, ac biennio post trabalis species ignea aperto cælo cucurrit: flamma ingens post occasum Solis inter Zephyrum & Austrum magnum trahens incendium, cum terribili sonitu ad terram deprimi visa est. Sabellicus Enne. 9. lib. 8. Nauclerus Generat. 47. Trithemius. Illo ipso quoque anno Amurathes 3. Turcorum Imperator creatur:* astutus ac vigilans, semperque ad omnem occasionem, quâ posset imperium dilatare, paratus. Nec illi fortuna, quod optabat negauit. *P. Iouius. Trithemius in Chronico Hirsaugien. hæc scribit de his temporibus.* Anno D. 1349. magna per vniuersum orbem pestilentia fuit, ab India incipiens, passimque prouincias omnes irrumpens, trium annorum spatio vsque in Alemaniam, Galliam Angliamque & in omnes gentes miserabiliter desæuiens, vix mediam hominum partem in humanis agere permisit. Miseranda calamitas, mox enim vt aliquis infectus hac peste fuisset, suo tantùm anhelitu etiam alios inficiebat. Tribus hoc tempore plagis humanum genus in Germania maximè affligebatur: pestilentiâ videlicet, quæ infinita hominum millia in toto penè orbe prostrauit: cujus calamitatis causa Iudæis fuit ascripta, quòd fontes & aërem veneno infecissent. Vnde persequutio eorum grauissima Christianorum fuit subsecuta. Secunda plaga fuit sanguinis profluvius, qui etiam hominum ingentem multitudinem inaudito genere cruciatus absumpsit. Tertia fuit sacri ignis adustio, quæ tanta immanitate sæviebat, vt quemcunque invasisset, mox carnem vsque ad ossa penitus consumeret, nec vivis tantùm infesta, sed etiam mortuorum invadens cadavera insepulta, carnes antequam sepeliri potuissent, absumeret. Erant hæc tempora calamitatibus plena, tantisq; periculis exundantia, vt præter generale diluvium, pejora scripserint nemo. *Hactenus ille.*

Clemens autem hic, qui secundum Iubileum Papisticum celebrauit, factione sua Imperium Romanum supra modum turbauit. Episcopos enim omnes & Principes, cum Imperatore Ludouico Bauaro sentientes (Nauclero teste) excommunicauit. In contumeliam eius creauit Vicecomites Imperij vicarios. Hieronymus Marius in Eusebio captiuo Clementis violentiam his verbis describit: Clemens sextus, *inquit*, homo mulierum, honoris ac potentiæ cupidissimus, diabolico furore percitus, literas scriptas foribus Templorum affixit, quibus Imperatori grauissimarum pœnarum supplicium comminabatur, nisi infra triduum suis satisfaceret cupiditatibus, & ab occupatione jurium Imperij abstineret. Imperator Francfordiam venit: & paratus omnia sibi iniuncta facere, per oratores petiit, vt illi veniam daret, illumque in gratiam reciperet. Pontifex autem oratoribus respondebat, se nunquam Ludovico veniam daturum, nisi prius omnes errores & hæreses confiteretur, Imperium deponeret, & se suosque filios & bona omnia in manus ac potestatem ipsius deponeret: polliceretúrque se nihil horum recepturum, nisi ex Pontificis gratia. Quamvis autem, vt Christiano sanguini parceretur, hæc iniquissima Pontificis postulata non tantùm sigillo corroboraret, sed & juramento se omnia servaturum esse polliceretur: Pontifex tamen in Cœna Domini crudelissimè illum execrabatur, Ioannis Pontificis processus omnes durissimos innouabat, hæreticum ac schismaticum declarauit. Principes Electores admonebat, vt alium eligerent Imperatorem: Archiepiscoporum Moguntinensem dignitate, ac eligendi potestate priuauit, eò quod, cùm Imperatoris innocentiam cognosceret, sacram ejus majestatem violare nolebat. Episcopo Bambergensi potestatem dedit absoluendi eos qui Ludouico adhærerent, sed his conditionibus: Primò; vt sibi jurarent fidelitatem, tanquam Dei vicario: Secundò, vt crederent Imperatorem non habere jus constituendi aut deponendi Papam: Tertiò, vt neminem agnoscerent Regem vel Imperatorem, non confirmatum à Papa. *Et hæc bestia Romana secundum indixit & celebrauit Iubileum.* *Clemens VI. quis & qualis*

Vrbanus VI. *vltimo anno Pontificatus sui annum*

annum Iubileum abbreuiauit, scilicet ex quinquagesimo ad singulos 33. *annos*, qui sunt anni Christi Iubileum prædicantis, tanto enim tempore moratus est nobiscum in terris. *Cranz lib.* 10. *cap.* 21. *Metrop. & constituit Vrbanus.* vt tunc *anno nimirum Domini* 1388. in festo Natalis Domini, inciperet annus Iubileus in vrbe, & duraret in annum inclusiuè, prout factum fuit. *Fecit hoc maioris lucri causâ. Est enim hoc nouum aucupium: & hic quæstus est illis longè vberrimus. Nauclerus gener.* 47. *Erat hic Vrbanus, vt Stella commemorat,* vir callidus, & injuriarum memor ac vindex. Erat, *inquit Cranzius*, homo fæuus, crudelis & inexorabilis. Qui Pontificatu suscepto, non pacem, vt par erat, inter Christianos composuit: sed Cardinalium, & Iohannæ Siciliæ Reginæ injurias vltus est. *Carolum enim Duracia Ducem ad vrbem cum exercitu venientem coronauit Regem Siciliæ, ita tamen, vt Pontificis nepoti nobiles aliquot in regno Comitatus concederet. Et cum Carolus neruo belli, pecuniâ destitueretur, Vrbanus Romæ Templa pleraque spoliauit, Calicibus, Crucibus, Imaginibus Diuorum argenteis & aureis conflatis, ad cudendam monetam pro Carolo, sustinendis belli sumptibus. Apud Nuceriam vrbem nouos creans Cardinales, septem ex veteribus in carcerem coniecit, quòd contra ipsum pro Clemente* VII. *coniurâsent: ex quibus quinque saccis impositos, in ipsins odium aquis submersit, vel, vt Vuicelius scribit, Neptuno sacrificauit.* Annatas *quoque seu vectigal prædiorum sacerdotalium instituit, parandi auxilii fuco contra infideles.*

Vrbanus & quis & qualis.

Quia autem spes Vrbanum fefellerat, qui antequam annus exoptatus aduenisset, ad Patres descenderat: ideò quod Vrbanum capere oportebat, Bonifacius IX. *eius successor ambabus manibus, quod dicitur, intercepit.* Et innumerabiles peregrini toto illo anno postquam incœpit Iubileus, præsertim ex Germania, Vngaria, Polonia, Bœmia & Anglia, alijsque prouincijs, quæ erant de obedientia Vrbani, ad vrbem venerunt. Vnde & maxima offertoria Ecclesijs & Basilicis vrbis, per visitatores data fuerunt. Sed residuum & major pars ad manus Bonifacij & quorundam aliorum deuenit. Bonifacius autem hujusmodi offertorijs non contentus, licet ad maximam summam ascenderet (erat enim insatiabilis vorago, & in auaritia nullus ei similis) ad diuersa regna misit Quæstuarios vendendo dictam Indulgentiam, offerentibus tantum quantum essent expensuri in via, si propterea iuissent ad vrbem. Et hujusmodi exactores seu quæstuarij, etiam maximas summas pecuniarum à simplicibus seu barbaris subtiliter extorserunt: ita vt aliquando in vno regno seu in vna prouincia hujusmodi venditionibus vltra CENTVM MILLIA florenorum reportârint. Quia omnia peccata, etiam sine pœnitentia, confitentibus relaxârunt, super quibuslibet irregularitatibus dispensando, interuentu pecuniæ: Dicentes, se omnem potestatem habere super hoc, quam Christus Petro soluendi ligandique contulisset in terris. Et per hoc quæstuarij impinguati, dilatati, incrassati, & cum multis pulchris equis, & decenti familia, redeuntes ad vrbem, ipsam de recollectis per eos taliter rationem fecerunt Pontifici. Sed aliquos eorum, quos comperit infideliter egisse, carceribus intrudebat. Nonnulli eorum malâ morte perierunt. Aliqui verò sibiipsis mortem consciuerunt. Quidam populi furore in partes dissecti sunt. Iustum enim erat, vt qui taliter populum Christianum deceperant, suæ auaritiæ consulentes, malè perderentur, &c. *Hæc omnia Theodoricus à Nyem, qui vnus ex intimis Bonifacii* IX. *Consiliariis fuit, lib.* 1. *cap.* 68. *de Schismate. Idem auctor lib.* 2. *cap.* 9. *&* 10. *de hoc Bonifacio ita scribit.* Non credo, *inquit*, quòd vnquam adeò inuerecundus & ingeniosus quæstor pecuniarum repertus fuerit, prout erat Pontifex Bonifacius. Solebat quandoque dicere, quòd mallet paruum piscem in manibus habere, quàm in dubio Delphinum in mari. Et in hac opinione decessit: Nam cuidam in morbo interroganti ab eo, qualiter se haberet aut sentiret? respondit: Si pecunias haberem, benè starem. *Hæc Nyem. Antoninus de hoc Bonifacio ita scribit*, Tres habuit germanos, quos multum exaltauit in seculo, & ditauit: quorum tamen filij ad extremam paupertatem deuenerunt vt eorum exemplo discant cæteri de patrimonio crucifixi nolle ditari. *Cranzius lib.* 11. *cap.* 10. *Metrop.* Bonifacius, *inquit*, gratias & indulgentias fecit inauditas: & quàm facilè dedit, tam leuiter reuocauit: fabulas excitans in orbe Christiano, quòd auro expleri non posset. Et à multis Apostolica sedes in contemptum venit, *&c. Vide etiam Balæum in vita Bonifacij.*

Decem centum millia florenorum.

De hoc Bonifacij Iubileo anno diuersum tradit à Theod. à Nyem, Antoninus tit. 22. *cap.* 2. §. 14. Indulgentia, *inquit*, illa quæ in Iubileo ab Vrbano mutato, hominibus promittebatur, non habita fuit in deuotione fidelium, sicut illa de centenario & de quinquagenario. Vnde & modicus in eo concursus fuit ad vrbem propter talem indulgentiam. *Hinc Ramâ suos aucupes Bonifacius* IX. *in exteras Prouincias & Religiones ad emungendos argento homines misit. Et quidem, sicut Auentin. refert lib.* 7. *Annal. fol.* 802. Vt Boiorum animo sibi conciliaret Bonifacius, tribus fratribus Stephano,

phano, Friderico & Ioanni Nepotibus Ludovici IV. Imperator secularem omnium criminum, scelerum, suppliciorumque veniam condonat, Quicunque Monachium voti reus proficiscatur, septem ibidem dies commoratus, quatuor Templa, Deiparæ Virginis, D. Petri, Sacratarum fœminarum & Xenodochium supplicandi gratiâ intret, quotidiè dona faciat, ab Vniversis inferis ereptus, cœlo asseritur. Quadraginta placulari, seu qui à Confessionibus essent, constituti sunt. Et quia hæc res tunc temporis adhuc noua atque inaudita in Germania esset, ideò ex Bohemia vniversâque Germania, frequens populus quotidiè coibat: & sexaginta quidem hominum millia quotidiè confluxisse dicuntur. Durârunt hæ nundinæ Ecclesiasticæ à Martio per quinque continenter menses. *Hactenus Aventinus.*

Clemens VII. *in Bulla quadam hanc decurtationem Iubilei de quinquagesimo anno in 33. non Vrbano* VI. *aut Bonifacio* IX. *sed Gregorio* XI. *tribuit.*

NOTA. Clades tempore Iubilei 4. accersæ.

1. *Paulò antequàm hic Iubileus celebraretur, tormenta anea, & ipsa à Monacho, pulvis item tormentarius excogitatus fertur, circa annum Christi* 1380. *utramque certè, tam tormenta ejusmodi, quàm Iubileus in perniciem totius humani generis.* 2. *Sex item annis post hunc Iubileum, hoc est, anno* 1396. *Christiani ingenti prælio à Bajazeta Imperat. Turcorum superantur, in quo* 20. *millia de exercitu Christianorum occisa referuntur. Ac jam tum Constantinopolim, quam obsederat, occupâsset nisi Tamberlanes revocâsset ipsum, & acie vicisset. Nauclerus gener.* 47.

IVBILEVS. 4.

Anno Domini 1400. *celebravit alterum Iubileum, quod nulli Pontificum contigit, Bonifacius* 9. *decem tantummodo annis post priorem: erat enim auri cupidissimus, & cognoverat anteà quàm hoc esset aucupium quæstuosum.* Veniebat tum Romam ingens hominum multitudo. Dicebant enim centesimo quoque anno, secundum antiquam consuetudinem & Ecclesiæ Romanæ institutionem, Iubileum celebrandum. Ac conferebant munera amplissima. Cæterum non procul ab vrbe multi sunt suis facultatibus, ab ipsis Romanorum stipendiariis, spoliati. Sunt præterea raptæ, constupratæ, & abductæ generosæ formosæque aliquot mulieres. Vnde multi deterriti, sapuerunt, & ad speluncam latronum non accesserunt. *Hæc Theodoric. à Nyem lib.* 2. *capite* 18. *de Schismate.*

Benedictus 13. celebrat etiam Iubileũ. Prodigia & clades tempore

Eodem quoque anno Antipapa Benedictus 13. *suum quoque celebravit Iubileum; sed Avenioni.*

Anno, qui sequitur millesimum quadringentesimum, horribilis apparuit cometa. Anno 1407. *magna pestis lues infestavit totam Germaniam, & vicinas Regiones. Anno* 1409. *Christiani caterum funduntur in Salumbezenis campis à Cyriscelebe Turcorum Imp. Iovius in vita ejus.* *Iubilei 4.*

IVBILEVS. 5.

Iubileus 5. *celebratur anno Domini* 1450. *sub Nicolao* 5. *contra decretum Basiliensis Concilij. Henricus Dux Bavariæ ex sua provinciâ neminem ire Romam permisit, dictitans,* Gratiam Dei & peccatorum Remissionem vbiuis locorum impetrari posse. *Aventinus lib.* 8. *fol.* 328. *in Germ. exemplari.*

Multitudo hominum Romæ in hoc Iubilæo.

Hoc anno tanta fuit Romæ hominum multitudo, ut à condito mundo major mortalium conventus Religionis causâ unum in locum coiuerit nunquam, si Platina verus est author; ideoq; fuit etiam quæstus uberrimus. Divino judicio factum est, ut cùm plurimi è Vaticano, viso Sudario *Domini, recederent, obviârint turbis innumeris euntibus ad illam ipsam Ecclesiam ut viderent* Sudarium: *in ponte autem* S. Angeli, *seu juxta ejusdem castrum, ita se invicem compresserunt & oppresserunt, ut ducenti & plures obtriti sint in ponte, multis præterea è ponte in Tyberim cadentibus & pereuntibus. Antoninus tit.* 22. *capite* 12. §. 3. *Sabellicus Enne.* 10. *lib.* 5. *Addit Sabellicus,* Statuit Nicolaus rei atrocitate affectus, ædiculas duas in aditu pontis, ex candenti lapide, quæ monumentum rei essent ad posteros.

NOTA. Clades & prodigia tempore Iubilei 5.

Anno tertio post hunc Iubileum annum, Mahomet 2. *Constantinopolim caput Orientis, expugnavit, & cæso Constantino Palæologo antiquissimum Orientis imperium evertit. Iovius. Ipso Iubileo durante, ingens terræmotus exortus est in Neapolitano regno, quo multa ædificia & sacrarum Ædium turres concussa & quassata sunt. Sæva quoque pestis universum ferè orbem pervasit: Mediolani tantum* 60000. *homines ea absorpti dicuntur, Bergomen. teste libro decimo quinto.*

IVBILEVS. 6. Sixtus 4. Iubileũ à 50. ad 25. annũ reduxit.

Paulus 2. *& Sixtus* 4. *nundinationem Iubilei à quinquagesimo ad vigesimum quintum annum reduxerunt, qui anno* 1475. *celebratus tunc fuit: quò & ipsi quæstum uberrimum ex hoc aucupio perciperent.*

Bulla Sixti 4. Indicationis Iubilei sub.

Bulla autem, quâ Sixtus 4. *hanc nundinationem indixit, exstat capite* 4. *lib.* 5. *de pœnitentia & remissionibus in Extravag. Commun. & sic habet.* Olim felicis recordationis Paulus Papa II. prædecessor noster, rationabilibus causis tunc expressis inductus, de venerabilium fratrum nostrorum tunc suorum, (de quorum numero tunc eramus) consilio, annum Iubileum ad brevius tempus providâ moderatione reducens illum ad annum vigesimum quintum Apostolicâ authoritate restrinxit: ac voluit, statuit, & decreuit ex causis prædictis, quòd singulis XXV. annis Iubileus annus prædictus celebrari deberet: quodque anno Domini

1474.

M. CCCC. LXXIV. proximè futuro, videlicet à vigilia Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, idem annus Iubileus inciperet, & vt sequitur, finiretur? ac vniuersi & singuli vtriusque sexus fideles, qui beatorum Apostolor. Petri & Pauli basilicas, Lateranensem quoque, & sanctæ Mariæ maioris almæ vrbis Ecclesias statutis diebus devotè visitarent, omnes & singulas indulgentias & peccatorum remissiones consequerentur, quas idem Pontifex suique prædecessores anno Iubileo huiusmodi Basilicas & Ecclesias prædictas visitantibus devotè concesserant, per quasdam primo, & deinde nos qui (dicto prædecessore sicut Domino placuit, sublato de medio) fuimus divinâ disponente clementiâ ad apicem summi Apostolatûs assumpti, & per nostras litteris ejusdem Pauli prædecessoris ordinationem, voluntatem, & statutum, ac omnia & singula in eisdem suis litteris contenta, de fratrum eorundem Consilio approbantes. Similiter statuimus, & ordinamus, quòd annus Iubileus prædictus cum eisdem indulgentijs & remissionibus plenarijs peccatorum anno proximè futuro à vigilia Nativitatis ejusdem incipere, & ut sequitur, continuari deberet, prout in singulis litteris prædictis (quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis) plenius continetur. Verùm quia postmodum tam nos, quàm idem Paulus prædecessor noster dum in humanis ageret, animarum saluti fidelium intenti, multorum principum & aliorum Christi Fidelium ac devotarum personarum pulsati precibus, diversas indulgentias & peccatorum remissiones plenarias nonnullis Ecclesiis, Monasteriis, & piis locis duximus concedendas, propter quas populorum forsan concursus ad Basilicas & Ecclesias antedictas retardari, aut ipsius anni Iubilei celebritas minui, vel intermitti posset, cum animarum non modico detrimento: Nos qui vniversorum credentium profectibus & saluti prospicere ex debito ministerii pastoralis astringimur, (ne propter aliarum indulgentiarum hactenus à nobis, seu eodem Paulo, vel aliis prædecessoribus nostris concessarum hujusmodi effusionem, hoc sanctum opus ac remissionis & gratiæ annus Iubileus intermittatur, aut Fideles ipsi à tanto munere reddantur expertes) remediis opportunis prouidere volentes, omnes & singulas plenarias, etiam ad instar Iubilei, ac etiam commutandi vota, aut super eis malè ablatis incertis, aut per vsurariam prauitatem vel alium illicitum modum extortis, dispensandi & componendi, aut illa sub certis modo & forma remittendi & deputandi confessores cum potestate absoluendi, & jam in casibus sedi Apostolicæ reseruatis, facultates, concessiones, & indulta à nobis & eadem sede, vel illius auctoritate quibuscunque Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & piis locis. Vniversitatibus, Fraternitatibus quibuslibet, tam in perpetuum, quàm ad certum tempus, in vita seu in mortis articulo, quouis modo, aut quavis causâ quomodolibet concessas & concessa, & in posterum forsitan concedendas vel concedenda, authoritate Apostolicâ tenore præsentium de Apostolicæ potestatis plenitudine, vsque ad nostrum & eiusdem sedis beneplacitum suspendimus, illasque durante beneplacito nostro & sedis prædictæ suspensas esse volumus, nec interim alicui suffragari: indulgentiis tamen Basilicarum & Ecclesiarum dictæ vrbis in suo plenario robore durantibus: Districtius inhibentes alias indulgentias (præter istas duntaxat) in locis publicis vel privatis prædicari aut nuntiari, earumque prætextu à quæstoribus aliquid exigi quoquo modo. Quinimò quæstores & prædicatores quoscunque per locorum ordinarios à prædicationibus & quæstis hujusmodi faciendis, volumus & mandamus præsentium auctoritate arceri, sub censuris & pœnis ecclesiasticis, de quibus visum fuerit opportunum. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum suspensionis, inhibitionis mandati & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit: indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Tybure anno incarnationis Dominicę M.CCCC. LXXIII. IV. Cal. Septembris, Pontificatûs nostri anno tertio.

Primò *ex hac bulla intelligitur, Paulum 2. & Sixtum 4. non solùm annum Iubileum abbreviasse, & reduxisse ad annos 25. neglectâ ac repudiatâ Bonifacij* 8. *Clementis* 6. *& Vrbani* 6. *sententiâ: sed etiam Basilicis Petri & Pauli, item Lateranensis à Bonifacio & Clemente ad hanc nundinationem destinatis, Ecclesiam Mariæ majoris addidisse. In his Ecclesijs tantùm ab initio Indulgentias in Iubileis vendiderunt. Postea verò negotiatione hac feliciter procedente, alij Pontifices alias insuper his addiderunt Ecclesias, nempe eam, quæ est ad S. Paulum, ad S. Laurentium, ad S. Sebastianum, & ad S. Crucem: quæ sunt Romæ Ecclesiæ Principales hodiè, & majori priuilegio quàm cæteræ priuilegiatæ, easque potissimùm in Iubileis Peregrinos visitare oportet.* 1. *Animadversiones in Bullâ Sixti 4.*

Secundò, *ex hac Bulla, & ijs quæ supra diximus, intelligitur, Præcedentes Romanos* 2.

Ponti-

Pontifices plenitudinem potestatis profundendi plenarias Indulgentias ita sibi solis reseruâsse, vt pro expilatione eorum, qui Romam non venirent, vel negotiationem istam per alios exercerent in prouinciis omnibus Christiani orbis, vel eam facultatem certis limitationibus aliis qui hoc facerent, venderent. Testantur etiam non solùm Bulla Sixti, sed alia quoque scripta & certæ historiæ, Pontifices Rom. legatos suos per varias misisse Prouincias, assignatis ipsis certis legationis terminis, cum plenitudine potestatis concedendi plenarias Indulgentias nomine Pontificum ad instar Iubilei: Vendidisse etiam certis Ecclesiis, Cœnobiis, Capitulis, Collegiis, Conuentibus, Hospitalibus, Confraternitatibus & Vniuersitatibus priuilegia, facultates, concessiones & indulta concedendi Indulgentias plenarias certis limitationibus. Sixtus IV. igitur nouam imposturam ac fraudem excogitauit, Bullâ eius hoc attestante: Ne enim ideò, quòd vbique plenariæ Indulgentiæ prostarent, Iubilei nundinationes Romæ frigescerent; Sixtus imminente hoc suo Iubileo venditas prius facultates & concessiones suspendit, dicitque sine dispendio animarum fieri non posse, vt in aliis regionibus, quandiu durat Iubileus Romæ, vel plenariæ, vel certæ vllæ distribuantur condonationes: Ac proinde reuocat omnes toto orbe terrarum Indulgentias, easque Romæ, & à Romanis tantùm & peti & distribui iubet: neque vult integri anni spatio, alio in loco esse remissionem vllam peccatorum.

Anno verò hoc elapso, etsi in Iubileo maximam auri vim collegerit, non tamen contentus, in alias quoque prouincias, vt majorem colligeret, legatos cum Indulgentiis misit. Et Tigurum quidem anno 1480. *Bullam misit, concessitque vt eò peregrinatio, ibidemque ad* 7. *Ecclesias Processio institueretur, vbi tantundem gratiæ consequeretur, quantum si Romæ fuissent, consequuti essent. Ideoque hic Papa primus fuit qui Heluetiis Iubileum suum transmisit, sed non sine* SVO *commodo. Etenim Tigurum Heluetii & confœderati simul omnes vndiquaque maximo numero confluebant ad* 7. *diem Sept. qui Felici & Regulæ sacratus est anno* 1480. *Et prætendebant tum quidem emunctores illi Pontificii, pecunias colligi ad restaurandam basilicam Petri Romæ, quum tamen aurum illud Tiguri collectum, Papa pro stipendio quod Heluetiis debebat, solui juberet.*

NOTA. Ostenta aliaque infanda facinora tempore Iubilei 6.

1. *Hoc autem anno quo suum celebrauit Iubileum Sixtus, Iudæi tetrum & detestabile facinus commiserunt. Ad* 8. *Cal. Aprilis Tridenti (est Vrbs in Italiæ & Germaniæ finibus) puerum furto subtractum, vt postea compertum est, ritu gentis occultè peremerunt, toto schemate dominicæ passionis in puerili corpore repræsentato.* 2. *Eadem tempestate infans fœmina in Veronensi agro orta est binis genitalibus, duplici ventre, quaternis brachiis: id monstrum parentes diu multumque per Italiæ vrbes quæstûs causâ circumtulere, ad instar Iubilei anni lucri causâ excogitati. Sabellicus Enne.* 10. *lib.* 7. *c.* 3. *Mirum quoque dictu est, quantoperè Mahomet* 2. *hoc tempore res Christianorum imminuerit, eorumque vires fregerit.*

Paulus 2. Papæ & qualis.

Paulus 2. *abbreuiator anni Iubilei de quinquagesimo in vigesimum quintum, vir quidem corpore specioso fuit, sed animo elato: diligens in colligendo auro, sed diligentior in distribuendis pro lucro beneficiis.* De ejus apparatu Pontificio (*inquit Platina*) non est cur ambigas, majores ab hoc vno superatos, regno præsertim, siue mitram velis appellare, in quam multas opes contulit, coëmptis vndique, ac magnis precijs adamantibus, sapphiris, smaragdis, chrysolithis, jaspidibus, vnionibus, & quicquid gemmarum in precio est. Quibus ornatus, tanquam Aaron redimitus, in publicum formâ humanâ angustiore prodibat: ac inspici tum ab omnibus volebat ac in admiratione esse. Hanc ob causam nonnunquam Peregrinos in vrbe retinuit, intermissâ ostendendi sudarij consuetudine, quo à pluribus eodem tempore cerneretur. Pij prædecessoris decreta & acta abrogauit; ac abbreuiatores omnes, quos ille in ordinem redegerat, tanquam inutiles & indoctos (vt ipse aiebat) exauthorauit. Eos etiam bonis & dignitate, indictâ causâ spoliauit; quos propter eruditionem ac doctrinam, ex toto terrarum orbe conquisitos, magnis pollicitationibus & præmijs vocare ad se debuerat. Literarum ille ignarus, tardus & verè barbarus erat, ideoque nec literas nec virtutes amabat. *Totus ambitioni, luxuriæ ac voluptati deditus, dies totos aut gulæ, vt Volaterranus author est, aut nummis pensitandis, aut veterum numismatis, siue Imaginibus spectandis tradebat: ac si reseratis vitiorum omnium ianuis, quoduis scelus committere liceret, dummodò se iactitaret jus fasque habere in scrinio pectoris sui. Eum tandem in concubitu à dæmone strangulatum, obtorti colli terribili specie mortis genus ostendisse fama fuit.*

Sixtus 4. quis & qualis.

Sixtus verò 4. *qui Iubileum à Paulo* 2. *institutum in actum perduxit ac celebrauit, armis magis quàm religioni natus, bella per fas nefasque gessit plurima, contra Vitellium Tiphernatem, Florentinos, Venetos, Clumnenses, Ferdinandum Siciliæ Regem, Calabriæ ducem, & alias gentes ac Principes. In Longobardos execratos, igne ferroque concitauit suos tunc confœderatos Heluetios; quos etiam diplomate & vexillo rubro donauit, vt Christianorum sanguinem audacter effunderent. Vrbem Romam ex lutea lateritiam fecit, sicut olim Augustus ex lateritia marmoream: vias publicas primum strauit: Vicorum curatores ordinauit, sed nullos regni Dei prædicatores designauit. Templa omnia vetustate obsita restituit:*

Multa officia scribarum, breuiatorum, sollicitatorum, astipulatorum, & Apostolici fisci notariorum quæstûs causâ excogitauit, quæ semper à Pontifice pecuniâ redimi possent. Conceptionis Mariæ, ac Præsentationis eiusdem, Annæ ejus matris, Iosephi nutritij, Francisci Seraphici, & Alberti Drepanensis festiuitates instituit, Bonauenturam Franciscanum canonicauit & inter Deos Papisticos retulit, Monachisque mendicantibus redditus habere concessit: Fraternitatem insuper ROSARII *circa annos Domini 1470. ab Alano de Rupe, Dominicano institutam, bullis & Indulgentijs approbauit confirmauitque. Agnatos suos ac spurios, quocunque potuit modo, euexit, & diuina humanaque eis iniquissimè tribuit. Cornelius Agrippa de Incertitudine & vanit. scientiarum;* Inter Ienones, *inquit*, recentiorum temporum, qui lupanaria ædificabant, nobilis erat Sixtus 4. Rom. Pontifex, qui Romæ nobile admodum lupanar exstruxit: atque, *vt in Declamatione ad Louanien. fusiùs explicat,* vtrique Veneri assignauit. Meretricum cohortes ita aluit, amicisque & seruis exhibuit: nonnihil emolumenti etiam ex meretriceo quæstu, ærario suo accumulans. *Romana enim scorta in singulas heddomadas Iulium nummum ex ejus institutione adhuc pendent Pontifici: qui census annuus, nonnunquam viginti millia (nunc quadraginta) Ducatos excedit. Adeoque Ecclesiæ Procerum id munus est, vt vnà cum Ecclesiarum prouentibus, lenociniorum etiam numerent mercedem. Refert Vuesselus Groningensis in tractatu de Indulgentijs Papalibus, de hoc Pontifice,* quòd ad Petri, tunc S. Sixti Cardinalis ac Patriarchæ Constantinopolitani, & Hieronymi fratris sui postulationes, domesticę familiæ toti, Cardinalis D. Luciæ, qui Paulo 2. à venationibus fuerat, in tribus anni mensibus calidioribus, Iunio, Iulio & Augusto, masculino coitu frui permiserit, cum hac clausula, Fiat vt petitur. *Atque hic est ille Sixtus Papa qui in suo Iubileo plenissimam remissionem non solum à culpa, sed etiam à pœna peccatorum stulto mundo distribuit.*

IVBILEVS VII. *Iubileum Septimum celebrauit Alexander VI. anno 1500. Quemadmodum autem superioribus temporibus, ita etiam anno hoc ingens hominum multitudo Romam venit.*

Hic quoque Papa exemplo prædecessorum suorum, finito Iubileo in diuersas mundi partes Indulgentias misit cum legatis, eandem gratiam absentibus promittens, si modo mercarentur Indulgentias, quas præsentes Romæ in Iubileo accepissent. Et hæc sunt artes emungendi argentum, & excoriandi decipiendique simplices. Funkius in Chron.

Similiter Leo X. Polonis anno Christi 1516. Iubilei gratiam venalem dedit: idemque in Germania fecit. Sed cùm impudentius in Heluetia & Saxonia ejusmodi indulgentia commendarentur, multis viris doctis occasionem dederunt contra illas scriptis & verbis agere: idem.

Tempore hujus Iubilei Sacerdos quidam, cui nomen Hieronymo, etiam Romam adiit, verùm plùs scandalizatus quàm ædificatus fuit ibi, ob nescio quæ spectacula & gynaceum, quod se vidisse affirmabat. Cùm in patriam rediisset sæpè dicebat, Si centum Iubileos superuiueret, & Roma vno solo miliario distaret, nullum tamen se vnquam amplius visitaturum. *Cumque in quodam libro vidisset has literas separatim scriptas S. P. Q. R. quidnám interrogauit, quidnám hæ sibi vellent literæ? Alter respondit significare, Senatus, Populus Que Romanus. Sacerdos autem è vestigio sic interpretabatur,* Stultus Populus Quærit Romam: *Narratur in facetiis Adelphianis.* *Iudicium Iubilei Romani Sacerdotis cuiusdam.*

Anno 1500. autem quo Alexander suum Iubileum celebrauit, Baiazetes cum centum quinquaginta armatorum millibus ab Isthmo Peloponnesum ingressus, trinis castris circa Methonem positis, tandem intra vrbem irrupit, eamque cœpit, maximâ strage prius editâ. Captiui, inter quos etiam Episcopus eius vrbis fuit, ad vnum omnes supra mille numero longis nexi restibus, productique ad prætorium, in conspectu tyranni barbaricâ immanitate trucidati sunt. Mox inde profectus, & Iuncum, & alia multa Peloponnesi loca obtinuit. Iouius in vita Baiazetis 2. 2. Cometes quoque eo tempore in Septentrione sub signo Capricorni apparuit. Chron. Pol. lib. 4. cap. 76. 3. Cruces quoque in vestibus apparuerunt. Funkius in Chron. 4. Inuasit etiam Ismaël Sophi Persarum imperium, nouaque Mahometanæ superstitionis opinio promulgata & latè disseminata est. Iouius lib. 13. 5. Italia Gallorum aduentu maximas adiit clades: 6. Et Veneti cum classe Turcorum ad portum congressi fœdissimè rem gesserunt: idem. *NOTA. Clades & prodigia tempore Iubilei 7.*

Dignissimus autem fuit Iubileus hic qui in Alexandri VI. tempora incideret: fuit enim crudelis & prodigiosa libidinis bestia, quem multi affirmârunt nec Deum credidisse nec cœlum. Cardinales, qui ipsum elegerunt, primi sensère ingratum. Omnes enim calamitatibus variis ab eo sunt pressi, his quidem in exilium actis, illis verò in carcerem detrusis. Bellis grauissimis Vrsinos vexauit, eorumq; possessiones & bona omnia, prædo impudentissimus, diripuit, per nothum filium, cui & ea attribuit. Spurios suos honoribus amplissimis extulit. Lucretiam suam filiam spuriam, sed forma eximiæ & amabilis, primùm elocauit Ioanni Sfortiæ Duci Pisauriensi. Abdicatam verò Aloisio Arragoni, Alphonsi Regis filio notho: eoque interfecto, Alphonso Estensi Ferrariæ Duci. Creditum fuit à multis habuisse eum cum filia illa Lucretia furtiuam incæstuosamque consuetudinem. Vnde Ioannes Pontanus huic Lucretiæ tale Epitaphium condidit. *Alexander 6. quis & qualis.*

Hic jacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Hæc & alia similia Volaterranus proferre non audens, aut quia pudebat ipsum, Has, *inquit*, animi dotes magnis obruerat vitijs. *Item*, in vrbe gladiatorum nunquam licentia major, nunquam populo Romano libertas minor quàm sub Alexandro fuit. Delatorum insuper omnia plena, nec noctu tutum per vrbem iter, nec interdiu extra vrbem. Roma gentium refugium, & arx populorum omnibus seculis, nobilis jam carnificina facta erat. Quæ quidem omnia suorum causâ, quibus omnia indulserat, permittebat, *&c. Gemem Turcam à fratre Baiazete 2. pulsum, cum perpetuo Christiani nominis opprobrio, ingenti summâ vnâ die viuum & mortuum vendidit. Nam cùm à Baiazete magnum auri pondus accepisset, vt fratrem Gemem veneno, aut alio quouis modo tolleret, & Rex Francorum Carolus Gemem sibi tradi cuperet, tradidit quidem ipsum Regi Pontifex, sed exhibito prius ei veneno, sic vt mox in castris Caroli moreretur: Iouius libro secundo hist. Quomodo colluserit contra Hispanum vel Siculum, cum Rege Gallorum Carolo: & rursus quàm perfidè egerit cum Carolo, Historiæ luculentissimè docent. Antonio Mancinello vtramque manum & linguam abscindi jussit, quòd in impios ejus mores, spurcissimam vitam, atque inaudita scelera orationem scripsisset. Iussu quoque hujus Pontificis combustus est Florentiæ* Hieronymus Sauonarola *Ordinis Prædicatorij Monachus, concionator per Italiam, omnium qui aliquot seculis vixerunt, celeberrimus, vir pietate & eruditione insignis. Liberè concionatus est contra Clerum atque Papam*, quem dixit Antichristum esse, *vt qui Indulgentijs suis, traditionibusque plus tribuat, quàm Christi merito. Sannazarius pulchrè, sed verè hujus Pontificis spurcissimam & crudelissimam vitam hoc complexus est Epitaphio.*

Sæuitia, insidiæ, rabies, furor, ira, libido,
Sanguinis & diri spongia, dira sitis,
Sextus Alexander jaceo hic: jam libera gaude
Roma, tibi quoniam mors mea vita fuit.

IVBILEVS. VIII. Prodigia & clades tempore Iubilei 8. *Octauum Iubileum annum celebrauit Clemens VII. anno Christi 1525.*

Paulò antè quàm celebraretur hic Iubileus, anno 1516. Romæ ingens tempestas fulminis & tonitrui exorta est: quæ Templum, in quo creati erant illo ipso die à Leone X. Cardinales 31. percussit: atque Iesum puerulum è gremio Deiparæ, & claues è manibus Petri excussit. Annò autem 1525. seditio Rusticorum ingens exoritur per Germaniam Gallus ad Papiam capitur. Solymannus quoque Vngariæ bellum indicit: pugnatur 4. Cal. Sept. Ludouicus Rex Vngariæ interficitur, & Buda capitur.

Quis hic Clemens & qualis fuerit ex hoc ejus intelligitur: Clemens 7. Papa quis & qualis.

Clementem eripuit nobis clementia Fati
Humanum toto gaudeat orbe genus.
Hic est qui fuerat jam dedecus vrbis & orbis;
Et fuit ætatis magna ruina suæ.
Hic est, si nescis, qui jam tibi Roma parauit,
Excidium, pestem, funera, bella, famem.
Hic est per quem tot prostant & in vrbe puellæ,
Per quem pulsus honos, virgineumque decus.
Hic est qui molles euexit ad astra cynœdas,
Formosum à tergo munere iniuit Hylam.
Hic est qui fuerat viuens infamia mundi,
Imperij labes, spurcicieisque sui.
Contemptor Diuûm, scelerum vir, publicus hostis
Perfidus, ingratus, raptor, iniquus, atrox.
Exosus vitam, & morbo renuatus amaro.
Stabat Pæoniâ non reuocandus ope.
Mortem implorabat, nec mortem Fata sinebant
Gaudebant longâ se cruciare morâ.
Hic vidit mortis centum tormenta futuræ,
Pœna tamen mortis non fuit æqua suæ.
Ex ista tandem migrauit luce Tyrannus
Quo nullus toto pejor in orbe fuit.

IVBILEVS. IX. *Iulius 3. Iubilei 9. solennitatem egit anno Domini 1550. Venit hoc quoque anno Romam ingens hominum multitudo ad Indulgentias peccatorum redimendas: & in his apparuere ex omnibus terris sceleratissimi quique vt qui oppressi mole nefandissimorum scelerum, non existimârunt se domi, vnà cum alijs fidelibus, pœnitentiam agentibus & in Christum credentibus, gratiam à Deo posse consequi. Cernebatur itaq; manipulus furum, latronum, parricidarum,*

sodomitarum, magorum, omniumque colluvies malorum. Quibus se immiscebant histriones, fidicines, agyrtæ, lenones, scorta, scurræ, & hujusmodi hominum perniciosissimæ pestes. Atque hæc tum fuit, & adhuc est, Papæ, Cardinalibus, Romanóque clero digna Panegyris.

Julius 3. quis & qualis. *Hic Iulius, suum galerum, pro more Pontificio, quo novi Pontifices suum galerum, cuicunque voluerint, donare possunt, sed & insignia sua, cuidam adolescenti dare constituit, Innocentio nomine, non modo nullis prædito virtutibus, sed pravis moribus à pueris imbuto: quem ille in delitijs habuerat, dum esset Bononiæ legatus. Romæ fama erat, & libellis quoque taxatum, à Iove Ganymedem, sed deformem aliqui foveri. Papa tamen ipse illum lascivum & importunum iuvenem vocare solebat. Ergo dum Papa Consilium & institutum de donando suo pileo Innocentio, deferret ad Senatum Cardinalium, & nemo esset qui non resisteret: imò cum quidam Cardinalium satis liberè diceret.* Et quid obsecro, beatissime Pater, vides in hoc adolescente, quem vis purpuræ exornare splendore? *respondit Iulius,* Et quid obsecro in me vidistis quod Pontificiâ dignitate ornaretis? cum ergo hic sit fortunæ lusus, ut quos ipsa evehat, quemadmodum me immeritum evexistis, ita nunc quoque hunc juvenem evehamus ad Cardinalitiam dignitatem. *Ejusque illicitis amoribus etiam in Cardinalatu usus est Pontifex. Rex Galliæ Franciscus funestissimi belli inter se & Carolum Imperatorem exorti in scripto quodam satis dentato edito, hunc Pontificem auctorem fecit.*

IUBILEUS 9. *Iubileum 10. celebravit Gregorius 13. anno Domini 1575.*

Nota. Clades tempore Iubilei 10. *Hoc anno Selymus 2. potitur Tunetano regno: & creatur Turcorum Imp. Amurathes 3. Duobus annis ante hunc Iubileum Selymus occupavit Cyprum. Hyems inclementissima exstitit. Patratum est latrocinium illud Gallicum, cujus simile in nulla Historia exstat, sciente & approbante hoc Pontifice.*

Gregori 13 quis & qualis. *Gregorius hic in Cardinalium senatu Henricum Navarrenum & Henricum Borbonium excommunicavit: omnes qui eorum factiones sequebantur proscripsit: Monitorium per Landrianum in Galliam publicandum misit. Mense autem Augusto Parlamentum Turonense edicto publico Monitorium hoc Bullæ Gregorianæ infirmat, rescindit, & irritum facit: impium, seditiosum, dolo plenum, omnibus sanctis decretis, statutis, juribus, privilegijs, immunitatibus & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ contrarium pronunciat: exemplaria seu diplomata Bullæ per carnificem lacerari, & igne ante Palatium comburi jubet: Prælatis etiam omnibus, Sacerdotibus, vicarijs, alijsque viris Ecclesiasticis eadem exemplaria publicare & divulgare interdicit, omnibusque utriusque ordinis ea domi habere & asservare. Gregorium quoque Pontificem Schismaticum, hæreticum & juratum pacis & concordiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ, Regis Franciæ, & totius Regni inimicum & hostem declarat & pronunciat: imò proditoriè Hispanorum seditionis & conjurationis complicem, ut qui perduelles tueatur, & defendat, ijsque ad inauditum mortis Henrici Regis latrocinium opem & consilium præbeat: utque Landrianus legatus Pontificius, qui Monitorium Bullæ in Regnum primus intulit, comprehendatur, & in vincula conjiciatur. Ligam etiam Pontificiam contra orthodoxos vehementer fovit. Calendarium quoque novum, Seminarium discordiarum & turbarum plurimarum, vetere abrogato, Christiano orbi obtrusit.*

Clemens 8. indixit & celebravit undecimum Iubileum anno Christi 1600. & ubique terrarum promulgavit, pro jure illo, quod prætendit sibi esse in paradiso se thesaurum suum omnibus in infinitum patefecisse, nullis limitibus, aut peccatorum, aut annorum, ijs inquam qui Romam profectionem susceperint, templa Sanctorum visitârint, atque Imagines & Reliquias, quæ ibidem sunt adorârint. *IUBILEUS 10.*

Eo anno quo Clemens suum celebravit Iubileum atrocissimum prælium inter Albertum Archiducem Austriæ, & Mauritium, Statuum in Belgio summum ducem, commissum est, in quo utrinque multi desiderati sunt, 22. Iunij. Multa quoque regna & provinciæ orbis Christiani maximo & horribili terræmotu conquassata sunt anno 1601. Sept. 7. Et Alba regalis in Vngaria paulò antè à Christianis capta, anno 1602. rursus amittitur, & in Turcorum potestatem venit. Quemadmodum igitur Iubileus Papisticus cum Turcorum imperio exortus est, ita quoque tempore Iubilei prosperâ semper fortunâ adversus Christianos usi sunt Turci. Similiter etiam compertum est, eodem tempore semper horrenda aliqua, vel mali aliquid denunciantia accidisse. Sed & illud certum est, Annos hos semper in Pontifices sceleribus omnibus obrutos incidisse. *Mala quæ tempore Iubilei 11. acciderunt.*

Iubileis annis & nundinationi in ijs factæ, in ipso quoque Papatu contradictum fuisse.

HÆc omnia quæ hucusque de Origine & Progressu Iubilei anni, & Peregrinationum quæ in eo fiunt ad Templa Sanctorum Romæ, diximus, cùm ita se habeant, mirum non est, si in mediis Pontificiarum superstitionum tenebris, semper aliqui exstiterunt, qui Iubileorum nundinationibus, & Indulgentiarum imposturis, quæ in iis fiebant, non solùm acriter restiterunt, sed etiam palàm damnârunt. Nam Viennense Concilium habitum anno 1311. Paulò post primum Iubileum à Bonifacio celebratum, reprehendit & damnavit omnes eos, qui plenariam, nedum *Viennense Concilium.*

ext. omnia.

hedum pleniffimam peccatorum remiffionem indulgerent, & à pœna & culpa per indulgentias abfolverent. *Cùm etiam Clemens 6. in Bullis Indulgentiarum à culpa & à pœna Indulgentias publicaret, ac ipfis Angelis in cœlo præciperet, ut Peregrinantium animas fi in itinere evolarent, ftatim in Paradifum transferrent: inventus eft quidam Ioannes Angelus qui publicè docuit*, Animas in Purgatorio exiftentes effe de jurifdictione Papæ, & Papam, fi vellet, poffe totum Purgatorium evacuare. *Parifienfes autem Theologi* hanc Angeli iftius propofitionem damnârunt, & populo publicè prædicandam prohibuerunt, *ficut Francifcus Maironis fcribit. Ipfius etiam Clementis* temeritatem publicè reprehenderunt, & corrigi petiverunt, *ut Vueffelus refert. Antoninus etiam fcribit*, in Bullis quibufdam Clementis 6. multa narrari levia & exorbitantia fatis, quæ Bullæ verofimile fit effe fictitias. *Sed Vueffelus affirmat*, fe illas vidiffe plumbatas, & refervari Viennæ, Limonijs, Pictavis in Thefauro Privilegiorum.

O derum Papam. *Parifienfes Theologi.* *Antoninus.*

Inter Vualdenfium etiam articulos 13. fic habet: Prælatorum omnium Indulgentiæ, ad limina Sanctorum Peregrinationes, imò anni Iubilei, nullius funt valoris aut commoditatis.

Waldenfes.

Fuerunt & hæc Ioannis Vuiclephi verba: Confulendum eft fidelibus, ut non petant curiam Romanam ad Papales Indulgentias vel abfolutiones à pœna & à culpa, fibi & alijs impetrandas, quia Dominus totius mundi non vult in tali brevi vel angufto loco coarctari: fed in cœlo exiftens perpendiculariter, cuilibet pœnitentiam agentis, paratus eft ad lumen fuæ gratiæ influendum.

Wiclephus.

In Ruthenorum etiam articulis undecimus fic habet: Quod Indulgentias & Iubileos damnent, nullius efficaciæ ea perhibentes. *Hæc eadem etiam Ioannes Huß & Hieronymus Pragenfis repetierunt.*

Ruthenorum articuli.

Neque etiam Alexandri 6. temporibus placuit hæc Paparum nundinatio in Iubileo anno cunctis hominibus. Nam de ea Sannazarius fic canit:

Sannazarius.

Pollicitus cœlum Romanis & aftra facerdos
Per fcelera & cædes ad Styga pandit iter.

Felix Malleolus quoque, vulgò Hemmerli, utriufque Iuris Doctor, & Ecclefiæ Tigurinæ Canonicus, fcripfit circa annos Domini 1454. *contra Iubilei anni nundinas. Et in Recapitulatione de anno illo, quum vitam & fcelera nefanda authoris ejus Bonifacij 8. commemoraffet, hæc addit*: De malo non præfumitur bonum: &c. *Item*: Prout ex geftis fummorum Pontificum divulgatum videtur, ipfe fuit Tyrannus crudelis, & Præful avariffimus, & Pontifex ambitiofiffimus, & in ipfo fuis dierum temporibus non apparuit alicujus ftigma devotionis aut fanctitatis apparatus. Sed quòd fuerat Italus, Patriæ fuerat amator elatiffimus, & quod totius mundi munera fibi affluerent, pro tunc novus ille modus fubtiliter inventus fuit. Et ficut dicitur lib. 2. c. de commer. & mer. Non folùm aurum barbaris minimè tribuatur, fed etiam apud eos fi inventum fuerit, fubtili aufferatur ingenio; ita hoc ingenium fuit apud Bonifacium, & præfentibus diebus in Curia Romana videtur continuatum. Malo autem inchoata principio vix bono exitu peraguntur: 61. dift. Miramur. Hoc verum effe in Iubilei anni hiftoria patet. *Vide plura eodem loco.*

Felix Malleol.

De Origine & Progreffu *Compoftellanæ* PEREGRINATIONIS.

INter fecundi hujus generis Peregrinationes jam duobus aut tribus adhinc feculis fuit etiam Compoftellana ad S. Iacobum in Hifpania, *fratrem Domini, vel Ioannis Euangeliftæ: nam in hoc non confentiunt omnes ut videas eos ipfos incertos effe quis Iacobus ille Compoftellanus fuerit. Sed quifquis fit, de eius tranflatione in Hifpaniam & fepulchro, mira fparfa funt pofterioribus temporibus mendacia, in quæftum à Sacrificulis & Monachis excogitata. Quidam enim à difcipulis eius corpus integrum Compoftellam Hifpaniæ deportatum fuiffe dicant 8. Cal. Augufti: & Lupam Reginam, ad fidem Chriftianam converfam, ex fuo palatio Ecclefiam ei dedicaffe, eumque ibi fepeliviffe, & omnia fua Ornamenta Ecclefiæ confecraffe: Beloth in Rat. cap.* 140. *Petrus de Natalibus lib.* 6. *capite* 133. *Iacobus de Voragine Legendâ* 94 *qui duo hoc ex Beletho referunt aliòquin apud nullum probatum authorem legitur.*

Alii truncum corporis Iacobi Tolofæ, & caput tantùm Compoftellæ fepultum dixerunt. Et Chriftiani quidem Compoftellæ S. Iacobi, five corpus integrum, five truncum, aut caput faltem eius, aliquot jam feculis, magnis eò tranfactis itineribus, & quidem etiam periculofiffimis, religionis ergò vifitàrunt.

Erroris autem mendaciique caufam hanc effe autumat Funccius libro 5. *Comment. ad fuam Chronol. Raphael inquit, Volaterranus lib.* 2. *Geog. tradit, Alphonfum* 3. *cognomento Magnum, & circa annos Chrifti* 883. *regnantem, Templum D. Iacobo Compoftellæ ædificaffe: fed nihil amplius addit. Iacobus autem de Voragine in Lombardica Hiftoria Legendâ* 187. *ex Turpini Remenfium Archiepifcopi ad Leoprandum Diaconum Aquifgranenfem fcripta, Carolum M. in Hifpania ex anno quod Reges &*

Erroris & mendacij caufa de Iacobo Compoftellano.

Principes ei dederint D. Iacobo Templum exstruxisse. Addit Sabellicus Enne.8.lib.8. & Erdfordiensis cap.68. Turpinum, unà cum aliis novem Episcopis, hoc Templum consecrâsse, eamque Ecclesiam principem in omnes alias constituisse. Vt videas, incertum etiam esse, quis hoc Templum extruxerit. Hinc ego conjicio, quum sequentibus inde seculis, Peregrinationes ad Sanctorum Templa increbescerent, magnóque ea res Sacrificulis & Monachis avaris quæstui esset, aliquos habendi cupidine adductos, hoc mendacium Templo illi affinxisse, quòd corpus Iacobi Apostoli illuc translatum ibique sepultum sit, Cui deinde ficta miracula, apud imperitum vulgus fidem fecerunt: donec tandem invalescente famâ, ea qua tribus jam seculis fuit, Peregrinatio exorta sit. Et quum à peritis rerum quæsitum esset, quo pacto, aut quando corpus Sancti eò allatum esset, quicquid fingere quod lucro esset, hypocrisis & temeritas non est verita.

De PEREGRINATIONIBVS ad *Sanctorum Imagines*, & offerenda illis dona.

DIXIMVS *prolixè de Secundo genere Peregrinationum quæ in orbe Christiano fiunt.* TERTIVM *est earum, quæ fiunt ad invisandas Sanctorum excellentium Imagines, & offerendas illis candelas aliaque dona pretiosa. Sic Ethnici quoque quum plures Deos colerent, vt majore eos honore afficerent, ipsis Templa ædificabant, in quibus Imagines eorum erigebant, nec unicuique Deo unicam tantum, sed pluribus locis ferè infinitas uni Deo, prout urbes & regiones devotione aliquâ eò ferebantur, eosque sibi mediatores adsciscebant. Et in hac varietate & multitudine, Sacerdotes, subdoli & vafri homines, conabantur suis Dijs famam supra alios acquirere, ut magno numero eò Peregrini confluerent: & ut hoc alijs facilius persuaderent, miracula fingebant, ut crederent stulti homines, Deos illos istis suis Templis delectari, & magis præsentes ac propitios in his templis, ac istis suis Imaginibus, quàm in alijs sese exhibere velle. Hanc Diabolus occasionem arripiebat, & præsentem se sistebat in illius Dei locum, cujus ibi proferebatur Imago: & miraculis interdum populos eò magno numero pelliciebat, quò se adorandum exhiberet. Hac ratione factum est, ut quum multa alia in orbe terrarum essent Apollinis templa, Delphicum tamen maximi inter alia nominis esset. Quamvis etiam ubique essent templa & Imagines Dianæ: Ephesina tamen primum obtinebat locum, quòd famâ increbuisset Sacerdotum ipsorum technis, Simulachrum illud è cœlo delapsum fuisse. Sic in varijs orbis terrarum locis magni nomis Simulachra erant: alia quæ dicebantur loquuta esse, alia sudâsse, alia miracula alia edidisse, quò illis major fama acquireretur. Illuc suscipiebantur votivæ Peregrinationes, affluebatque maximus hominum numerus, ut ex Ethnicorum libris constat, atque etiam ex 19. cap. Act. Apostolicorum, ubi Demetrius testatur, totam Asiam, & universum orbem majestatem Ephesinæ Dianæ colere. Cùm ergo Ethnicorum Simulachra contra expressum Dei verbum à Pontificijs recepta sint: hæc recepta opinio statim apud eos quoque introducta est,* Sanctos uno loco magis quàm alio delectari, & præsentiâ suâ ijs adesse qui eo in loco eos quæsierint. *Presbyteri iisdem fallaciis & versutiis atque Ethnicorum Sacerdotes usi sunt, quisque ut sua simulachra extolleret: Adeò ut Loretani dixerint, quod ab Ephesiis dicebatur, Imaginem Mariæ è cœlo delapsam. Alij affirmant, suum Mariæ Simulachrum ex Orientis partibus in extimas Occidentis oras delatum: alij suum ab Angelis vel fabricatum, vel consecratum, vel auctum, vel ab hostium incursu, aut incendijs defensum.*

Et hæc est Origo & Progressus hujus tertij generis Peregrinationum. Qui non habebant Sanctorum corpora (sicut non habent corpus Virginis Mariæ) in illorum locum hæc simulachra, quæ magni erant nominis, collocârunt, ut eò homines allicerent: Hæc varietas nominibus distincta est, aut urbibus, aut miraculis quæ ibi publicantur: quisque eò vota sua persoluturus peregrinatur, in Sacerdotum commodum. Parum illi curant Deum declarâsse hæc omnia se execrari, quòd erigantur Simulachra, & colantur; minatum quoque esse se in illos vindicaturum usque ad tertiam & quartam generationem. Nec animadvertunt, Imagines quas adorant, esse opera manuum hominum, lignum, lapidem, aurum, argentum, aliasque materias corruptioni obnoxias.

De Origine & Progressu PEREGRINATIONIS *Loretanæ* ad Idolum *seu* Imaginum S. Mariæ.

QVI *Loretanum templum invisit, videt statim scriptum pendens in tabella, de translatione fabulosa Ecclesiæ B. Virginis Mariæ de Loreto, quod præterea non modo Latinè, sed etiam Italicè impressum passim circumfertur: Ex quo simul intelligi potest, Peregrinationem ad Idolum illud circa annos Domini* 1290. *demùm cœpisse, quo fabula illa, in qua ne verisimilia quidem continentur, approbata & confirmata fuit, ut non solùm horribilis Idololatriæ stabiliretur, sed etiam maius inde lucrum ad Sacrificulos, & ipsum Romanum Pontificem rediret. Illud autem scriptum de verbo ad verbum sic habet:* *Fabula de templo & Idolo Loretano.*

Ecclesia B. Mariæ de Loreto fuit Camera domus

domus B. virginis Mariæ matris Domini nostri Iesu Christi, quæ domus fuit in partibus Hierusalem Iudeæ, in civitate Galileæ, cui nomen Nazareth, & in dicta Camera fuit B. virgo Maria nata, & ibi educata, & postea ab Angelo Gabriele salutata, & demum in dicta Camera nutrivit filium suum Iesum Christum, vsque ad ætatem duodecim annorum. Demùm post ascensionem Domini nostri Iesu Christi in cœlum, remansit Virgo Maria in terra cum Apostolis & alijs Discipulis Christi, qui videntes multa Mysteria diuina fuisse facta in dicta Camera, decreuerunt de communi consensu omnium de dicta Camera facere unam Ecclesiam in honorem & memoriam B. virginis Mariæ, & ita factum fuit, & deinde Apostoli & Discipuli illam Cameram consecraverunt in Ecclesiam, & ibi celebraverunt divina officia, & B. Lucas Evangelista suis manibus fecit ibidem unam Imaginem ad similitudinem B. Virginis, quæ ibi est usque hodiè. Demùm dicta Ecclesia fuit habitata & honorata cum magna devotione & reverentia ab illo populo Christiano, qui erat in illis partibus, in quibus stetit dicta Ecclesia, quousque ille populus fuit Christianus: sed postquam populus ille dimisit fidem Christi, & recepit fidem Mahometi, tunc Dei Angeli abstulerunt prælibatam Ecclesiam, & portaverunt illam in partes Sclaveniæ, & posuerunt eam ad quoddam castrum, quod vocatur flumen, & ibi minimè honorabatur, vt desiderabat B. Virgo Maria Iterum de eodem loco Angeli abstulerunt illam, & portauerunt eam supra mare in partibus territorii Recaneti, & posuerunt eam in quadam sylva, quæ erat cuiusdam nobilis dominæ ciuitatis Recannatensis, quæ vocabatur Loreta, tunc accepit ista Ecclesia nomen ab illa domina, quæ erat illius sylvæ domino & patrona, *Sancta Maria de Loreto*. In illo tempore propter gentium nimium concursum in ea sylua, quâ ipsa Ecclesia permansit, maxima latrocinia & innumerabilia mala committebantur, quapropter per Angelorum manus rursus assumpta est, & portata in montem duorum fratrum, in eodem monte per eorum Angelorum manus sita est, qui fratres ob maximum denariorum & aliarum rerum introitum & lucrum, simulátque ad invicem ad maximas discordias & lites venerunt, propterea, pari modo Angeli abstulerunt eam ab eodem montis loco, & portauerunt in viam communem, & in eadem illam posuerunt & firmauerunt eam, vbi est nunc cum magnis signis & innumerabilibus gratiis & Miraculis: collocata fuit in eadem via ista alma Ecclesia. Tunc igitur totus populus Recanati, fuit ad videndum dictam Ecclesiam, quæ erat super terram sine aliquo fundamento, propter quod dictus populus considerans tam magnum miraculum, & dubitans ne dicta Ecclesia veniret ad ruinam, fecerunt dictam Ecclesiam circumdari alio muro bono grosso & optimo fundamento, prout hodiè videtur manifestè; tamen nullus sciebat vnde ista Ecclesia originaliter veniret, nec vnde recessit.

Nota quomodo supradicta sunt scita in anno Domini M. CC. XC. quia B. Virgo apparuit in somnio cuidam sancto viro ei devoto, cui ipsa suprà dicta reuelauit, & ipse statim omnia divulgauit quibusdam bonis viris illius provinciæ, & ipsi immediatè deliberauerunt velle scire veritatem huius rei, & sic communicato consilio decreverunt, quòd essent sexdecim homines notabiles, & boni, qui simul irent ad sanctum sepulchrum, & demum ad illas partes de Hierusalem Iudeæ, & in civitate Nazareth, ad investigandum suprà dicta inventa: & ita factum est, nam ipsi secum portaverunt mensuram dictæ Ecclesiæ, & fundamentorum vestigia dictæ Ecclesiæ invenerunt, & illam mensuram ad vnguem, sicut est ista, & in vno pariete ibi prope est scriptum in muro, quomodo ista Ecclesia fuit ibi, & postea recessit, demum quippè ibidem viri reversi sunt ad istam provinciam, notificauerunt suprà dicta inventa per eos esse vera: Et ex tunc fuit scitum, quòd ista Ecclesia fuit Camera sanctę Marię Virginis, & exinde populus Christianus habuit magnam deuotionem, & habet nam omni die ibi B. virgo Maria mediante dictâ Ecclesiâ, facit infinita Miracula, veluti experientia docet.

Hic fuit vnus Heremita, qui vocabatur frater Paulus de sylva, qui habitabat in vno tugurio in sylva, propè istam Ecclesiam, qui omni manè erat in ista Ecclesia, ad officium divinum, & fuit homo magnæ abstinentiæ, & vitæ sanctæ, qui jam dixit: sunt anni decem, vel circà quod in die Natiuitatis Marię, quæ est octaua dies Septembris antè diem per duas horas, stante aëris serenitate, & dicto fratre Paulo exeunte de suo Tugurio, & veniente versus Ecclesiam, vidi vnum lumen descendere de cœlo suprà dictam Ecclesiam, quod in longitudine videbatur 12. pedum, & in latitudine sex pedum: & cum fuit illud lumen suprà dictam Ecclesiam, disparuit, ob quam rem ipse dicebat, quòd fuit B. Virgo, quæ ibi apparuit in die Nativitatis suę, quæ venit, vt videret suum festum, vt hoc non vidit

nisi ille sanctus homo.

In quorum omnium fidem & testimonium mihi præposito Terremano, & gubernatori prænunciatæ ecclesiæ quidam duo boni viri hujus villæ habitatores retulerunt, ac nunciaverunt, & pluribus vicibus dixerunt: unus vocabatur Paulus Renaldatij, & alius Fran. aliàs prior: & dictus Paulus dixit mihi, quod avus avi ejus vidit, quando Angeli duxerunt prædictam Ecclesiam per mare, & posuerunt illam in dicta sylva, & pluribus vicibus ipse cum cæteris personis ipsam Ecclesiam in prælibata sylva visitavit. Item dictus Franciscus, multoties retulit ac dixit mihi, quòd avus ejus, qui erat centum viginti annorum, dixit, quòd pluribus vicibus visitavit dictam ecclesiam in eadem sylva, & pari modo ipse Franciscus retulit atque dixit mihi per plures vices. Item ad hujus rei credulitatem atque certitudinem declaramus, quomodo ista alma Ecclesia fuit & stetit in dicta sylva pluribusque probis personis dictus Franciscus dixit, quòd avus avi ejus habuit domum & habitavit ibi, & ejus domus erat penes prætaxatam ecclesiam, & in suo tempore elevata fuit per angelos à loco sylvæ, & portata in montem duorum fratrum, & ibi sita & collocata est, ut est superius dictum. *Hucusque fabula.*

Animadversiones in præcedentem fabulam.

Author horum insignium & impudentissimorum mendaciorum, Sacrificulus fuit, qui ante trecentos annos in Pago Loretano Parochus erat: hoc enim ipsemet testatur, sic inquiens: Duo boni viri hujus Pagi dixerunt hæc mihi gubernatori dictæ Ecclesiæ. *Tunc erat Loretum Pagus, quod vix unicum Sacrificulum sustentare ac alere potuit; nunc verò, quum ad summum creuerit superstitio atque Idolomania, ex pago factum est frequens oppidum, mœnibus ac propugnaculis munitissimis cinctum, in quo 40. partim Canonici, partim Capellani habitant, & in deliciis atque luxu viuunt: Imò usque adeò existimatio & commoditas loci creuit, vt Cardinales de præfectura ejus sæpè inter se litigent atque digladientur.*

Quanta autem fides tali Sacrificulo adhibenda sit, qui nihil aliud spectabat, quàm vt plurimos inuitaret & commoueres hoc aucupio, vt Loretum ad se adcurrerent, & opimas Eleemosynas adferrent, facilè iudicare poterit, qui vel mediocri judicio præditus est: præsertim quum constet ex suo ipsius scripto, illum non modò indoctum & rudem, sed etiam impudentissimè mendacem esse. Congessit enim turpissimas fraudes & imposturas, quæ ex diametro pugnant cum historia & doctrina Euangelica, Actis Apostolorum & tota sacra Scriptura, quemadmodum paucis ostendam.

1. Primò *enim, quòd dicit,* Christum fuisse enutritum & educatum in illa ipsa Camera, in qua Virgo Maria Mater eius nata sit. *Evangelicæ Historiæ omninò repugnat. Si enim Ioseph paruit Angelo & Mariam ad se recepit, Matt. 1. cap. quis non videt, eam in Iosephi domū adductam & receptam fuisse; non autem Iosephum in domum soceri receptum vt in ea cum coniuge habitaret? Hoc etiam attestatur Nicephorus lib. 1. cap. 8. inquiens:* In Nazareth cum Iosepho domicilium illa habens, ab Archangelo Gabriele lætum accepit Nuncium, *&c. Et vt cap. 12. eiusdem libri indicatur,* Christus in domo Iosephi circumciditur. *Intelligit ergo Lector, Christum non fuisse enutritum in illo ipso cubiculo, in quo mater eius nata fuerat; sed partim in domo Iosephi, partim in Ægypto.*

Secundò, *quod sequitur in fabula,* Apostolos vidisse quod in dicta Camera multa divina mysteria facta sint, *contrarium est etiam Historiæ à Spiritu Sancto de Apostolis scriptæ. Lucas certè diligentissimè descripsit res gestas Apostolorum, conciones, Sacramentorum administrationes fugas, itinera, Miracula, carceres, flagella & similia: sed nunquam fecit vllam mentionem vel vnico verbulo de Camera illa, aut de vllis mysterijs quæ in ea facta sint. Cur ergo Sacrificus ille ausus est Euangelistam tantùm non mendacij accusare? Nam qui in describenda historia recitet & omittit ea, quæ vera & magna sunt, is dignus est qui pro mendace habeatur & criminis falsi insimuletur. Inter res maximas autem id numerandum est, quod Sacrificus ille fingit, Apostolos vidisse, quòd in dicta Camera multa Mysteria facta sint. Aut si quid eiusmodi factum non est, cur ausus est Sacrificus ille confingere, & Papa confirmare?* 2.

Tertiò *falsum est,* Apostolos concordibus votis statuisse, Cameram illam in Ecclesiam convertere, in honorem & memoriam Mariæ. *Nam vbi legitur in nouo Testamento, Apostolos Templa ædificâsse, aut mandâsse vt alij adificarent ea, & quidem in honorem ac memoriam Mariæ vel aliorum Sanctorum, imò etiam in honorem Dei aut ipsius Christi?* 3.

Quartò *falsū etiam hoc est* Apostolos non modò constituisse, ut illa Camera deinceps haberetur pro Ecclesia seu Templo, sed ipsos etiam voluisse eam consecrare & dedicare. *Quis enim vnquam antehac audiuit aut legit tale aliquid de Apostolis?* 4.

Quintò, *vanissimum quoque est,* post factam consecrationem, S. Lucam manu suâ pinxisse Imaginem B. Mariæ, & eam in Camera seu Ecclesia illa collocâsse, atque illam ipsam esse, quæ hodiè Loreti cernitur. *Nam* primò, *S. Lucas non pictor, sed Medicus à Paulo vocatur, Coloss. 4.* Secundò, *impium est vel cogitare quidem, nedum scribere aut dicere, S. Lucam Imaginem ad cultum pinxisse.*

contra manifestum Dei præceptum: Non facies tibi sculptile, aut aliquam similitudinem, non adores neque coles eam. Tertiò, *hanc ipsam Imaginem ostendunt etiam Romæ in Templo S. Mariæ maioris.* Quartò, *non credibile est Summos Pontifices, Scribas & Pharisæos apud Iudæos laturos fuisse, vt discipuli Christi Nazarethi haberent Templum, in eòque Imagines colerent ac adorarent.*

Sextò, *putidissimum mendacium est*, Apostolos in hac Camera & Templo diuina officia celebrâsse: *quum constet etiam Papistarum testimonio, Canonicas horas & Missam, vt quidem hodiè celebratur, diu post Apostolorum tempora inuentam & institutam esse.*

Septimò, *huius Cameræ seu Templi non meminerunt Patres qui Apostolos proximè secuti sunt. Hieronymus quoque qui Bethlehemi diu habitauit, & omnia loca terræ Sanctæ perreptauit & lustrauit diligentissimè, eius nullo verbo mentionem facit, ne in epistola quidem illa ad Eustochium, in qua tamen Pregrinationes Paulæ in terra Sancta accuratè describit. Nicephorus etiam, qui tamen multa fabulosa & leuicula in sua historia recitat de parentibus B. Mariæ, Ioachimo videlicet & Anna, de Iosepho, de educatione, forma, statura & ætate Mariæ; præterea de eius miraculis, morte, funere, resurrectione & ascensione corporea in cœlum; de hac Camera & Ecclesia ab Apostolis dedicata nihil prorsus scribit: Neque etiam alij historici post illum, præter unicum hunc Sacrificum ruralem.*

Baronius Patronus mendaciorum.

Quamuis autem hæc sic se habeant, non tamen puduit Baronium *Cardinalem Tomo* I. *Annal. Ecclesiast. pag.* 71. *&* 72. *hæc tam enormia & putida mendacia suo quoque calculo & assensu approbare & confirmare*: Domus illa, *inquit*, in qua de verbi incarnatione Sanctissima Virgo cœleste accepit nuncium, adhuc magno miraculo non tantum integra perseuerat, sed angelorum ministerio ab infidelium manibus vindicata, in Dalmatiam primùm, inde in Italiam translata est in agrum Lauretanum Piceni prouinciæ: quod per insigne ac nobilissimum vetustatis monumentum totus Christianus Catholicus orbis veneratur ac colit. Nec est quod quis de re gesta dubitet, qui memoria repetat illic dictum esse ab Angelo, non esse impossibile apud Deum omne verbum. Fidei Christianæ esse, prædixit Christus, vt & montes Christianorum imperio è loco in locum transferrentur: præstiterunt hoc complures sancti, & inter alios Gregorius ille Magnus, Thaumaturgus cognomento, complura enim id generis certa auctorum fide repe riuntur edita.

Ad hæc verba huius fabulæ Clarissimus Casaubonus in suis ad Baron. Annal. tom. I. *Exercitationibus pag.* 210. *sic respondet*: Nemo dubitat istius domûs translationem fictitiam admodum recentem esse. Avorum quippe nostrorum temporibus primò cœpit illius fieri mentio, Primique, vt videtur, Blondus & Baptista Mantuanus celebrârunt; Scriptores & nudius tertius nati. Quo igitur iste anachronismus annorum amplius mille quadringentorum? Quod cùm probè scire Baronius, non temerè, sed certò consilio translationis putativæ tempus dissimulavit. Exigebat sanè ab illo susceptæ Provinciæ ratio, ut miraculi tam incredibilis, tam recentis, tanti hoc tempore momenti, veritatem diligenter inquireret, & quod invenisset, fide integra profiteretur. Exigebat charitas Christiana, vt tot populos, quibus hæc novitas suspecta est, si poterat ab errore liberaret. Nam si hîc in luto hæret Baronius, nec potest se expedire, haud dubiè causa conclamata est.

Nunc rationes Baronianas sincero & candidò animo expendamus. PRIMO *Bedæ locum profert, ubi domûs utriusque Nazareticæ fit mentio. Rectè. Sed non observat ille Venerabilem Bedam narratione sua fidem novi miraculi funditùs evertere. Nam de domo ubi conceptus Iesus, ita scribit*: Altera Ecclesia est, vbi domus erat, in qua Angelus ad B. Mariam venit. *Clarè ex his verbis constat, jam ætate Bedæ, hoc est, annos octingentos & plures, ædem sacram in eo loco fuisse ædificatam, quem Christi conceptio insignem fecerat. Iam tum igitur domus illa, quæ tum fuit cùm Christus concipiebatur, vel omninò esse desierat, vel certè domus esse desierat. Sanè cùm dicit Beda*, ubi domus erat, non obscurè videtur significare, jam ætate sua amplius eam non fuisse, nedum esse nunc queat. *Nam si ante Octingentos vel nongentos annos non erat illa domus, quomodo verum erit, quodquod Baronius ait, illam semper durâsse integram? Si quis dicat, non desiisse quidem esse illam domum, sed in Templum fuisse versam, quæram ego; Si domus versa est in Templum ante tot secula, quomodo & quandò Templum iterum versum est in domum. Non enim Templum transtulisse Angeli dicuntur, sed domum. Dicet fortasse aliquis, tunc cùm illo loco Templum est inædificatum, priorem domum aliò esse translatam. Verùm hoc neque ullius Scriptoris veteris Testimonio potest probari, neque de re tanta conjecturis fallacibus temerè locus dari debet. Tùm autem meritò quærat aliquis, vbi latuerit illa domus translatitia per tot secula? Nam ut initio translatæ nemo meminit, ita servatæ nemo.*

SECVNDO *loco profert Baronius Consensum Populorum.* Hoc monumentum, *inquit*, totus Christianus Catholicus orbis veneratur ac colit. *Melius dixisset ac verius; Vniversi nominis Christiani & Catholici, partem illam*

lem Rom. Pontifici paret, fidem habere huic miraculo: quanquam ne id quidem verum. Nam etiam inter Romanas Catholicos, in ipsa quoque Italia, multi dubitant, multi aliter sentiunt: sed quod sentiunt publicè profiteri, impediti non audent. Porrò, qui Papam agnoscunt Christiani, quota pars sunt vniversi nominis Christiani? aliter sentire ridiculum & plus quàm puerilis est error.

TERTIO *loco subijcit Baronius argumentum ab Omnipotentia Dei, & hanc quidem verè Christianus nemo negat, nemo ne in dubium quidem vocat. Sciunt eruditi, jam olim Epicharmo Poëta Pagano verè dictum esse,* ἀδυνατεῖ οὐδὲν θεῷ. *Nihil Deo est impossibile. Norunt quicunque Scripturas non penitus ignorant Angeli vocem Luc. 1.* οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τοῦ θεοῦ πᾶν ῥῆμα. *Sed cogitare debuit Baronius, quantam fabulis anilibus & opinionibus impiis ac perniciosis fenestram aperiant, qui Dei omnipotentiam ab ejusdem separant voluntate. Quid enim non credemus, si hoc argumentationis genus admittimus? Affirmant Rabbini, Postquam Moses rupem Virgâ percussisset, puteum repente extitisse, qui Iudaeos iter facientes per desertum sequutus sit ad mortem usque Mariae. Iidem de verme Schamir Salomone adhibito ad lapides dissecandos in structura Templi, mira narrant. Iidem Leviathanis & Beemoth magnitudinem narratione mirifica exaggerant, à qua non longè abit Auctor libri 4. Esdra 6. capite. Commemorant etiam Rabbini immanitatis portentosae bovem, qui altero cornu terram fulciat, deinde per intervalla in alterum rejiciat, unde terrae motus. Sexcenta sunt huiusmodi in eorum libris: Plura & magis mirabilia in Alcorano: Si Dei Potentiam spectamus,* & δυνατὰ & *facilia Deo immortali, sed quae rejiciunt tamen, respuunt, irrident omnes pij: quia nullum extat testimonium voluisse Deum illa mirabilia facere. Atqui rectè Patres Graeci dicere solent, oportere ut fiat aliquid,* σύνδρομον εἶναι τῇ δυνάμει τὴν βούλησιν τοῦ θεοῦ; *vt concurrant in idem Potestas Dei & Voluntas. Quid multa? Scitum est Piorum Patrum, Omnipotentiam Dei asylum haereticorum esse, quò se recipiant, ubi rationibus victi fuerint. Gregorius Nazianzenus Oration. 51. de Apollinaristis haereticis:* ὑπὸ τούτων ἐξειργόμενοι τῶν λογισμῶν, καταφεύγουσιν ἐπὶ τὸ δυνατὸν εἶναι θεῷ. *Sic olim & Ariani, quum scelestè contenderent, Dominum nostrum Filium Dei non esse nativitate, sed facturam,* (ποίημα καὶ κτίσμα) *erroris convicti ab Orthodoxis, eò tandem confugiebant, vt dicerent, per Omnipotentiam Dei hoc illi praestitisse facturam, quod datura erat generatio; Quemadmodum legitur in quaest. 97. Quaest. Veteris & Novi Testamenti apud Augustinum; quo loco sic error ille confutatur: Non voluntas verum Filium facit, sed nativitas. Sed potentia, inquiunt, Dei hoc subest, vt falsa faciat vera. Imò potentia Dei haec est, unde & omni laude dignum est, quia apud illum verum verum est, & falsum falsum est: Nam omnia quidem potest Deus, sed non facit, nisi quod conveniat veritati eius & justitiae. Et Humbertus Sylvae candidae Episcopus adversus Graecos;* Hi, *ait*, non invenientes, quónam Sanctarum Scripturarum funiculo scapham assertionis suae pertrahant ad alicujus stabilitatis littus, fluctuantes pertrahuntur in illud divinae omnipotentiae pelagus. *Deinde ipse hoc argumenti genus, quoties malè vsurpatur, frivolum vocat.* Nam *inquit*, si quolibet modo id esset factum, aliquis Evangelistarum tantum narraret miraculum. *Dicemus nos quoque similiter, si hoc miraculum esset verum, historia tam admirabilis aliqua esset certa narratio, & fide dignum testimonium.*

QVARTO *ait Baronius*, domum Lauretanam & mensurâ, & omnibus rebus congruere cum vestigijs quae adhuc Nazareti visuntur. *Hoc novum est. Legentes enim omnes Scriptores, qui loca illa à se inspecta descripserunt, nihil tale apud quenquam illorum inveniunt,* &c.

Harum tertij generis Peregrinationum non postrema est etiam, quae fit ad Idolum seu Imaginem B. Mariae virginis Eremitanae in Helvetia, *ad quam maximus tertio quoque anno ex omnibus totius ferè superioris Germaniae locis concursus fit. Confirmata est haec Peregrinatio à Leone* VIII. *Papa anno Christi 964. & promissa omnibus eò peregrinantibus omnium tam à culpa quàm poena peccatorum remissio.* Peregrinatio ad Eremitanā Mariam in Helvetia.

Huc etiam pertinet furiosa illa Peregrinatio anno Christi 1520. exorta. Nam in Bavaria & vicinis locis subitò ab operis suis, imò ex lectis mediâ nocte seminudi surgentes, viri & mulieres, juvenes & virgines, Ratisponam currebant, ad Imaginem B. virginis Mariae, quam Formosam *vulgò appellabant, propter multa & stupenda Miracula quae ibi fieri credebantur: & quidem edita fuisse quaedam Antichristiana miracula, praestigijs Satanicis credibile est. Aedificatum est eo in loco mox templum magnificum, ubi Idolum illud colebatur, in honorem B. Mariae. In furiosa autem illa peregrinatione, multae foeminae pudicitiam suam matronalem & virginalem amiserunt. Non tamen diu haec insania duravit. Et creditum est illum furorem hominum Satanicis artibus excitatum fuisse à Doctore quodam Pontificio, Mago, quem postea Viennae in Austria decollatum esse vel combustum multi viri digni fide retulerunt.* Peregrinatio ad Mariam formosā Ratisbon.

De

De origine & progressu quarti cujusdam PEREGRINATIONUM generis Peregrinorum Pauperum.

*R*Eferri huc non incommodè potest Quartum *quoque Peregrinationis genus*, à Peregrinis pauperibus *anno Christi* 1500. *susceptum & institutum. Hoc enim anno viri quidam ex Italia in Germaniam venerunt, tunicis nonnulli lineis, alij griseis laneis induti, nudis pedibus atque capitibus discoopertis incedentes, atque ligneam in manibus crucem singuli portantes, neque sacculum, neque peram habebant, neque baculum, neque pecuniam, juxta Salvatoris nostri exemplum (ut ipsi arbitrabantur) & Evangelicam doctrinam: vinum & cervisiam non bibebant, atque omnibus diebus præter Dominicam jejunabant, olera, brassicam & mentam, herbarumque radices, cum sale insperso manducantes, absque cujusvis pinguedinis appositione, carnes, pisces, ova, butyrum, caseum aut lac nunquam in cibum admittebant. In sacris quoque Templis brachia ad modum crucis protendentes, humo se jactabant prolixius orantes, non amplius viginti quatuor horis uno in loco, vel hospicio manentes, nisi quem corporis valetudo mala detinuisset. Nam per ciuitates, oppida & villas bini simul aut terni circumeuntes, cibum hostiatim, vbi esuries compulisset, mendicabant. Denique his ex clericorum ordine plurimi Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi conjungebantur, nihil præter tunicam, zonam, ligneam crucem, & orationale secum deferentes. Coloniam Agrippinam & Aquisgranum omnes visitabant. Erat illis voluntaria hæc assumpta pœnitentia quam quisque pro voto suo peragebat, alius quidem tribus, alius quinque, septem alius annis juxta voti qualitatem, quo se suâ sponte obligabat: finito autem termino quisque in sua reuersus, ab ea dum voluit institutione cessare poterat. Verùm hoc per septennium ferè totum durauit peregrinationis institutum: quare nunc plures, nunc verò pauciores per Germaniam viri circumire videbantur, quoniam præter Monachos & mulieres nullum à peregrinationis suæ consortio excludebant.* Nauclerus Gener. 51.

Clemētis 8. Papæ remediū pro peregrinationibus. *Quum autem aliquot jam seculis, alius opus suum & familiam deseruit, peram & scipionem sumpsit, & nudis interdum pedibus vel Hierosolymam, vel Romam, vel Compostellum ad S. Iacobum, vel aliò magno sumptu & labore profectus est: Alius vicinum suum admiratus, qui peregrinationes illas suscepit, ardere quoque desiderio earum cœpit: sed quum non ausus sit his tam longis & periculosis itineribus sese committere, alios magnis sumptibus locauit, qui vices suas hac in re subirent, hasque deuotiones explerent: Alius vouit seipsum eò profecturum, sed domi detentus fuit, votique huius dispensationem carè admodum sibi comparauit: Alij quum votum suum redimere non potuissent, domi præ mærore contabuerunt, & in conscientia sua plurimùm turbati sunt: Ecce Clemens* VIII. *Papa paucis abhinc annis, his difficultatibus omnibus pharmacum seu remedium attulit. Nam instante Iacobo Dauyo, Episcopo Ebrodunensi, Corollis, Granis, Cruciculis, Rosarijs, Crucibus, Crucifixis, Madallis & Imaginibus benedictis seu consecratis, & Perrono cuidam Gallo diuenditis, has inter alias concessit Indulgentias*, Vt quicunque habuerit ex Corollis & Rosariis vnum, aut etiam Corollam vnam in quam insertum sit vnum ex his Granis, Crucibus, Crucifixis, aut Madallis benedictis, & recitauerit Corollam, cum tristitia peccatorum suorum, ac proposito vitam emendandi, hoc ipso acquirat sibi omnes Indulgentias & Stationes, quę acquiruntur in visitandis Ecclesiis Romanis, S. Sepulchro Hierosolymitano, Nostrâ Dominâ Lauretanâ, Montisferrati, Angelorum, aut Portiunculæ, aut sancti Sacelli Parisiensis. *O tempora parum beata ante trecentos aut quadringentos annos, quum, quòd nondum in vsu esset hoc pharmacum seu remedium, cùm tot tantisque laboribus miseris peregrinis peruagandum & oberrandum erat in terra.*

Ex his omnibus intelligimus, vt, amissâ, iusto Dei in homines superstitionum amantes iudicio, cœlesti Dei veritate, Diabolus efficaciter sua deliria hominum pectoribus instillârit, iisque persuaserit, non solùm alium locum ad faciendas preces accommodatiorem, & Dei, Sanctorum inuocandorum præsentiâ alio feliciorem esse, sed etiam his peregrinationibus veram pœnitentiam agi, & peccata quoque grauissima expiari posse, eoq; effecerit, vt stulti homines modò in hunc, modò in alium locum, maximis cum molestiis & sumptibus oberrârint.

PEREGRINATIONES ad Templa, Sepulchra, Reliquias, Idola seu Imagines Sanctorum Religionis ergò damnatæ & improbatæ:

*C*Abillonensis igitur Synodus 2. sub Carolo M. celebrata, cap. 45. contra has ad Templa aliáque loca Sanctorum peregrinationes sic graviter decrevit: Nam & à quibusdam, qui Romam, Turonúmve, & alia quædam loca, sub prætextu orationis inconsultè peragrant, plurimùm erratur. Sunt Presbyteri & Diaconi, & cæteri in Clero constituti, qui negligenter viventes, in eo purgari se à peccatis putant, & Ministerio suo fungi debere, si præfata loca attingant. Sunt nihilominus laici, qui putant se impunè aut peccare, aut peccâsse, quia hæc loca oraturi frequentant. Sunt quidam potentum, qui acqui- *Cabillonensis Synodus 2.*

acquirendi censûs gratiâ, sub prætextu Romanani siue Turonici itineris multa acquirunt, multos pauperum opprimunt: & quod solâ cupiditate faciunt, orationum siue Sanctorum locorum visitationis causâ se facere videri affectant. Sunt pauperes, qui vel ideò id faciunt, vt majorem habeant mendicandi materiam. De quorum numero sunt illi, qui circumquaque vagantes, illò se pergere mentiuntur: vel quia tantum sunt væcordes, vt putent, se Sanctorum locorum solâ visione à peccatis purgari, non attendentes quod ait B. Hieronymus: Non Hierosolymam vidisse, sed Hierosolymis benè vixisse, laudandum est. De quibus omnibus Domini Imperatoris, qualiter sint emendanda, sententia expectetur. Qui verò peccata sua Sacerdotibus, in quorum sunt Parochijs, confessi sunt, & ab his agendæ pœnitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apostolorum limina, vel quorumlibet Sanctorum inuisere desiderant, horum est deuotio omnibus collaudanda. *Licet igitur Synodus hac non in vniuersum Peregrinationes has damnet vel abroget, pro errore istius seculi, reprehendit tamen grauiter eos abusus, qui peregrinationum istarum perpetui sunt comites, & ab hoc tempore magis magisque creuerunt: cujus generis sunt, quod superstitiosi homines sub prætextu orationis hæc loca accedunt: & putant, se impunè peccare, aut peccâsse quia hæc loca oraturi frequentant, & se Sanctorum locorum solâ visitatione à peccatis purgari existimant.*

Chrysostomus. *Chrysostomus etiam homil. 1. in Epistolam ad Philem. contra Peregrinationes pro acquirendâ peccatorum remissione sic grauiter scribit:* Ad impetrandam peccatis nostris veniam, non opus est, vel pecunias impendere, vel peregrinando ad loca longinqua transire *(An vsitatus.)*

Augustinus in eandem sententiam scribit Serm. de Martyribus: Non dixit Deus, vade in Orientem, & quære justitiam: naviga vsque in Occidentem, vt accipias indulgentiam. Dimitte inimico tuo, & dimittitur tibi, *&c.* *(Bonifacius.)*

Bonifacius etiam Germanorum Apostolus in Epistola ad Chutbertum Archiepiscopum scribit, Omnibus seruis Dei secum commorantibus consultum videri, vt per Synodum ac Principes, mulieres & velatæ fœminæ Romam peregrinari prohibeantur, propter multiplicia scandala: Nam ex magna parte paucas remanere integras. Perpaucas etiam ciuitates esse in Longobardorum prouincia, vel in Francia, aut in Gallia, in qua non sit adultera vel meretrix Anglorum generis.

Reprehendit quoque eandem superstitionem circa Ludouici Pij & Caroli II. tempora Claudius, natione Hispanus, Taurinensis Ecclesiæ Præsul, qui Presbyter fuit Ludouici Pij Imperatoris. Rationes Claudij videre licet in Iona Aurelianensis libro, quem multis annis demùm post mortem Claudij contra eum scripsit, nam integra Claudij scripta non sunt memoriæ reseruata: Vnde non immeritò dubitari potest, an bonâ fide à Iona citata sint. *(Claudius Taurinensis.)*

Prima ratio est, Quia plerique fiant deteriores, pœnitentiæ causâ Romam proficiscentes.

2. Quia pœnitentiæ causâ homines sese in Monasteria concludunt: Ergo peccant qui hoc faciunt, si Romæ tantum vera pœnitentia agi potest.

3. Est scandalum: si enim ita se res habet, vt pœnitentiam agere sit Romam pergere, tum scandalizantur alij, qui putant se alijs quoque in locis agere posse.

4. Malè intelligi, & huc applicari verba Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum.

5. *Augustini quoque testimonia citauit Claudius, quæ tamen in Iona libro non sunt annotata. Nam sic inquit:* Audite hoc insipientes in populo, & stulti aliquando sapite, qui intercessionem Apostoli Romam pergendo quæritis, quid contra vos dicat sæpè dictus B. Augustinus.

Ionas verò suam sententiam non ex verbo Dei probat sed authoritate humanâ: & quòd Gregorius Papa scribat, quendam diuinitùs admonitum esse, ne cessaret quotannis visitare limina Apostolorum, eò quòd mercedem meritorum suorum esset recepturus. *Malè etiam detorquet huc exempla Abrahæ, populi Iudaici, Dauidis, Solomonis & Heliæ. Nugatur quoque,* Apostolos propter Templum sæpè Hierosolymam venisse: *& tamen postea fatetur ipse,* non esse summam perfectionis in ea te sitam: *lib. 3. Claudium etiam, quòd huiusmodi Peregrinationes, atque etiam Imagines improbaret, Ionas hæreticum pronuntiat. Facit enim communis & receptus iam inter omnes error, ius & confirmationem, vt scribunt Iurisconsulti in L. Barbarius D de Off. Prætor.*

Bernhardus etiam Serm. 1. de Aduentu: Non te opottet, *inquit*, ô homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est. Non grandis tibi ostenditur via, vsque ad temetipsum occurrere Deo tuo. *(S. Bernhardus.)*

Adelbertus Pragensis Episcopus II. Romam Religionis ergò iturus, Casinum venit: ibi verò Abbatis & fratrum monitis castigatur, ne intrill vagatione vitam expenderet, sed loco staret, ita enim melius virtutum fructus congregaturum ipsum: fore etiam, vt Deum *(Cassinensis Monachi.)*

pro-

propitium, benè viuens, in omni loco inueniret, juxta illud in Psalmo, In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino: verissimam quoque esse Hieronymi sententiam, Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis benè vixisse laudandum est. *Illorum igitur monitis obtemperans, domum reuersus est, vt quidem Surius indicat tom. 2. de Vitis Sanctorum.*

Gummarum à Peregrinatione dehortatur Angelus *Refert ibidem Surius, Gummaro ad idem iter sese accingenti, Angelum apparuisse in specie columbæ, & dixisse ad eum,* ô Gummare: esto vigil. Ego enim nuncius à Deo missus sum, vt tibi aperiam mandata ejus. Disposuisti quidem Romam ire, & Orationes Petri & Pauli visitare: Sed Deus vbique præsens est, & bonos & malos in omni loco contemplantur oculi ejus, nouitque Dominus qui sunt ejus. *Ex quibus etiam, si vera historia sunt, intelligimus, quid de Peregrinationibus sentire debeamus.*

Cranzius *Cranzius libro decimo cap. Metrop. sic scribit*, Peregrinationes esse quidem nonnihil in sancta Religione, sed tamen perfectionem non afferre: Se etiam sentire, *inquit*, sermoni, qui jam pridem Proverbio locum dederit; Qui multum peregrinatur, rarò sanctificatur.

Gabriel Biel. *Gabriel Biel quoque in Canonem Lect. 49. reprehendit illorum* rudem leuitatem (*sic enim ille loquitur*) qui improuidè vota emittunt, & ad peregrinandum se obligant, nunc ad illam, nunc ad aliam Ecclesiam intuitu certarum Imaginum, credentes illas majori in illa, quàm similes in alijs fulgere à virtutibus: clarere miraculis, & majori fulciri potestate.

Soluuntur argumenta Pontificiorum & Bellarmini *pro* PEREGRINATIONIBVS ad Templa & Imagines Sanctorum.

SEd habent Pontificij rationes, quibus has Peregrinationes defendere conantur. Dicunt, Sanctos honorandos esse. *Respondeo, honorandi certè sunt, sed non quomodolibet. Nam quia homines sunt, qui nihil habent quàm quod aliunde mutuati sunt, & quidem per gratiam, quantum illis opus fuit ad salutem: quia etiam servi sunt tantùm in domo Dei, honor illorum restringendus est. Restrictio autem illa, ut præclarè monet Auctor Romani Evangelij, consistit in agnoscenda gratia & misericordia, quæ illis facta est, & in ejus gloria Deo assignanda. Habemus eos Patrum loco, sed propterea quòd nos in fide præcesserunt, & nobis aliqui eorum doctrinam, per quam in fide gignimur, tradiderunt. Celebramus Zeli eorum memoriam, eorum certamina, victorias, & perseverantiam: sed ita tamen, ut agnoscamus hoc à Spiritu Dei, non ab ipsis processisse. Mentionem eorum honorificam facimus, sed ita tamen, ut Deo nullum præjudicium fiat, hocque illi soli sartum tectum maneat, quòd sit omnium bonorum scaturigo: & propterea ad eum in omnibus necessitatibus, nec unquam aliò, confugiamus. Pretiosum nobis debet esse, quod ab illis habemus, sed tamen discernendum, quid illi nobis reliquerint ut custodiremus: Non certè ossa, vestes & similia, ut ea reservaremus: Hæc enim terræ, à qua sumpta erant, reddiderunt, ex naturæ officio. Quæ autem nobis reliquerunt, ut in pretio habeamus, & cum honore custodiamus, ea erant quæ ijs proponebant, cum quibus conversabantur, nempe, quæ fidei & ædificationi eorum profutura erant: quæ item docent nos in suis scriptis, & quæ in eorum historijs traduntur, quæque voluit Deus nobis hoc modo conservari. Quæ verò ædificatio in Christo potest esse ex ipsorum cineribus vel ossibus? Quid referent nobis eorum sepulchra, ut nos adducant ad Deum vivum? Sed historia sancta à Deo inspirata verè custodierunt nobis, quicquid ab illis habere debebamus. Scripta eorum thecæ & feretra sunt verarum Reliquiarum eorum, quantum exoptârunt posteris conservari: ibi eos videre & audire licet, tanquam adhuc vivos & superstites: ibi eorum fides, charitas, patientia, constantia in promptu nobis sunt, non ut res præterita, sed ut res quæ reviviscunt, modò eas imitemur.*

Quid autem in Sanctorum sepulchris est, quod tam longis & periculosis itineribus, tantoque desiderio perquirere debeamus? Tabulæ sunt destructi Tugurioli, Tabernacula quæ libentissimè, cùm migrandum fuit, exuerunt, ut in meliori conditione constituerentur: carceres, in quibus languebant: corpora mortis, à quibus semel liberari avidissimè postulârunt. Cur igitur habere volumus quæ illi detrectârunt? & in pretio habere quod exuerunt tanquam rem vilem, & quâ privari optârunt, ut meliorem adipiscerentur conditionem. Nulla igitur causa sunt, cur in sepulchris quæri debeant. Nam præter ea quæ modò diximus, non inde habituri sumus doctrinam salutis, & cultus divini: quæ causa fuit, cur quæri debuerunt, quum in mundo versabantur.

Præterea quum Legem & Prophetas habeamus, vetamur pro vivis ire ad mortuos.

Adhæc nulla inde exspectanda sunt sanationes & miracula, propter quæ, dum viverent, quærebantur. Nam miracula exoptare sine causa, & extra tempus, non placet Deo. Cùm enim abundè confirmata sit doctrina veritatis, nihil hujusmodi requiri debet amplius. Quod si ijs opus esset, facere consuevit ea, non per mortuos, ad quos non confugiendum esse pronunciavit, sed per vivos: excitans homines, quibus simul docendi munus commissum erat, & potestas faciendi

miracula ad confirmationem doctrinæ. Vnicum hîc citatur miraculum de mortuo, qui excitatus est attactu oßium Elisæi, quum in ejus sepulchrum iniectus esset, 2. Reg.13. Sed hoc non immutat ordinem, quem hîc obseruare voluit Deus. Hæc enim factum vnicum est, nec vllo alio exemplo confirmatur. Hæc paulò post mortem Prophetæ acciderunt, quum ferè vix inter mortuos censeretur, ejusque vox adhuc resonaret. Neque etiam res hæc fuerat præuisa, sed quòd terrorem illis incusserant hostes illi, vitandi periculi causâ mortuum eò conjecerunt. Nec hoc etiam in exemplum tractum legitur, sic vt vel ad illud Sepulchrum, vel ad aliud aliquod itum sit, ad quærenda ibi remedia. Ad ordinem igitur redeundum est, & ad ea, quæ à Deo in exemplum data sunt.

Sed obijciuntur miracula facta in primitiua Ecclesia ad sepulchra Martyrum, aliorumque Sanctorum. *Respondetur: Nos voluntatis Dei certiores fieri per ea, quæ in Scriptura sancta legimus. Adhæc omnia Miracula ad faciendam probationem inseruire non possunt. Atque etiam quædam bona initia videntur, quæ temporis progressu ex euentibus agnoscuntur fuisse zizania, & superstitionum semina. Nulla igitur inuenitur justa causa Sepulchra adeundi, & Sanctorum ossa perscrutandi.*

Exemplum quoque huius rei in tota Scriptura nullum exstat. Legimus quidem viuis hominibus magna cura fuisse mortuos cum honore sepelire: peregrinationes autem ex longinquis vel proximis regionibus, ad Sepulchra mortuorum, quantumvis sanctißimorum hominum, factas esse, non inuenitur. Iosephus testamento reliquit, vt ossa sua ex Ægypto transferrentur in terram Chanaan, & ibi in Patrum sepulchro imponerentur: non ex superstitione, sed ad confirmandam fidem suam testatamque faceret eam alijs quoque, & vt filios Israël de liberatione futura certos redderet. Sic etiam ad denotandam majorem deuotionem & Religionem, Sepulchra magnificè quidem ornabantur ab hypocritis Scribis & Pharisæis: factas autem ad ea votiuas Peregrinationes propter preces, oblationes, & auxilia seu liberationes, non inuenimus. Nihilominus certò dignascebantur Sepulchra illa. Sepulchrum Dauidis & aliorum diu manserunt in spelunca Marpela: certò sciebant fideles quiescere ibi non corpus Sancti vnius solum, sed Abrahami & multorum Patriarcharum: tamen nullæ peregrinationes eò sunt institutæ. Moses etiam vnus ex illis fuit, per quem Deus multo plura fecit Miracula, quàm per vllum alium. Et si ab ijs, qui miracula in vita fecerunt, facienda adhuc essent in ipsorum sepulchris post mortem; à Mose debuissent fieri. Sed Deus, vt exemplo comprobaret non esse illud sperandum à defunctis, nec velle se vt eorum Sepulchra perquirerentur & ad ea peregrinationes instituerentur, voluit Sepulchrum illius abscondi, & incognitum manere, quamvis Diabolus totis viribus eniteretur, aliquid aliud de ipsius corpore efficere, vt Iudas testatur, quo posteri ad Idololatriam abuterentur: sed vicit Dei consilium.

Videamus etiam an Apostoli occasionem aliquam præbuerint ad hujusmodi Peregrinationes, & docuerint tam exquisitè, vt posteris ætatibus factum, recondere & perquirere aut eorum Sepulchra, aut eorum ossa, aut eorum exuuias. Si ferre noluerunt, vt populus ob eorum Miracula attonitus, ad eos accurrat, eosque intueatur & admiretur: ac protestati sunt, nihil fuisse in suis miraculis quod suæ potestati & pietati acceptum ferendum sit, Christum eorum authorem esse, & propterea fidem & spem suam omnes in illum vnum collocare debere. Si non paßi sunt, vt cultus gratiâ sese aliquis coram eis prosterneret, quòd & ipsi homines sint, ideoque ejusmodi venerationes vni & soli Deo deberi. Si post sanatum ægrotum (Act. 14.) quum parati essent Lystrenses cultus ipsis & honores diuinos exhibere, non solùm ipsos rejecerunt, sed quòd ægrè ferrent eos sic abuti ipsorum miraculis, diruperunt pallia sua, & insilientes in turbam, exclamârunt, se etiam esse homines, iisdem quibus ipsi affectibus obnoxios: muneris sui partes esse, vt annuntiarent eis, à vanis istis rebus conuerterentur ad Deum viuum. *Si noluerunt, inquam, Apostoli dum viuerent aliquem sibi exhiberi cultum, aut venerationem: putabimus ne voluisse eos, vt in thecis & feretris ossa eorum extollantur, Templa ipsis exstruantur; & ad sua sepulchra peregrinationes instituantur, non solùm vt videantur cum opinione quadam sanctitatis, ac reuerenter salutentur: sed vt reipsâ adorentur, ipsis vota fiant, osculis salutentur, preces ad ipsos dirigantur, omnes denique illis cultus qui excogitari possunt, exhibeantur?*

Bellarminus quoque, etsi hæ Peregrinationes cum aperta Idololatria conjuncta sint, vel ad minimum superstitione non careant, tamen Tom.1. col.2228. eas argumentis & rationibus tanquam pias & religiosas defendere conatur.

PRIMVM Scripturæ testimonio. Deus, *inquit*, instituit Deut.16. vt omnes filij Israel ter in anno ad Tabernaculum vel Templum Domini peregrinarentur: quod præceptum studiosè seruabat Helcana, & Anna vxor ejus 1.Reg.1.cap. nec non Christus cum matre sua, & Iosepho Luc.2. Ioan. 12. etiam Gentiles veniebant adorare in Hierusalem propriâ regione relictâ. Act.8. Eunuchus Æthiops ex longinqua regione veniebat adorare in Hierusalem. Act. 20. Paulus ipse festinabat in itinere, vt Hierosolymis faceret Pentecosten. *His locis ex S.Scriptura petitis probare vult Iesuita, non esse inanem peregrinationem.*

Respon-

Respondeo, olim quidem Deum adorari voluisse in Hierusalem, quæ præsentia eius promissiones habuit. Sed quum id ad certum tempus constitutum fuerit: jam omnis in Christi regno locorum distinctio sublata est, quod ipse testatur Christus Ioh. 4. Venit hora *inquit*, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem. *Item:* Venit hora, & nunc est, quum veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. *Ac volens Deus habere Ecclesiam, quæ ipsum vbique absque locorum & populorum distinctione coleret, omnia loca sancta declarauit, & suæ præsentiæ amplissimas promissiones dedit omnibus qui vbique Gentium in eius nomine congregati essent.* Velim (*inquit Paulus, authoritate quam à Deo acceperat*) viros precari in quovis loco: 1. *Tim.* 2. *Et cùm status Ecclesiæ à Prophetis describitur, id fit sub figuris rerum, in quibus tum Cultus diuinus positus erat: Sed quibus docebantur fideles,*
Esa 19. *Deum vbique adorandum, sublatâ & locorum & populorum differentiâ. Imò Ægypti & Assyriæ ibi nominatim meminerunt, vt indicarent, injuriarum præteritarum memoriam non impedituram, quo minus loca illa ad exercendum Dei cultum apta fierent. Sicuti iam sublatâ locorum distinctione, & vbi ex omnibus populis cogi cœpit Ecclesia, non constat, nec Hierosolymam, nec terram illam, quæ sancta antea dicebatur, requisitam fuisse.*

De facto Helcanæ & Annæ, Iosephi & Mariæ. *Quod igitur Helcana & vxor eius Anna fecerunt, id secundùm Legem & præscriptum Dei fecerunt. Similiter Iosephus & Maria quot annis dicuntur in festo Paschæ Hierosolymam ascendisse, & eodem quoque secum adduxisse puerum Iesum, quàm primùm tantæ profectionis laboribus per ætatem sufficere potuit: sed expressè additur:* Secundùm ritum Festi. *Vtrunque igitur non pro suo arbitrio fecerunt, aut ex superstitione aliqua, sed vt Deo obedirent, qui ita fieri præceperat. Nam Deut.* 16. *cap. sic scribitur:* Ter in anno apparebit omnis mas coram Domino Deo suo in loco quem elegerit. *Præcepit præterea Deus Exod.* 13. vt liberi quoque epulo Paschali adhiberentur, & vt ijdem diligens omnium redderetur ratio, vt & Dei vetera beneficia nôrint, & huic credere, eundemque colere discant.
Paulus cur Hierosolymā profectus. *Paulum etiam legimus Hierosolymam aliquoties profectum esse, sed causa semper indicantur simul. Aliquando etiam in Templum ingressus est, vt sese Iudæis accommodaret: idque tum, quum Ceremonia inter adiaphora numerarentur. Sed dici non potest hoc factum quòd loca illa sanctiora essent alijs: aut quòd vellet Apostolus hoc in exemplum trahi: aut quòd ipse, aut quispiam alius ex Apostolorum numero, dum hortantur fideles ad diuersa pietatis officia, locorum sanctorum visitandorum vnquam meminerint.*

Inest ergo Bellarmini argumento duplex fallacia: Vna, A migratione generis ad genus; nempe, legalium Ceremoniarum ad libertatem Christianam nobis per Christum partam. Altera, A non consequente. Disertè Deus jusserat Templum illud suum ter quotannis adiri: de vllo autem loco totius terræ adeundo & visitando, ne litera quidem exstat scripta in toto nouo Testamento.

SECVNDVM *argumentum petit Iesuita* Ab authoritate Patrum, *non quidem eorum qui trecentis primis annis à nato Christo vixerunt, in quorum scriptis verbum nullum de peregrinationibus istis inuenitur: sed eorum tantùm qui post Constantini M. demum tempora floruerunt, quando iam error iste natus erat, & ex zelo quidem bono, sed non secundùm scientiam probabatur. Ex Patrum horum posterum scriptis multa testimonia adducit Iesuita Column.* 2229. *& sequentibus, quæ Pontificias eiusmodi peregrinationes probare videntur.*

Respondeo igitur in genere, Primò, *scripsisse quidem illa Patres non nullos, sed iam hac superstitione deceptos & fascinatos: si igitur eorum sententiæ adquiesceremus, cæcos vtique duces sequeremur. Deinde, non Patrum authoritas, sed verbum Dei sequendum est, in rebus sacris definiendis ac statuendis. Non igitur quid Patres scripserint, aut senserint: sed quid scribere ac sentire ex Dei verbo debuerint, attendendum nobis est. Præclarè etiam Cyprianus inquit,* Non videndum est, quid aliqui ante nos fecerint: sed quid ille, qui ante omnes est, in suo verbo nobis faciendum præscripserit & præmonstrârit.

Secundò *Respondeo, Patres illos Pontificias peregrinationes, de quibus controuersia est, nequaquam approbâsse: quasi loca quædam alijs sanctiora, & ad orandum aptiora sint, & in ijs Deus ipsis propinquior sit: aut quòd existimârint, ijs locis sese ad deuotionem magis excitari posse, vel locorum salutem sanctitati suæ quoquo modo prodesse: non has ob causas, inquam, approbârunt illi peregrinationes, vt Papistæ faciunt hodie: sed quòd confirmandæ duntaxat fidei eas inseruire iudicarent, vt essent nempe fideles certiores de Historia Euangelica: non solius, aut ipsius terræ sanctitatis gratiâ, quam à Deo, propter ibi crucifixum Christum, maledictam agnoscebant, & res ipsa, miseria illius terræ, ipsius desolatio, vastatio & captiuitas hodie quoque hoc satis declarat & testatur. Hanc fuisse sententiam Patrum illorum, Eusebij locus, quem Iesuita citat, apertissimè docet: narrat enim* Alexandrum ex Cappadocia circa annum Do. 200. ad loca Hierosolymitana profectionem instituisse, εὐχῆς καὶ τῶν τόπων ἱστορίας ἕνεκεν, Orationis & historiæ causâ visendi loca illa. *Hieronymus etiam*

epistolâ 154. *confirmat nostram sententiam, dicit enim,* Pars fidei est adorâsse Dominum, vbi pedes Domini steterunt. *Sic enim fides & Historia Euangelica apud incredulos, aut infirmos confirmabatur eo tempore. Sulpitius lib.* 2. *suæ Historia idem docet verbis ijs quæ Bellarminus citat. Sic etiam Paulinus epistolâ* 11. *ad Seuerum scribit* : Non aliter affectus homines ad Hierosolymam rapit, nisi vt loca, in quibus corporaliter præsens fuit Christus, videant, atque contingant. *Non ergo aliam ob causam veteres quidam Christiani ea loca videre voluerunt, in quibus vixit Christus, quàm vt fidem suam historicè confirmarent : nequaquam autem, vt Iesuita putat, quòd sanctitatem vllam in ea terra & solo inesse crederent. Progressu verò temporis mutata hæc causa est à superstitiosis hominibus, præsertim Romanis Pontificibus, & in veræ religionis ac Cultus diuini partem non minimam transformata.*

TERTIVM *argumentum pro Peregrinationibus votiuis sumit Iesuita ab* Vtilitate earum, *quam triplicem facit.* Prima *est*, quod cedant in honorem Dei & Sanctorum. *Respondeo, Deus in Nouo Testamento has Peregrinationes non præcepit, ergo per eas non honoratur.* Frustra, *inquit Christus Matthæi* 15. me colunt, docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum. *Quòd si Deus hoc modo non honoratur, neque Sancti eo honorantur.* Secunda *vtilitas est*, Quòd ejusmodi peregrinatio sit opus pœnitentiæ, & satisfactionum, quia laboriosum & pœnale. *Respondeo, est fallacia A non consequente. Non enim omnis labor est opus pœnitentiæ; multò minus satisfactio est pro peccatis.* Tertia *est*, quòd excitetur deuotio ex locorum illorum aspectu. *Respondeo, eas alere potius hominum curiositatem & superstitionem, vt supra satis probatum arbitror.*

DE ORIGINE

DE ORIGINE ET PROGRESSV RERVM QVÆ SVNT EXTRA TEMPLA, sed ad ea pertinent.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De Origine COEMETERIORVM.

Cœmeteriorum author Abrahā.

QVIA *Deus Adamo dixerat*, puluis es, & in puluerem reuerteris, *Genes. 3. ideò S. Patres à condita statim mundo, corpora defunctarum terra mandârunt, id quod indifferenter quoque loco fecerunt primò. Abraham patriarcha primus omnium legitur* emisse ab Ephron Ethæo filio Saor propè Hebron, quadringentis siclis speluncam duplicem, & agrum circa eam, sepelisseque in ea Saram vxorem suam, ibique ipse quoque repositus deinde fuisse. *Vnde etiam Cœmeterii condendi institutum Abrahamo primò omnium assignant, teste Polyd. Vergilio de Inuent. rer. libro sexto, capite sexto. Fecit autem hoc Abraham non superstitione quadam, ac si locus hic sanctior alijs esset, sed necessitate coactus, quòd ne passum quidem pedis in ea terra possideret. Stephano teste, Act. 7.*

Cœmeterium quid.

Quemadmodum autem veteres tam antiqua, quàm noua legis Patres, mortuos dormire *dicebant* (*quod frequenter in sacris literis innenitur, vt illud*: Dormiuit cum patribus suis in senectute bona: *& 1. Thessal. 4.* Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini) *sic etiam eorum Sepulchra appellabant κοιμητήρια, quod significat loca ad quietem & somnum comparata. Athenaus quidem lib. 4. ex Dosiadis item libro quarto, τῶν κρητικῶν scribit*, apud Cretenses in singulis ciuitatibus fuisse quasdam ædes publicas, ad excipiendos peregrinos & hospites, quæ appellatæ fuerint Cœmeteria: *Sed Christiani veteres hoc nomine pro locis Sepultura speciatim assignatis pracipuè vsi sunt: qua loca etiam excipiunt homines mortuos, qui, dum adhuc in viuis essent, peregrini fuerunt.*

Fuisse praterea apud Christianos persecutionum tempore Cœmeteria *pracipua quadam Templa, siue loca sacra, in quibus ad sua Sacra conuenire possent, suprà diximus tit. de Origine Templorum apud Christianos. Vide locum pag. 25.*

Cœmeteria autem vel loca sepultura mortuorum destinata non intra, sed extra vrbes fuisse apud veteres multa sunt qua testantur. Durandus in Rationali diuinorum lib. 1. cap. 5. inquit, morem fuisse antiquitus, vt homines in propriis domibus sepelirentur: sed postea propter cadauerum fœtorem statutum esse, vt extra ciuitates sepeliantur. & locum quendam communem ad hoc destinatum: Nobiles verò sepultos super montes, & in medio montium, & in radicibus eorum. *Ita Gyges Lydorum Rex sub monte Tmolo sepultus legitur: Persarum reges in monte qui Persepolis, arci ab Oriente imminebat*, & Regius *dicebatur, sepeliri solebant. Hac imitatione Ægyptiorum Reges suas exstruxere Pyramides, seu factitios montes. Vnde fluxit, vt etiam reliquis Sepulchris cippi, statua & Pyramides adderentur teste Alexandro ab Alexand. lib. 1. capite 2. Apud* *Cœmeteria extra vrbes antiquitus.*
Athenienses Solonis leges nullum sepulchrum in vrbe admiserunt. Vnde Seruius Sulpitius ad Ciceronem: Ab Atheniensibus, *inquit*, locum sepulturæ intra vrbem vt darent impetrare non potui, quòd religione se impediri dicerent: nec tamen id antea cuiquam concesserant. *Hac Sulpitius* Sophoclem Poëtam defunctum sepeliri Liber pater jussit, obsidentibus Athenas Lacedæmonijs: & Lysander eorum rex in quiete sæpè admonitus fuit, vt pateretur extra vrbem humari delitias suas.

Ff 3 Lysan-

Lysander igitur pacem funeri dedit: *Solinus. Platinis etiam institutum fuit*, in agro vel alio loco infœcundo & sterili sepulchra constituerentur, ne viuentibus officerent. *Romani ab initio in domibus, quas singuli incolebant, dolijs aut vasculis cōdebant mortuos. Qua ex causa Lares, domesticos Deos colere cœperunt. Postea lege duodecim tabularum, ne in vrbe sepelirentur, néue vterentur, sancitum fuit:* IN VRBE ne sepelito, néue vrito. *Cineres tamen eius qui triumphâsset, aut Imperatoris qui hostes bello domuisset, vel armis Rempub. auxisset, in vrbem ferre licebat: quibus hoc honoris causâ, vt in foro conderentur, tributum est: Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 2. ne tamen in familiam ius Sepulchri descenderet simul prouisum fuit.*

Quamvis autem Romæ benè meritis Sepulchra in vrbe admissa fuissent, illud tamen posteris temporibus sub Consule Duellio Senatus inhibuit. Et scribit Vlpian. Adrianum Imper. pœnam statuisse aureorum quadraginta in eos, qui in vrbe sepulchrum fecissent, quam fisco inferri jussit, & cadauer inde transferri. *Ipse tamen Adrianus, sed solus omnium, post hanc latam legem, intra vrbem & in foro sepultus est, sicut refert Eusebius in Chronico. Huc etiam pertinet, quod Appianus scribit*, inter præcipua, cur legem Agrariam recusârint diuites, fuisse, quòd impium ducerent monumenta maiorum ad alienos transferre. *At hoc prætexere non potuissent, nisi Sepulchra illi in agris habuissent.*

Frequentius autem in Flaminia aut Latina via, aut suburbiis & anfractibus viarum, Romanorum gentilitia Sepulchra fuerunt; Ibique Calatini, Scipiones, Metelli Seruilij, aliorumq́ honestissimæ familiæ condebantur. Plebis autem Sepultura fuit in Exquiliis, *vel vltra potius, vt Varroni placet, in loco quem* puticulos *vocabant vt etiam Horatius in Sermonibus indicat, & Acron exposuit: nam eo in loco* vstrinas *fuisse publicas, Porphyrius scribit.*

Existimârunt fortè Romani, alijque Ethnici, si intra Pomarium cuiusque Sepulchrum foret, hujusmodi feralibus contaminari sanctum municipiorum ius polluique vrbis genium, aut tetro cadauerum odore pestilenti aëre affici, vt Brodæus lib. 1. Epigram. autumat.

Apud Iudæos quoque Cœmeteria extra vrbes fuisse Historia filij viduæ Naimitanæ testatur. Similiter constat Lazari sepulchrum extra Bethaniam, & Iosephi Arimathæi extra Hierosolymam fuisse. Et in monumentis, quæ extra vrbem Gersenorum erant, domicilium suum habuit dæmoniacus, Marc. 5. Romæ etiam ab initio Christianorum Cœmeteria extra vrbem fuisse, ex Panuinij Catalogo Cœmeteriorum vrbis Romæ facillimè colligitur: & disertè Volaterranus lib. 22. indicat, Iulium Papam sub Constantino Imper. exstruxisse tria Cœmeteria in totidem viis Flaminia, Aurelia & Portuensi. *Ita Alexandriæ Cœmeteria sua extra vrbem quoque habuere, in quibus tempore persecutionis, cùm aduersarij pietatis prævalentes, Templa omnia obtinerent, eorumque conjunctionem Christiani fugere cogerentur, ad orationem conveniebant, teste Theodoret. lib. 2. cap. 14. Prosper Aquitanicus Episcopus extra vrbem elatus & sepultus est; in vita eius. Ita &* Armenium, Iustini in Episcopatu Lucanico successorem, extra vrbem jam mortuum elatum, *Gregorius Turonen. lib. 2. cap. 1. refert. Et Chrysostomus in Serm. de fide & lege ait*, Omnem ciuitatem, omne castellum ante ingressum habere Sepulchra ante portas, ante agros esse sepulchra, vt contendens intrare ciuitatem, quæ imperat & floret diuitiis, & potentatu aliisque dignitatibus, priusquã videt quod secum concipit, videat primum quod fit. *Sancti Vedasti quoque Episcopi Atrebatensis, qui circa annos 510. floruit, familiares dixisse Albinus Flaccus Alcuinus in eius vita refert, mandâsse eum*, vt nullus intra muros ciuitatis sepeliri debeat, quia omnis ciuitas locus esse debeat viuorum, non mortuorum. *Laurentius Surius tom. 1. de Vitis Sanctorum. In Bracarensi synodo 1. anno 610. conuocata præcipitur 36. cap.* ne corpora defunctorum intra basilica. sanctorum tumulentur, sed fiant omnes sepulturæ extra ciuitatem. *Morem autem hunc diu inter Christianos homines seruatum fuisse, ex multis vestigiis apparet, quæ adhuc hodiè in multis vetustis & celebrioribus oppidis exstant.*

Etsi verò gentibus instituti huius causa præcipua fuit fortassis, vt in vrbibus mundicies seruaretur, & aër minus inficeretur, ex cadauerum putrescentium fœtore: tamen in Dei populo maius mysterium obseruatum in hac re fuit. Nam funerum deductione extra vrbes, publicè testabantur, defunctos jam è mundo exiuisse, & alterius ciuitatis cives factos esse: eius nimirum quam in cœlis habent, quotquot per fidem filij Dei facti sunt. Proderat etiam mos iste plurimùm ad cauendum superstitiones, ne qua sacra pro mortuis instituerentur sed se omni erga illos officio jam defunctos esse scirent, qui illos honestè tumulari curauerant. Cœmeteria extra vrbes quare.

In primitiuæ Ecclesiæ historia legimus, corpora Sanctorum Martyrum in huiusmodi Cœmeteriis extra vrbes, vel aliis locis ignobilioribus humata, pace reddita Ecclesiæ certatim inde effossa, in Templa translata, ibique sepulta fuisse: idq́ subinde majoribus studiis factũ est vt exemplis plurimis probari posset, quæ in Historia Ecclesiastica exstant. Quod igitur Cyrillus olim libro 10. contra Iulianum Ethnicis objecit, illorum Templa celeberrima fuisse Sepulchra aut monumenta mortuorum, *hoc ipsum hodiè quoq́ Pontificiis jure optimo obijci potest.*

At

Cœmeteria intra urbes trãslata.

Ac postquam crescente superstitione sacra pro defunctis sub Gregorio M. fieri cœperunt, tunc etiam omnem Sepulturæ locum Templis vicinum esse voluerunt Sacrificuli & Monachi, ut Sacra illa facilius obire, & quæstum majorem facere possent. Et illis libenter morem gesserunt, qui etiam ipsi superstitione decepti ceremonijs illis plus quàm gentilitijs animas iuvari credebant. Constat certè hanc præcipuam superstitionum causam fuisse, neque ullum unquam excogitatum fuisse aucupium quæstuosius, quàm quod ex sepulchralibus Sacrificuli papistici instituerunt. Nam & locum Sepulturæ ex publico privatum & sui iuris fecerunt. Eundem postea pretio vendiderunt, Hebrone illo barbaro iniquiores qui Abrahamo agri sui usum gratuitum offerebat, ut in eo uxoris corpus sepeliret.

De initio Cœmeteriorum in urbibus juxta Templa Panuinius sic scribit in lib. de ritu sepeliendi mortuos: Cùm antiquitus, *inquit*, tantum extra urbem in Cœmeterijs hominum corpora sepelirentur, pace Ecclesiæ datâ intra urbes ad templorum limina, postea etiam in ipsis Templis sepeliri mos invaluit. Constantinus in porticu Templi Apostolorum Constantinopoli: Honorius in porticu Templi S. Petri Romæ, ejus uxor intra idem Templum sepulti sunt, &c. *Vide locum. Crediderim autem Imperatorum tantum & aliorum magnorum virorum corpora intra urbes, reliquorum verò extra eas, ut ab initio, sepulta fuisse. Sed res hæc, de constituendis in ipsis quoque Templis Cœmeterijs, eo usque superstitionis tandem progressa est, ut non minimam in ea salutis partem sitam arbitrarentur.*

Mirum verò est, cùm Papatus totus sit consarcinatus, partim ex abrogato jam olim Levitico cultu ceremonijsque, partim ex superstitione Romanæ Idololatriæ, is tamen sine utriusque generis, legis & religionis ullo exemplo Cœmeteria in ipsa quoque Templa, imò in Templorum penetralia introducere audeat. Sed quid non audet auri dira cupido? Lex certè Mosis a cujusquam defuncti cadaver contingere sacris operandis dicato interdixit, nedum Aris ipsis & Templis ea inferre, locumque Domino sanctum his polluere permisit. Nec minus de hoc Romani Lege 12. Tabularum cautum voluerunt. Quòd certè Templa plerunque febricitantibus, aut prægnantibus, aut quavis infirmitate laborantibus noxia sunt & contagiosa: non ego superstitiosæ hominum levium persuasioni totum tribuerim: sed tum confuso indiscretæ turbæ ac multitudinis halitui, tum etiam maximè Sepulchrorum in ijs existentium funesto fœtori.

Templa cur febricitantibus noxia.

Decet autem Christianos homines Cœmeteria seu Sepulturæ publica loca sacra putare, neque permittere ut ullis profanis usibus violentur. Etsi enim improborum petulantia defunctis nihil incommodet, eadem tamen frenanda, & Christiana disciplina legibus coërcenda est, ne eorum fidem ridere & ijs insultare videamur, quorum corpora cùm in vivis essent, Spiritus Sancti Templa fuerunt, nunc autem in Christo sopita quiescunt. Et ut ad exteros transeamus, nulla ex gentibus non omninò barbaris tam efferata fuit, quæ non senserit sepulchrorum habendam esse rationem. In Romanis certè legibus hæc habetur: ubi corpus demortui hominis condas, locus sacer esto. *Et Vlpianus*, sepulchri, *inquit*, violati actio infamiam irrogat. *Imò graviter mulctatos fuisse olim legimus, qui bustum violavissent, aut ex sepulchro columnam deiecissent aut fregissent. Vnde in Coloniensi etiam Synodo sub Rodolpho I. Imperatore celebrata cap. 11. sancitur*, ut Cœmeteria clausa & munita custodiantur, ne à porcis, vel alijs animalibus ossa mortuorum comedantur: *prohibetur item sub pœna excommunicationis*, ne Ecclesiæ vel Cœmeteria à Laicis cujuscunque conditionis vel status fuerint, ad læsiones aliorum muniantur, *vel, ut verba Canonis habent*, incastellentur.

Cœmeteria sacra nec profanis usibus destinata.

Cumque moris fuisset in primitiva Ecclesia in natalitiis sanctorum Martyrum vigilias celebrare in Cœmeteriis, ideò Concilium Eliberitinum sub Sylvestro 1. celebratum cap. 35. statuit, ne fœminæ in Cœmeterio pervigilent, eò quòd sæpè sub obtentu orationis scelera latenter committant. *In eadem synodo cap. 34. præcipitur*, ne Cerei per diem in Cœmeterijs accendantur, & transgressores ab Ecclesiæ communione arceri jubentur.

In Cœmeterijs vigiliæ prohibitæ.

Olim in vicis & magnis pagis passim per Germaniam erant Cœmeteria munita, in quæ se inquilini recipiebant in hostilibus Anglorum, Vngarorum & aliorum incursionibus, cuius adhuc multis in locis vestigia exstant. Habebant etiam agricolæ sua fructuum repositoria singula singuli in illis Cœmeteriis ubi fruges ab hoste tuta erant & igne. Muttius lib. 21.

Cœmeteria olim aliquibus in locis quare munita.

Hæc in genere de Cœmeteriis dicta sufficiant: nam de Sepulchris & Sepultura suo loco & tempore plura, (si Deus vitam nobis concesserit) dicturi sumus.

CAPVT II.

De Origine & Progressu SACELLORUM seu CAPELLARUM.

IOANNNES *Quintinus in explicatione Canonis 5. Gangrensis Synodi à Sacellis Templa distinguit: cumque Trebatio existimat*, Sacellum ex duobus compositum verbis, *nimirum* Sacri & Cellæ, *quasi dicas sacra Cella, ut* Sacellum *juxta eos sic locus parvus Deo sacratus cum ara. Gellius verò Noctium Attic. lib. 6. c. 12. simplex putat esse verbum, ex sacro diminutum.*

Sacellū quid.

Antequàm verò in honorem Sanctorum templa exstructa & dedicata fuissent, parochiales tantum

Sacellorum author.

tantum Ecclesiæ & cathedralia Templa exstiterunt, nulla Sacella & Ethnica lararia. Primus omnium HILARIUS I. *qui Pontificatum Romanum circa annos Christi* 465. *tenuit, Basilicas Romæ novo & hactenus inusitato genere ædificiorum exornare cœpit, additis nimirum* SACELLIS, *quæ Platina in vita ejus* Oratoria *vocat, ubi ita scribit:* In Baptisterio Constantinianæ Basilicæ tria Oratoria ædificavit, auro & pretiosis lapidibus distincta, tribus Sanctis dedicata, Ioanni Baptistæ, Ioanni Evangelistæ & S. Cruci. *Ex quibus verbis non obscurè colligi potest, Oratoria illa non magnifica, ampla seu spatiosa templa, sed parva & exigua quædam ædificia fuisse, quæ hodiè vulgò Sacella nominant: ædificata enim fuerunt in Baptisterio, hoc est, loco Templo seu Basilicæ Constantinianæ vicino & adiuncto, ubi fons baptismi fuit, quem locum hodie* Cœmeterium *appellant. Meminit quidem Augustinus de Civitate Dei lib.* 22. *cap.* 8. *Martyrij in Templo quodam, quod Sacellum fuisse alicui videri posset, verùm non fuit, sed locus Sepulchri Stephani Martyris, Cancellis tantùm à reliqua parte distinctus. Haud tamen negârim, ejusmodi Martyria postea Sacellis in ipsis Templis occasionem dedisse.*

Capella nomen unde habeant Sacella.

Hujusmodi verò Oratoria seu potius Sacella progressu temporis CAPELLAS *vocare cœperunt. De cujus rei Origine & causa Durandus in Rationali divinorum libro* 2. *cap.* 10. *ita scribit:* Antiquitùs, *inquit*, reges Franciæ ad bellum procedentes, Capam B. Martini Episcopi Turonensis secum portabant, quæ sub quodam tentorio servabatur, quod ab ipsa Capa seu Cappa dictum fuit Capella: & Clerici, in quorum custodia ea Capella fuit, inde Capellani dicebantur: unde postea ad cunctos Sacerdotes nomen illud in quibusdam regionibus pervenit. Sunt item, *eodem auctore*, qui dicant, quòd antiquitùs factæ sint in expeditionibus ædiculæ seu domunculæ in tentorio pellibus caprarum tectæ, in quibus Missæ celebratæ sint: *& inde Capellæ nomen, à capris videlicet, sumptum esse.*

De hoc ipso ijsdem ferè verbis, sed paulò clarioribus scribit Rhenanus in Præfatione ad Liturgiam Chrysostomi in hunc modum: D. Martinus Ludovico Regi, qui fidem Christianam ex Francis primus suscepit, à Remigio tinctus, adeò observatus fuit, ut pleráque bella ex ope ejus divi ex voto confecerit, quorum minimum non est illud adversum Visogothos gestum. Ejus exstat apophtegma relatum in annalibus Francorum; Bonus sanè Martinus in auxilio, sed carus in pretio. Frequenter igitur præsentissimum Martini numen experti, tandem cucullum, qui Francis & Germanis Cappa atque Cappula dicitur per diminutionem, de illius Pallio nacti quod nigrum & pendulum ac amphibalon fuisse, Severus Sulpitius docet, ubi fortè amphimallon legendum, ut utrinque villosum accipias, videlicet, non amictus modò, sed & stragulæ vestis usum suppeditans: nam amphiphalon hic locum non habet. Hujusmodi inquam capitis amiculum adepti de pallio divi, ipsi Capellam sancti Martini nominabant suâ linguâ, Sant Martens Capell. Hancque non solum domi, ceu rem sacram colebant, verumetiam secum in militiam ferebant, tot nationum victores Franci. Locus in castris ubi servabatur tentoriolo obduci soliti, & temporariâ structurâ exornari, magnæ erat venerationi universis, quem vocitabant das Cappel/ figuratè, pro continente contentum usurpantes. Vnde factum est, ut quibusvis postea sacellis id nomen tribueretur: in actis concilij Tributiensis, recentius habiti, citante Gratiano legimus; Sic ubi à Nordmannis & Sclavis, ab Vngaris & malis Christianis, seu qualicunque modo Ecclesiæ fuerint incensæ & combustæ in Capellis cum tabula consecrata Missas iterum celebrari permittimus. Vbi interpres, Fortè Capellæ non erant, *inquit*, olim Ecclesiæ, cùm antiquitùs dicerentur Capellæ Tuguria Caprarum pellibus tecta. Habes perbellam etymologiam.

Hæc Sacella autem posterioribus, non ad Basilicas & majora Templa tantùm, sicut ab initio, sed etiam extra urbes, & præsertim in minoribus vicis seu pagis éxstrui cœperunt. Quà de re D. Bullingerus historiarum peritissimus, & antiquitatum diligentissimus indagator, in manuscripto Chronico libro 6. *capite* 2. Antiquitùs, *ait*, sese longè latéque extenderunt parochiæ: neque enim quilibet vicus aut pagus suum peculiarem Parochum aut pastorem habuit: sed parochiales oportuit ex longè dissitis locis ad suam parochiam ire. Exempli gratiâ: ad majus Templum Tiguri cogebantur diebus Dominicis, & præsertim majoribus festis ex Schwamendingen/ Rieden/ Fellanden/ Zolliken/ Wittelliken/ Trechtenhusen/ Zimiken/ Oerliken/ Wippfingen/ Witiken/ &c. ad sacra venire, licet hi vici omnes procul ab urbe distent. Quia verò in hujusmodi vicis multi senio confecti, ægri & gravidæ fœminæ erant, & propterea minus commodè vel ad majora festa ad parochialem suam Ecclesiam venire poterant, hyeme præsertim: concessum fuit illis Oratoria parva, quæ Cappellas vocabant, in suis pagis ædificare, quo diebus Dominicis & alijs festivitatibus Orationis gratiâ convenire possent. *Conceditur hoc quidem in Agathensis Concilij, anno Domini* 506. *habiti, juxta Panvinium in Chronico Ecclesiastico,* Canone

Sacellorum & Capellarum abusus. I.

Canone 21. eâ tamen conditione seu lege, ut majora festa vel solennitates in civitatibus aut Parochys celebrentur. Ita enim Canon habet: Si quis extra parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus, ut ibi Missas teneat (*sic legitur tomo 1. Conciliorum: Gratianus autem de Consecrat. distinct. 1. cap. Si quis habet, ut ibi Missam audit*) propter fatigationem familiæ juxta ordinem permittimus; Paschate verò, Natali Domini, Epiphaniâ, Ascensione Domini, Pentecoste & Natali S. Ioannis Baptistæ, & si quæ maximè dies in festivitatibus habentur, non nisi in civitatibus aut Parochijs teneant: Clerici verò si qui in festivitatibus, quas supra diximus, in Oratorijs, nisi jubente aut permittente Episcopo, facere aut tenere voluerint, à communione pellantur.

Ad eandem ferè rationem Templum Iudæi unicum habuerunt, cujus locum Hierosolymis Deus constituerat: & id erat instar Parochiæ, ad quam tota gens tribus festis solennibus in Paschate nimirum, Pentecoste & Tabernaculorum solennitate conveniebat, ut fidei & cultûs unitatem profiteretur, neque alibi quàm illic licebat Sacra peragere. At ne interea temporis Religionis exercitium prorsus negligeretur, & legis divinæ cognitio apud vulgus omninò intercideret, utque eorum etiam qui per ætatem aliâve impedimenta Hierosolymam venire non poterant, ratio aliqua haberetur, ideò per omnes tribus in urbibus, vicis & Castellis, alysque locis frequentioribus certæ domus cœtibus sacris destinata erant, quas Synagogas vocabant, eò quòd in illis populus diebus Sabbati conveniret ad audiendum legem & ad preces publicas. Quemadmodum autem veteres, non contenti unico Templo Hierosolymitano, idolorum templa ædificârunt, in ysque Altaria exstruxerunt: ita etiam sequentibus seculis Christiani Cappellas in ysque Altaria ædificare, Idola & Imagines erigere, ac Missas celebrare cœperunt.

Capella ab initio Oratoria. *Fuisse autem has Cappellas ab initio nihil aliud quàm Oratoria, hoc est, Orationis domus, nec habuisse Sacerdotes qui Missas ibi celebrarent, vel hinc patet, quòd donationes factæ Cappellis, Parocho seu plebano Ecclesiæ parochialis, ad quam illa Cappella pertinebant, ut plurimùm cesserunt: quod minimè factum fuisset, si per proprium Sacerdotem administrata essent. Hoc autem apparet ex eo instrumento, quod Berchtoldus Dux Zaringensis præpositura Tigurinæ & Canonicis ejusdem super electione plebani seu pastoris majoris Templi ibidem dedit: in quo inter alia hæc leguntur:* Et quia dictum est, ut Altari serviens de Altari vivat, eidem instituto pastori laborum emolumentum de communibus Ecclesiæ bonis distinxerunt: videlicet Dotes omnium Cappellarum, &c. *Actum anno ab incarnatione Domini* 1187. *ibidem. Ex Synodi tamen Agathensis concessione, jam diu ante hæc tempora multis in locis Missarum celebratio in Oratorijs his seu Cappellis instituta fuit.*

30 *Tandem etiam in privatis ædibus Sacella seu Cappellas ædificârunt, contra Ethnicorum consuetudinem, quos illi perpetuò imitantur. Apud Romanos enim Censorum erat curare, ut Sacella non in domo cujusquam essent, sed populo paterent. Itaque Livius libro 40. ubi loquitur de Lepido & Fulvio Censoribus,* Complura *inquit*, Sacella publicáque Sacra occupata à privatis, ut paterent, essentque populo curârunt. *Et M. Cælius, ut ostenderet Appium Censorem officio suo deesse,* petijt ab eo, ne Sacellum in domo privata relinqueret: cujus rei cura Appij, qui Censor erat, esse deberet: *sicut scribit Ciceroni epistolâ 12. libro 8. Quamvis Paulus Manutius eum locum Cælij intelligendum putet de Sacello, quod ipse Appius occupâsset, ex quo gravior ei conciliata esse invidia, occupatis rebus à Censore, quas Censor ab alijs occupatas populo restituere deberet.* In his *autem* privatis Oratorijs vel Sacellis licere quidem unicuique fidelium orare, non autem Missas celebrare, constituit Aureliancusis Synodus cap. 3. de Consec. distinct. 1. cap. Vnicuique. *Et sequenti capitulo citatur Canon ex sexta Synodo qui præcipit,* ne Clerici absque consensu Episcopi in talibus Sacellis ministrent, sin minus, deponantur. *Sed hæc non ubique, neque ab omnibus æquè observantur. Quid enim non facit auri dira cupido?*

Mirum autem in modum his proximis trecentis annis Cappellarum auctus est numerus, 31 *quando eas in compitis & trivijs, adeoque etiam in solitariis locis ob somnia & similes reuelationes aniles exstruxerunt: ad eum prorsus modum, quo altaria olim sine numero vbinis locorum erecta sunt: contra quæ in Carthaginensi 5. Synodo anno 438. habita, talis Canon exstat:* Altaria, quæ passim per agros aut vias, tanquam Memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, evertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non finitur, plebs tamen admoneatur ne illa loca frequentet, aut nullâ ibi superstitione devincta teneatur. Et omninò nulla Memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut reliquiæ aliquæ ibi certæ sint, aut vbi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissimâ origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi reuelationes quorumlibet hominum vbique constituuntur Altaria, omnimodè reprobentur. *De Consec. dist. 1. placuit.*

placuit. Quod decretum appositissimè quoque ad Sacella & Cappellas referri potest.

Sacellorũ numerus inhibitus

Quin eò vsque progressa est superstitio, vt eam inhibuerit Senonensis Synodus anno 1528. *habita, capite* 38. *præcipiens*, Ne prætextu noui miraculi erigatur Cappella, aut Altare nouum, nisi Episcopus loci de eo negocio antè definierit quid sit statuendum, *tomo quarto Com.*

Hæ Cappellæ Parochiis multum damni attulere progressu temporis: Vnde scitè verèque admodum dici solet, mox atque Satanas animaduertat Templum aliquod in Dei honorem erectum, huic proximè exædificare sacellum, quo illius ruinam moliatur.

CAPVT III.

De Origine OSSARIORVM, quæ Germani vocant Beinhäuser.

Veterum cadavera terræ mandata

IN *veteri Testamento de multis Sanctis, in Novo de Ioanne Baptista, de Stephano & aliis dicitur, quòd terra mandata sint eorum cadauera. Genesis vltimo capite narratur*, Iosephum fratres jurejurando adstrinxisse, vt sua ossa in terram promissam secum exportarent. *Postea Exodi* 13. Moses *dicitur* ossa illa in desertum tulisse. *Non efferri jussit ex superstitione quadam, quòd inde ad mortuum redituram aliquam vtilitatem speraret: (vt enim piis non fraudi est si in locis profanis humentur: ita impiis nihil vtilitatis affert, etiamsi in Templis & locis sacris sepeliantur.) Sed hac re voluit suam fidem ergà terram promissam testari. Ingenium enim hoc est fides, vt inhæreat promissis etiam illis, quæ post obitum demùm nostrum implentur: vnde ad Heb.* 11. *cap. hoc mandatum Iosephi*, inter fidei opera *numeratur. Deinde fratrum quoque suorum fidem & spem fulcire ac firmare voluit, quòd terram Chanaan certò, ex Dei promissione accepturi essent. Quid autem actum sit cum cadauere & ossibus Iosephi, postquam in terram promissam delata essent, disertè indicatur Iosua* 24. *vbi dicitur*, sepulta & humo mandata esse. *Durauit hic mos non solùm in veteri Testamento, sed etiam in Ecclesia Christi aliquot seculis.*

S. Antonij memorabilis sententia de corporibus mortuorum humo condendis.

In vita S. Antonij Eremitæ descripta per Athanasium, & per Euagrium Presbyterum ex Græco translata, exstat memorabilis locus de Ossibus mortuorum non effodiendis, & in Sacellis recondendis, sed humo condendis. Mos, *inquit*, Ægyptiis est, nobilium, & præcipuè beatorum Martyrum corpora, linteamine quidem obvoluere, & studium funeri solitum non negare: terrâ verò non abscondere, sed super lectulos domi posita reseruare. Hunc honorem quiescentibus reddi, inveteratæ consuetudinis VANITAS tradidit. De hoc Antonius sæpè & Episcopos deprecatus est, vt populos Ecclesiasticâ contestatione corrigerent, & laicos viros & mulieres rigidius ipse conuenit, dicens, nec legitimum hoc esse, nec Deo placitum, quippe cùm Patriarcharum & Prophetarum sepulchra, quę ad nos vsque perdurant, hæc facta conuincerent. Dominici quoque corporis exemplum oportere intueri jubebat, quod in Sepulchro positum lapide vsque ad resurrectionis diem tertium clausum fuerit: atque his modis vitium circa defunctos Ægypti, etiamsi sancta essent corpora, coarguebat, dicens: Quid majus aut sanctius corpore potest esse Dominico? quod juxta consuetudinem gentium cæterarum, humo conditum esse scimus? Hæc justa persuasio multorum infirmum vel iterrorem, & repositis in terra cadaueribus, Domino gratias pro bono magisterio retulerunt. Metuens ergo consuetudinem supradictam, ne eodem etiam circa se laberentur errore (*vt paulò post ibidem etiam annotatur*) dixit duobus suis fratribus cum sibi moriendum esse sentiret: si qua mei vobis cura, si qua patris memoria est, si mihi vicarium rependatis affectum, nullus ad Ægyptum meas perferat Reliquias, ne vano corpus honore seruetur, ne vituperati ritus à me, vt nostis, etiam circa me sequentur obsequia. Hujus enim rei gratiâ, maximè huc sum regressus. Vos igitur humo tegite, vos patris operite corpusculum, & illud quoque senis vestri custodite mandatum, vt nemo præter vestram dilectionem, locum tumuli mei nouerit, *&c. In eandem sententiam Gregorius Nazianzenus horribile & atrox imprimis esse dicit,* νεκρῶν λείψανα σέβειν.

Progressu verò temporis etiam aliis in locis apud Christianos circa Reliquias & ossa mortuorum variæ irrepserunt superstitiones. Primò enim effossa sunt, licet humo prius condita fuerint, eleuata, auro inclusa, ex vno loco in alium translata, nonnunquam etiam in Templa ad ostentationem suspensa. Nicephorus autem libro 3. *capite* 10. *de translatione ossium solidiorum Ignatij scribens, non obscurè indicat, Iustini tempore circa annos Christi* 145. *nondum notam fuisse aut inualuisse superstitionem hanc anilem. Profitetur præterea, se ignorare tempus quo istæ eleuationes & translationes cœperint. Sed hac de re plura diximus supra libro* 2. *capite* 7. 1.

Superstitio circa mortuorum ossa quando cœpta.

Ossaria quando instituta.

Secundo non tantum Sanctorum Martyrum ossa effossa sunt, & ad cultum prostituta, sed etiam vulgi, cœperuntque Sacella, quæ nos Ossaria, Germanicè Beinhäuser *vocamus, exstrui, eáque in eis coaceruari: imò huiusmodi in Ossariis tandem etiam preces & Missæ, pro animabus quarum ossa ibi coacernata jacebant, habitæ sunt.*

Quo

Quo tempore autem hæc consuetudo impia & superstitiosa cœperit, diligenti licet authorum lectione, & assiduâ inquisitione percipere non potui. In Coloniensi Synodo sub Rodolpho I. Imper. habita, primùm quod quidem inuenire potui, cap. 11. *sancitur*, vt in speciali loco ossa mortuorum fideliter reponantur.

Rationes quæ videntur probare Ossaria. *Hanc consuetudinem effodiendi ossa & crania ex sepulchris, eáque ordine ac serie in Ossarijs disponendi, hanc ob causam probandam esse censent*, vt ea videntes, cogitemus nos caducos & mortales esse, nobisque à superbia, auaritia, libidinibus, alijsque sceleribus caveamus. *Quod quidem aliquam habet probabilitatis speciem. Verùm eodem fuco Imagines olim defendebantur quoque. Cogitandum autem erat simul, quæ mala inde consequerentur. Videmus tot superstitiones accessisse, vt illius rei nullus amplius possit esse bonus vsus. Vt reuocemur à peccatis verbum Dei est audiendum, inuisendi sunt ægroti, deducenda sunt funera, sontium sunt supplicia spectanda, hinc enim multò melius hæc discemus. Neque nobis ex bona, vt vocant, intentione quid fingamus, quod nos ad virtutes alliciat, aut à vicijs abstrahat sed illis vtamur quæ Deus nobis tradidit. In hunc quoque finem institutus est in nostris Ecclesijs mos pius & vtilis eorum nimirum nomina honorificâ mentione Ecclesiæ publicare hebdomadatim, qui de viuis excesserunt, vt & nostræ sortis impudentis admoneamur, & ad preces excitemur. Sed & ipsa Cœmeteria atque sepulchra eiusdem rei nos admonent. Qua de re præclarè admodum scribit D. Chrysostomus in Sermone de fide & lege:* Videntes, *inquit*, sepulchra, cogitamus statim

Chrysostomi elegans locus de Sepulchris. & inter nos disputamus, dicentes: Ecce quid tandem ex nobis fit? Et quo abimus? Confabulamur, egredimur de Sepulchris, & humilitatis nostræ obliuiscimur. Apud sepulchra, ita vnusquisque proximo loquitur: ô miseram, ô miseram nostram vitam. Quid tandem ex nobis fit? *Et mox:* Ea propter Deus vbique Sepulchra fieri voluit, vt illis nostræ ipsorum infirmitatis memores fieremus. Ideò omnis ciuitas, omne castellum ante ingressum sepulchra habet, vt contendens intrare ciuitatem, quæ imperat & floret diuitijs & potentatu alijsque dignitatibus, priusquam videt quod secum concipit, videat primùm quod fit. Ante portas sunt Sepulchra, ante agros sunt Sepulchra. Vbique ante oculos nostræ humilitatis schola: & docemur in quid desinamus tandem, docemur qualia futura sint phantasmata.

Rationes ob quas Ossaria non sint ferenda. *Ad rationes quas superius adduximus de humo condendis cadaueribus & ossibus mortuorum nec effodiendis, & in Ossarijs asseruandis conseruandisque pertinent etiam pericula quæ inde oriri possent. Eorum* primum est *impietatis & ludibrij hostilis. Vnde* 1. *Sam.* 31. *indicatur*, ciues labenses tulisse cadauer Saulis de muro Bethsan, idque ne à victoribus reperiri posset, & omnium ludibrio exponeretur, combussisse. *Hinc etiam Plinius libro* 7. *capite* 54. *indicat* Cadauera cremare apud Romanos non fuisse veteris instituti, sed terrâ condere. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognouêre, tunc demùm institutum. *Et tamen multivariè priscos seruauêre ritus. Sicut ante Syllam Dictatorem in domo Cornelia nemo traditur esse crematus, hoc verò ipsum voluisse, veritum talionem, eruto C. Marij cadauere.* Secundum, *ne sententiæ & judicio Dei repugnare videamur. Deus enim Adamo dixit*, Puluis es & in puluerem reuerteris. Tertium *ne magicis artibus fomenta præbeamus. Refert enim Eusebius libro* 3 *de vita Constantini*, cùm sub Constantino & Theodosio statuæ gentilium euersæ fuissent, reperta in ijs esse mortuorum hominum ossa, atque arida crania, ab incantatoribus imposita, ad exercendas magicas artes & decipiendos simplices. Quartum, *ne si Cham denudando patrem maledictionem commeritus est, & nos ossa partesque tegendas majorum nostrorum detegendo, ejusdem impietatis maledictionem incurramus. Nam si Thobias & similes sepeliendo fratrum cadauera ludibrijs eximentes, pij operis laudem ab hominibus, à Deo verò benedictionem sunt consequuti, videndum quid è contrario sequatur.*

piiri

CAPVT IV.

De origine ÆDIUM Sacerdotum juxta Templa, & CARCERUM Episcoporum.

IN *Concilio Carthaginensi* 4. *cap.* 14. *sancitum fuit*, ut Episcopus non longè ab Ecclesia hospitiolum habeat, *distinct.* 41. *Et postea Eugenius* 1. *Papa circa annos Christi* 654. *constituisse dicitur*, ut juxta Templa Sacerdotum domicilia exstruerentur. *Stella, & Bolaus in vita ejus. Nicolaus* 1. *etiam circa annos Christi* 860. *statuit*, ut nulla ædificia in atrio Ecclesiæ, *hoc est, Cœmeterijs*, ponantur, nisi tantum clericorum 22. *q.* 1. *C. Nulla. Confirmatur in Synodo Salegunstadiensi anno* 1023. *celebrata, ubi decretum fuit*, ut ædificia laicorum, quæ Ecclesijs conjuncta sunt, destruantur, & nulla in atrio Ecclesiæ (An oder auff dem Kirchhof) ponantur, nisi tantum sacerdotum, *cap.* 12.

Eugenius 1. *Pontifex Rom. constituit*, ut Episcopi carceres haberent, pro puniendis, *non idololatris, adulteris, aut Sodomitis, quorum apud eos ingens erat numerus, sed hæreticis, ut Christum pure confitentes appellare solent. Ante*

Con-

Constantinum M. Episcopi passim in carceres à tyrannis conjiciebantur ob fidem in Christum, nunc vice versâ Episcopi fideles in carceres detrudere incipiunt. Ita sensim ad se traxerunt potestatem civilis gladij, tyrannidemque plusquàm Nimrodicam exercuerent. Balæus in vita Eugenij. Supplement. Chronic. dist. 81. cap. Sacerdos. Volaterranus. Funccius. Valer. Anselm. Rya.

CAPVT V.

De origine & progressu SCHOLARUM.

Scholas juxta Templa esse debere.

LEO IV. Pontifex Rom. Synodum Romæ celebravit, quæ à Luitprando in ejus vita, descripta est, licet nondum edita sit, ut in Catalogo testium veritatis fol. 82. indicatur, in ea necessariò servari præcipitur cap. 7. ut juxta templa vel Ecclesias claustra constituantur, in quibus Clerici disciplinis Ecclesiasticis imbuantur, utque ministri seu præceptores tales præficiantur eis, quorum vitâ ac doctrinâ erudiri possint. A Gratiano verò causa 12. q. 1. hoc decretum totidem verbis tribuitur Eugenio & Leoni IX. Non alienum igitur ab hac nostra de Templis tractatione fore puto, si de Scholarum Origine & progressu quædam etiam in medium afferam: præsertim cùm videamus plerisque in locis hodiè, Scholas non quidem ob legem hanc Pontificiam, per se alioquin non reprehendendam, sed propter plures commoditates, juxta Templa institutas, ipsisque adeò adjunctas esse.

Scholæ ante diluvium.

Vt igitur rem à prima rerum Origine repetam, dubium nemini esse debet, quin sanctorum Patrum ante Diluvium ædes seu domus aliud nihil quam Scholæ pietatis & bonarum literarum fuerint. Dubio procul enim Adam suos liberos & posteros, quorum magnum vidit numerum omnes scilicet ad Diluvium usque excepto Noe, vixitq; annos 930. diligenter instituit, & suo exemplo docuit, quàm grave scelus sit Deum non verè colere, præceptaque ejus transgredi. Seth quoque Adami filius author fuisse perhibetur, ut rerum cœlestium naturam homines ante Diluvium perscrutarentur, & in mirabili illo astrorum cursu inquirendo multum studij, ac diligentiæ poneret.

Literæ à quibus inventæ.

Sunt quidem aliqui, qui ne literas quidem ullas in prima illa mundi ætate fuisse contendant, dum alij Ægyptios, alij Phœnices, nonnulli etiam Græcos earum inventores esse pertinaciter defendant, acerriméque invicem insectentur. Iosephus autem libro 1. contra Apionem, & Eusebius lib. 1. de Præparatione Evangelica, Hebræos literas invenisse tum ex earum appellatione tum etiam figura probant. Et Eusebius quidem, quæ Plinius de Assyrijs, Herodotus & Lucanus Poëta, de Phœnicibus tradiderunt, col. 12. ea de Iudæis intelligi debere eleganter verissiméque demonstravit: Iudæam enim veteres scriptores non rarò Phœniciam appellârunt, atque in Syria semper collocârunt. Et Patriarchas diu ante diluvium literas habuisse, illud quoque satis magno argumento esse poterit, quòd Enoch, quem septimum ab Adamo vocat D. Augustinus de Civit. Dei l. 18. c. 38. librum de rebus naturalibus & Angelorum natura conscripsit, cujus authoritate Iudas Apostolus in Epistola sua canonica utitur, quam etiam Augustinus eodem loco defendit, & hactenus in Æthiopum Regia bibliotheca, Guilelmo Postello authore, asservatur. Deinde quia Adam prædixerat fore, ut aliquando aqua, aliquando ignis propter hominum peccata omnia prorsùs everterent, idcirco nepotes ejus duas ex diversis materijs columnas construxerunt, unam ex lateribus, quæ igni: alteram, ex lapidibus, quæ aquâ consumi non posset. In utraque ea, quæ magno labore & industria, in rerum cœlestium indagatione, & astrorum cursûs inquisitione, invenissent, ad posteros transmittenda conscripsere. Vide plura de literarum inventoribus apud Polydorum libro 1. capite 6.

Caini Scholæ.

Alter quoque filius Adami, Cain, Scholam etiam instituit, sed nequitiæ & scelerum. Nam ut Nauclerus volum. 1. Generat. 1. ex Iosepho indicat, ad plagam orientalem versus Eden humano genere multiplicato, suos familiares ad latrocinia invitans Cain, opes magnas congregavit: & suorum doctor in his studijs exstitit, ibique hominum simplicitatem ex inventione ponderum & mensurarum permutavit, eosque in calliditatem & corruptionem perduxit: ibidem quoque terræ terminos primus posuit, urbemque primam constituit, quam à filio suo Enoch Enochiam appellavit.

Caini nepotes variarum rerum inventores. Iabal. Iubal.

Nepotes quoque ejus variarum artium inventores & doctores exstiterunt. Iabal enim filius Lamechi nil nisi carnalia meditans, primus condidit pastoralia tentoria ad mutandum pascua pro gregibus nutriendis. Iubal verò frater Iabalis Musicam invenisse & docuisse fertur in cithara & organo, ut labores pastorales fratris sui in delicias verteret.

Thubalc.

Thubalcain autem & ipse filius Lamechi, artem ferrariam primus invenit, & alijs tradidit, res bellicas exercuit, sculpturasq; in metallis ad libidinem oculorum fabricavit.

Noema.

Noema denique filia Lamechi artes varias diversasque texturæ invenit, lanam & linum in fila traxit, & pannum texuit, aliasque texere docuit: nam ante hac pellibus tantum ferarum utebantur. Et ex his notant aliqui, quòd omnes artes vel scientiæ seculares, liberales, sive mechanicæ vel physicæ humanæ curiositati deservientes, in Caini ejusque nepotum Schola inventæ alijsque traditæ sint. Vt videas filios adulterinos subtiliores acutioresque alijs fuisse: juxta dictum Servatoris,

Filij hujus seculi prudentiores sunt filijs lucis in suo genere: *Luc. 16. Et hæc quidem fuerunt exercitia ac studia hominum in prima illa mundi ætate ante Diluvium.*

Scholæ post Diluvium. Noe qualem Scholam habuerit.

Post Diluvium autem, cùm jam antea Noe *suos Theologiam & sacros ritus docuisset, cœpit eosdem etiam instituere in humana sapientia, quam Græci* φιλοσοφίαν *appellant, & rerum naturalium secretis, inprimisq; astrorum cursûs & syderum motus rationem fideliter illis tradidit, ob quæ illum existimârunt divinæ naturæ esse participem, ac propterea illum* Olybana *ac* Arsa, *id est, Cœlum & Solem cognominaverunt, & ut Berosus nonnulliq; Iudæorum Rabbini tradunt, omnium Gigantum sapientissimum & Matheseos peritissimum judicârunt.*

Noe filijs suis distribuit terram.

Cùm autem in immensum multiplicatum esset genus humanum, idem Doctor adhortatus est filios ac nepotes suos, ut novas quærerent sedes, & urbes ædificarent. Designavit itaque illis tres orbis partes, Asiam, Aphricam & Europam, ut ante Diluvium viderat, sicut Nauclerus Gener. 10. volum. 1. ex Beroso Chaldæo refert. Profectus igitur, ut Philo Hebræus de multiplicato humano genere tradit, ipse Noe cum tribus filijs in Pontum venit, & ratibus circumlustravit totum mediterraneum mare, ostendens primò Sem *littus omne Asiaticum à Tanai per Bosphorum usque ad Nilum Ægypti.* Chamo *autem littus Aphricæ usque in Angustias Oceani & Gadium,* Iapeto *verò omne littus Europæ à Gadibus usque Tanaim. Et hi quidem tres fratres in eas orbis partes, quas pater singulis monstraverat, discesserunt, ibique non solùm urbes condiderunt, sed & Scholas aperuerunt, ac juventutem bonis moribus literisque imbuerunt: licet Chamus, majorem reliquis gloriam paraturus, & ut, sicut Vincentius inquit lib. 2. cap. 101. divinæ naturæ particeps esse crederetur, optimis artibus, quibus à parente instructus fuerat, ad superstitiones Magicas abuti cœperit. Nec satis ipsi fuit per se hujusmodi turpitudinem exercere, verum etiam libros, & carmina de Magia & incantationibus conscripsit: utque non solùm in suos, sed fratrum suorum liberos & posteros quoque hoc venenum infunderet, æternamque sui nominis memoriam post se relinqueret, non contentus terris, quas pater ei monstraverat, alienos quoque fines, adeoq; ipsam Italiam etiam, vivente adhuc patre, ingressus est, & ad Gomeros venit: non comparente autem Gomero, cœpit colonias regere, & sua impietate ac sceleribus corrumpere.*

Germania à quo artibus ingenuis exculta.

Ianus autem, qui & Noah cùm & ipse venisset secundò in Italiam, visendi colonias, quas eò deduxerat gratiâ, & comperisset Chamum præter opinionem corrumpentem juventutem, tribus quidem annis æquo illum tulit animo, deinde verò aliquot illi assignatis colonijs, eum Italiâ excedere jussit. Dimisit quoque à se nepotem suum, Gomeri primogenitum Thuisconem, *cujus nepos* Wigevvonerus, *vel, ut alij vocant,* Ingevon *aut* Inguvon, *filius Manni, Academias in Germania instituit, ad comprimendam hominum audaciam. suumque Germanicum regnum, quod fuit amplissimum, artibus ingenuis excoluit, Beroso auctore. Vnde vehementer admirari soleo quorundam stolidam insolentiam, qui Germanos barbariei traducunt impudentissimè: quodque nihil Religionis veræ, nihil bonarum literarum & scientiarum, nihil denique civilitatis habeat Germania, quod non aliunde, & præsertim ex Latio hauserit, derivârit & acceperit.*

Noachus autem in Latio permansit, & quia, ut diximus, Chamus, falsam & impiam, quam in Africa & Ægypto evomuerat, doctrinam, in Latio quoque spargere inceperat, publicum Vetuloniæ *Gymnasium aperuisse creditur, ubi divina & humana jura, disciplina morum, artes mathematicæ, & Sacrificiorum, cultusque divini rationes traderentur: ut verâ Religione & sapientiâ imbuti, contra pestilentissimos Chami errores, & vanas aliorum superstitiones, quas sine dubio aliquando exorituras esse prævidebat, satis munirentur. Et ne aliquando hæc, quæ ipse publicè ibi professus fuerat, interirent, certis quibusdam libris comprehendit.* *Vetuloniæ gymnasium.*

Noacho autem his occupato, uxor ejus non segnior viro, Sacrificiorum curæ, erudiendisque virginibus, vacâsse maximè dicitur: ut ferè mulieres viris religiosiores sunt. Cumque ignem, à se repertum, ad sacrificia necessarium esse intelligeret, ad ejus custodiam, suadente vel saltem permittente Noacho, virgines legisse creditur, quòd ignis natura pura, & incorrupta esset. Vnde ipsam, quòd ignem virginibus custodiendum prima omnium instituisset Vestam *appellârunt, juxtà illud Ovidij Salmonensis Poëtæ:* *Noachi uxor erudijt virgines in Latio. Virginū Vestaliū institutio.*

Nec tu aliud Vestam quàm vivam intellige flammam. *Custodes verò sacri hujus ignis* Virgines Vestales *nominârunt, de quibus multa hinc inde in Romana historia.*

Ex Noachi verò Gymnasio physicam, Astronomiam, cæterarumque artium doctrinam, Theologiam & religionem in totam Italiam emanâsse, multis argumentis Ioannes Annius Viterbiensis in suis ad Berosum Annotat. comprobavit. Hetrusci inprimis has artes ita excoluerunt post mortem Noachi, ut universus orbis eorum doctrinam & sapientiam admiraretur, & in prognosticationibus, interpretationibusq; fulgurum atq; protentorum præstantissimi haberentur. Hac famâ permotus Pythagoras ille Samius, ex Persia & Ægypto reversus, atque omnium ferè gentium literaturâ ad miraculum usque imbutus, ad Hetruscos proficiscitur in Italiam: & quia eorum doctrinam, quæ Mosis non absimilis erat, præ cæteris omnibus probabat, idcirco hîc permanere, ibidemque discere simul & docere statuit: Quo factum est, ut non solùm à sapientibus *Italia à Noachō erudita. Hetrusci. Pythagoras in Italiam.*

Hetruscorum, quæ ignorabat, perciperet, sed ipse etiam, qua alibi longo usu, multo labore, studio ac vigilijs cognoverat, iterum doceret, adeòque Græcorum philosophiam primus in Italiam inferret.

Academia *His rebus factum est, ut Romani, qui longo tempore politiori literaturâ caruerunt, cùm viderent non solùm Hetruscos ob bonarum literarum studia florere, & in toto mundo celebres esse, sed etiam potentissimos Reges ac principes earum præsidio regna administrare: sæpe etiam bella dexterius conficere, curam illarum suscipere tandem statuerent. Et quia Pythagoræ doctrina præ cæteris illis arridebat, eam quoque in urbem avidissimè recipiebant, ut Cicero author est lib. 4. Thusc. quæst. ac brevi quidem hujus doctrinæ cupiditate ita exarserunt non solùm nobiles Romæ, sed & promiscua multitudo. ut populus Romanus rarò aliquem vel Reipub. vel militiæ præficeret, qui non esset eâ vel mediocriter eruditus.*

Cùm verò propter bella diuturna & gravia quæ populus Romanus gessit, inprimisque ob dissensiones civiles Schola cum studijs interiissent Romæ, ideo Iulius Cæsar post bellum Civile ex Ægypto rediens in Italiam, mox ad ornandum imperium Rom. se convertit, ut quod tot periculis tantisque laboribus parârat, in pace & tranquillitate diu conservaret. Nullâ verò ratione hoc commodius fieri arbitrabatur, quàm si bonarum literarum studia resuscitaret & urbem, caput imperij, viris doctis & literatis exornaret. Adduxit ergò ex Ægypto insignes Mathematicos, & author fuit ut Mathematicæ disciplinæ in Italia colerentur: amplissimas quoque Græcas & Latinas bibliothecas erexit. Augustus *Augustus verò omnium Provinciarum, quas imperio adjecit inventuti optimos præceptores dedit, ut non minus accuratè educati eruditique, quàm proprij filij, in Romanorum fidelitate & legibus permanerent. Instituta ergo sunt insignia Gymnasia Romæ inter qua longè celeberrimum fuit Atheneum ad Alexandrini Musæi æmulationem à Claudio Imp. fundatum, ubi Historiæ ab eo editæ quotannis recitarentur, Volaterrano teste libro 12. Geograph.* Traianus *Et Trajanus Nerva multa in emendationem publicorum negotiorum constituit, in Scholarum verò & puerorum sustentationem plurima, ut in vita ejus Dion Cassius Nicæus refert: ob eamque causam ad restituendum bonas artes & divini humanique jurisprudentiam, cælitùs à Deo missus credebatur, authore Sexto Aurelio Victore.*

Schola Asiatica. Chaldai & Hebræi. *In alia porrò orbis parte, qua* Semo *attributa fuit, non minorem operam excolendis bonis literis & aperiendis Scholis impenderunt. Quâ in re ita excelluerunt Iudæi & Chaldæi maximè, ut optimarum artium vetustissimi Inventores habiti sint. Vnde & consultus Apollo ita respondit:*

Dura via illa nimis æratis clausaque portis,
Quæ vitam vobis aperit donatque beatam.
Nec verò verbis facilè enarrarier ullis
Exponiq; queat: illo quo semita ducit:
Quam primi ante omnes cœperunt tradere pulchras
Qui Nilepotant lymphas: Phœnicibus inde,
Proximaque Assyrijs ea cura: sed inclyta longè
Gens Hebræa illam novit, notamque recepit.

Et alio Oraculo idem Apollo adhuc clarius hoc demonstravit inquiens:

Chaldæis qua vera esset sapientia tantum,
Hebræisque ipsis concessum cognoscere pura
Æternum qui mente colunt regemque Deumq;:

ut Eusebius refert lib 9. cap. 3. de Præparatione Evangelica.

Schola Ægypti Memphitica. *Ab his in omni genere bonorum disciplinarum, & præsertim in Mathematicis artibus institutus* Abraham, *eas in Ægyptum importavit, Ægyptiosque Geometriam & Astrologiam docuit, ante cujus adventum nihil harum rerum sciebant: & causa creditur fuisse* Memphitici *Gymnasij, ubi è Mesopotamia profectus habitâsse dicitur. Illas verò artes ipsi propter admirationem tam egregiè coluerunt, mirificeq́; auxerunt, ut Gellius libro 11. Ægyptios in artibus inveniendis solertes, & in cognitione rerum indagandâ sagaces exstitisse probet.*

Iosephus Alexandrina Schola. *In Ægyptum autem veram Theologicam* Iosephus *Patriarcha videtur intulisse, quam tamen ipsi haud longo tempore post fœdissimè corruperunt. Sed cum in Philosophia & Mathematis diu floruissent, tandem Ptolemai reges Alexandria omnium liberalium artium Scholas aperuerunt, inter quas principales fuerunt* Musæum, Serapium, & Iseum, *à Musis, Serapide & Iside denominatæ. Quocirca in Ægypto omnes ferè qui olim doctrinâ excellentes ac celebres fuerunt instituti sunt, aliiq́; gentibus qui leges & vitæ præcepta dedere, ad Ægyptios ea primum percepturi, transierunt.* Thales *enim Milesius Ægyptiorum Sacerdotibus usus est Præceptoribus, quod ipse ad Pherecidem fatetur.* Pythagoras *in Ægyptum studiorum causâ profectus est: ubi sacerdotum Commentarios scrutatus, innumerabilium seculorum observationes cognovit.* Plato *Philosophorum Deus in Ægyptum ad Prophetas & Sacerdotes profectus, Geometria multiplices numeros cælestiumque rationum observationem percepit: ubi & Mosis Prophetæ libros legisse, & ideò ad Christianam Religionem proximè accessisse creditur.* Aristoteles *quoque*

plurima

plurima in Asia à Iudæis & Ægyptiis didicit.

Scholæ in Græcia extructæ. Academia Athenis. Lyceum. Stoa. *His artibus instructi, tanquam apes dulcissimo melle onustæ, in Græciam redierunt, eamque mirificè excoluerunt & exornârunt. Et Plato quidem Athenis in loco, qui* Academia *dicebatur, Scholam aperuit, quam Cicero ad Seruium Sulpit. omnium totius orbis nobilissimam fuisse dicit. Aristoteles verò in Lyceo (Templo Apollinis olim, quod à Lycio Pandionis F. nomen traxit) Gymnasium instituit, &* Zeno *in* Stoa *siue porticu Pisianactea sese exercuit, vnde* Stoici *eius discipuli. Ex his tribus Gymnasiis, Platonis autem & Aristotelis præcipuè, præstantissimi oratores, optimi Philosophi, & celeberrimi Poëtæ in vniuersum orbem terrarum prodierunt. Verum ergo non est, quod Græci sibi tribus solis* *Græci nō primi artium inuētores* *voluerunt, se omnium hominum parentes, & primos literarum atque artium cunctarum inuentores exstitisse: vtque facilius hominibus hoc persuaderent, per incredibilem arrogantiam omnium gentium ac populorum Historias corruperunt, & antiquissima quæque abolere conati sunt. Atqui Isocrates apertè fatetur,* quòd Pythagoras Samius ex Ægypto liberales artes, & philosophiam primus in Græciam intulerit. *Et in libris de præparat. Euangelica*, nil magni Græcos, præter eloquentiam invenisse, *Eusebius eleganter demonstrat.*

Scholæ Israëlitarum. *Quemadmodum autem ab initio huius capitis diximus, Patriarcharum domos nihil aliud quàm Scholas & officinas pietatis ac bonarum artium fuisse, ita vbi posteri eorum terram promissam occupâssent, Leuitis vrbes 48. ex præcepto Domini Num. 35. assignârunt, cum suburbanis suis, per vniuersum regnum. Eæ verò vrbes* Leviticæ *dicebantur, non quòd soli Leuitæ in ijs habitarent, sed quòd ibi iuuentus in studijs liberalium disciplinarum & artium erudiretur, & in Synagogis Lex Dei diligenter exponeretur. Earum summa semper cura habita fuit à sanctissimis & præstantissimis etiam in populo Dei* *Samuel Propheta præfect° Bursæ.* *viris. Ita in Samuelis Historia legimus quòd ipse Samuel præfectus fuerit* Naioth, *id est, bursæ, siue collegio, quod institutum erat in monte sancto in ipsa Rama: ejusdem etiam Gymnasii mentio fit cap. 10. lib. 1. Sam. Studiosi eius appellabantur* Prophetæ.

Helias & Helisæus Scholarū præfecti. *Scholæ* Hierichuntinæ *&* Ramod Galaad *aliquandiu Helias, demum etiam Helisæus præfuit: eorumque discipuli vocabantur* Filij Prophetarum, *siue* Nazaræi, *hoc est, ad studia segregati. Loquitur etiam Ieremias in Thren. 4. cap. de adolescentibus, qui sub cura optimorum Magistrorum, & in bonis literis & in probitate morum optimè fuerant instituti. Ex his Scholis destinabantur Ministerio sacro, ad quod quisque videbatur idoneus maximè.*

Schola Hierosolymitana *Etsi verò populus Dei post captiuitatem Babylonicam, apud exteras ageret gentes, nunquam tamen neglexit studia literarum etiam inter Gentes institutis Synagogis. Acta enim Apostolorum referunt, Paulum ingressum Synagogas, Euangelium annunciâsse. Hierosolymis tamen erat eius gentis præcipuum ac florentissimum studium, quo etiam ex omnibus regnis confluebant, vt ex Actis Apostolorum colligi potest: vbi sic legitur:* Erant Hierosolymis habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione eorum qui sub cœlo sunt. *In eodem libro meminit D. Lucas* Collegii Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, Cilicum & Asiaticorum, *eorum nimirum, qui ex his nationibus Hierosolymam studiorum gratiâ commigrârant. Paulus, cùm esset civis Romanus è Tharso Ciliciæ vrbe oriundus Hierosolymam concesserat, vt per Gamalielem in Lege Domini institueretur. Tradunt autem hunc* Gamalielem *Simeonis iusti fuisse discipulum, & hunc* Hillelis. *Petrus enim Galatinus de Arcanis Catholicæ veritatis* l. *cap.* 2. Floruit Hillel, *inquit*, anno ante Templi secundi eversionem 100. & 80. habuit discipulos, omnes excellenti ingenio & doctrinâ præditos, qui omnes ratione disciplinæ filij ejus sunt nuncupati. Inter hos postremus omnium Simeon justus, qui Christum in vlnas suscepit, ponitur. *Refert Iosephus libro vndecimo Antiquit. & Eusebius in Chron.* Alexandrum M. contra Darium Persarum Regem pugnaturum à legisperitis Hierosolymitanis edoctum quòd Græcorũ Rex in Asia dominaturus esset, Synagogam eorum multis privilegiis ornâsse. *Author quoque est Optatus Mileuitanus*, extra Hierosolymam septem Synagogas fuisse, vbi Leges quidem promiscuè traditæ fuerint, disputare autem nulli licuerit.

Cùm verò Legis doctores nimium sibi authoritatis vsurparent, & singuli doctiores sanctioresq; reliquis dici & haberi vellent, in tres potissimum sectas diuisi sunt: quorum nonnulli Pharisæi, *quidam* Sadducæi, *reliqui verò* Essæi *dicebantur: hi verò cùm nec effrenatam licentiam Sadducæorum, nec Pharisæorum simulationem & hypocrisin ferre possent, peculiares Scholas ad lacum Asphaltitem instituerunt, in quibus non modò leges sacras, sed alias quoque liberales artes docuerunt, Philone & Eusebio auctoribus.* *Scholæ sectariorū inter Iudæos.*

Constat itaque ex his, quæ hucusque commemorauimus ab exordio statim mundi ad Christi vsq; tempora, juuentutem apud omnes non omnino barbaras gentes, diligenter institutam, & potentissimos Monarchas, Reges, Principes ac Magistratus in id sedulò incubuisse, vt in suis Regnis & Rebuspublicis studia literarum florerent. In qua narratione eò breuior fui, quòd hæc omnia diligenter, & copiosè à doctissimo viro Iacobo Middendorpio lib. 1. & 2. de Academiis sint tradita, mihique animus sit de Origine & progressu Scholarum apud Christianos hoc capite præcipuè agere,

agere, quod nunc aggrediar, & quàm breuiter potero absoluam.

De Origine & progressu SCHOLARVM apud Christianos.

Academiam primam in nouo Testamento Christus instituit.

CHristus Seruator noster vnicus non abrogâsse legitur Scholas Iudæorum sui temporis, in quibus iuuentus in literis fideliter instituebatur, sed ipse quoque in nouo Testamento Academiam omnium primam, sanctißimam & perfectißimam instituit, in eaque viuâ voce ipsemet docuit. Vocauit enim duodecim discipulos quos in doctrina cælesti diligentißimè erudiuit, & ad omnia miracula quæ edidit, adhibuit: instruxit ipsos etiam dono miraculorum, quo plures ad Christum ejusque doctrinam amplectendam permouerent. Docebat autem Dominus non in vno aliquo loco certo & fixo hos suos discipulos, sed in itinere, in vrbibus in vicis, ad mare, in desertis locis, & vbicumque daretur occasio, vt non immeritò Peripateticorum nomine eos appellare poßimus. Cumq; post resurrectionem Christi in ejus Schola bene confirmati, & in Pentecoste donis Spiritus sancti abundè instructi fuißent, in vniuersum orbem egreßi, etiam alios suâ doctrinâ imbuerunt, & quæ à præceptore suo didicerant, cunctis mortalibus tradiderunt. Sed & Scholas aperuerunt, in quibus discipulos in sacris literis instituerunt, & ad Ministerium Ecclesiasticum præparârunt. Hanc consuetudinem Paulus Timotheo suo commendat etiam dicens: Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui erunt idonei, vt alios quoque doceant. Et multa proferri poßent, quæ satis magno argumento sunt, Gentes ac Iudæos ad fidem Christi conuersos, suas Academias & Synagogas in Scholas Christianas commutâsse, & philosophos Ethnicorum Christianos factos, Scholas sæpe de nouo aperuisse, in quibus bonas literas, & liberales artes cum pietate docuerint, & Gentilium errores confutârint.

Scholæ Apostolorum.

Scholæ Ethnicorum in Christianas commutata.

Instituta igitur sunt iam inde à prima Christianismi origine multæ paßim Scholæ, inter quas post Apostolorum tempora celeberrima fuit Alexandrina, ex Ethnica seu philosophica à D. Marco, cùm ibi Ecclesiam colligeret, philosophis & Iudæis ad veram religionem conuersis fortè commutata. Sunt tamen qui hanc Christianorum Scholam circa annos demum Christi 150. institutam velint. Et sanè Dei prouidentiâ & bonitate singulari factum opinor, vt in ipsis religionis Christianæ primordiis hæc Schola veram fidem amplecteretur, quo inde in vniuersum penè orbem Christi agnitio citius emanaret: iam inde enim à Ptolomæis Regibus semper inter celeberrimas Academias fuit numerâta, ad eamque ex omnibus terræ partibus certatim discendi gratiâ confluxerunt. De hac Schola Eusebius libro quinto, capite 9. refert, quòd sub Commodo Imp. Pantænus, vir in omni eruditione nobilissimus, Doctoris officio in ea functus fuerit: ab antiquo enim sacrarum literarum doctrinam & exercitiũ ibi viguisse, eamque consuetudinem ad sua vsque tempora perdurâsse. *Succeßit in officio docendi Pantæno* Clemens, *Apostolorum succeßor & discipulus, qui, quid à præceptore Pantæno didicerit, ipse exponit in lib. Stromatum: vnde etiam colligi potest, quas Scholas accesserit, quibus vsus sit præceptoribus, quidque ipse & reliqui eius ætatis Doctores in hac Alexandrina alÿsq; Scholis docuerint, philosophiam nimirum: liberales artes & linguas, inprimisque veram religionem & Fidem in Christum.*

Alexandrina Schola.

Eodem tempore Origenes *Cæsareæ morabatur, vbi in Schola, siue à se siue ab aliis instituta, bonas literas & ipse profitebatur. Ad eum ergo non modo ex propinquis, sed & ex remotißimis finibus confluebant. Vocatus autem ad Alexandrinam Scholam ibi Grammaticam primò docuit, deinde Clementi succeßit, quem postea in eodem docendi munere* Heraclas, Dionysius, Athenodorus, Malchion, Didymus, Athanasius, *alÿque insecuti sunt, viri non in sacris tantùm, sed & prophanis scientÿs doctißimi: quos* Catechistas *vocabant, à præcipua & maximè necessaria parte institutionis. Prodierunt ex hac Schola Alexandrina, tanquam ex equo Troiano plurimi eruditione, doctrinâ, pietate præstantißimi viri, qui hinc inde in Orientis Ecclesiis Christo Domino præclaram & egregiam operam nauârunt.*

Cæsariensis Schola.

Romæ quoque Iustinum *Philosophum & Martyrem* διατριβὰς *habuisse Hieronymus prodidit.*

Romanæ Scholæ.

Primus autem inter Christianorum Imperatores sanctißimus Constantinus *per vniuersum Romanum Imperium in celebrioribus vrbibus Academias seu Scholas quàm plurimas vel de nouo instituit, vel veteres reparauit. Inter illas longè celeberrima & florentißima* Constantinopolitana *fuit, quam incredibili propè & profusâ liberalitate, sed tanto principe dignâ fouit, ideoque etiam breui temporis spatio in immensum creuit: eò enim vnà cum imperiali Maiestate artes ex vniuersa Græcia, veluti receptaculum quoddam confluxerunt. Vidit siquidem prudentißimus & immortali gloriâ dignißimus Princeps, nullum imperium seu Rempub. stare, nec veram religionem conseruari & retineri sine Scholis posse, vt quæ Ecclesiæ & Rerumpub. sint velut Seminaria. Eam ob causam etiam superato Licinio tyranno & hoste tam Religionis quàm sapientiæ, pulcherrimam illam constitutionem de Professorum in Scholis immunitate adidisse videtur, quæ apud Iustinianum in L. Medicos C. de professoribus reperitur: Quanquam Constantius, pater Constantini, iam ante quoque bonas literas per Galliam resuscitârit, & erga earum profes-*

Imperatores Christiani Scholas aperuerunt.

Constantinus Cõstãtinop. Scholã.

Constantius in Gallia Scholas aperit.

Augustodunen. & Massiliensis. Schola.

professores liberalissimus exstiterit, etiam tum cùm ærarium penè exhaustum esset, vt ea epistola colligi potest, quam ad Eumenium Rhetorem scripsit de restauranda Augustoduni, quæ olim nobilissima Heduorum vrbs fuit Schola.

Eodem tempore quoque non institutam, sed restauratam Massiliensium *Scholam arbitror. Habuerunt enim ibi etiam ante Christi Seruatoris natiuitatem Academiam, omni genere literarum adeò florentem, vt non solùm ex tota Gallia certatim huc concurrerent, suáque studia & vitam ad eius libenter instituta atq; mores componerent: sed Itali quoque huc potius, Cælio Rhodigino teste, quàm in ipsam Græciam proficiscerentur, quod Strabo & Alexander olim sapientissimos etiam Romanorum fecisse, referunt.*

Scholas Christ. Iulianus clausit, sequutes Impp. aperuerũt rursus Scholæ exstructæ in Gallia.

Iulianus verò Apostata, versipellis & subdolus homo, has Christianorũ Scholas claudi præcepit, ut inscitiâ & ignorantiâ impediti, Philosophorum argutiis & lubibriis minus resistere possent. Contrà verò Christiani Imperatores ipsum mox insecuti, religioni nostræ ac reipublicæ Christianæ consultum volentes, Scholas Iuliani tyrannide vel collapsas restaurârunt, vel clausas aperuerunt, & studia bonarum literarum veræque pietatis mirãdum in modum promoverunt. Gratianus *enim Imp. adhuc adolescens, primisque statim Imperij sui annis, vt eius fundamenta firma & diuturna iaceret, edixit ad Antonium præfectum Prætorio Galliarum*, vt in omnibus Galliæ metropolibus excitarentur alerenturq; studia literarum, egregiique earum professores præficerentur, quibus annonæ liberaliter præberentur; *exstat hoc rescriptum in Theodosiano Codice L per omnem. Vnde breui adeò liberalium artium & linguarum studia ibi florere cœperunt, vt D. Hieronymus in Epistola quadam ad Rusticum,* Galliam studiis florentissimam *appellârit.*

Nota est etiam sanctio de studiis liberalibus & linguis profitendis ac discendis, lata à Theodosio & Valentiniano Impp. quæ recitatur in Codice lib. 11. tit. 18.

Bononiensis Schola.

Theodosius iunior Imp. circa annos Christi 423. BONONIENSEM *Academiam, iam inde ab initio ob studia vtriusque Iuris florentissimam, instituit: eam nonnihil collapsam Carolus & re & nomine Magnus sic instaurauit, vt à multis non tam ornâsse & promouisse, quàm instituisse credatur: post quæ tempora Pontificum Maximorum & Imperatorum munificentiâ ac liberalitate sic excreuit, vt* bonorum studiorum Mater *vulgò etiamnùm hodiè appellent.*

Cantabrigiensis Schola.

Eodem quoq; tempore CANTABRIGIENSIS *in Anglia Academia fundata dicitur: meminit enim eius Arthurus Rex in Constitutione anno Dom. 531. edita, in qua etiam præcipit, vt conseruetur hæc Academia. Sunt tamen qui à Sigeberto Anglorum Rege anno Domini 630. eam primò erectam putent; qui etiam passim in suo regno, hortante Fœlice Episcopo, natione Burgundo, Scholas exstruxisse dicitur à Polydoro lib. 4. Angliæ, & quòd postea claros semper doctrinâ viros habuerit, haud dubiè Sigeberto cumprimis acceptum referre debeat, idem auctor est. Et* LINDIFARNENSIS *insula circa Angliæ & Scotiæ limites ab Osuualdo Northumbrorum Rege Aidano Episcopo Scoto, eâ conditione concessa fuit anno Domini 640. vt ibi Scholam & Ecclesiam Episcopalem erigeret.*

Scholæ in Monasteriis institutæ. Scholæ Basilii & Augustini.

Institutæ autem sunt Scholæ non tantùm ab Imperatoribus aliisque piis Principibus ac Magistratibus ad hunc modum in celebrioribus maioribusq; Ciuitatibus, sed etiam ab aliis viris piis, probis & doctis in desertis locis ac solitudinibus: quos inter Basilius *cognomento Magnus &* Augustinus *præcipui fuerunt, qui quidem mundi, & mundanarum rerum tædio, relictis vrbibus, in Monasteria ad tempus concesserunt, ibique discipulos suos in liberalibus artibus, præcipuè verò in religione ac verbo Dei diligenter instituerunt. Ob hæc studia honestatis pietatisq; maximus vndique ad ipsorum Monasteria seu Contubernia & communitates docentium simul ac discentium factus est concursus.*

Monasteria Basilii & Augustini Scholæ.

Non enim erant ipsorum monasteria latibula ignauorum fucorum, & ventri hoc est, luxui omnibusque voluptatibus deditorum hominum, vt hodie pleraq; sunt, sed potius Scholæ, in quibus artes & Philosophia, vnà cum Theologia & vera Religione pietateque tradebantur: eam maximè ob causam, vt semper docti & idonei viri in promptu essent, quos Ecclesiis præficere possent. Testem habeo Possidonium Augustini discipulum, qui in præceptoris vita refert, D. Augustinum in Monasterio cum doctis habitâsse, vixisséque secundùm regulam Apostolorum, & dedisse ex suo collegio Ecclesiis quibusdam rogantibus Episcopos, viros vndiquaque doctissimos & piissimos: *quæ de re lege cap. 5. & 11. eius historiæ. Erant autem sub ipsis militantes eam ob causam sic separati à mundo, & liberi ab omni rerum mundanarum cura, vt facilius bonas literas addiscere, & veram Religionem imbibere, liberiusque Deo, Vigiliis, hymnis & precibus inseruire possent, vt Ruffinus attestatur libro secundo capite 9. Et hæc quidem in Asia & Aphrica sic fiebant.*

Scholæ & vera Religio iacturam patiũtur in Occidente.

Cùm verò irruerent in Europam circa annos Domini 410. Gothi & Vuandali gentes barbaræ & parte maximâ impiæ, quæ vexârunt annos plus minus 160. totum ferè Occidentem: & erumperent è sedibus suis Hunni, ac post hos Franci & Alemanni, & præclaras quasque cultasq; gentes & vrbes flammâ & ferro vastarent: ipsaque inprimis Italia à Longobardis aliisque feris gentibus penè euersa, ac in solitudinem redacta fuisset, eáq; tum rerum omnium per Europam facies esset Gregorius M. orbi finem imminere, & diem illum maximum Christi instare opinaretur: ma-

xinuam simul iscturam fecit vera religio, pietas & eruditio in Occidentalibus Ecclesiis. Arserunt enim passim instructissima Bibliotheca, discerpti sunt optimi authores, perierunt ac dissipata sunt benè constituta SCHOLÆ, conculcata sunt lingua, & inter has Latina maximè à Gothis, gente ambitiosissimâ, corrupta fuit: cuius quidem rei nobilissimi quique eorum temporum historici meminerunt. Hinc certò certius est, per Gallias, Italiam, Hispanias, Germaniam aliasque Occidentis regna miserabilem linguarum & bonarum literarum inscitiam, ob Scholas dissipatas, & optimos authores discerptos ac laceratos, enatam esse: Benedictus itaque Vrsinus, in Vmbria Italia regione natus, tumultuum & bellorum pertæsus, in solitudinem abijt: in qua per diu versatus, se demum Sublacum seu Sublaqueum contulit, quod est Latinorum præclarū oppidum Iucui eodem & tamen prisca nomine proximum, distans ab vrbe circiter mille passuum 40. Hic cùm à multitudine ob sanctitatis famam frequenter adiretur, & ei solitudine nihil gratius esset, postremò eius celebritatis vitanda causâ, Cassinum, in ea regione peruetustum oppidum, venit, vbi & Monasterium seu Cœnobium candidit, ibique sibi sedem posuit, sparsosque hinc inde per Italiam, & solivagos eo tempore monachos in id cœnobium quasi in vnum contraxit. Sed cùm locus omnibus ad eum confluentibus non sufficeret, duodecim alia Cœnobia construxisse dicitur: quorum alumnis certum quidem viuendi genus præscripsit: simul tamen eos quoque in bonis literis, & vera pietate erudiri curauit.

Benedictus Monachus Scholas in Occidēte aperit primus.

Ex paruo hoc initio res hac mox cœpit incrementa maxima, ita vt paucis annis per Italiam, Gallias, Hispaniam aliasque prouincias plurima huius familia Monasteria exstructa fuerint.

SCHOLA Bannocorensis in Anglia.

A Congello etiam Bannocorensi, illustris familia Britanno, Monachismus Ægyptius in Britanniam introductus, vires & incrementa largissima cœpit, & ad alias etiam Europa provincias transmissus fuit. Habuit enim in Bannochorensi Cœnobio Philosophorum Christianorum collegium: de qua Bernhardus Clareuallensis in vita Malachia Hiberniensis Archiepiscopi refert, quòd primorum per Europam monasteriorum caput fuerit, & multa monachorum genuerit millia, inter quos præcipui fuerunt Gentingerus, Eluius, Brendanus, Columbanus & Gallus. Et Brendanum quidem Hiberniam & Scotiam, Columbanum autem & Gallum Burgundiam & superiorem Germaniam Monachorum habitaculis repleuerunt, vt in libro de Monachatu einsque Origine & progressu pluribus indicauimus.

Monasteria Europa ab initio Schola.

Hac verò Monasteria seu Cœnobia per Europam non opinione meriti alicujus, aut superstitione quadam, vel etiam vt lustra essent perditorum hominum, sed bono potius consilio ac fine condita & exstructa ab initio fuerunt. Quia enim pars maxima Europa vel nondum, vel nuper admodum ad Christianam Religionem erat conuersa, ideoque magna verorum verbi Dei Doctorum esset penuria, exstructa sunt, vt essent quasi SCHOLÆ, in quibus non pueri modò, sed adulti quoque in pietate, Religione ac bonis literis erudirentur, & inde Ecclesiis præfici possent. Ac colligit sanè Curia lib. 2. Chronol. Monasticas sodalicates adhuc Caroli Magni tempore nihil aliud quàm Ecclesiæ seminaria fuisse. Consentit cum his qua modò diximus Bruschius, qui de Ioanne Vuenkio Abbate Heilbronensi & insignis eius Monasterij Schola fundatore disserens, ait, Sciebat vir optimos, Monasteria non otiosis ventribus, sed literarum, sed pietatis, sed honestæ vitę studiosis initio condita ac tantâ principum liberalitate erecta & donata esse. Et Mutius in Chronico Germ. de Carolo Magno ait, Non alio proposito tot fundauit Monasteria, nisi vt iuventus benè in illis institota vtilis esset exemplo & doctrinâ hominibus, & qui in illis consenescere mundi stultitiâ & pompâ contemptâ contemplationi & orationi se tradentes statuerent, docerent morum probitatem, veramque Religionem popolum. Confirmat hac etiam Iuonis historia in Iustiniano, vbi memorat, Florum quendam Regum Francicorum procerem primarium, singulari pietate præditum, Mautum, Equitii Senatoris Romani filium, sed Benedicti Nursini discipulum, aduenientem in Galliam humanissimè excepisse, & in Dei honorem Monasterium propè Aureliam exstruxisse, in quo & ipsius, & postmodum multorum nobilium liberi pietatis studiis à Mauro aliisquè doctoribus imbuti fuerint. De Sturmio ex Norica regione nobilibus orto parentibus, & primo Fuldensi Abbate Bruschius scribit, quòd videns Germaniam à literis & pietate alienam, variisque & bellis & seditionibus turbatam, indolem verò Germanorum præclaram, si quem nacta esset magistrum ejus ducendæ formandæque callidum, Scholas aliquot morum & pietatis constituere meditatus sit: ac primò Hersfeldense cœnobium inchoâsse, mox Fuldense condidisse, in quo 400. habuerit discipulos, omnium disciplinarum ac professionum monumentis occupatos: Carolum etiam Magnum volentem & literis & pietati consultum, ne tot & tanta ingenia non alerentur, plurima huic cœnobio bona contulisse. Vincentius libro vigesimo tertio capit. 17. 18. & 19. testatur quoque, quòd Columbano in Lexoviense cœnobium, à se in Burgundia exstructum, multi passim discipuli discendi causâ adducti fuerint.

Heilbronensis Mon.

Lexoviensis. *In eodem Cœnobio Eustasius Columbani discipulus celebrem etiam Scholam habuit, ex qua plurimi Episcoporum & præsulum Ecclesiarum prodierunt. Beda quoque testatur lib.3. cap.3. historia Ecclesiastica*, Osvvaldum Anglorum regem multas possessiones & territoria ad instituenda Monasteria contribuisse, in quibus juventus erudiretur. *Sic Theologiense cœnobium sub veteri Schaumburgo, Lotharingiæ Ducum castro, anno Christi 627. hoc uno fine conditum fuit, ut esset Schola & Ecclesia Theologorum, unde & nomen videtur habere, teste Bruschio de Monasterijs. Et Maildulfus Scotus Philosophus Malmesburiense Cœnobium anno Christi 695. condidit, in quo Scholam tam Græcæ quàm Latinæ linguæ aperuit; & artes prælegit, auctore Balæo Cent.* 14. *cap.* 25. *quo loco & hæc addit:* Habebant, *ait*, in Monasterijs solennioribus privatas Scholas tunc temporis prælati, futuris commodis tunc prospicientes, cùm adhuc non essent in Anglorum gente Gymnasia publica, propter sibi contrarias Britannorum & Scotorum opiniones. *Refert etiam Hedio lib.* 6. *cap.* 9. *hist. Eccles.* Doctos viros ex Græcia in Galliam venisse, & à Pipinio ac Carolo M. in Monasteria missos esse, ut Græcam linguam docerent Monachos: atque ita Egidium in Gallijs, Apollonium Ratisbonæ in Cœnobio Hemerani, Vergilium apud Salzburgenses inclaruisse scribit. *Bruschius de Monasterijs German. indicat*, Caroli M. conjugem Hildegardin Campodinense Monasterium condidisse, eíque amplissima munera contulisse, pro sustentatione nobilium ac illustrium Germaniæ virorum, qui pietatis, literarum ac Religionis studio se dederent. *Idem refert*, in Augiam divitem (Rychenow) *nobilissimum Benedictinæ professionis monasterium*, assumptos primùm circa annum 724: tantum Principes, Comites ac Barones, ut hi educarentur illic & erudirentur in prima infantia ad adolescentiæ usque tempora: tum enim benè institutis ac liberè educatis integrum ac liberum fuisse prodire iterum, & vel uxores ducere, vel aulas Principum & militiam sequi.

Theologiensis. Malmesburiensis. Campidonensis. Augia divitis.

Fuldensis. *In primis autem in Fuldensi Monasterio circa annos Domini* 840. *eruditio & doctrina floruit sub* Rabano Mauro *Abbate. qui discipulos plures tam in artibus, quàm in sacris literis instituit, quique multis Ecclesijs & Monasterijs præfecti fuerunt: eratq; Fuldensium Monachorum celebris fama per universam propè Europam, & apud ipsos quoque Imperatores, reges ac Principes magni fiebant propter scientiam sacrarum literarum, quâ alijs excellebant. Trithemius in Chronico Hirsaugiens. Bruschius etiam de Monachis Fuldensis Cœnobij ait:* Monachi & Abbates Fuldenses literis & vitæ integritate conspicui erant, & tandem ad Archiepiscopatus Moguntini etiam gubernationem, ob insignem virtutem ac vitæ honestatem evocati sunt. *Idem de Rabano Mauro hujus loci Abbate*, Vir, *inquit*, erat in divinis scripturis eruditissimus, & scientia seculari doctissimus, Bedæ Anglici olim discipulus, & Gymnasij Parisien. Professor, Philosophus, Rhetor & Astronomus, suiq; temporis poëtarum nulli secundus, cui nec Italia similem nec Germania æqualem peperit. *Quibus rebus argumento* sunt tot & tanta volumina ipsius divini ingenij monumenta. Nam ut eruditionem tanti viri omnes bibliothecæ commendant, ita quantum ingenio valuerit, liber de laudibus S. Crucis Imperatori Ludovico Pio dedicatus evidentissimè probat: qui quamvis diversarum immutabili varietate figurarum mirificè sit distinctus, omnium tamen figurarum characteres quocunq; vertas, certam sententiam reddunt. Bibliothecam Fuldensem tantâ librorum multitudine locupletavit; ut dinumerari vix queant. Demùm cùm se totum divinis libris scribendis dedere vellet, posthabito regimine in montem D. Petri se contulit, eoq; fratres studiorum suorum æmulos collocavit, ubi Biblica Scripta omnia discipulis enarrans, Commentarijs ea in hunc usque diem exstantibus illustravit. Deinde cùm multitudo fratrum rumore piæ conversationis crevisset, aliud Monasterium in monte Ioanni Baptistæ sacrare constituit, &c. *Idem ibidem*, Erant, *inquit*, Richardi Abbatis Fulden. ætate Monachi, alij in describendis clarissimorum authorum monumentis, alij scribendis ac dictandis proprijs, alij docendi, alij discendi laboribus occupati, ut caducarum frivolarumque rerum eos facilè caperet oblivio. Erat enim Fulda pulcherrima Academia honestissimarum rerum & disciplinarum, quarum decens cum Christianæ pietatis religione collatio, mores effrenes non ferebat. Porrò ubi harum rerum friguit studium, opus fuit archiotri disciplinâ, & vitæ genere severiore, ne videlicet ignavo otio animi ad cœlestia generati torpescerent. *Idem de Sigevvardo Abbate Fulden. & ad Episcopatum Hildesheymen. vocato, circa annum* 1040. Facilis inde, *ait*, conjectura est, quantos & quales viros Schola Fuldensis enutrierit, ex qua veluti Sapientiæ, eruditionis, ac optimorum morum penu, tot Episcopi, Archiepiscopi, & Cardinales, mundo exhausto quodammodò doctorum virorum ingenijs, prodierunt: ex hoc Gymnasio Pontifices, Ecclesiarum præsules, hinc summum Imperium Senatores & con-

filiatios, hinc cæteri Principes rerum suarum tutores & curatores petebant.

Trithemius de prim. Monasterijs.

Trithemius etiam in suo Chronico Hirsaugiensi satis clarè docet, Antichristum Romanum mille aut amplius annis, non tantâ crudelitate ac tyrannide in ipsis Monachorum delubris omnia, vt nunc occupasse, ac pro arbitrio statuisse, ac continua filio illorum nomina recenset, qui Scholis monachorum per multa tempora præfuerunt, easque Scholasticos *appellat. Exponit etiam, quæ Monachorum circa annos Christi* 840. *fuerint studia: nempe assidua ac feruens Bibliorum sacrorum lectio, cui etiam aliorum liberalium artium studia adjunxerunt:* His temporibus, *inquit, nimirum circa annos* 840. & diu post, erat hæc consuetudo Monachorum Benedictinorum celeberrima, vt Scholæ in singulis penè Cœnobijs haberentur, quibus non seculares homines, sed monachi moribus & eruditione præficiebantur ornatissimi: qui non solùm in diuinis Scripturis docti essent, verùm etiam in Mathematica, Astronomia, Arithmetica, Geometria, Musica, Rhetorica, Poësi, & in cæteris omnibus secularis literaturæ scientijs eruditissimi haberentur. Ex his multi non solùm in Romana lingua docti erant, sed etiam in Hebraica, Græca & Arabica peritissimi, quòd ex eorum opusculis facilè dignoscitur: quanquam vitio scriptorum, qui à primæuo institutione præceptorum paulatim degenerare cœperunt, pauca exemplaria nostris temporibus emendata reperiantur. Quoties autem idoneum ad hanc subeundam prouinciam in suo Cœnobio monachorum Abbas minimè haberet, de aliquo alio Monasterio petere aptum, non erat verecundum. Maximum enim dedecus judicabat, dociles animos Monachorum negligere, quos ve moribus & literis benè instituere possent, nullis laboribus, nullis parcebant impensis. Sic namq; doctissimus ille Monachus Gemblacensis Sigebertus multo tempore in Cœnobio S. Vincentij Metensi Monachorum præceptor, quanquam de alio Monasterio, fuit. Ita Strabus Monachus Fuldensis in Hirsfeldia, Norgerus Sancti Galli, in Stabulensi Albinus Monachus, Anglicus in Fulda, Milo S. Amandi in Corbeia, atque alij complures in alijs Monasterijs docendi ad tempus tenuerunt officium. *Idem auctor de Diethmaro Abbate* VI. *Monastery Hirsaugiensis scribens, inquit,* Magna multitudo Monachorum sub ejus regimine in hoc Cœnobio claruit, quorum aliqui sanctitate vitæ valdè fuerunt insignes, plures autem propter scientiam & doctrinam scripturarum celeberrimi nominis habiti sunt. De diuersis quoque Benedictinorum Ordinis per Germaniam Monasterijs, Monachi ad scientiam scripturarum haurien dam Hirsaugiam mittebantur: quia talis eo tempore consuetudo in Ordine nostro seruabatur, vt Monachi pro pleniori eruditione consequenda, si quis viderentur idonei, ad diuersa Monasteria instruendi mitterentur. In omnibus enim nostri Ordinis Cœnobijs in Germania & Gallia maximè Monachorum, Scholastici ex Monachis habebantur, qui juniores quosque & ingenio præstantes in primitiuis literarum scientijs erudirent: & postea, qui habiles inventi fuissent ad altiora transmitterent. In solis autem famosioribus Cœnobijs, quibus & abundantia rerum temporalium erat copiosior, & Monachorum numerus major, constituebantur ad officium docendi alios, Monachi omnium doctissimi, & non solum in diuinis, sed etiam in secularibus literis eruditi: ad quos mittebantur Monachi altioribus disciplinis instituendi. Quicunque verò inter eos majoris eruditionis famam in ordine acquisiuerat, etiam plures ad se missos discipulos ad erudiendum Monachos habebat. *NOTA.*

Hirsaugiensis.

Inter Monasteria autem hunc morem studiorum habentia, hoc tempore præcipua fuerunt, Monasterium

Fuldense,	*S. Galli,*	*Augiense,*
Hirsfeldense,	*Hirsaugiense,*	*Prumiense,*
Mediolanense,	*S. Dionysij Parisiense,*	*S. Maximi Treuerense,*
Remense,	*Altisiodorense,*	*Turonense,*
Stabulense,	*Wissenburgense,*	

in quibus omnibus erant Monachi & multi & valdè studiosi, è quorum Collegio in singulis Cœnobijs vnus cæteris in scientia scripturarum excellentior Scholasticus ponebatur. Abbates autem qui Monachos habere cupiebant in omni scientia eruditos, ad diuersa monasteria ex suis quosdam mittebant instituendos. Vtinam tale studium hodie in nostris haberetur monasterijs, quàm multa bona fierent, & infinita mala prohiberentur. Sed non omnibus inest amor scientiæ scripturarum, propterea noster ordo sacratissimus quasi sine honore jacet sepultus. *Hactenus Trithemius.*

Idem fol. 40. Chronici Hirsaug. testatur, Widechindum Monachum qui sub Otthone I. circa annum Domini 950. claruit, multis annis in Monasterio Scholæ Corbeiensi publicè præfuisse, & complures post se doctissimos discipulos reliquisse, ex quibus multi ad Episcopatus & Abbatias diuersas postea fuerint assumpti: Et tamen Meginradi Scholastici Hirsaugiensis famâ celeberrimâ excitus, eò venit, vt ipsemet fatetur in libello

quem

quem de studijs veterum scripsit, tantumque ibi vidit ardorem discendi sacras potissimum literas, imò etiam tot ibi reperit doctissimos viros, vt satis nequiverit admirari: ipsumque Meginradum Scholasticum, præcipuis laudibus celebrauit, dicens, eum esse alterum Hieronymum, & nulli veterum eruditione inferiorem. Et vt summatim dicam, literas monachi discebant omnes propemodum: *vtque veteres Bibliothecæ declarant, soliti sunt mathemata & naturæ cognitionem sacris scripturarum studijs conjungere. Quam discendi rationem animaduertimus in Benedictinis sodalitijs durâsse aliquantulùm vltra ætatem Hermanni Contracti Monachi & Mariani Scoti, qui eodem tempore circa annos Christi 1060. floruerunt.*

Monasteriorum multitudo vnde.

Cùm igitur Christiani Principes viderent, Monasteria ad commoda Ecclesiæ & Rerum pub. promouenda valdè prodesse, vtpote ex quibus tot castæ ad maritos virgines, tot iuuenes modestiâ, & timore Domini, humanitateque præditi, tot denique eruditione vitaque integritate præstantissimi Episcopi & Pastores Ecclesiarum prodirent, factum est, vt moti pio ardentique zelo, plurima hinc inde Cœnobia maximis sumptibus extruerent, eaque redditibus opibusque immodicis certatim locupletarent. Fuit hæc primorum Monasteriorum Germaniæ, Galliæ & ipsius Italiæ quoque aliarum per Europam nationum verissima Origo & vnica causa: quod ex vetustissimorum Monasteriorum Collegiorumque fundationibus, & ijs quæ de Scholis Monasteriorum huc neque in medium attulimus, facilè deprehenditur.

Scholæ apud cathedrales Ecclesias institutæ in vna domo.

Passim quoque interea temporis laboratum est diligenter, vt apud eas Ecclesias, quas cathedra Episcopalis exornat, Scholæ existerent, apud quas pia iuuentus in vna simul domo & sub eodem domus præfecto, tum benignè aleretur, tum doctrinam Religionis puram hauriret. Extant enim Canones Conciliorum qui non obscurè istud declarant. Nam Concilij Toletani 2. Canon. 1. sic habet: De his quos voluntas parentum à primis infantiæ annis in clericatûs officio posuit, pariter statuimus, vt mox cùm Ministerio electorum traditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia à præposito sibi debeant erudiri vsq; ad annum ætatis 18. *Vbi statim annectitur Canon* 2. Similiter placuit custodire, ne quis ex eis qui tali educatione imbuuntur, qualibet occasione cogente propriam relinquentes Ecclesiam ad aliam transire præsumant. Episcopus verò qui eum suscipere absque conscientia proprij Sacerdotii fortasse præsumpserit, totius fraternitatis se reum esse nouerit. Quia durum est, vt eum quem alius rurali sensu ac squalore infantiæ exuit, alius suscipere, ac vendicare præsumat. *Hæc ibi. Hinc colligitur etiam ijs temporibus prudenter cautum, vt adolescentes illis obstringerentur Ecclesijs, atque ad virilem peruenientes ætatem inseruirent, à quibus in studijs literarum fuerant liberaliter educati. Rursus de vna domo atque præfecto in Concilio Toletano 4. anno Christi 631. iuxta Panuinium, iuxta alios 639. habito, ita sancitur;* Prona est omnis ætas ab adolescentia in malum. Nihil enim incertius quàm vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, vt si qui in clero pueri aut adolescentes existunt, omnes in vno conclavi atrij commorentur, vt lubricæ ætatis annos omninò, non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem vt magistrum doctrinæ & testem vitæ habeant. *Quæ verba habentur etiam 12. quæst. 1. c. omnis ætas. Vbi obiter etiam qualem eum esse doceat, qui domui studiosorum Theologiæ præesse olim debuit, breuiter quidem, sed grauiter tamen præscriptum cernimus.*

Post hæc tempora emerserunt cœtus Canonicorum, qui regendarum Scholarum, in quibus bonæ artes, sed omnium diligentissimè Theologia traderentur, prouinciam ad se receperunt. Neque enim alium in vsum instituta fuerunt initio eorum quos Canonicos *vocamus Collegia quàm vt essent Scholæ Ecclesiasticæ, in quibus tam viri quàm adolescentes & pueri dogmata sanctæ Religionis Christianæ purè addiscerent, nec non ad Ecclesiarum administrationem præformarentur. Hoc ex Eugenij 2. Rom Pontificis, qui vixit annò Domini* 850. *sanctione, quæ extat distinct. 37. licet cognoscere.* De quibusdam locis *(inquit)* ad nos refertur, neque Magistros, neque curam inueniri pro studio literarum. Idcirco ab vniuersis Episcopis subiectis plebibus & alijs locis, in quibus necessitas occurrit, omninò cura & diligentia habeatur, *vt Magistri & Doctores constituantur, qui studia literarum liberaliumque artium dogmata assiduè doceant: quia in his maximè diuina manifestantur atque declarantur mandata. Leo IX. quoque Pontifex Maximus, vt ab initio huius capitis indicauimus etiam, circa annos reparatæ salutis 1040. Scholas vt Canonici instituant easque gubernent mandare volens, præcepit,* vt juxta Ecclesiam claustra constituantur, in quibus Clerici disciplinis Ecclesiasticis vacent: vtque omnibus vnum sit Refectorium ac Dormitorium, seu cæteræ officinæ ad vsus Clericorum necessariæ: & vt ministri etiam post Episcopum super eos eligantur, quorum vita atque doctrina illos potius exornet, quàm dehonestet, *vt extat 12. quæst. 1. Congruit cum his constitutio quæ habetur de Consecratione distinct. 5: transcripta ex libro quinque capitulorum:* In omnibus igitur decernimus, vt Canonici Clerici canonicè viuant, obseruantes diuinæ doctrinam scripturæ, & documenta sanctorum

Canonicorum Collegia.

ctorum Patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui vel magistri incomposite gerere præsumant. In vnoquoque Episcopatu simul manducent & dormiant, vbi his facultas id faciendi suppetit. Qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt, in vno claustro maneant, & singulis diebus mane primâ horâ ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam verò similiter lectionem audiant, & obedientiam secundum canones suis ministris faciant. *Huc etiam pertinet Gregorij VII. Decretalis de vita & honestate Clericorum, vbi de Scholis Canonicorum ita præcipit*, statuimus, vt facultatibus Ecclesiarum vestrarum proventibus & expensis diligenter inspectis, certum in ijs valeatis ponere numerum Clericorum, & statuere, vt bona eorum veniant in commune, in vna domo vescantur, atque sub vno tecto dormiant & quiescant. *Post aliquot etiam annorum curricula, id est, anno* 1215. *celebratum est Concilium Lateranense Magnum, in quo convenientes Patres, atque considerantes, quantum malum in Ecclesia natum sit ex neglectis & prolapsis Scholis Theologicis, iusserunt Canonicas*, Scholas vbique reparare, Theologiæ Professores alere, ijsdemque præbendas assignare, quarum reditibus se commodè sustentarent.

Schola extra Monasteria. *Non cessarunt quoque interea temporis studia literarum etiam in Academijs, quæ vel iam antea, vel nunc demùm ab Imperatoribus alijsque Magistratibus de nouo instituta fuerant. Refert enim Sabellicus Enne.*8.*lib.*2. Athalaricum Romanos & vniuersam Italiam ad bonarum literarum artiumque studia adhortatum fuisse, & præceptoribus annua stipendia constituisse.

Parisina Schola. *Carolus M. quoque studia publica liberalium artium ac disciplinarum, quæ propter diuturna & grauia bella diu in Gallia oppressa iacuerant, resuscitare volens, vt erat Princeps literatus, nec non propaganda religionis Christianæ pro virili sua studiosus*, PARISIENSEM *Academiam instituisse anno* 791. *hac occasione dicitur. Ex Scotia in Galliam venerant Claudius, Ioannes Rabanus, & Alcuinus, qui & Albinus, omnes olim Beda discipuli: qui se nihil aliud præter bonas literas, artes & sapientiam è patria exportâsse profitebantur, eamque venalem se habere. Ea ad Carolum delatâ iussu ejus vocantur, eidemque profitentur liberè gratis etiam se docturos, si modo eis locus & alimenta præbeantur. Accepit Rex conditionem, & nobilissimum totoque in orbe celeberrimum Parisijs Gymnasium apperuit, ibique Alcuinum (qui postea Caroli M. amicus & magister fuit) & Claudium (cui nomen Clemens) primarios Doctores constituit, ac primus author fuit, vt pura doctrina verbi Dei, artesque liberales, propagandam Religionem Christianam ibi traderentur. Hanc Scholam à se sic institutam, tantâ prouentuum & possessionum amplitudine ipsum locupletâsse etiam, quantum vix omnes Galliæ & Germaniæ, quæ inde postea natæ sunt, Academiæ possent æquare, Curio libro secundo, Chronic. testatur. Eandem, nostrâ ætate omni genere disciplinarum, doctissimisque viris sic exornauit Franciscus Valesius, vt tanquam opulentissimum totius orbis emporium, breui florentissimam reddiderit, longeque adhuc celebriorem facturus fuisset, nisi & bellis ferè continuis, & morte præuentus fuisset.*

Papiensis Schola. *Nec diu post idem Carolus* PAPIENSEM *Academiam, misso illuc Ioanne Mailrosio, Claudij & Alcuini socio, quoque fundauit, primumque, vt nonnullis videtur, ei Rectorem dedit: Polyd lib.* 4. *de Anglis. Hanc Galeatius* 2. *Viecomes Caroli* 4. *Imp. authoritate, restituit, teste P. Iouio in vita Galeatij.*

Patauina Schola. PATAVIVM *quoque licet jam antea splendore artium celebre fuerit, tamen Academiam ibi instituisse idem Imperator creditur circa annos Domini* 791. *Etsi Leander omnium disciplinarum Scholam Patauij esse scribat à Friderico* 2. *Imp. in Bononiensium contumeliam institutam.*

Osnaburgensis & Reginoburgensis Schola. OSNABVRGI *&* REGINOBVRGI *etiam in Saxonia Scholas aperuit Carolus ibique Græcam & Latinam linguam doceri præcepit, Cranzio authore lib.* 1. *capite secundo, Metrop. Auentino libro* 3. *& Polyd. libro quarto. Et in Cabillonensi Synodo mandauit*, vt Scholas Episcopi constituant, in quibus literariâ solertiâ disciplinæ & sacræ scripturæ documenta discantur: & tales ibi erudiantur, quibus meritò dici possit, Vos estis sal terræ. *Immortali ergo gloriâ dignissimus est hic Imperator ob tantum tamen sapientiæ literariæ in terris accensum.*

Nunquam tantum Caroli M. *Mirificè autem Carolum M. erga Scholas affectum, & artes liberales studiosissimè coluisse non tantum ex his apparet, sed etiam Auentinus lib.* 4. *Annalium his verbis refert.* Cùm aliquando in Galliam reuersus fuisset, pueros quos Clementi Scoto in Parisiensi Academia erudiendos commiserat, Epistolis, Versibus, Carminibus, Orationibus, Panegyricis scriptis, vt periculum de eorum ingenijs atque idole faceret, sibi exhiberi iussit. Vbi tenuioris fortunæ juvenes præter spem multum profecisse, nobiles verò gaudijs corporis deditos, cultum animi neglexisse deprehendisset, illis ad dexteram segregatis: Vos quidem macti virtute, *inquit*, estote filioli pientissimi, qui nostro imperio grauiter defuncti estis, vestra erunt Sacerdotia locupletissima, & Pontificatus maximi. Ego vos in aulam ascisc ам ex vobis Senatores cooptabo: vos in album præto-

prætorum & patrum curiam allegam. Deinde ad nobilium liberos, quos à læua collocârat, vultu haud iram dissimulans, ait, At vos comatuli, & delicatuli, freti opibus, & splendore parentum, nostram majestatem conspreuistis, vitia, otia, luxum & inertiam bonis literis virtutibus contempto decreto nostro: prætulistis, jubeo, & Deum immortalem testor, nihil penitus commodi, honoris, ne obulum quidem ab Imperatore vestro, cujus jussa aspernati estis, exspectate: faxim vt omnibus mortalibus ludibrio viuatis: & in vos exempla edam, nisi resipueritis, & negligentiam diligentiâ expiaueritis.

Oxoniensis Schola. *In Anglia quoque Caroli Imp. pietatem & studium erga bonas literas imitatus* Alphredus *siue* Alvredus *Rex anno Domini* 871. *vel vt alijs placet* 895. OXONENSEM *Academiam primò fundauit, quæ in Clementina I. Extra de Magistris, inter præcipuas orbis Christiani Academias refertur: Polyd. lib. 5. Angliæ historiæ.*

Scholæ in Monasterijs euersæ. *Hæc verò omnia quæcunque salubriter se instituta erant à priscis Collegiorum à Monasteriorum Præsidibus, & longo tempore persancte custodita, ignorantia, superstitio & hypocrisis Monachorum fœdissimè peruertit, corrupit & adulterauit post millesimum à nato in carne Christo annum. Nam ex ædibus studiosorum publicis ac liberis fecerunt carceres, in quibus iuventus & boni viri misere excarnificantur rebus stultis & impijs. Non enim contenti Christi præceptis, superstitiosas quasdam & ab hominibus excogitatas, verbo etiam Dei contrarias Regulas contexuerunt, & ad earum normam iuventutem viuere coëgerunt. Iuuentus est mire prodigiosus & hypocriticus vestium habitus, ciborum delectus & jeiunia plus quàm superstitiosa. Bonæ horæ non amplius studio sacrarum literarum liberaliumque artium sunt tributæ, sed lectionibus tantummodò, imò cantui & vlulatui cuidam: quo factum est, vt paucissimi quid legerint aut cecinerint, non intellexerint, nullusque adeò hinc ad Ecclesiam insani tumultus & clamoris vsus seu vtilitas pervenerit. Quæ quidem stupiditas paulatim ita inualuit in Monachorum lustris, vt prouerbio locum dederit* Monacho indoctior, *quod in homines illiteratos, indoctos stupidos ac veluti communi sensu destitutos vulgo dicitur.*

Studia in Academijs pereunt. *Sed & eruditio, atque liberalium artium & disciplinarum studia in Scholis quoque publicis non nihil eodem tempore frigere & collabi cœperunt.*

Scholæ instauratæ. *Cùm ergo studia bonarum artium pessim collapsa, & verbi Dei doctrina, adeoque vera religio & pietas profligata esset, monachique pro literis vel Mauortia arma tractarent, vel ceremonijs humanis aliisque rebus friuolis occuparentur, pij Principes & magistratus huic pestilentissimo Ecclesiæ & Reipub. Christianæ morbo mederi cupientes, per vniuersum orbem certatim Academias & Scholas non tantum veteres restaurârunt, sed plurimas quoque de nouo instituerunt, easque magnâ & incredibili propè liberalitate fouerunt: vt videas Principes seculares maiori studio propagandæ Religionis flagrâsse, quàm eos quibus ea cura à Deo potissimum demandata erat. Hac enim occasione hæ subsequentes Academiæ fundatæ ac institutæ dicuntur.*

MONTISPESSVLANA *olim ob Iurisprudentiam, hodiè verò ob Medicinæ studia celeberrima, anno Christi* 1196. *exorta à quibusdam dicitur: quæ progressu temporis Galliæ Regum munificentiâ mirificè promota fuit.*

VIENNENSEM *Academiam Fridericus II. Imperator anno Domini* 1237. *instituit: quæ post aliquod annos ab Austriæ Principibus Bursis, vt vocant, & Collegijs egregiè exornata fuit. Gassar. in Epit. Chron.*

NEAPOLITANA *Schola jam olim quidem ob literarum studia celeberrima, sed prorsus collapsa, ab eodem Imp. Augusto non solùm instituta & fundata, sed & amplissimis priuilegijs ornata est, vt Collenutius refert. Ad eam ex toto regno studiosorum maximus concursus factus est. Decreuerat enim Fridericus Imp. ne quis extra illud regnum studiorum causâ proficisceretur: neue in triuialibus regni Scholis majoris disciplinæ traderentur, vt hoc pacto hanc Accademiam celeberrimam redderet. Post centum verò annos quàm Fridericus eam instituerat Robertus Rex illam instaurauit, & post centum ferè alios annos Alphonsus Arragonius, nonnihil collapsam restituit.*

PERVSINA *Academia circa annos Christi* 1290. *instituta dicitur, ijsdemque priuilegijs ornata, quæ in L. vnica. C. de professoribus Constantinopolitanæ Academiæ tribuuntur. Iurisprudentia in ea floret.*

AVRELIANENSIS *à Gallorum Rege Philippo cognomento Pulchro anno Christi* 1312. *fundata est: Iurisprudentiæ studio olim florentissima. Æmil. lib.* 8.

FERRARIENSIS *ab Alberto Ferrariæ Duce instituta est anno Domini* 1316. *confirmata verò à Bonifacio VIII. Papa: eam illustrissimi Principes Ferrarienses ita exornârunt progressu temporis pro sua egregia erga bonas literas voluntate, vt vel inter præcipuas Italiæ Academias numerata sit.*

PISANA *Academia annò Salutis reparatæ* 1339. *fundata est: sed cum deserta jacuisset annos propè* 150. *Laurentius Mediceus Petri F. eam restaurauit, egregieque promouit, doctos viros præmijs amplissimis excitauit, qui in hac Schola Iurisprudentiam, Philosophiam, & cæteras liberales*

berales artes docerent. Brutus lib. 8. histo. Florent.

HEIDELBERGENSIS à Ruperto II. Comite Palatino anno Christi 1346. erecta est, in qua multi doctissimi viri in omni scientiarum genere jam inde ab initio in hunc vsque diem docuerunt.

ANDEGAVENSEM Ludouicus II. Andegauensium Dux instituit, eodem ferè tempore quo Heidelbergensis à Ruperto Palatino erecta est.

PRAGENSEM in Boëmia Carolus IV. Imp. anno Domini 1360. instituit, vt Cromerus testatur lib. 12. Rerum Polonicarum, vel 1370. juxta Æneam Syluium de gestis Boëm. Hanc penè collapsam restaurârunt Ferdinandus I. & Maximilianus II. Imperatores. Fuit haec prima quae sese Antichristi tyrannidi & erroribus opponere ausa sit.

CRACOVIENSEM Academiam in Polonia anno salutis reparatae 1361. inchoauit Casimirus Rex: sed demùm anno 1400. instaurata est, cùm hactenus obscura fuisset: à quo tempore S. S. Theologia, artes Mathematicae, & humaniores literae in primis in ea floruerunt. Cromerus lib. 12.

COLONIÆ Agrippinae etsi ab antiquo studia liberalium artium floruerint, tamen ibi anno Christi 1388. Vrbanus VI. Papa publicam omnium doctrinarum Academiam permisit institui, eademque ei quae Lutetiae Parisiorum habebat, libenter concessit priuilegia. Florent in ea quatuor primariae facultates, Theologia nimirum, vtrunque Ius, Medicina, & Philosophia, quae etiam Mathematicam, Poësin & linguas complectitur.

ERDFORDIENSIS in Thuringia anno Domini 1391. fundata creditur, quam deinde Bonifacius IX. & Pius II. Pontifices Max. multis priuilegijs honorârunt.

SALMANTINA in regno Castellae celeberrima Schola anno reparatae salutis 1404. instituta dicitur, à Benedicto XIII. tempore schismatis varijsque Pontificum Rom. & Regum priuilegijs honorata.

LIPSENSIS in Misnia anno Domini 1408. ex Pragensi Academia nata à Pio II. autem & Alexandro V. Pont. Rom. magnis priuilegijs decorata, & à Georgio Duce Saxoniae nonnihil collapsa, restituta est.

INGELSTADIENSIS anno Christi 1410. ex Viennensi initium sumpsit: cui Ludouicus Bauariae Dux à Pio II. Pontifice Max. priuilegia multa impetrauit: eamque Ernestus itidem Bauariae Regulus mirificè fouit, excoluit & ditauit.

TAVRINENSEM vniuersitatem instituit Ludouicus Sabaudiae Princeps, circa annos Domini 1410. impetrato priuilegij diplomate à Benedicto XI. Ioanne XXIV. & Sigismundo Caesare. Philibertus Pingonius in Arbore gentilitia Principum Sabaudiae.

ROSTOCHIANÆ Megapolitani Duces Ioannes & Albertus anno Domini 1415. à Ioanne XXIII. egregia priuilegia impetrârunt: sed demùm anno 1419. florere coepit.

CADOMENSIS in Normandia anno salutis 1418. à Ioanne V. Anglorum Rege instituta est.

LOVANIENSI Scholae Ioannes Dux Brabantiae à Martino V. Papa studij generalis impetrauit priuilegia: ibique anno Domini 1426. omnis generis artes & disciplinae doceri coeperunt tantâ diligentiâ, vt mox celeberrima euaserit. Sunt in ea quatuor Collegia disciplinarum omnium referta doctoribus, Lilium scilicet, Falconium, Castrense, & Portium, in quibus veteri instituto, honestis atque ingenuis, quos egestas presserit, in aliquot annos ad capiendum ingenij cultum, alimenta publicè praebentur.

FLORENTINA à Cosmo Magno studiorum patrono & instauratore circa annos 1438. pristino nitori restituta fuit.

GRISVVALDENSIS in Pomerania ab Vratislao IX. Duce inchoata anno salutis 1456. & nonnihil collapsa à Philippo Pomerano restaurata est anno 1547. Munster. in Chron.

FRIBVRGENSIS in Brisgoia ab Alberto Austriae Duce circa annos Christi 1460. vel vt alij volunt anno 1450. fundata est.

BASILIENSIS Academia anno Domini 1460. à Pio II. Pontifice instituta, & ijsdem priuilegijs, quibus reliquae per Germaniam gaudent Vniuersitates, exornata fuit, cui tantum splendoris accessit anno 1489. & 1490. vt multis tum demùm instituta videatur.

TVBINGENSIS Academia anno Christi 1477. incepta quidem, verùm anno 1522. ab Eberhardo primo Wirtenbergensi Duce sic exculta est, vt ab eo etiam quasi de nouo instituta videri possit.

MOGVNTINAM Dietherus Isenburgius ejus loci Archiepiscopus circa annos Domini 1482. instituit: cumque in hunc finem exstructa fuerit, vt omnes genus literarum in ea floreret, Theologia tamen praecipuè in ea semper tradita fuit.

Sunt denique plures aliae passim in orbe Christiano institutae ijsdem temporibus Academiae seu Scholae celeberrimae quo anno autem, & à quibus id factum sit, certò inuenire non potui. Harum in numero sunt Mediolanensis: Salernitana: Senensis: Veneta: Bergomensis: Mantuana: Placentina: Anconitana: Maceratensis: Parmensis: Syracusana: Messana: Panormitana: Carinensis in Italia. Auinionensis: Biturigensis: Burdigalensis: Lugdunensis: Pictauiensis: Tolosana: Caturcensis in Gallia: Caesar Augustana in Arragonia: Compostellana in Gallia: Granatensis in regno Baetico: Hispalensis:

lensis: Toletana: Valentina. *Et plurimæ Scholæ triniales hinc inde institutæ simul reperiuntur, vbi vel prima artium atque linguarum rudimenta cum pietate & bonis moribus addisceret iuuentus, & majorum disciplinarum, quæ in Academijs traduntur, idonei auditores præpararentur.*

De Origine & Progressu *Scholasticæ* THEOLOGIÆ.

FLoruerunt in Scholis mediocriter humaniores literæ ac disciplinæ: vtcunque etiam Iurisprudentia cum Medicina in ijs tradebatur. Veræ autem Theologiæ, eius nimirum, quæ ex limpidissimis fontibus verbi Dei & orthodoxis Patribus primitiuæ Ecclesiæ peteretur, studium sensim in ijs frigere, aboleri, & demùm prorsus euanescere cœpit: abiectâ enim verbi Dei & veterum Patrum purâ doctrinâ de Christi officijs, de peccato originis, de Euangelio, de Lege, de Gratia, de iustificatione gratuita per fidem in Christum, de vero vsu Sacramentorum deque alijs fidei articulis, noua excogitârunt dogmata de Meritis operum, de invocatione Sanctorum, de vi operis operati, de primatu Papæ, de purgatorio, deque similibus, vtque irretirent facilius animos simplicium, placita tantum Romanorum Pontificum & Aristotelis scripta, præsertim verò Metaphysicorum libros in Scholis Theologiæ Canditatis proposuerunt, & explicârunt, augustissimisque sacrarum literarum arcanis non dico comparârunt, sed longe prætulerunt: ipsosque adeò Pontifices Romanos cum suo Aristotele veluti Prophetas aut Apostolos coluerunt: nec eximij angelici aut etiam seraphici Theologi gloriam merebatur, nisi qui Pontificum Max. decreto, Aristotelem, aut etiam aliorum hominum placita & scripta plenis, quod dicitur, buccis, in Theologorum Scholis sonare & crepare posset.

Prima Theologia Scholastica. *Primas cœpit hoc malum radices agere in Scholis Theologorum circa annos Salutis* 1020. *hac occasione, vt diligenter annotat Lambertus Danæus in suis ad librum* 1. *Sententiarum Lombardi Commentarij Prolegomenis. Verbi Dei & D. Augustini sententia ac doctrina cùm in alijs articulis, tùm verò de Sacramento Cœnæ Domini inter Christianos quosque doctissimos hucusque obtinuerat. Circa hæc verò tempora mysterium illud iniquitatis operari, & horrendum illum de Transsubstantiatione errorem, fontem aliorum infinitorum parturire cœpit. Ei verò se constantissimè opposuit Berengarius Andegauensium Archidiaconus, vir eo tempore eruditissimus, & verbi Dei saniorumque Patrum ea de re sententiam summâ ope defendit. Hunc autem acerrimè impugnauit Lanfrancus Italus, & Papiensis Scholæ Doctor, ac facilè, quoniam fatale illud tempus aderat, quo cuncta in Ecclesia in peius ruere debebant, suâ suorumque asseclarum authoritate effecit, vt non solùm purior illa sententia prætermitteretur negligereturque, sed & Berengarius suam reuocare & Psalmodiam immani Nicolai Papæ tyrannidi canere in Concilio Vercellensi cogeretur. Quod ita hominum animos percutit, vt inde omnes, verbo Dei spreto & orthodoxorum Patrum scriptis neglectis, aut eatenus probatis, quatenus opinionibus jam vulgò receptis suffragarentur, in eam doctrinam jurarêt, quæ Pontificum Rom. Decreta & Ritus in Ecclesia receptos, defendebat. Ex hoc fonte innumerabiles disputationes mox ortæ, intricatæ quæstiones motæ, & tandem de his ipsis rebus extra & contra verbum Dei regulæ, veluti Dei ipsius oracula traditæ, libri conscripti & contentiones susceptæ sunt. Ne verò hæc nupera seu noua viderentur, verbum Dei veterumque Patrum scripta quoque ad ea quacunque ratione accommodata fuerunt. Hoc modo nata, conflata & Scholastica Theologica, & sola pro vera habita fuit.*

Contigerunt hæc ab anno Domini 1020. *ad annos vsque* 1126. *quo tempore* Irnerius *summæ authoritatis vir author fuerat Lothario Imp. vt præciperet ius Romanum, quod vulgò* Ius Ciuile *vocant, & quo ante aduentum Longobardorum Italia semper vsa fuerat, proferri rursus, & ex eo causas dijudicari, curaret item Romæ & Bononiæ sicut Constantinopoli idem publicè prælegi. Feruere igitur cœpit recens excitatum studium Iuris Ciuilis, certatim in id incumbentibus Italicis & Germanicis ingenijs. Hoc pacto factum est, vt Theologiæ studium, vt tum erat, à plerisque negligeretur, nec ferè alij quàm pauci Monachi ei inhærerent: deinde quia leges Romanæ Imperatoriam majestatem muniebant atque armabant, videbatur ea res ingentem cladem, ac tantùm non ruinam non solum Theologiæ isti, sed etiam recenti nec dum satis confirmatæ Romanorum Pontificum tyrannidi minitari.*

Gratianus *igitur Monachus his afflictis suæ partis rebus opem laturus, ex aduerso legum Pontificiarum volumen congessit, circa annos Christi* 1150. *quod* Decretorum opus *nominatur, & hodiè pro prima parte Iuris Canonici habetur. In eo Hierarchiam & Tyrannidem Roman. Pontificis propugnandam susceperat ex Canonum Decretis, non minori contentione quàm cæteri Imperatoriam potestatem ex sacris literis & iure Roman. tuebantur. In hunc finem excerpti sunt Canones in hoc volumine ex quatuor potissimùm scriptorum generibus: atque alii quidem ex Conciliis & Synodis: alii verò ex responsis siue Epistolis decretalibus Pontificum: alii deinde ex Commentariis & opusculis Patrum, vt Augustini, Hieronymi, Ambrosii & similium: alii denique ex historiis Ecclesiasticis: aspergit alicubi nonnulla, sed parcius, ex legibus*

Gratiani Decreti.

Iudicium de Gratiani Decretis.

bus Imperatorijs, sed eâ fide, ut magno cum judicio hac omnia legenda sint, multa siquidem falsa, commentitia & notha recitat, tùm vèra impudenter, malitiosè, fallaciter & impiè corrumpit: sapenumerò turpiter errat in authorum & librorum inscriptionibus, Hieronymo ascribit quod tribuendum erat Augustino aut simili: ex uno aliquo Concilio profert Canonem, qui tamen alterius est: titulum facit de Epistola decretali alicujus Pontificis, in cujus tamen rescriptis aut mandatis nihil tale legitur: qua de re, totoque adeò hoc Gratiani Decretorum volumine vide Hyperium de Studia Theologico lib. 4. cap. 5. Et tamen tanto applausu acceptum approbatùmque fuit à Romanis Pontificibus, ut mox Eugenius III. secundum Gratiani Decretorum Canones in Consistorijs judicare *praceperit: unde etiam liber hic novis Iuris consultorum Italicorum* Summis *tanquam locupletissimus thesaurus illustratus, & omnibus alijs scriptoribus pralatus est.*

Petri Lombardi sententiarū libri Comestor

Sequutus mox est Gratianum Petrus Lombardus *Episcopus Parisiensis, itemque* Comestor: *quorum hic quidem utriusque Testamenti Historiam consarcinavit Ecclesiasticam, eamque glossis ejus atatis, tùm falsissimis, tùm insulsissimis refercivit, qua tamen ita tum ubique obtinuit, ut ipsi Scriptura sacra penè praferretur: ille verò Gratiani exemplum imitari voluit, licet in dissimili planè argumento. Nam in Theologia versari ipse maluit, quàm in forensibus litigiosisque quastionibus. Itaque Scholastica Theologia, qualis tunc erat, fundamenta in quatuor libros, qui* Sententiarum *dicuntur congessit. Hi quatuor libri, non ex vivis verbi Dei scaturigine, sed Patrum duntaxat lacunis, fuerunt postea totius Scholastica doctrina basis & fundamentum: Vnde ipse etiam* Magister Sententiarum *vulgò in Scholis appellari cæpit.*

Magister Sententiarum

Cyrilli Evangelium novum.

Circa annos etiam 1190. Cyrillus *quidam Monachus Carmelita, rejecto Evangelio Christi aeterni Filij Dei, quasi ad tempus dato instar Mosaica legis, novum fabricavit ex veteribus Origenis erroribus, quod* æternum Evangelium *vocârunt, idque comparatum ad Evangelium Christi, tanto plus perfectionis ac dignitatis habere, quantum Sol ad Lunam comparatus & ad nucleum testa, blasphemè dixerunt. Hoc Evangelium verò tantopere ipsis probabatur, quòd dogmata Scholasticorum confirmaret, ceremonias & ritus superstitiosos Romana Ecclesia, nec non & Monachorum Ordines, regulas, studia instituta, & quicquid ejus fuit generis approbaret. Cuius tamen commentis tandem ipsummet etiam Satanam ita puduit, ut Alexander IV. Pontifex Roman. istud Vulcano tradendum praceperit, Platinâ & Balao authoribus.*

Hac atate Hugo sancto Victore *habitus tum doctissimus circa annos Domini* 1120. *primùm librum edidit, quem* Summam *suarum* sententiarum *inscripsit. Hinc* Summæ, & & Summarum Theologicarum libri, *&* Summistæ Theologi *originem habent.*

Hugo de S Victore eiusque Summa sententiarum.

Guilelmus Abbas S. Theodorici.

Post paulò Guilielmus Abbas S. Theodorici *primus scripsit* Sententiarum fidei *librum unum circa annos Domini* 1140. *Hinc* Sententiæ & Sententiarum libri, *&* Sententiarij Theologi *exorti sunt, inter quos Petrus Lombardus facilè principatum tenet. Et hac quidem fuerunt initia prima Scholastica Theologia ab anno Domini* 1020. *usque ad annum* 1220. *quo temporis spatio*, Philosophia secularis sacram Theologiam suâ curiositate fœdare cœpit, *ut Trithemius ait.*

Qua hucusque de Scholastica Theologia initio & prima Origine diximus, confirmat quidem recens Pontificiorum scriptor Sixtus Senensis *qui haud obscurè profitetur quoque, tam ex Theologia sacra & Philosophia Peripatetica conflatam, istoque consilio inventam, ut quia pra studijs legum sub Lothario II. Imp. florescentibus, sacra scriptura cognitio frigescere, & contemni cæpisset, Monachi quidam & clerici ad commendandum studium Theologicum hanc rationem Philosophicam tractandarum scripturarum invenerint, qua commendabilem Theologiam Scholis redderent. At verò illa ad splendorem sacrarum literarum adeò nihil attulit, ut potius omnem earum dignitatem obscuraverit, & pro mentibus hominum pietate informandis, importunâ loquacitate & impotenti quadam rixandi cupiditate omnes instruxerit.*

Scholastica Theologia media. Albertus M.

Sequitur iam Media Scholastica priore illâ longè deterior, qua duravit ab anni Christi 1220. *ad annum usque* 1330. *& habuit* Albertum M. *veluti parentem & authorem. Is philosophiam humanam, in primisque Aristotelicam in ipsa adyta Scholarum Theologicarum & penetralia Ecclesiarum intromisit, & in supremo ibi controversarum quastionum dijudicandarum ac decidendarum gradu & throno, ceu Reginam quandam collocavit. Qua tamen non ita à me accipi velim, quasi Philosophiam humanam contemnem, quam singulare Dei donum esse agnosco, sed saltem* ministram, *non* Dominam veræ Theologiæ *eam esse debere iudicio, illudque reprehendo, quòd ei cùm magna Religionis pernitie, Principatum in Schola Christi concesserunt, & de possessione hareditaria Christum depellentes, regnum Aristoteli tradiderunt. Superior enim Scholastica Patrum quidem, sed Ecclesiasticorum duntaxat scripta ac dicta verbo Dei exaquavit: hac verò ulterius progressa, Aristotelis etiam scripta verbo divino in omnibus comparavit: ut qua vestigia exigua illius erga verbum Dei reverentia in Theologorum Scholis restarent adhuc, ab hac penitus deleta & conculcata fuerint. Cùm enim errores & abusus vel recepti*

Digitized by Google

cepti co suetudine, vel à Pontificibus approbati tueri defendique non possunt, si ad verbi Dei Lydium lapidem examinarentur: alia fuerunt quærenda præsidia, & humanis somnijs straminea substrata sunt fundamenta. In hac igitur non Prophetarum, non Christi, non Apostolorum, non denique Augustini, Hieronymi, Ambrosij & similium, sed Aristotelis tantum mentio fit, ejus nomen primo semper loco ponitur, ejusque scripta pro apodicticis, verbum autem Dei pro opinione probabili habetur, vt ex Occami Centilogio apparet. Hinc euenit, vt qui illis temporibus pro insigni Theologo seu Doctore haberi cuperet, non in sacras literas, sed Aristotelis libros Commentaria scriberet. Fecit hoc primus Albertus Magnus, & eum deinde sequutus Thomas Aquinas, alijque non pauci: quo tempore simul faraginos de vnitate formæ & intellectûs, de vniuersalibus, de Entitate deque Idæis sunt consutæ. Quæstiones quoque partim absurdæ, partim verò impiæ ac blasphemæ sunt motæ ac propositæ. Et hæc quidem istorum Temporum fuit Theologia, in qua excolenda mirè sudârunt ingenia hominum. Vtque totius Galliæ Academia celeberrima & florentißima hoc malum maturè intra sua viscera reciperet etiam, hac ætate, hoc est, anno Domini 1253. Robertus Comes Druydum frater Ludouici regis, Lutetiæ SORBONAM instituit atque fundauit: Titius in Chron. Francorum.

Thomas Aquinas.

Sorbona Parisiensis.

Interea verò temporis non cessârunt Canonistæ etiam, sed in euehenda Pontificum Roman. authoritate strenuè laborârunt, ad imitationem Gratiani. Reimundus enim Barchinonensis quidam Monachus Hispanus circa annos 1230. jussu Gregorij IX. DECRETALES edidit: in quibus ne verbulum quidem exstat de institutis veteris Ecclesiæ, nihil in iis habetur ex Sacra Scriptura, nihil ex antiquis Historiis, nihil ex sanctorum Patrum libris, sed noua sunt planè omnia, nec Theologis & Ecclesiarum ministris sed leguleis & causidicis ad propugnandam Pontificum Rom. immanem Tyrannidem accommodata. Hos etiam Decretales in Scholis publicè prælegi & explicari præcepit idem Gregorius. Vidit enim homo vaferrimus, Imperatoribus Rom. tam infensis animis renitentibus, Pontificatum suum ægrè confirmatum iri, nisi legibus latis, ac his quoque cum authoritate promulgatis, ac in Scholas ac judicia introductis. Vnde in Præfatione, Volentes, inquit, vt hac tantum compilatione vniuersi vtantur, in judicijs & Scholis, districtiusque prohibemus, ne quis præsumat aliam facere absque authoritate sedis Apostolicæ. Legat qui vult, quid de his decretalibus indicet Marsilius Patauinus in Defensore pacis, Dictione 2. capite 24. & 25. & Hyperius de studio Theologico libro quarto, capite sexto. Illustrauit hos libros Decretalium Accursius glossulis.

Canonistæ.

Reimundus Barchinonensis.

Decretales Gregorii.

Accursius.

Hinc Bonifacius VIII. anno 1295. in Concilio Lugdunensi SEXTVM DECRETALIVM confirmauit, suo jussu à tribus doctis viris, vt Platina habet, compilatum, eundemque mandauit quoque passim in Scholis prælegi & explicari: est autem ejusdem cum superiore monetæ.

Sextus Decretalium.

Clemens V. superaddidit anno 1308. in Concilio Viennensi librum Clementinarum à se compositum, qui quartam partem Iuris pontificii efficit, ac in Scholis similiter prælegendum exhibuit, vt Trithemius in Chron. Hirsaugien. refert. Auentinus tamen libro septimo, Annal. & Nauclerus indicant, Clementem hunc librum, quòd multa, quæ simplicitati Christianæ, & libertati religionis imponerent, in eo continerentur, publicare supersedisse atque animam agentem comburi mandâsse. Sequutus enim Gregorium IX. & Bonifacium VIII. multas in eo tulit oligarchicas leges contra Imperatorem Rom. aliosque magistratus. Ioannes 22. autem eum approbauit & publicauit.

Clementinæ.

His omnibus postremo loco quasi appendix annexa est cùm à diversis Pontificibus, tùm verò maximè à Ioanne XXII anno 1320. series quædam constitutionum quas EXTRAVAGANTES vocant. Hac ratione ex canonum exigua scaturigine à Gratiano collectorum, in vastum quendam Oceanum videtur ius Canonicum accessione temporis inundâsse. In eo quo progredimur longius, eò offendimus canones à pietate & syncera Religione longiùs degenerantes.

Extrauagantes.

Sed tempus postulare videtur, vt ad vltimum Scholasticæ Theologiæ genus accedamus. Durauit id ab anno Christi Seruatoris 1330. ad annum 1515. fuitque longè deterrimum impudentissimumque: modestia enim quæ in prioribus duobus generibus remanserat, ista ætate penitùs sublata est. Quæ enim etiam in Media Scholastica adhuc in quadam deliberatione & quæstione posita fuerant, vtrum scilicet Papa Roman. sit simplex homo, an quasi Deus? An participes vtranque naturam (proh scelus) cum Christo? de ejus potestate supra Concilium: de Virginis Mariæ immunitate à peccato & similibus, de his certa quadam definire seu determinare cœperunt, suasque definitiones pro articulis fidei haberi voluerunt: denique nihil tam fuit superioribus visum seculis impium, blasphemum, ineptum & erroneum, quod hæc ætas suis subtilitatibus, argutiis, distinctionibus, sophismatis, exceptionibus & oppositionibus non ausa sit palàm propugnare ac defendere.

Scholastica Theologia vltima.

Omitto alias quæstiones non tam inutiles, quum palam impias & pernitiosas, quas etiam in hac ipsa Scholastica mouerunt, & de quibus tantis viribus tamque pertinaciter decertârunt sæpè, vt res non ad clamorem tantum, ad vera dissidia & conuicia sed nonnunquam etiam ad pugnos pro-

Quæstiones blasphemæ in tertia Scholastica motæ.

processerit. Huius generis sunt: An Deus possit quodvis malum, etiam odium sui præcipere, & omne bonum prohibere, etiam amorem & cultum sui? An possit actu infinitum secundum omnem dimensionem producere? An potuerit hunc mundum, etiam ab æterno meliorem facere, quàm fecit? An possit producere hominem qui peccare nullo modo queat? An reuelare possit alicui suum futurum peccatum, aut damnationem? Num possit aliqua distinctè intelligere, si ad illa non habeat distinctas relationes rationis? An possit respectum producere sine fundamento & termino? An possit naturam vniuersalem producere & conseruare sine singularibus? An potestatem creandi possit communicare creaturæ? An possit ex facto facere infectum ac per hoc ex meretrice facere virginem? An quælibet persona divina possit quamlibet naturam assumere, quomodo Verbum humanam assumpsit? An tres personæ possint simul eandem naturam assumere? An hæc propositio, Deus est scarabeus, aut cucurbita, tam possibilis possit, quàm hæc, Deus est homo? An Deus assumpserit individuum humanum, an speciem? An in mente diuina sint omnium rerum Ideæ, & illæ practicæ ne sint an speculatiuæ? An personæ divinæ verò numero dicantur tres? an per relationes & distinguantur & constituantur? an Pater producat Filium & Spiritum sanctum, ratione intellectûs, an voluntatis? Item, an ratione essentiæ, an attributi, naturaliter an liberè? An hæc propositio sit impossibilis, Pater Deus odit Filium Deum? An anima Christi potuerit fallere, an falli, an mentiri? An Papa clementior sit quàm Christus fuerit, quum is non legatur quenquam à purgatoriis pœnis liberâsse? An possit vniuersum Purgatorium tollere? An possit arbitratu suo cœlo excludere etiam immerentes? *Et sexcenta alia disputata sunt huius generis magnis editis voluminibus idque à magnis Theologis, præsertim professione religionis insignibus: his serio occupata sunt Theologorū Scholæ: quum tamen pleraque sint eius generis, vt doctius nesciantur quàm sciantur, vt ridiculè quærantur, temerè definiantur.*

Quæ quum ita sint, vt inficiari non possunt, meritò huic Scholasticæ Theologiæ omnium hæresium, superstitionum & errorum seminaria in Romana Ecclesia accepta referre debent: Tertullianus enim adversus Hermogenē. Philosophos hæreticorum patriarchas esse dicit*: nec sine graui causa D. Paulus nos monet,* ne quis nos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.

Edidit etiam in Scholastica Gualterus Pictaviensis Episcopus *primus* QVODLIBETORVM *librum, magnâ omnium admiratione, circa annos Christi* 1240. *Hinc* Quodlibeta *&* Quodlibetariæ quæstiones *natæ sunt: Sunt autem* Quodlibeta *libri, in quibus eorum auctores in vtramq; partem, Academicorum more, de quolibet etiam apice Theologico pro & contra disputant: vt nihil sit apud eos tam certum & definitum, quod non in dubium reuocari possit contrariasq; rationes habeat. Et qui hoc possunt, optimi & excellentissimi demùm Doctores habentur.* *(Quodlibetorum origo. Gualterus Pictaviensis. Quodlibeta quid.)*

Eodem tempore Alexander de Ales *quoque primus in quatuor libros Sententiarum cōmentari cœpit, quem imitati sunt mox quamplurimi.* *(Alexander Alesis.)*

Ex eadem hac Schola prodierunt etiam qui Determinationes, Quæstiones super quæstiones, Partes, Specula, Legendas, Marialia, Devotionalia, Miraculorum & exemplorum promptuaria, Fidei fortalitia, Fodinas cœli, Bigas salutis *& sexcenta huius generis alia ab Innocentij IV. temporibus scripserunt: Ecce igitur vt obscurata fuerit aurea primitiua Ecclesiæ facies, & quàm horribiles ac perniciosæ tenebræ, ceu nubes quadam atra totum cœlum occupantes, profligato verbo Dei, eiusq; lumine exstincto & tantum non sepulto, in Scholis & Ecclesia exortæ sint, totumque mundum annis ferè quingentis in nocentissimis erroribus detinuerint.*

Durârunt enim hæ plus quàm Cimmeriæ tenebræ ab anno Christi 1020. *vsq; ad annum* 1515. *quo tempore* MARTINVS LVTHERVS *&* HVLDRICVS ZVVINGLIVS, *densissimas has nebulas & obscurissimas tenebras verbo Dei discusserunt. Sub hoc igitur relucentis Euangelij initium Christiani Principes veræ religioni & Reipub. Christianæ consultum volentes, bonarum literarum studia, inprimisque puram & sinceram Theologiam ex his tenebris vindicârunt, & vel Scholas veteres reformârunt, vel alias de nouo aperuerunt.* *(Scholasticæ theologiæ tenebræ discussæ & Scholæ reformatæ.)*

Inter illas longè celeberrima est WITTENBERGENSIS *in Saxonia Academia: quam Elector Fridericus I. anno Dom.* 1502. *ex Lipsensi & Tubingensi erexit, & alter Fridericus omnigenarum artium, præcipuè verò trium linguarum professoribus, sic adornauit, vt optimè constituti Gymnasii exemplar hinc petere possis, Petro Mosellano teste.*

FRANCOFORDIENSIS *ad Viadrum ab illustrissimo Principe Ioachimo Brandenburgen. Electore ex Lipsensi anno Domini* 1506. *fundata, & à Maximiliano I. Imperatore variis priuilegiis ornata fuit:*

MARPVRGENSIS *à Philippo illustrissimo Cattorum Principe, & propaganda Euangelicæ veritatis studiosissimo, anno Domini* 1526. *erecta, & viris doctissimis exornata est: in qua & ego ante aliquot annos humaniter tractatus, & liberaliter institutus sum.*

HAF-

HAFNIENSIS *in ab everso Templo* 436. penhagensis *dicitur, primo ... iade urbe Galilea.* *eum* III. *circa annos Christi* 1539 *... on Aseris, & de verò à Christiano electo Rege inst... ullarum*

REGIOMONTANAM *Albertus M... uus Brandenburgensis, Magnus Teutonicorum mi... tum Magister, anno Domini* 1544. *instituit.*

ARGENTORATI *quoque anno* 1538. *Collegium est institutum, seu Schola iuventutis, Iacobo Sturmio potissimùm authore, Senatore in ea urbe primario. Hac breui tempore sic effloruit doctorum virorum industriâ ac diligentiâ ut non solùm ex universa Germania, sed & ex remotissimis nationibus eò confluxeret. Instituenda verò iuuentutis, & tanquam in Classes distribuenda rationem, ac universam docendi viam Ioannes Sturmius vir eruditissimus & Senatus primus ostendit, & post edito libro copiosius explicauit. Anno demùm Salutis* 1568. *Academia ius Maximilianus* II. *Imp. Argentinensibus concessit, & Rector perpetuus Academiæ creatus* Ioannes Sturmius.

IENENSIS *Academia solenni ritu inchoata, & priuilegia Imperatoria publicè recitata sunt die* 25. *Ianuarij anno* 1558.

ALTORFII *etiam Senatus amplissimus Norimbergensis circa annos Christi* 1580. *celebrem Academiam erexit.*

Idem fecit quoque LEYDENSIS *in Hollandia Senatus paulò ante hæc tempora, & undiquaque doctissimos viros ad exornandam suam Academiam accersiuit.*

Nec minore studio & feruore propagandi veram Religionem Christianissimi Principes accensi multas Particulares, *vt vocant,* Scholas *passim instituerunt, quarum aliquot & doctorum virorum copiâ, & omnium disciplinarum studiis non multum Academiis cedunt. Huius generis Scholas plurimas Illustrissimus & verè Christianus Princeps* Fridericus III. *Elector Palatinus, purioris Religionis propugnator acerrimus, per totum Palatinatum plantavit: quas postea Illustrissimus Fortissimusque Princeps Ioannes Casimirus Frideric. F. non contentus liberalissimè tutorio nomine fouit, sed & ex Parnasso Heidelbergico Musas doctissimas* Neostadium *sua ditionis oppidum traduxit, ibique pro sua liberalitate ludum literarum aperuit.*

Mauritius *etiam Saxoniæ Dux anno* 1544. *tres literarum ludos instituit,* MISSENÆ, MERSPVRGI *&* PORTÆ, *singulisq; locis certum attribuit numerum adolescentum. His omnibus victus prabetur atque vestitus, Magistris etiam annua stipendia soluuntur ex eorum Collegiorum prouentibus, in quibus aliquando monachi, inutile terræ pondus, & tantum fruges consumere nati, vixerant: studiosis conceduntur sex anni, vt ibi erudiantur.*

Genevē-fis & Ti. *His Scholis Particularibus cumprimis annumeranda sunt* GENEVENSIS, *quæ omnium fa-*

tiæ, volens corrosiones emendare, eos transcribendos dedit, scripturâ non rectè suppletâ, quapropter libros edidit erroribus plenos. Continuò autem post Apelliconis obitum Sylla, qui Athenas cepit, Bibliothecam Romam transtulit. *Hucusque Strabo.*

N... Aristoteles etiam Ægyptiorum Reges Biblio- Alexandrina.
Gesn... *inem docuisse perhibetur, qui ingentem* lerus, Lu... *rum mox conquisiverunt. Et Pto-* phus Gualthe... *cùm in animum induxisset doctrinam, & singu... & celeberrimam Bi- pretandis dexteritatem fe... rio Phalareo maxi- ipsorum in sacras literas Comm... us libris an- notissimam esse puto. Alit in hac ju... ornagnificus Senatus Tigurinus magnum nu... ingenuorum adolescentum, ex iis bonis ac proventibus, qui olim Monachis in Cœnobijs cesserunt, & ubi prima fundamenta in ea mediocriter iecerint, ad exteras Academias tanquam ad mercaturam bonorum artium mittuntur, ibi si cursum studiorum feliciter confecerint, domum revocantur, & Ecclesijs vel Scholis urbis ac agri Tigurini, qui amplissimus est, præficiuntur.*

Ex altera verò parte non minore studio Pontificij quoque ad propagandam suam religionem, Schola Pontificia.
hoc est, ad plantandas omnis generis superstitiones & cultum alienorum Deorum, Academias instituerunt eodem tempore.

Sic TREVIRENSIS, *quæ quidem antiquissima omnium Academiarum Germaniæ esse creditur, sed propter varias ejus mutationes, temporisque injuriam ferè collapsa, nuper ab Archiepiscopis Ioanne & Iacobo instaurata dicitur.*

COMPLUTENSIS *in regno Castellæ, à Francisco Ximene Archipræsule Toletano fundata est, anno* 1517. *qua non aliunde nominis celebritatem, authore Erasmo, quàm à complectendo linguas & bonas artes, sortita est.*

ANDEGAVENSEM *etiam à Ludouico* 2. *Andegavensium Duce jam olim institutam, ante paucos annos Henricus* 3. *Gallorum Rex, tum verò Andegavensium Dux quoque restituit.*

ONNEDENSIS, *sive, ut ab alijs vocatur,* Onnatensis *in Cantabria, erecta est non ante multos annos ab Abulensi Episcopo.*

OSSUNENSIS *fundata nostrâ ætate à Comite de Vrenna.*

CIMMECENSIS *in Gallia Narbonensi sive Delphinatu nostrâ etiam tempestate instituta est.*

RHEMENSIS *in Campania à Carolo Guisio Cardinale Lotharingo, & Archiepiscopo Rhemensi exstructa est, nostro seculo.*

WIRZBURGENSIS, *in Francia Orientali anno* 1403. *à Ioanne ejus loci Episcopo fundata quidem fuit, sed ob civiles controversias cùm septem annos floruisset, interijt. Eam verò superioribus annis instauravit Iulius Vuirzburgensis Episcopus, & Gregorius* 13. *ac Maximilianus Imp. magnis privilegijs honorârunt.*

DILLINGANAM *Ottho Truchsessius, Car-*

ximam simul iacturam fecit vera religio, pietas & eruditio in Occidentalibus Ecclesiis. Arserunt enim passim instructissimæ Bibliothecæ, discerpti sunt optimi authores, perierunt ac dissipatæ sunt benè constitutæ SCHOLÆ, conculcatæ sunt linguæ, & inter has Latina maximè à Gothis, gente ambitiosissimâ, corrupta fuit: cuius quidem rei nobilissimi quique eorum temporum historici meminerunt. Hinc certò certius est, per Gallias, Italiam, Hispanias, Germaniam aliaque Occidentis regna miserabilem linguarum & bonarum literarum inscitiam, ob Scholas dissipatas, & optimos authores discerptos ac laceratos, enatam esse. Benedictus itaque Vrsinus, in Vmbria Italiæ regione natus, tumultuum & bellorum pertæsus, in solitudinem abijt: in qua per diu versatus, se demum Sublacum seu Sublaqueum contulit, quod est Latinorum præclarû oppidum, lucui eodem & tamen prisco nomine proximum, distans ab vrbe circiter mille passuum 40. Hic cùm à multitudine ob sanctitatis famam frequenter adiretur, & ei solitudine nihil gratius esset, postremò eius celebritatis vitandæ causâ, Cassinum, in ea regione peruetustum oppidum, venit, vbi & Monasterium seu Cœnobium condidit, ibique sibi sedem posuit, sparsosque hinc inde per Italiam, & solivagos eo tempore monachos in id cœnobium quasi in vnum contraxit. Sed cùm locus omnibus ad eum confluentibus non sufficeret, duodecim alia Cœnobia construxisse dicitur: quorum alumnis certum quidem viuendi genus præscripsit: simul tamen eos quoque in bonis literis, & vera pietate erudiri curauit.

Benedictus Monachus Scholas in Occidente aperit rursus

Ex paruo hoc initio res hæc mox cœpit incrementa maxima, ita a vt paucis annis per Italiam, Gallias, Hispaniam aliasque prouincias plurima huius familiæ Monasteria exstructa fuerint.

A Congello etiam Bannocorensi, illustris familiæ Britanno, Monachismus Ægyptius in Britanniam introductus, vires & incrementa largissima cœpit, & ad alias etiam Europæ prouincias transmissus fuit. Habuit enim in Bannochorensi Cœnobio Philosophorum Christianorum collegium: de quo Bernhardus Clareuallensis in vita Malachiæ Hiberniensis Archiepiscopi refert, quòd primorum per Europam monasteriorum caput fuerit, & multa monachorum genuerit millia, inter quos præcipui fuerunt Gentingerus, Eluius, Brendanus, Columbanus & Gallus. Et Brendanus quidem Hiberniam & Scotiam, Columbanus autem & Gallus Burgundiam & superiorem Germaniam Monachorum habitaculis repleuerunt, vt in libro de Monachatu eiusque Origine & progressu pluribus indicauimus.

SCHOLA Bannocorensis in Anglia.

Hæc verò Monasteria seu Cœnobia per Europam non opinione meriti alicujus, aut superstitione quadam, vel etiam vt lustra essent perditorum hominum, sed bono potius consilio ac sine condita & exstructa ab initio fuerunt. Quia enim pars maxima Europæ vel nondum, vel nuper admodum ad Christianam Religionem erat conuersa, ideoque magna verorum verbi Dei Doctorum esset penuria, exstructa sunt, vt essent quasi SCHOLÆ, in quibus non pueri modò, sed adulti quoque in pietate, Religione ac bonis literis erudirentur, & inde Ecclesiis præfici possent. Ac colligit sanè Curio lib. 2. Chronol. Monasticas sodalitates adhuc Caroli Magni tempore nihil aliud quàm Ecclesiæ seminaria fuisse. Consentit cum his quæ modò diximus Bruschius, qui de Ioanne Vuenkio Abbate Heilbrunensi & insignis eius Monasterij Schola fundatore disserens, ait, Sciebat vir optimus, Monasteria non otiosis ventribus, sed literarum, sed pietatis, sed honestæ vitę studiosis initio condita ac tantâ principum liberalitate erecta & donata esse. Et Mutius in Chronico Germ. de Carolo Magno ait, Non alio proposito tot fundauit Monasteria, nisi vt juventus benè in illis instituta vtilis esset exemplo & doctrinâ hominibus, & qui in illis consenescere mundi stultitiâ & pompâ contemptâ contemplationi & orationi se tradentes statuerent, docerent morum probitatem, veramque Religionem populum. Confirmat hæc etiam Iuonis historia in Iustiniano, vbi memorat, Florum quendam Regum Francicorum procerem primarium, singulari pietate præditum, Maurum, Equitii Senatoris Romani filium, sed Benedicti Nursini discipulum, advenientem in Galliam humanissimè excepisse, & in Dei honorem Monasterium propè Aureliam exstruxisse, in quo & ipsius, & postmodum multorum nobilium liberi pietatis studiis à Mauro aliisque doctoribus imbuti fuerint. De Sturmio ex Norica regione nobilibus orto parentibus, & primo Fuldensi Abbate Bruschius scribit, quòd videns Germaniam à literis & pietate alienam, variisque & bellis & seditionibus turbatam, indolem verò Germanorum præclaram, si quem nacta esset magistrum ejus ducendæ formandæque callidum, Scholas aliquot morum & pietatis constituere meditatus sit: ac primò Hersfeldense cœnobium inchoâsse, mox Fuldense condidisse, in quo 400. habuerit discipulos, omnium disciplinarum ac professionum monumentis occupatos: Carolum etiam Magnum volentem & literis & pietati consultum, ne tot & tanta ingenia non alerentur, plurima huic cœnobio bona contulisse. Vincentius libro vigesimo tertio capit. 17. 18. & 19. testatur quoque, quòd Columbano in Lexoviense cœnobium, à se in Burgundia exstructum, multi passim discipuli discendi causâ adducti fuerint.

Monasteria Europæ ab initio Scholæ.

Heilbrunensis. Noua.

Lexoviensis. *In eodem Cœnobio Eustasius Columbani discipulus celebrem etiam Scholam habuit, ex qua plurimi Episcoporum & præsulum Ecclesiarum prodierunt. Beda quoque testatur lib. 3. cap. 3. historiæ Ecclesiasticæ*, Osvvaldum Anglorum regem multas possessiones & territoria ad instituenda Monasteria contribuisse, in quibus juventus erudiretur. *Theologiensis.* *Sic Theologiense cœnobium sub veteri Schaumburgo, Lotharingiæ Ducum castro, anno Christi 627. hoc uno fine conditum fuit, ut esset Schola & Ecclesia Theologorum, unde & nomen videtur habere, teste Bruschio de Monasterijs.* *Malmesburiensis.* *Et Maildulfus Scotus Philosophus Malmesburiense Cœnobium anno Christi 695. condidit, in quo Scholam tam Græcæ quàm Latinæ linguæ aperuit; & artes prælegit, auctore Balao Cent. 14. cap. 25. quo loco & hæc addit:* Habebant, *ait*, in Monasterijs solennioribus privatas Scholas tunc temporis prælati, futuris commodis tunc prospicientes, cùm adhuc non essent in Anglorum gente Gymnasia publica, propter sibi contrarias Britannorum & Scotorum opiniones. *Refert etiam Hedio lib. 6. cap. 9. hist. Eccles.* Doctos viros ex Græcia in Galliam venisse, & à Pipinio ac Carolo M. in Monasteria missos esse, ut Græcam linguam docerent Monachos: atque ita Egidium in Gallijs, Apollonium Ratisbonæ in Cœnobio Hemerani, Vergilium apud Salzburgenses inclaruisse scribit. *Bruschius de Monasterijs German. indicat*, Caroli M. conjugem Hildegardin *Campidonensis.* Campodinense Monasterium condidisse, eique amplissima munera contulisse, pro sustentatione nobilium ac illustrium Germaniæ virorum, qui pietatis, literarum ac Religionis studio se dederent. *Idem refert*, in *Augia divitis.* Augiam divitem (Reichenow) *nobilissimum Benedictinæ professionis monasterium*, assumptos primùm circa annum 724: tantum Principes, Comites ac Barones, ut hi educarentur illic & erudirentur in prima infantia ad adolescentiæ usque tempora: tum enim benè institutis ac liberè educatis integrum ac liberum fuisse prodire iterum, & vel uxores ducere, vel aulas Principum & militiam sequi.

Fuldensis. *In primis autem in Fuldensi Monasterio circa annos Domini* 840. *eruditio & doctrina floruit sub* Rabano Mauro *Abbate. qui discipulos plures tam in artibus, quàm in sacris literis instituit, quique multis Ecclesijs & Monasterijs præfecti fuerunt: eratque Fuldensium Monachorum celebris fama per universam propè Europam, & apud ipsos quoque Imperatores, reges ac Principes magni fiebant propter scientiam sacrarum literarum, quâ alijs excellebant. Trithemius in Chronico Hirsaugiens. Bruschius etiam de Monachis Fuldensis Cœnobij ait:* Monachi & Abbates Fuldenses literis & vitæ integritate conspicui erant, & tandem ad Archiepiscopatus Moguntini etiam gubernationem, ob insignem virtutem ac vitæ honestatem evocati sunt. *Idem de Rabano Mauro hujus loci Abbate*, Vir, *inquit*, erat in divinis scripturis eruditissimus, & scientia seculari doctissimus, Bedæ Anglici olim discipulus, & Gymnasij Parisien. Professor, Philosophus, Rhetor & Astronomus, suique temporis poëtarum nulli secundus, cui nec Italia similem nec Germania æqualem peperit. *Quibus rebus argumento* sunt tot & tanta volumina ipsius divini ingenij monumenta. Nam ut eruditionem tanti viri omnes bibliothecæ commendant, ita quantum ingenio valuerit, liber de laudibus S. Crucis Imperatori Ludovico Pio dedicatus evidentissimè probat: qui quamvis diversarum immutabili varietate figurarum mirificè sit distinctus, omnium tamen figurarum characteres quocunque vertas, certam sententiam reddunt. Bibliothecam Fuldensem tantâ librorum multitudine locupletavit; ut dinumerari vix queant. Demùm cùm se totum divinis libris scribendis dedere vellet, posthabito regimine in montem D. Petri se contulit, eoque fratres studiorum suorum æmulos collocavit, ubi Biblica Scripta omnia discipulis enarrans, Commentarijs ea in hunc usque diem exstantibus illustravit. Deinde cùm multitudo fratrum rumore piæ conversationis crevisset, aliud Monasterium in monte Ioanni Baptistæ sacrare constituit, &c. *Idem ibidem*, Erant, *inquit*, Richardi Abbatis Fulden. ætate Monachi, alij in describendis clarissimorum authorum monumentis, alij scribendis ac dictandis proprijs, alij docendi, alij discendi laboribus occupati, ut caducarum frivolarumque rerum eos facilè caperet oblivio. Erat enim Fulda pulcherrima Academia honestissimarum rerum & disciplinarum, quarum decens cum Christianæ pietatis religione collatio, mores effrenes non ferebat. Porrò ubi harum rerum friguit studium, opus fuit arctiori disciplinâ, & vitæ genere severiore, ne videlicet ignavo otio animi ad cœlestia generati torpescerent. *Idem de Sigevvardo Abbate Fulden. & ad Episcopatum Hildesheymen. vocato, circa annum* 1040. Facilis inde, *ait*, conjectura est, quantos & quales viros Schola Fuldensis enutrierit, ex qua veluti Sapientiæ, eruditionis, ac optimorum morum penu, tot Episcopi, Archiepiscopi, & Cardinales, mundo exhausto quodammodo doctorum virorum ingenijs, prodierunt: ex hoc Gymnasio Pontifices, Ecclesiarum præsules, hinc summum Imperium Senatores & con-

filiatios, hinc cæteri Principes rerum suarum tutores & curatores petebant.

Trithemius etiam in suo Chronico Hirsaugiensi satis clarè docet, Antichristum Romanum mille aut amplius annis, non tantâ crudelitate ac tyrannide in ipsis Monachorum delubris omnia, vt nunc occupasse, ac pro arbitrio statuisse, ac continuo filio illorum nomina recenset, qui Scholis monachorum per multa tempora præfuerunt, eosque Scholasticos *appellat. Exponit etiam, quæ Monachorum circa annos Christi* 840. *fuerint studia: nempe assidua ac ferveus Bibliorum sacrorum lectio, cui etiam aliarum liberalium artium studia adjunxerunt:* His temporibus, *inquit, nimirum circa annos* 840. & diu post, erat hæc consuetudo Monachorum Benedictinorum celeberrima, vt Scholæ in singulis penè Cœnobijs haberentur, quibus non seculares homines, sed monachi moribus & eruditione præficiebantur ornatissimi: qui non solùm in diuinis Scripturis docti essent, verùm etiam in Mathematica, Astronomia, Arithmetica, Geometria, Musica, Rhetorica, Poësi, & in cæteris omnibus secularis literaturæ scientijs eruditissimi haberentur. Ex his multi non solùm in Romana lingua docti erant, sed etiam in Hebraïca, Græca & Arabica peritissimi, quòd ex eorum opusculis facilè dignoscitur: quanquam vitio scriptorum, qui à primæua institutione præceptorum paulatim degenerare cœperunt, pauca exemplaria nostris temporibus emendata reperiantur. Quoties autem idoneum ad hanc subeundam prouinciam in suo Cœnobio monachorum Abbas minimè haberet, de aliquo alio Monasterio petere aptum, non erat verecundum. Maximum enim dedecus judicabat, dociles animos Monachorum negligere, quos vt moribus & literis benè instituere possent, nullis laboribus, nullis parcebant impensis. Sic namq; doctissimus ille Monachus Gemblacensis Sigebertus multo tempore in Cœnobio S. Vincentij Metensi Monachorum præceptor, quanquam de alio Monasterio, fuit. Ita Strabus Monachus Fuldensis in Hirsfeldia, Notgerus Sancti Galli, in Stabulensi Albinus Monachus, Anglicus in Fulda, Milo S. Amandi in Corbeia, atque alij complures in alijs Monasterijs docendi ad tempus tenuerunt officium. *Idem auctor de Diethmaro Abbate* VI. *Monasterij Hirsaugiensis scribens, inquit,* Magna multitudo Monachorum sub ejus regimine in hoc Cœnobio claruit, quorum aliqui sanctitate vitæ valdè fuerunt insignes, plures autem propter scientiam & doctrinam scripturarum celeberrimi nominis habiti sunt. De diuersis quoque Benedictinorum Ordinis per Germaniam Monasterijs, Monachi ad scientiam scripturarum hauriendam Hirsaugiam mittebantur: quia talis eo tempore consuetudo in Ordine nostro seruabatur, vt Monachi pro pleniori eruditione consequenda, si quis viderentur idonei, ad diuersa Monasteria instruendi mitterentur. In omnibus enim nostri Ordinis Cœnobijs in Germania & Gallia maximè Monachorum, Scholastici ex Monachis habebantur, qui juniores quoque & ingenio præstantes in primitiuis literarum scientijs erudirent: & postea qui habiles inventi fuissent ad altiora transmitterent. In solis autem famosioribus Cœnobijs, quibus & abundantia rerum temporalium erat copiosior, & Monachorum numerus major, constituebantur ad officium docendi alios, Monachi omnium doctissimi, & non solum in diuinis, sed etiam in secularibus literis eruditi: ad quos mittebantur Monachi altioribus disciplinis instituendi. Quicunque verò inter eos majoris eruditionis famam in ordine acquisiuerat, etiam plures ad se missos discipulos ad erudiendum Monachos habebat.

Trithemius de primis Monast. *NOTA.* *Hirsaugensis.*

Inter Monasteria autem hunc morem studiorum habentia, hoc tempore præcipua fuerunt, Monasterium

Fuldense,	*S. Galli,*	*Augiense,*
Hirsfeldense,	*Hirsaugiense,*	*Prumiense,*
Mediolanense,	*S. Dionysij Parisiense,*	*S. Maximi Treuerense,*
Remense,	*Altisiodorense,*	*Turonense,*
Stabulense,	*Wissenburgense,*	

in quibus omnibus erant Monachi & multi & valdè studiosi, è quorum Collegio in singulis Cœnobijs vnus cæteris in scientia scripturarum excellentior Scholasticus ponebatur. Abbates autem qui Monachos habere cupiebant in omni scientia eruditos, ad diuersa monasteria ex suis quosdam mittebant instituendos. Vtinam tale studium hodie in nostris haberetur monasterijs, quàm multa bona fierent, & infinita mala prohiberentur. Sed non omnibus inest amor scientiæ scripturarum, propterea noster ordo sacratissimus quasi sine honore jacet sepultus. *Hactenus Trithemius.*

Idem fol. 40. *Chronici Hirsaug. testatur.* Widechindum Monachum qui sub Otthone I. circa annum Domini 950. claruit, multis annis in Monasterio Scholæ Corbeiensi publicè præfuisse, & compluies post se doctissimos discipulos reliquisse, ex quibus multi ad Episcopatus & Abbatias diuersas postea fuerint assumpti: Et tamen Meginradi Scholastici Hirsaugiensis famâ celeberrimâ excitus, eò venit, vt ipsemet fatetur in libello

quem

quem de studijs veterum scripsit, tantumque ibi vidit ardorem discendi sacras potissimum literas, imò etiam tot ibi reperit doctissimos viros, vt satis nequiverit admirari: ipsumque Meginradum Scholasticum, præcipuis laudibus celebrauit, dicens, eum esse alterum Hieronymum, & nulli veterum eruditione inferiorem. Et vt summatim dicam, literas monachi discebant omnes propemodum: *vtque veteres Bibliothecæ declarant, soliti sunt mathemata & naturæ cognitionem sacris scripturarum studijs conjungere. Quam discendi rationem animaduertimus in Benedictinis sodalitijs durasse aliquantulùm vltra ætatem Hermanni Contracti Monachi & Mariani Scoti, qui eodem tempore circa annos Christi 1060. floruerunt.*

Monasteriorum multitudo vnde. *Cùm igitur Christiani Principes viderent, Monasteria ad commoda Ecclesiæ & Rerumpub. promouenda valdè prodesse, vtpote ex quibus tot casta ad maritos virgines, tot iuuenes modestiâ, & timore Domini, humanitateque præditi, tot denique eruditione vitaque integritate præstantissimi Episcopi & Pastores Ecclesiarum prodirent, factum est, vt mani pio ardentique zelo plurima hinc inde Cœnobia maximis sumptibus extruerent, eaque redditibus opibusque immodicis certatim locupletarent. Fuit hæc primorum Monasteriorum Germaniæ, Galliæ & ipsius Italiæ quoque aliarum per Europam nationum verissima Origo & vnica causa: quod ex vetustissimorum Monasteriorum Collegiorumque fundationibus, & ijs quæ de Scholis Monasteriorum hue neque in medium attulimus, facilè deprehenditur.*

Scholæ apud cathedrales Ecclesias institutæ in vna domo. *Passim quoque interea temporis laboratum est diligenter, vt apud eas Ecclesias, quas cathedra Episcopalis exornat, Schola existerent, apud quas pia iuuentus in vna simul domo & sub eodem domus præfecto, tum benignè aleretur, tum doctrinam Religionis puram hauriret. Exstant enim Canones Conciliorum qui non obscurè istud declarant. Nam Concilij Toletani 2. Canon. 1. sic habet:* De his quos voluntas parentum à primis infantiæ annis in clericatûs officio posuit, pariter statuimus, vt mox cùm Ministerio electorum traditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia à præposito sibi debeant erudiri vsq; ad annum ętatis 18. *Vbi statim annectitur Canon 2.* Similiter placuit custodire, ne quis ex eis qui tali educatione imbuuntur, qualibet occasione cogente propriam relinquentes Ecclesiam ad aliam transire præsumant. Episcopus verò qui eum suscipere absque conscientia proprij Sacerdotii forsasse præsumpserit, totius fraternitatis se reum esse nouerit. Quia durum est, vt eum quem alius rurali sensu ac feritate infantiæ exuit, alius suscipere, ac vendicare præsumat. *Hæc ibi. Hinc colligitur etiam ijs temporibus prudenter cautum, vt adolescentes illis obstringerentur Ecclesijs, atque ad virilem peruenientes ætatem inseruirent, à quibus in studijs literarum fuerant liberaliter educati. Rursus de vna domo atque præfecta in Concilio Toletano 4. anno Christi 631. iuxta Panuinium, iuxta alios 639. habito, ita sancitur:* Prona est omnis ætas ab adolescentia in malum. Nihil enim incertius quàm vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, vt si qui in clero pueri aut adolescentes existunt, omnes in vno conclavi atrij commorentur, vt lubricæ ætatis annos omninò, non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem vt magistrum doctrinæ & testem vitæ habeant. *Quæ verba habentur etiam 12. quæst. 1. c. omnis ætas. Vbi obiter etiam qualem eum esse doceat, qui domui studiosorum Theologiæ præesse olim debuit, breuiter quidem, sed grauiter tamen præscriptum cernimus.*

Post hæc tempora emerserunt cœtus Canonicorum, qui regendarum Scholarum, in quibus bonæ artes, sed omnium diligentissimè Theologia traderentur, prouinciam ad se receperunt. *Canonicorum Collegia.* *Neque enim alium in vsum instituta fuerunt initio eorum quos Canonicos vocamus Collegia, quàm vt essent Scholæ Ecclesiasticæ, in quibus tam viri quàm adolescentes & pueri dogmata sanctæ Religionis Christianæ purè addiscerent, nec non ad Ecclesiarum administrationem præformarentur. Hæc ex Eugenij 2. Rom Pontificis, qui vixit annò Domini 830. sanctione, quæ extat distinct. 37. licet cognoscere.* De quibusdam locis *(inquit)* ad nos refertur, neque Magistros, neque curam inueniri pro studio literarum. Idcirco ab vniuersis Episcopis subiectis plebibus & alijs locis, in quibus necessitas occurrit, omninò cura & diligentia habeatur, *vt Magistri & Doctores constituantur, qui studia literarum liberaliumque artium dogmata assiduè doceant: quia in his maximè diuina manifestantur atque declarantur mandata. Leo IX. quoque Pontifex Maximus, vt ab initio huius capitis indicauimus etiam, circa annos reparatæ salutis 1040. Scholas vt Canonici instituant easque gubernent mandare valens, præcepit,* vt iuxta Ecclesiam claustra constituantur, in quibus Clerici disciplinis Ecclesiasticis vacent: vtque omnibus vnum sit Refectorium ac Dormitorium, seu cæteræ officinæ ad vsus Clericorum necessariæ: & vt ministri etiam post Episcopum super eos eligantur, quorum vita atque doctrina illos potius exornet, quàm dehonestet, *vt extat 12. quæst. 1. Congruit cum his constitutio quæ habetur de Consecratione distinct. 5. transcripta ex libro quinque capitulorum:* In omnibus igitur decernimus, vt Canonici Clerici canonicè viuant, obseruantes diuinæ doctrinam scripturæ, & documenta sanctorum

ctorum Patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui vel magistri incompositè gerere præsumant. In vnoquoque Episcopatu simul manducent & dormiant, vbi his facultas id faciendi suppetit. Qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt, in vno claustro maneant, & singulis diebus mane primâ horâ ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam verò similiter lectionem audiant, & obedientiam secundum canones suis ministris faciant. *Huc etiam pertinet Gregorij VII. Decretalis de vita & honestate Clericorum, vbi de Scholis Canonicorum ita præcipit*, statuimus, vt facultatibus Ecclesiarum vestrarum proventibus & expensis diligenter inspectis, certum in ijs valearis ponere numerum Clericorum, & statuere, vt bona eorum veniant in commune, in vna domo vescantur, atque sub vno tecto dormiant & quiescant. *Post aliquot etiam annorum curricula, id est, anno* 1215. *celebratum est Concilium Lateranense Magnum, in quo convenientes Patres, atque considerantes, quantum malum in Ecclesia natum sit ex neglectis & prolapsis Scholis Theologicis, jusserunt Canonicos*, Scholas vbique reparare, Theologiæ Professores alere, ijsdemque præbendas assignare, quarum reditibus se commodâ sustentarent.

Scholæ extra Monasteria.

*Non cessarunt quoque interea temporis studia literarum etiam in Academijs, quæ vel jam antea, vel nunc demùm ab Imperatoribus alijsque Magistratibus de novo instituta fuerant. Refert enim Sabellicus Enne.*8. *lib.*2. Athalaricum Romanos & vniversam Italiam ad bonarum literarum artiumque studia adhortatum fuisse, & præceptoribus annua stipendia constituisse.

Parisina Schola.

Carolus M. quoque studia publica liberalium artium ac disciplinarum, quæ propter diuturna & gravia bella diu in Gallia oppressa jacuerant, resuscitare volens, vt erat Princeps literatus, nec non propagandæ religionis Christianæ pro virili sua studiosus, PARISIENSEM *Academiam instituisse anno* 791. *hoc occasione dicitur. Ex Scotia in Galliam venerant Claudius, Ioannes Rabanus, & Alcuinus, qui & Albinus, omnes olim Bedæ discipuli: qui se nihil aliud præter bonas literas, artes & sapientiam è patria exportâsse profitebantur, eamque venalem se habere. Re ad Carolum delatâ jussu ejus vocantur, eidemque profitentur liberè gratis etiam se docturos, si modo eis locus & alimenta præbeantur. Accepit Rex conditionem, & nobilissimum totoque in orbe celeberrimum Parisiis Gymnasium aperuit, ibique Alcuinum (qui postea Caroli M. amicus & magister fuit) & Claudium (cui nomen Clemens) primarios Doctores constituit, ac primus author fuit, vt pura doctrina verbi Dei, artesque liberales, propagandam Religionem Christianam ibi traderentur. Hanc Scholam à se sic institutam, tantâ proventuum & possessionum amplitudine ipsum locupletâsse etiam, quantum vix omnes Galliæ & Germaniæ, quæ inde postea natæ sunt, Academiæ possent æquare, Curio libro secundo, Chronic. testatur. Eandem, nostrâ ætate omni genere disciplinarum, doctissimisque viris sic exornavit Franciscus Valesius, vt tanquam opulentissimum totius orbis emporium, brevi florentissimam reddiderit, longeque adhuc celebriorem facturus fuisset, nisi & bellis ferè continuis, & morte præventus fuisset.*

Nec diu post idem Carolus PAPIENSEM *Academiam, misso illuc Ioanne Mailrosio, Claudij & Alcuini socio, quoque fundavit, primumque, vt nonnullis videtur, ei Rectorem dedit: Polyd lib.*4. *de Anglis. Hanc Galeatius* 2. *Vicecomes Caroli* 4. *Imp. authoritate, restituit, teste P. Ionio in vita Galeatij.*

Papiensis Schola.

PATAVIUM *quoque licet jam antea splendore artium celebre fuerit, tamen Academiam ibi instituisse idem Imperator creditur circa annos Domini* 791. *Etsi Leander omnium disciplinarum Scholam Patavij esse scribat à Friderico* 2. *Imp. in Bononiensium contumeliam institutam.*

Patavina Schola.

OSNABVRGI & REGINOBVRGI *etiam in Saxonia Scholas aperuit Carolus ibique Græcam & Latinam linguam doceri præcepit, Cranzio authore lib.* 1. *capite secundo, Metrop. Aventino libro* 3. *& Polyd. libro quarto. Et in Cabillonensi Synodo mandavit*, vt Scholas Episcopi constituant, in quibus literariâ solertiâ disciplinæ & sacræ scripturæ documenta discantur: & tales ibi erudiantur, quibus meritò dici possit, Vos estis sal terræ. *Immortali ergo gloriâ dignissimus est hic Imperator ob tantum lumen sapientiæ literariæ in terris accensum.*

Osnaburgen. & Reginoburgen. Scholæ.

Mirificè autem Carolum M. erga Scholas affectum, & artes liberales studiosissimè coluisse non tantum ex his apparet, sed etiam Aventinus lib. 4. *Annalium his verbis refert.* Cùm aliquando in Galliam reversus fuisset, pueros quos Clementi Scoto in Parisiensi Academia erudiendos commiserat, Epistolis, Versibus, Carminibus, Orationibus, Panegyricis scriptis, vt periculum de eorum ingenijs atque idole faceret, sibi exhiberi jussit. Vbi tenuioris fortunæ juvenes præter spem multum profecisse, nobiles verò gaudijs corporis deditos, cultum animi neglexisse deprehendisset, illis ad dexteram segregatis: Vos quidem macti virtute, *inquit*, estote filioli pientissimi, qui nostro imperio graviter defuncti estis, vestra erunt Sacerdotia locupletissima, & Pontificatus maximi. Ego vos in aulam asciscam: ex vobis Senatores cooptabo: vos in album præto-

Nutapici tatum Caroli M.

Digitized by Google

prætorum & patrum curiam allegam. De inde ad nobilium liberos, quos à læua collocârat, vultu haud iram dissimulans, ait, At vos comatuli, & delicatuli, freti opibus, & splendore parentum, nostram majestatem conspreuistis, vitia, otia, luxum & inertiam bonis literis virtutibus contempto decreto nostro: prætulistis, jubeo, & Deum immortalem testor, nihil penitus commodi, honoris, ne obulum quidem ab Imperatore vestro, cujus jussa aspernati estis, exspectate: faxim vt omnibus mortalibus ludibrio viuatis: & in vos exempla edam, nisi resipueritis, & negligentiam diligentiâ expiaueritis.

Oxoniensis Schola. *In Anglia quoque Caroli Imp. pietatem & studium erga bonas literas imitatus* Alphredus *siue* Alvredus *Rex anno Domini* 87: *vel vt alijs placet* 895. OXONIENSEM *Academiam primò fundauit, quæ in Clementina I. Extra de Magistris, inter præcipuas orbis Christiani Academias refertur: Polyd. lib.* 5. *Anglia historia.*

Scholæ in Monasterijs euersæ. *Hæc verò omnia quæcunque salubriter se instituta erant à priscis Collegiorum à Monasteriorum Præsidibus: & longo tempore per sancte custodita, ignorantia, superstitio & hypocrisis Monachorum fœdissimè peruertit, corrupit & adulterauit post millesimum à nato in carne Christo annum. Nam ex ædibus studiosorum publicis ac liberis fecerunt carceres, in quibus iuventus & boni viri misere excarnificantur rebus stultis & impijs. Non enim contenti Christi præceptis, superstitiosas quasdam & ab hominibus excogitatas, verbo etiam Dei contrarias Regulas contexuerunt, & ad earum normam iuventutem viuere coëgerunt. Iuuentus est mire prodigiosus & hypocriticus vestium habitus, ciborum delectus & jeiunia plus quàm superstitiosa. Bona hora non amplius studio sacrarum literarum liberaliumque artium sunt tributæ, sed lectionibus tantummodò, imò cantui & vlulatui cuidam: quo factum est, vt paucissimi quid legerint aut cecinerint, non intellexerint, nullusque adeò hinc ad Ecclesiam insani tumultus & clamoris vsus seu vtilitas pervenerit. Quæ quidem stupiditas paulatim ita inualuit in Monachorum lustris, vt prouerbio locum dederit* Monacho indoctior, *quod in homines illiteratos, indoctos stupidos ac veluti communi sensu destitutos vulgo dicitur.*

Studia in Academijs perierunt. *Sed & eruditio, atque liberalium artium & disciplinarum studia in Scholis quoque publicis non nihil eodem tempore frigere & collabi cœperunt.*

Scholæ instauratæ. *Cùm ergo studia bonarum artium passim collapsa, & verbi Dei doctrina, adeoque vera religio & pietas profligata esset, monachique pro literis vel Mauortia arma tractarent, vel ceremonijs humanis alijsque rebus friuolis occuparentur, pij Principes & magistratus huic pestilentissimo Ecclesiæ & Reipub. Christianæ morbo mederi cupientes, per vniuersum orbem certatim Academias & Scholas non tantum veteres restaurârunt, sed plurimas quoque de nouo instituerunt, easque magnâ & incredibili propè liberalitate fouerunt: vt videas Principes seculares maiori studio propagandæ Religionis flagrâsse, quàm eos quibus ea cura à Deo potissimum demandata erat. Hac enim occasione hæ subsequentes Academiæ fundatæ ac institutæ dicuntur.*

MONTISPESSVLANA *olim ob Iurisprudentiam, hodiè verò ob Medicinæ studia celeberrima, anno Christi* 1196. *exorta à quibusdam dicitur: quæ progressu temporis Galliæ Regum munificentiâ mirificè promota fuit.*

VIENNENSEM *Academiam Fridericus II. Imperator anno Domini* 1237. *instituit: quæ post aliquod annos ab Austriæ Principibus Bursis, vt vocant, & Collegijs egregiè exornata fuit. Gassar. in Epit. Chron.*

NEAPOLITANA *Schola jam olim quidem ob literarum studia celeberrima, sed prorsus collapsa, ab eodem Imp. Augusto non solùm instituta & fundata, sed & amplissimis priuilegijs ornata est, vt Collenutius refert. Ad eam ex toto regno studiosorum maximus concursus factus est. Decreuerat enim Fridericus Imp. ne quis extra illud regnum studiorum causâ proficisceretur: neue in triuialibus regni Scholis majoris disciplinæ traderentur, vt hoc pacto hanc Accademiam celeberrimam redderet. Post centum verò annos quàm Fridericus eam instituerat Robertus Rex illam instaurauit, & post centum ferè alios annos Alphonsus Arragonius, nonnihil collapsam restituit.*

PERVSINA *Academia circa annos Christi* 1290. *instituta dicitur, ijsdemque priuilegijs ornata, quæ in L. vnica. C. de professoribus Constantinopolitanæ Academiæ tribuuntur. Iurisprudentia in ea floret.*

AVRELIANENSIS *à Gallorum Rege Philippo cognomento Pulchro anno Christi* 1312. *fundata est: Iuris prudentiæ studio olim florentissima: Æmil. lib.* 8.

FERRARIENSIS *ab Alberta Ferrariæ Duce instituta est anno Domini* 1316. *confirmata verò à Bonifacio VIII. Papa: eam illustrissimi Principes Ferrarienses ita exornârunt progressu temporis pro sua egregia erga bonas literas voluntate, vt vel inter præcipuas Italiæ Academias numerata sit.*

PISANA *Academia annô Salutis reparatâ* 1339. *fundata est: sed cum deserta jacuisset annos propè* 150. *Laurentius Mediceus Petri F. eam restaurauit, egregieque promouit, doctos viros præmijs amplissimis excitauit, qui in hac Schola Iurisprudentiam, Philosophiam, & cæteras liberales*

berales artes docerent. Brutus lib. 8. histo. Florent.

Heidelbergensis *à Ruperto II. Comite Palatino anno Christi* 1346. *erecta est, in qua multi doctissimi viri in omni scientiarum genere jam inde ab initio in hunc vsque diem docuerunt.*

Andegavensem *Ludovicus II. Andegauensium Dux instituit, eodem ferè tempore quo Heidelbergensis à Ruperto Palatino erecta est.*

Pragensem *in Boëmia Carolus IV. Imp. anno Domini* 1360. *instituit, vt Cromerus testatur lib.* 12. *Rerum Polonicarum, vel* 1370. *juxta Æneam Syluium de gestis Boëm. Hanc penè collapsam restaurârunt Ferdinandus I. & Maximilianus II. Imperatores. Fuit hæc prima quæ sese Antichristi tyrannidi & erroribus opponere ausa sit.*

Cracoviensem *Academiam in Polonia anno salutis reparatæ* 1361. *inchoauit Casimirus Rex: sed demùm anno* 1400. *instaurata est, cùm hactenus obscura fuisset: à quo tempore S. S. Theologia, artes Mathematicæ, & humaniores literæ in primis in ea floruerunt. Cromerus lib.* 12.

Coloniæ *Agrippinæ etsi ab antiquo studia liberalium artium floruerint, tamen ibi anno Christi* 1388. *Vrbanus VI. Papa publicam omnium doctrinarum Academiam permisit institui, eademque ei quæ Lutetiæ Parisiorum habebat, libenter concessit priuilegia. Florent in ea quatuor primariæ facultates, Theologia nimirum, vtrunque Ius, Medicina, & Philosophia, quæ etiam Mathematicam, Poësin & linguas complectitur.*

Erdfordiensis *in Thuringia anno Domini* 1391. *fundata creditur, quam deinde Bonifacius IX. & Pius II. Pontifices Max. multis priuilegijs honorârunt.*

Salmantina *in regno Castellæ celeberrima Schola anno reparatæ salutis* 1404. *instituta dicitur, à Benedicto XIII. tempore schismatis varijsque Pontificum Rom. & Regum priuilegijs honorata.*

Lipsensis *in Misnia anno Domini* 1408. *ex Pragensi Academia nata à Pio II. autem & Alexandro V. Pont. Rom. magnis priuilegijs decorata, & à Georgio Duce Saxoniæ nonnihil collapsa, restituta est.*

Ingelstadiensis *anno Christi* 1410. *ex Viennensi initium sumpsit: cui Ludouicus Bavariæ Dux à Pio II. Pontifice Max. priuilegia multa impetrauit: eamque Ernestus itidem Bavariæ Regulus mirificè fouit, excoluit & ditauit.*

Taurinensem *vniuersitatem instituit Ludovicus Sabaudiæ Princeps, circa annos Domini* 1410. *impetrato priuilegij diplomate à Benedicto XI. Ioanne XXIV. & Sigismundo Cæsare. Philibertus Pingonius in Arbore gentilitia Principum Sabaudiæ.*

Rostochianæ *Megapolitani Duces Ioannes & Albertus anno Domini* 1415. *à Ioanne XXIII. egregia priuilegia impetrârunt: sed demùm anno* 1419. *florere cœpit.*

Cadomensis *in Normandia anno salutis* 1418. *à Ioanne V. Anglorum Rege instituta est.*

Lovaniensi *Scholæ Ioannes Dux Brabantiæ à Martino V. Papa studij generalis impetrauit priuilegia: ibique anno Domini* 1426. *omnis generis artes & disciplinæ doceri cœperunt tantâ diligentiâ, vt mox celeberrima euaserit. Sunt in ea quatuor Collegia disciplinarum omnium referta doctoribus,* Lilium *scilicet*, Falconum, Castrense, & Portium, *in quibus veteri instituto, honestis atque ingenuus, quos egestas presserit, in aliquot annos ad capiendum ingenij cultum, alimenta publicè præbentur.*

Florentina *à Cosmo Magno studiorum patrono & instauratore circa annos* 1438. *pristino nitori restituta fuit.*

Grisvvaldensis *in Pomerania ab Vratislao IX. Duce inchoata anno salutis* 1456. *& nonnihil collapsa à Philippo Pomerano restaurata est anno* 1547. *Munster. in Chron.*

Fribvrgensis *in Brisgoia ab Alberto Austriæ Duce circa annos Christi* 1460. *vel vt alij volunt anno* 1450. *fundata est.*

Basiliensis *Academia anno Domini* 1460. *à Pio II. Pontifice instituta, & ijsdem priuilegijs, quibus reliquæ per Germaniam gaudent Vniuersitates, exornata fuit, cui tantum splendoris accessit anno* 1489. *&* 1490. *vt multis tum demùm instituta videatur.*

Tvbingensis *Academia anno Christi* 1477. *incepta quidem, verùm anno* 1522. *ab Eberhardo primo* Wirtenbergensi *Duce sic exculta est, vt ab eo etiam quasi de nouo instituta videri possit.*

Mogvntinam *Dietherus Isenburgius ejus loci Archiepiscopus circa annos Domini* 1482. *instituit: cumque in hunc finem exstructa fuerit, vt omnes genus literarum in ea floreret, Theologia tamen præcipuè in ea semper tradita fuit.*

Sunt denique plures aliæ passim in orbe Christiano institutæ ijsdem temporibus Academiæ seu Scholæ celeberrimæ quo anno autem, & à quibus id factum sit, certò inuenire non potui. Harum in numero sunt Mediolanensis*:* Salernitana*:* Senensis*:* Veneta*:* Bergomensis*:* Mantuana*:* Placentina*:* Anconitana*:* Maceratensis*:* Parmensis*:* Syracusana*:* Messana*:* Panormitana*:* Carinensis in Italia. Avinionensis*:* Biturigensis*:* Burdigalensis*:* Lugdunensis*:* Pictauiensis*:* Tolosana*:* Caturcensis in Gallia: Cæsar Augustana in Arragonia: Compostellana in Gallia: Granatensis in regno Bætico*:* Hispalensis*:*

lensis: Toletana. Valentina. *Et plurimæ Scholæ triuiales hinc inde institutæ simul reperiuntur, vbi vel primo artium atque linguarum rudimenta cum pietate & bonis moribus addisceret iuventus, & majorum disciplinarum, quæ in Academijs traduntur, idonei auditores præpararentur.*

De Origine & Progressu *Scholasticæ* THEOLOGIÆ.

F*Loruerunt in Scholis mediocriter humaniores literæ ac disciplinæ: vtcunque etiam Iurisprudentia cum Medicina in ijs tradebatur. Vera autem Theologia, eius nimirum, quæ ex limpidissimis fontibus verbi Dei & orthodoxis Patribus primitiuæ Ecclesiæ peteretur, studium sensim in ijs frigere, aboleri, & demùm prorsus euanescere cœpit: abiectâ enim verbi Dei & veterum Patrum purâ doctrinâ de Christi officijs, de peccato originis, de Evangelio, de Lege, de Gratia, de iustificatione gratuita per fidem in Christum, de vero vsu Sacramentorum deque alijs fidei articulis, noua excogitârunt dogmata de Meritis operum, de inuocatione Sanctorum, de vi operis operati, de primatu Papæ, de purgatorio, deque similibus, vtque irretirent facilius animos simplicium, placita tantum Romanorum Pontificum & Aristotelis scripta, præsertim verò Metaphysicorum libros in Scholis Theologiæ Candidatis præposuerunt, & explicârunt, augustissimisque sacrarum literarum arcanis non dico compârunt, sed longe prætulerunt: ipsosque adeò Pontifices Romanos cum suo Aristotele velut Prophetas aut Apostolos coluerunt: nec eximij angelici aut etiam seraphici Theologi gloriam merebatur, nisi qui Pontificum Max. decreto, Aristotelem, aut etiam aliorum hominum placito & scripta plenis, quod dicitur, buccis, in Theologorum Scholis sonare & crepare posset.*

Prima Theologia Scholastica.

Primas cœpit hoc malum radices agere in Scholis Theologorum circa annos Salutis 1020. *hoc occasione, vt diligenter annotat Lambertus Danæus in suis ad librum* 1. *Sententiarum Lombardi Commentarij Prolegomenis. Verbi Dei & D. Augustini sententia ac doctrina cùm in alijs articulis, tùm verò de Sacramento Cœnæ Domini inter Christianos quosque doctissimos hucusque obtinuerat. Circa hæc verò tempora mysterium illud iniquitatis operari, & horrendum illum de Transsubstantiatione errorem, fontem aliorum infinitorum parturire cœpit. Ei verò se constantissimè opposuit Berengarius Andegauensium Archidiaconus, vir eo tempore eruditissimus, & verbi Dei saniorumque Patrum ea de re sententiam summâ ope defendit. Hunc autem acerrimè impugnauit Lanfrancus Italus, & Papiensis Scholæ Doctor, ac facilè, quoniam fatale illud tempus aderat, quo cuncta in Ecclesia in peius ruere debebant, suâ suorumque asseclarum authoritate effecit, vt non solùm prior illa sententia prætermitteretur negligereturque, sed & Berengarius suam reuocare & Psalmodiam immanis Nicolai Papæ tyrannidi canere in Concilio Vercellensi cogeretur. Quod ita hominum animos percussit, vt inde omnes, verbo Dei spreto & orthodoxorum Patrum scriptis neglectis, aut eatenus probatis, quatenus opinionibus jam vulgò receptis suffragarentur, in eam doctrinam jurarent, quæ Pontificum Rom. Decreta & Ritus in Ecclesia receptos, defendebat. Ex hoc fonte innumerabiles disputationes mox ortæ, intricatæ quæstiones motæ, & tandem de his ipsis rebus extra & contra verbum Dei regula, veluti Dei ipsius oraculo tradita, libri conscripti & contentiones susceptæ sunt. Ne verò hæc nupera seu noua viderentur, verbum Dei veterumque Patrum scripta quoque ad ea quacunque ratione accommodata fuerunt. Hoc modo nata, conflata & Scholastica Theologica, & sola pro vera habita fuit.*

Contigerunt hæc ab anno Domini 1020. *ad annos vsque* 1126. *quo tempore* Irnerius *summæ authoritatis vir author fuerat Lothario Imp. vt præciperet ius Romanum quod vulgò* Ius Ciuile *vocant, & quo ante aduentum Longobardorum Italia semper vsa fuerat, proferri rursus, & ex eo caussas dijudicari, curaret item Romæ & Bononiæ sicut Constantinopoli idem publicè prælegi. Feruere igitur cœpit recens excitatum studium Iuris Ciuilis, certatim in id incumbentibus Italicis & Germanicis ingenijs. Hac pacto factum est, vt Theologiæ studium, vt tum erat, à plerisque negligeretur, nec ferè alij quàm pauci Monachi ei inhærerent: deinde quia leges Romanæ Imperatoriam majestatem muniebant atque ornabant, videbatur ea res ingentem cladem, ac tantùm non ruinam non solum Theologiæ isti, sed etiam recenti nec dum satis confirmatæ Romanorum Pontificum tyrannidi minitari.*

Gratiani Decretū.

Gratianus *igitur Monachus his afflictis suæ partis rebus opem laturus, ex aduerso legum Pontificiarum volumen congessit, circa annos Christi* 1150. *quod* Decretorum opus *nominatur, & hodiè pro prima parte Iuris Canonici habetur. In eo Hierarchiam & Tyrannidem Roman. Pontificis propugnandam susceperat ex Canonum Decretis, non minori contentione quàm cæteri Imperatoriam potestatem ex sacris literis & iure Roman. tuebantur. In hunc finem excerpti sunt Canones in hoc volumine ex quatuor potissimùm scriptorum generibus: atque alij quidem ex Conciliis & Synodis: alii verò ex responsis siue Epistolis decretalibus Pontificum: alii deinde ex Commentoriis & opusculis Patrum, vt Augustini, Hieronymi, Ambrosii & similium: alii denique ex historiis Ecclesiasticis: aspergit alicubi nonnulla, sed parcius, ex legi-*

Iudicium de Gratiani Decreto.

bus Imperatorijs, sed eâ fide, vt magno cum judicio hæc omnia legenda sint, multa siquidem falsa, commentitia & notha recitat, tùm vera impudenter, malitiosè, fallaciter & impiè corrumpit: sæpenumerò turpiter errat in authorum & librorum inscriptionibus, Hieronymo ascribit quod tribuendum erat Augustino aut simili: ex vno aliquo Concilio profert Canonem, qui tamen alterius est: titulum facit de Epistola decretali alicujus Pontificis, in cujus tamen rescriptis aut mandatis nihil tale legitur: qua de re, totoque adeò hoc Gratiani Decretorum volumine vide Hyperium de Studio Theologico lib. 4. cap. 5. Et tamen tanto applausu acceptum approbatúmque fuit à Romanis Pontificibus, vt mox Eugenius III. secundum Gratiani Decretorum Canones in Consistorijs judicare *præceperit: vnde etiam liber hic nouis Iuris consultorum Italicorum* Summis *tanquam locupletissimus thesaurus illustratus, & omnibus alijs scriptoribus prælatus est.*

Petri Lombardi sententiarũ libri Comestor

Sequutus mox est Gratianum Petrus Lombardus *Episcopus Parisiensis, itemque* Comestor*: quorum hic quidem vtriusque Testamenti Historiam consarcinauit Ecclesiasticam, eamque glossis ejus ætatis, tùm falsissimis, tùm insulsissimis refercivit, quæ tamen ita tum vbique obtinuit, vt ipsi Scripturæ sacræ penè præferretur: ille verò Gratiani exemplum imitari voluit, licet in dissimili planè argumento. Nam in Theologia versari ipse maluit, quàm in forensibus litigiosisque quæstionibus. Itaque Scholasticæ Theologiæ, qualis tunc erat, fundamenta in quatuor libros, qui* Sententiarum *dicuntur congessit. Hi quatuor libri, non ex viua verbi Dei scaturigine, sed Patrum duntaxat lacunis, fuerunt postea totius Scholasticæ doctrinæ basis & fundamentum: Vnde ipse etiam* Magister Sententiarum *vulgò in Scholis appellari cæpit.*

Magister Sententiarum

Cyrilli Euangelium nouum.

Circa annos etiam 1190. Cyrillus *quidam Monachus Carmelita, rejecto Euangelio Christi æterni Filij Dei, quasi ad tempus dato instar Mosaicæ legis, nouum fabricauit ex veteribus Origenis erroribus, quod* æternum Evangelium *vocārunt, idque comparatum ad Evangelium Christi, tanto plus perfectionis ac dignitatis habere, quantum Sol ad Lunam comparatus & ad nucleum testa, blasphemè dixerunt. Hoc Evangelium verò tantopere ipsis probabatur, quòd dogmata Scholasticorum confirmaret, ceremonias & ritus superstitiosos Romanæ Ecclesiæ, nec non & Monachorum Ordines, regulas, studia instituta, & quicquid ejus fuit generis approbaret. Cuius tamen commenti tandem ipsummet etiam Satanam ita puduit, vt Alexander IV. Pontifex Roman. istud Vulcano tradendum præceperit, Platinâ & Balæo authoribus.*

Hac ætate Hugo sancto Victore *habitus tum doctissimus circa annos Domini* 1120. *primùm librum edidit, quem* Summam *suarum* sententiarum *inscripsit. Hinc* Summæ, & Summarum Theologicarum libri, & Summistæ Theologi *originem habent.*

Hugo de S Victore eiusque Summa sententiarum.

Guilielmus Abbas S. Theodorici.

Post paulò Guilielmus Abbas S. Theodorici *primus scripsit* Sententiarum fidei *librum vnum circa annos Domini* 1140. *Hinc* Sententiæ & Sententiarum libri, & Sententiarij Theologi *exorti sunt, inter quos Petrus Lombardus facilè principatum tenet. Et hæc quidem fuerunt initia prima Scholasticæ Theologiæ ab anno Domini* 1020. *vsque ad annum* 1220. *quo temporis spatio,* Philosophia secularis sacram Theologiam suâ curiositate fœdare cœpit, *vt Trithemius ait.*

Quæ hucusque de Scholastica Theologiæ initio & prima Origine diximus, confirmat quidem recens Pontificiorum scriptor Sixtus Senensis *qui haud obscurè profitetur quoque, tam ex Theologia sacra & Philosophia Peripatetica conflatam, istoque consilio inventam, vt quia præ studijs legum sub Lothario II. Imp. florescentibus, sacræ scripturæ cognitio frigescere, & contemni cœpisset, Monachi quidam & clerici ad commendandum studium Theologicum hanc rationem Philosophicam tractandarum scripturarum invenerint, quâ commendabilem Theologiam Scholis redderent. At verò illa ad splendorem sacrarum literarum adeò nihil attulit, vt potius omnem earum dignitatem obscurauerit, & pro mentibus hominum pietate informandis, importunâ loquacitate & impotenti quadam rixandi cupiditate omnes instruxerit.*

Scholastica Theologia media. Albertus M.

Sequitur tum Media Scholastica priore illâ longè deterior, quæ durauit ab anni Christi 1220. *ad annum vsque* 1330. *& habuit* Albertum M. *veluti parentem & authorem. Is philosophiam humanam, in primisque Aristotelicam in ipsa adyta Scholarum Theologicarum & penetralia Ecclesiarum intromisit, & in supremo ibi controuersarum quæstionum dijudicandarum ac decidendarum gradu & throno, ceu Reginam quandam collocauit. Quæ tamen non ita à me accipi velim, quasi Philosophiam humanam contemnem, quam singulare Dei donum esse agnosco, sed saltem* ministram, *non* Dominam veræ Theologiæ *eam esse debere iudicio, illudque reprehendo, quòd ei cùm magna Religionis pernitie, Principatum in Schola Christi concesserunt, & de possessione hæreditaria Christum depellentes, regnum Aristoteli tradiderunt. Superior enim Scholastica Patrum quidem, sed Ecclesiasticorum duntaxat scripta ac dicta verbo Dei exæquauit: hæc verò vlterius progressa, Aristotelis etiam scripta verbo diuino in omnibus comparauit: vt quæ vestigia exigua illius ergà verbum Dei reuerentiæ in Theologorum Scholis restarent adhuc, ab hac penitus deleta & conculcata fuerint. Cùm enim errores & abusus vel recepti*

cepti co suetudine, vel à Pontificibus approbati tueri defendique non possunt, si ad verbi Dei lydium lapidem examinarentur: alia fuerunt quærenda præsidia, & humanis somniis straminea substrata sunt fundamenta. In hac igitur non Prophetarum, non Christi, non Apostolorum, non denique Augustini, Hieronymi, Ambrosij & similium, sed Aristotelis tantum mentio fit, ejus nomen primo semper loco ponitur, ejusque scripta pro apodicticis, verbum autem Dei pro opinione probabili habetur, vt ex Occami Centilogio apparet. Hinc euenit, vt qui illis temporibus pro insigni Theologo seu Doctore haberi cuperet, non in sacras literas, sed Aristotelis libros Commentaria scriberet. Fecit hoc primus Albertus Magnus, *& eum deinde secutus* Thomas Aquinas, *alijque non pauci: quo tempore simul farragines de* vnitate formæ & intellectûs, *de* vniuersalibus, *de* Entitate *deque* Idæis *sunt consuta. Quæstiones quoque partim absurdæ, partim verò impiæ ac blasphemæ sunt motæ ac propositæ. Et hæc quidem istorum Temporum fuit Theologia, in qua excolenda mirè sudârunt ingenia hominum. Vtque totius Galliæ Academia celeberrima & florentissima hoc malum maturè intra sua viscera reciperet etiam, hac ætate, hoc est, anno Domini 1253. Robertus Comes Druydum frater Ludouici regis, Lutetiæ* SORBONAM *instituit atque fundauit: Titius in Chron. Francorum.*

Thomas Aquinas.

Sorbona Parisiensis.

Interea verò temporis non cessârunt Canonistæ *etiam, sed in euehenda Pontificum Roman. authoritate strenuè laborârunt, ad imitationem Gratiani.* Reimundus *enim* Barchinonensis *quidam Monachus Hispanus circa annos 1230. jussu Gregorij IX.* DECRETALES *edidit: in quibus ne verbulum quidem exstat de institutis veteris Ecclesiæ, nihil in iis habetur ex Sacra Scriptura, nihil ex antiquis Historiis, nihil ex sanctorum Patrum libris, sed noua sunt planè omnia, nec Theologis & Ecclesiarum ministris, sed leguleis & causidicis ad propugnandam Pontificum Rom. immanem Tyrannidem accommodata. Hos etiam Decretales in Scholis publicè prælegi & explicari præcepit idem Gregorius. Vidit enim homo vaferrimus, Imperatoribus Rom. tam infensis animis renitentibus, Pontificatum suum ægrè confirmatum iri, nisi legibus latis, ac his quoque cum authoritate promulgatis, ac in Scholas ac judicia introductis. Vnde in Præfatione,* Volentes, *inquit,* vt hac tantum compilatione vniuersi vtantur, in judicijs & Scholis, districtiusque prohibemus, ne quis præsumat aliam facere absque authoritate sedis Apostolicæ. *Legat qui vult, quid de his decretalibus indicet Marsilius Patauinus in Defensore pacis, Dictione 2. capite 24. & 25. & Hyperius de studio Theologico libro quarto, capite sexto. Illustrauit hos libros Decretalium* Accursius *glossulis.*

Canonistæ.

Reimundus Barchinonensis. Decretales Gregorii.

Accursius.

Hinc Bonifacius VIII. anno 1295. in Concilio Lugdunensi SEXTVM DECRETALIVM *confirmauit, suo jussu à tribus doctis viris, vt Platina habet, compilatum, eundemque mandauit quoque passim in Scholis prælegi & explicari: est autem ejusdem cum superiore moneta.*

Sextus Decretalium.

Clemens V. superaddidit anno 1308. in Concilio Viennensi librum Clementinarum *à se compositum, qui quartam partem Iuris pontificii efficit, ac in Scholis similiter prælegendum exhibuit, vt Trithemius in Chron. Hirsaugien. refert. Auentinus tamen libro septimo, Annal. & Nauclerus indicant, Clementem hunc librum, quòd multa, quæ simplicitati Christianæ, & libertati religionis imponerent, in eo continerentur, publicare supersedisse, atque animam agentem comburi mandâsse. Sequutus enim Gregorium IX. & Bonifacium VIII. multas in eo tulit oligarchicas leges contra Imperatorem Rom. aliosque magistratus. Ioannes 22. autem eum approbauit & publicauit.*

Clementinæ.

His omnibus postremo loco quasi appendix annexa est cùm à diuersis Pontificibus, tùm verò maximè à Ioanne XXII anno 1320. series quædam constitutionum quas EXTRAVAGANTES *vocant. Hac ratione ex canonum exigua scaturigine à Gratiano collectorum, in vastum quendam Oceanum videtur jus Canonicum accessione temporis inundâsse. In eo quo progredimur longius, eò offendimus canones à pietate & syncera Religione longius degenerantes.*

Extrauagantes.

Sed tempus postulare videtur, vt ad vltimum Scholasticæ Theologiæ genus accedamus. Durauit id ab anno Christi Servatoris 1330. ad annum 1515. fuitque longè deterrimum impudentissimumque: modestia enim quæ in prioribus duobus generibus remanserat, ista ætate penitùs sublata est. Quæ enim etiam in Media Scholastica adhuc in quadam deliberatione & quæstione posita fuerant, vtrum scilicet Papa Roman. sit simplex homo, an quasi Deus? An particeps vtriusque naturæ (proh scelus) cum Christo? de ejus potestate supra Concilium: de Virginis Mariæ immunitate à peccato & similibus, de his certa quædam definire seu determinare cœperunt, suasque definitiones pro articulis fidei haberi voluerunt: denique nihil tam fuit superioribus visum seculis impium, blasphemum, ineptum & erroneum, quod hæc ætas suis subtilitatibus, argutiis, distinctionibus, sophismatis, exceptionibus & oppositionibus non ausa sit palàm propugnare ac defendere.

Scholastica Theologia vltima.

Omitto alias quæstiones non tam inutiles, quam palam impias & perniciosas, quas etiam in hac ipsa Scholastica mouerunt, & de quibus tantis viribus tamque pertinaciter decertârunt sæpè, vt res non ad clamorem tantum, ad vera dissidia & tumultus sed nonnunquam etiam ad pugnos

Quæstiones blasphemæ in tertia Scholastica motæ.

processerit. Huius generis sunt : An Deus possit quodvis malum, etiam odium sui præcipere, & omne bonum prohibere, etiam amorem & cultum sui? An possit actu infinitum secundum omnem dimensionem producere? An potuerit hunc mundum etiam ab æterno meliorem facere, quàm fecit? An possit producere hominem qui peccare nullo modo queat? An reuelare possit alicui suum futurum peccatum, aut damnationem? Num possit aliqua distinctè intelligere, si ad illa non habeat distinctas relationes rationis? An possit respectum producere sine fundamento & termino? An possit naturam vniuersalem producere & conseruare sine singularibus? An potestatem creandi possit communicare creaturæ? An possit ex facto facere infectum ac per hoc ex meretrice facere virginem? An quælibet persona divina possit quamlibet naturam assumere, quomodo Verbum humanam assumpsit? An tres personæ possint simul eandem naturam assumere? An hæc propositio, Deus est scarabeus, aut cucurbita, tam possibilis possit, quàm hæc, Deus est homo? An Deus assumpserit individuum humanum, an speciem? An in mente diuina sint omnium rerum ideæ, & illæ practicæ ne sint an speculatiuæ? An personæ divinæ verò numero dicantur tres? an per relationes & distinguantur & constituantur? an Pater producat Filium & Spiritum sanctum, ratione intellectûs, an voluntatis? Item, an ratione essentiæ, an attributi, naturaliter an liberè? An hæc propositio sit impossibilis, Pater Deus odit Filium Deum? An anima Christi potuerit fallere, an falli, an mentiri? An Papa clementior sit quàm Christus fuerit, quum is non legatur quenquam à purgatorlis pœnis liberâsse? An possit vniuersum Purgatorium tollere? An possit arbitratu suo cœlo excludere etiam immerentes? *Et sexcenta alia disputata sunt huius generis, magnis editis voluminibus idque à magnis Theologis, præsertim professione religionis insignibus: his seriò occupatæ sunt Theologarũ Scholæ: quum tamen pleraque sint eius generis, vt doctius nesciantur quàm sciantur, vt ridiculè quærantur, temerè definiantur.*

Quæ quum ita sint, vt inficiari non possunt, meritò huic Scholasticæ Theologiæ omnium hæresium, superstitionum & errorum seminaria in Romana Ecclesia accepta referre debent: Tertullianus enim adversus Hermogenẽ. Philosophos hæreticorum patriarchas esse dicit: *nec sine graui causa D. Paulus nos monet,* ne quis nos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.

Edidit etiam in Scholastica Gualterus Pictaviensis Episcopus *primus* QVODLIBETORVM *librum, magnâ omnium admiratione, circa annos Christi* 1240. *Hinc* Quodlibeta & Quodlibetariæ quæstiones *natæ sunt: Sunt autem* Quodlibeta *libri, in quibus eorum auctores in vtramq́ partem, Academicorum more, de quolibet etiam apice Theologico pro & contra disputant: vt nihil sit apud eos tam certum & definitum, quod non in dubium reuocari possit contrariasq́ rationes habeat. Et qui hoc possunt, optimi & excellentissimi demùm Doctores habentur.* *Quodlibetorum origo. Gualterus Pictaviensis. Quodlibeta quid.*

Eodem tempore Alexander de Ales *quoque primus in quatuor libros Sententiarum cõmentari cœpit, quem imitati sunt max quamplurimi.* *Alexander Alesis.*

Ex eadem hac Schola prodierunt etiam qui Determinationes, Quæstiones super quæstiones, Partes, Specula, Legendas, Marialia, Devotionalia, Miraculorum & exemplorum promptuaria, Fidei fortalitia, Fodinas cœli, Bigas salutis *& sexcenta huius generis alia ab Innocentij IV. temporibus scripserunt: Ecce igitur vt obscurata fuerit aurea primitiua Ecclesiæ facies, & quàm horribiles ac perniciosæ tenebræ, seu nubes quadam atra totum cœlum occupantes, profligato verbo Dei, eiusq́ lumine exstincto & tantum non sepulto, in Scholis & Ecclesia exorta sint, totumque mundum annis ferè quingentis in nocentissimis erroribus detinuerint.*

Durârunt enim haplus quàm Cimmeriæ tenebræ ab anno Christi 1020. *vsq́ ad annum* 1515. *qua tempore* MARTINVS LVTHERVS & HVLDRICVS ZVVINGLIVS, *densissimas has nebulas & obscurissimas tenebras verba Dei discusserunt. Sub hoc igitur relucentis Euangelij initium Christiani Principes veræ religioni & Reipub. Christianæ consultum volentes, bonarum literarum studia, inprimisque puram & sinceram Theologiam ex his tenebris vindicârunt, & vel Scholas veteres reformârunt, vel alias de nouo aperuerunt.* *Scholasticæ theologiæ tenebra discussa & scholæ reformatæ.*

Inter illas longè celeberrima est WITTENBERGENSIS *in Saxonia Academia: quam Elector Fridericus I. anno Dom.* 1502. *ex Lipsensi & Tubingensi erexit, & alter Fridericus omnigenarum artium, præcipuè verò trium linguarum professoribus, sic adornauit, vt optime constituti Gymnasii exemplar hinc petere possis, Petro Mosellano teste.*

FRANCOFORDIENSIS *ad Viadrum ab illustrissima Principe Ioachimo Brandenburgen. Electore ex Lipsensi anno Domini* 1506. *fundata, & à Maximiliano I. Imperatore variis priuilegiis ornata fuit:*

MARPVRGENSIS *à Philippo illustrissimo Cattarum Principe, & propaganda Euangelicæ veritatis studiosissimo, anno Domini* 1526. *erecta, & viris doctissimis exornata est: in qua & ego ante aliquot annos humaniter tractatus, & liberaliter institutus sum.*

HAS-

HAFNIENSIS *in Dania, quæ vulgo* Copenhagensis *dicitur, primò quidem per Fridericum* III. *circa annos Christi* 1539. *plantata, deinde verò à Christiano electo Rege instaurata fuit.*

REGIOMONTANAM *Albertus Marchio Brandenburgensis, Magnus Teutonicorum militum Magister, anno Domini* 1544. *instituit.*

ARGENTORATI *quoque anno* 1538. *Collegium est institutum, seu Schola iuventutis, Iacobo Sturmio potissimùm authore, Senatore in ea vrbe primario. Hæc breui tempore sic effloruit doctorum virorum industriâ ac diligentiâ vt non solùm ex vniuersa Germania, sed & ex remotissimis nationibus eò conflueret. Instituendæ verò iuuentutis, & tanquam in Classes distribuendæ rationem, ac vniuersam docendi viam Ioannes Sturmius vir eruditissimus & Senatui primus ostendit, & post edito libro copiosius explicauit. Anno demùm Salutis* 1568. *Academiæ ius Maximilianus* II. *Imp. Argentinensibus concessit, & Rector perpetuus Academiæ creatus* Ioannes Sturmius.

IENENSIS *Academia solenni ritu inchoata, & priuilegia Imperatoria publicè recitata sunt die* 25. *Ianuarij anno* 1558.

ALTORFII *etiam Senatus amplissimus Norinbergensis circa annos Christi* 1580. *celebrem Academiam erexit.*

Idem fecit quoque LEYDENSIS *in Hollandia Senatus paulò ante hæc tempora, & vndiquaque doctissimos viros ad exornandam suam Academiam accersiuit.*

Nec minore studio & feruore propagandi veram Religionem Christianissimi Principes accensi multas Particulares, *vt vocant,* Scholas *passim instituerunt, quarum aliquot & doctorum virorum copiâ & omnium disciplinarum studiis non multum Academiis cedunt. Huius generis Scholas plurimas Illustrissimus & verè Christianus Princeps* Fridericus III. *Elector Palatinus, purioris Religionis propugnator acerrimus, per totum Palatinatum plantavit: quas postea Illustrissimus Fortissimusque Princeps Ioannes Casimirus Friderici F. non tantum liberalissimè tutorio nomine fouit, sed & ex Parnasso Heidelbergico Musas doctissimas* Neostadium *suæ ditionis oppidum traduxit, ibique pro sua liberalitate ludum literarium aperuit.*

Mauritius *etiam Saxoniæ Dux anno* 1544. *tres literarum ludos instituit,* MISSENÆ, MERSPURGI & PORTÆ, *singulisq; locis certum attribuit numerum adolescentum. His omnibus victus præbetur atque vestitus. Magistris etiam annua stipendia soluuntur ex eorum Collegiorum prouentibus, in quibus aliquando monachi, inutile terræ pondus, & tantum fruges consumere nati, vixerant: studiosis conceduntur sex anni, vt ibi erudiantur.*

Geneuensis & Tigurina Schola.

His Scholis Particularibus cumprimis annumerandæ sunt GENEVENSIS, *quæ omnium fecultatum liberaliumq; artium studio multas Academias penè superare videtur: Deinde* TIGURINA, *jam inde ab anno Dom.* 1520. *cùm ob artium, tum verò maximè ob Theologiæ studia celeberrima: in ea enim docuerunt* Zvinglius, Pellicanus, Bibliander, Bullingerus, Petrus Martyr Vermilius Florentinus, Conradus Gesnerus, Ioannes Wolphius, Iosias Simlerus, Ludovicus Lavaterus, & Rodolphus Gualtherus, *quorum incomparabilem doctrinam, & singularem in sacris literis interpretandis dexteritatem fœlicitatemq; ex præclaris ipsorum in sacras literas Commentarijs toti orbi notissimam esse puto. Alit in hac sua Schola magnificus Senatus Tigurinus magnum numerum ingenuorum adolescentum, ex ijs bonis ac prouentibus, qui olim Monachis in Cœnobijs cesserunt, & ubi prima fundamenta in ea mediocriter jecerint, ad exteras Academias tanquam ad mercaturam bonarum artium mittuntur, ibi si cursum studiorum feliciter confecerint, domum revocantur, & Ecclesijs vel Scholis urbis ac agri Tigurini, qui amplissimus est, præficiuntur.*

Scholæ Pontificiæ.

Ex altera verò parte non minore studio Pontificij quoque ad propagandam suam religionem, hoc est, ad plantandas omnis generis superstitiones & cultum alienorum Deorum, Academias instituerunt eodem tempore.

Sic TREVIRENSIS, *quæ quidem antiquissima omnium Academiarum Germaniæ esse creditur, sed propter varias ejus mutationes, temporisque injuriam ferè collapsa, nuper ab Archiepiscopis Ioanne & Iacobo instaurata dicitur.*

COMPLUTENSIS *in regno Castellæ, à Francisco Ximene Archipræsule Toletano fundata est, anno* 1517. *quæ non aliunde nominis celebritatem, authore Erasmo, quàm à complectendo linguas & bonas artes, sortita est.*

ANDEGAVENSEM *etiam à Ludovico* 2. *Andegavensium Duce jam olim institutam, ante paucos annos Henricus* 3. *Gallorum Rex, tum verò Andegavensium Dux quoque restituit.*

ONNEDENSIS, *sive, ut ab alijs vocatur,* Onnatensis *in Cantabria, erecta est non ante multos annos ab Abulensi Episcopo.*

OSSUNENSIS *fundata nostrâ ætate à Comite de Vrenna.*

CIMMECENSIS *in Gallia Narbonensi sive Delphinatu nostrâ etiam tempestate instituta est.*

RHEMENSIS *in Campania à Carolo Guisio Cardinale Lotharingo, & Archiepiscopo Rhemensi exstructa est, nostro seculo.*

WIRZBURGENSIS, *in Francia Orientali anno* 1403. *à Ioanne ejus loci Episcopo fundata quidem fuit, sed ob civiles controversias cùm septem annos floruisset, interijt. Eam verò superioribus annis instauravit Iulius Vvirzburgensis Episcopus, & Gregorius* 13. *ac Maximilianus Imp. magnis privilegijs honorârunt.*

DILLINGANAM *Otho Truchsessius, Cardinalis*

dinalis Augustanus erexit anno Domini 1549.

DUACENSIS *in Belgio superioribus annis à Philippo 2. Hispaniarum Rege instituta est, circa annum 1556. hanc solam ob causam, ne juventus in Germaniam & Galliam amplius proficisceretur, ibiq; veram religionem ac pietatem imbiberet.*

EBURENSIS *in Lusitania, nuper ab Henrico Cardinale Lusitaniæ, ejusdemque loci Episcopo constructa, & Iesuitis commendata fuit.*

GANDIANAM *in regno Valentino ante paucos annos Gandiæ Dux erexit, ut ibi præcipuè Iesuitæ philosopharentur. Habent etiam triviales Scholas non paucas, & procul dubio brevi plures habituri sunt Iesuitæ: authores enim sunt passim Principibus alijsq; Magistratibus, ut in suis ditionibus ludos literarios aperiant, in quibus juventutem erudire possint. Quæ in re certè non vulgarem laudem mererentur, si non tenellos animos superstitionibus palàm impijs simul imbuerent.*

CAPUT VI.

De origine & progressu BIBLIOTHECARUM.

Bibliothecarum utilitas.

CUM *neque religio absq; literis tradi commodè queat, neque literæ & Scholæ, de quibus superiore capite quædam diximus, florere absque libris, neutra autem conservari & ad posteros transmitti possint, si nulla* Bibliothecarum *cura habeatur, profectò qui has adornant, eruditionem & pietatem res valde necessarias plantare & conservare student. Quemadmodum igitur nonnulli insano studio exstruendi ingentes moles colossorum & pyramidum laborârunt, alij circa curam varij generis armorum sua exornandi armamentaria occupati fuerunt: sic etiam ab antiquis temporibus multorum potentissimorum Regum, principum ac populorum opus fuit* Bibliothecas, *tanquam Castella quædam & armamentaria sapientiæ condere, easque vel in templis, vel propè templa exstruere ac adornare: Habebat Roma in suo Capitolio Bibliothecam Majorem, sic enim appellabatur: Augustus quoque propè Templum Apollinis extruxit Bibliothecam Græcam & Latinam: Templum quoque Trajani suam habebat Vlpiam optimis libris refertam. Strabo etiam scribit lib. 14. Smyrnenses sui Homeri templo Bibliothecam adjunxisse. Quæ etiam causa est, ob quam earum Originem huic libro adjicere placuit.*

Bibliotheca apud Iudæos.

Ac Iudæos quidem aliquam saltem habuisse Bibliothecam inde apparet, quòd propter Regum Iudæorum idololatriam, & populi gravissima scelera, libri sacri amissi, vix tandem sub Iosia Rege reperti fuerunt. Sub Sedechia iterum Templum cum libris exustum legitur. Verùm Esdras sacerdos post captivitatem Babylonicam Mosis & Prophetarum libros restituit, eosq; in ordinem redegit. His alios ipse addidit etiam: Testatur enim, ut 4. Esdræ 14. capite legitur, quòd cùm Dominum Deum rogâsset pro spiritu sancto, ut posset Iudæis restituere sacras Leges, jussus fuerit assumere quinque scribas velocissimos, & præparare multos buxos, & secedere dies quadraginta, se ipsi in corde accensurum lucernam intellectus. Cumq; de poculo sibi divinitùs oblato bibisset, apertum esse os ipsius, & per 40. dies dictâsse libros 204. Mandatumq; sibi ait à Deo, ut quosdam omnibus promiscuè dignis & indignis, palàm legendos daret: septuaginta verò conservaret, traderetq; sapientibus solis in populo suo, quòd in ijs esset sapientiæ fons, vena intellectus, & scientiæ flumen. *Addit præterea* se ex præcepto angeli secretiora mysteria, & revelationes in peculiari libro scripsisse, qui absconderetur, soliq; sapientiores Iudæorum perciperent, quos ipse sciret posse percipere, & mysteria ista servare.

Cabala Iudæorum.

Dicitur Moses quoque, præter Leges scriptas, secretiora mysteria, uti à Deo acceperat, vivâ voce tradidisse sapientioribus tantùm, *quos Origenes* Consiliarios mirabiles *vocavit. Quæ propterea* Cabala *sive traditiones appellabantur, quòd non per literas, sed successione quadam, hæreditario jure, alter ab altero reciperet. Hanc traditionem, Legis divinæ certissimam traditionem continentem, Esdras quoque, de Septuaginta doctissimorum virorum consilio, in libros redegisse dicitur, ne si quando propter bella & captivitates institutus à majoribus tradendi mos observari non posset, cœlestis doctrinæ arcana interirent. Et hos quidem ab Esdra conscriptos libros diligentissimè in Hierosolymitana Bibliotheca sacra à Iudæis conservatos Picus tradidit. Continebantur quoque in ea, præter Annales, in quibus singularum tribuum genealogia & gesta describebantur, Rabbinorum libri, qui post Esdrã varia in sacram scripturam Commentaria ediderunt: unde postea* Talmud *confectum est. Quæ cùm optimis libris, Esdra authore, referta esset, à Tito Rom. Imperatore eversa quidem est, ut testatur Rabbi Samuel, sed ab Alexandro Hierosolymorum Episcopo restituta. Ex hac Pamphilus Martyr præcipuam Cæsariensis Bibliothecæ partem deprompsit: Eusebius verò plurima in suam Ecclesiasticam historiam transtulit, ut Middendorpius lib. 2. Academ. refert.*

Talmudis origo.

Fuit hic Esdras ille ipse, qui literas, quibus Biblia Hebraica conscripta sunt, & quibus Iudæi hodie utuntur, reperit post captivitatem Babylonicam: hactenus enim ijsdem characteribus Hebræi & Samaritani utebantur, ut testatur D. Hieronymus in Prologo Regum. Græcas Cadmus, Latinas Carmentis invenit. Sunt qui Esdram hunc etiam authorem faciant punctorum & accentuum, quibus afficiuntur hodie literæ Hebræorum. Sed errant illi: constat enim ex B. Hieronymi libris, ipsius tempore nulla vel puncta vel accentus exstitisse. Sunt autem adinventa paulò post tempora

Literarũ Hebraicarum, quibus hodie utimur, author Pũcta Hebræorum quando inventa.

pora

Digitized by Google

pora Honorij Imp. anno, ab eversa Templo 436. *qui est à Christo* 476. *in Tiberiade urbe Galilea. Hujus muneris Principes fuere Aaron Aseris, & Iacobus Nephtalis filij, qui dum de nonnullarum vocum punctis inter se dissentiunt, Iudaos in duas partes dividunt: Orientales enim quiq; Babyloniam incolunt ad fluvium Nearda, posterioris: Occidentales prioris lectionem consectantur, ut Genebrardus in Chron indicat.*

Bibliotheca apud Ethnicos Susiana. *Apud Persas, quorum maximum imperium fuit*, SUSIANA *Bibliotheca celeberrima fuit: quam Metasthenes Persa consuluit cùm de judicio temporum & annalium Persarum scribere voluisset, in ea enim Annales Persarum fuerunt, sicut ipse Metasthenes in historijs suis testatur. Ac verisimile est, hanc sapientissimi Prophetæ Danielis consilio, cujus summa auctoritas apud Persicos Reges fuit, institutam & exornatam fuisse.*

Athenienses. *In Græcia primus omnium Pisistratus Tyrannus Bibliothecam Athenis aperuit, quam deinde ipsi Athenienses studiosius accuratiusque auxerunt & locupletarunt. Verùm omnem illam librorum copiam Xerxes Athenarum potitus, urbe ipsâ præter arcem incensâ, abstulit asportavitque in Persas: Et multis post annis Seleucus rex, qui Nicanor appellatus est, hos libros omnes Athenas referri curavit: Gellio teste lib.6.cap.17. Ac refert Egnatius in vita Claudij quòd cùm Gothi bibliothecam hanc exurere conarentur, nonnullos eis persuasisse, libris parcendum esse, quibus dum Græci diligentius incumberent, minus ad bella idonei redderentur.*

Pergamenses. Pergamenum unde. *Eumenes Attali filius, non solùm mirandis operibus Pergamum muniuit, sed nobilissimam quoq; ibidem Bibliothecam instituit, conquisitis undiq; supra ducenta millia, libris, in hœdinis pellibus (quæ ab hoc loco postea* Pergamenæ *dictæ fuerunt) descriptus, ut Volat. indicat lib.13.cap.4. Anthrop. & Alexander ab Alex. lib.2.cap.30.*

Aristotelea. *De Aristotele ejusque bibliotheca libro 13. Geographia ita scribit:* Neleus, *inquit*, Corisci filius, Aristotelem & Theophrastum andivit, & successor fuit bibliothecæ Theophrasti, in qua Aristotelica inerat. Nam Aristoteles & Bibliothecam & scholam reliquit Theophrasto, & primus omnium quos scimus libros congregavit. Theophrastus verò eam tradidit Neleo, Neleus eam Scepsim detulit, ac posteris dedit, hominibus sanè imperitis, qui libros inclusos ac neglig nter positos tenebant. Cumq; Attalicorum regum, sub quibus erant, studium sentirent conquirendorum librorum, ad instruendam eam Bibliothecam quæ Pergami erat, eos in fossa quadam sub terra occulerunt, quos & tineis & humiditate labefactos, tandem qui ex eo genere erant Apelliconi Teio tradiderunt, magno emptos argento, Aristotelicos scilicet & Theophralticos. Apellicon, ut qui magis esset librorum studiosus quàm sapientiæ, volens corrosiones emendare, eos transcribendos dedit, scripturâ non rectè supplétâ, quapropter libros edidit erroribus plenos. Continuò autem post Apelliconis obitum Sylla, qui Athenas cepit, Bibliothecam Romam transtulit. *Hucusque Strabo.*

Alexandrina. *Aristoteles etiam Ægyptiorum Reges Bibliothecæ ordinem docuisse perhibetur, qui ingentem librorum numerum mox conquisiverunt. Et Ptolemæus Philadelphus cùm in animum induxisset omnium locupletissimam & celeberrimam Bibliothecam instituere, Demetrio Phalareo maximam pecunia vim dedit, ut optimis libris antecessorum suorum Bibliothecam augeret ornaretque. Missi sunt igitur ad eum ab omnib. Regibus atque Principibus Philosophorum, Rhetorum, Historicorum & Poëtarum libri, Epiphanio authore, præsertim ab Atheniensibus & Rhodiis, brevique tempore instructissimam reddidit: Galenus in 3. Epidemiorum, & 1. de Natura humanâ refert.* Ptolemæum Atheniensibus annonæ penuriâ pressis, non prius alimenta concessisse, quàm sibi tragœdiarum Sophoclis, Euripidis & Æschili autographorum potestatem fecissent. Pro quibus tamen, præter vectigalium immunitatem quindecim talenta iisdem oppignoravit: & eadem postea cum exscriptis exemplaribus illis dono dedit. *Aristeæ qui hac de re rex professo scripsit indicat,* se præsente rogatum Demetrium à Rege, *ut Athenæus lib.1.cap.1. prodidit*, quotnam in hac Bibliotheca libri essent, *respondisse*, plures quàm 2000. sed vehementer auctam iri, si non à Græcis solùm, verùm etiam ab aliis Gentibus, à Iudæis præsertim, utilissimi libri peterentur: eos enim aut emere hactenus, aut transcribere non potuisse, quòd peculiari linguâ & alijs quàm Ægyptij literis uterentur: ideirco necessarium videri sibi, ut Rex ad Pontificem eorum literas daret, peteretque tam ipsos libros quàm interpretes, qui eos ex Hebræo in Græcam linguam transferrent. *Factù igitur Optimus Rex in tam laudabili & principe dignissimo instituto, ab Eleazaro summo Iudæorum pontifice, interpretes LXXII. Hebraicæ legis, sexè qualibet tribu delectos, impetravit: quos magnâ voluptate & incredibili gaudio ad se venientes Rex excepit, & Demetrio omnia quæ ipsis necessaria essent, uberrimè suppeditare, & diligentem ipsorum rationem habere præcepit. Nec tamē Alexandria, regiâ urbe, verùm septem ab ea stadijs, in insula Pharos singulis peculiarem cellulam seu ædiculam, in qua separatim sacram legem interpretarentur, exstrui curavit, quarum ruinas & vestigia quædam se vidisse scribit Iustinus Philosophus & Martyr in Apologetico contra gentes. Vbi obiter admonendum duco Iustini hanc sententiam de istis Cellulis, sequutos esse multos ex posterioribus, ut Irenæum lib.3.ca-* *De Septuaginta interpretibus.*

pite 25. Cyrillum Catechesi quartâ: Clementem Alexandrinum lib 1. Stromat. & Augustinum lib. 18. de Civitate Dei cap. 42. quamvis idem lib. 2. doct. Christ. c. 15. non audeat rem affirmare. His addunt ex recentioribus quidam Philonem lib. 2. de Vita Mosis: Tertullianum in Apologetico cap 19. & Chrysostomum homil. 5. in Matthæum. Sed hi tres Cellularum *nullam mentionem faciunt, tantùm dicunt*, mirabiliter hos interpretes in eandem & in eadem verba convenisse. *D. Hieronymus autem præfatione in Pentateuchum manifestè ridet hanc historiam.* Nescio, *inquit*, quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit, &c. *Itaque ille existimat*, septuaginta duos interpretes in eadem Basilica sedentes, & inter se conferentes, scripturam transtulisse. *Id quod probat primò testimonio Aristæi, qui negotio interfuit, & apertè dicit*, eos simul conferendo singulis diebus usq; ad horam nonam hanc versionem tandē septuaginta duobus diebus absoluisse. *Idem probat testimonio Iosephi, qui cùm esset cupidissimus gloriæ suæ gentis, tamen lib. 12. Antiquit. cap. 2. narrans hanc historiam Cellularum ne meminit quidem. Eusebius etiam de Præpar. Evangelica cap. 1. rem totam narrat sine ulla mentione cellularum, referens ad verbum, quæ habentur in libro Aristæi.*

Sed quicquid sit, singuli isti septuaginta duobus diebus, Iosepho auctore, translationem tantâ spiritus sancti virtute, perfecerunt, ut in omnibus planè convenirent & ne in minimo quidem verbo discreparent: ut omnes instinctu Dei perfectam, veramq́ interpretationem esse faterentur. Rex igitur hos libros maxima cum admiratione & gaudio ingenti recepit, & Alexandria in Bibliothecam reposuit, ac cedrinis forulis, sicut & alios, inclusit: atque his alijsq́ pretiosissimis libris, qui 70000. numerũ excesserũt, ornatissimè reddidit.

Alexandrina bibliothecæ præfecti. *Primus bibliothecæ hujus nobilissimæ profectus fuit constitutus Demetrius Phalareus, vir doctissimus. Post ejus mortem Callimachus Historicus filius Batti, à Ptolemæo Philadelpho usque ad Euergetam præfuit. Hunc proximè sequutus est Eratosthenes Cyrenæus, Callimachi discipulus, qui primus universum totius orbis ambitum 252. stadiorum esse prodidit: unde &* orbis terrarum mensor *appellatus est. Huic successit Apollonius Rhodius, qui Aristonium poëtam comicum successorem reliquit. Sed cùm Achillas regiæ militiæ præfectus, Iulium Cæsarem, occiso Pompeio invaderet, Cæsar proximas circa regiam ædes incendi mandavit, ut hac ratione igne hostem depelleret. Qui ignis præter pulcherrimas domos, instructissimam quoque hanc bibliothecam absumpsit, & septingenta lectissimorum librorum millia perdidit, ut Sabellicus testatur Enne. 6. libro septimo. Aulus verò Gellius libro 6. cap. ultimo, & Volateranus referunt*, quòd ille librorum numerus priore bello Alexandrino, cùm diriperetur ea vrbs, non spontè, sed à militibus incensus fuerit. *Restituta tamen paulò post hæc Bibliotheca videtur. Nam Domitianus Imperator Romani imperij Bibliothecas restauraturus, Alexandriam viros aliquot doctos misit, qui libros describerent, & alibi repertos, descriptosve cum Alexandrinis conferrent emendarentque, vt Tranquillus & Aurelius Victor tradiderunt. Refert hæc Iacobus Middendorpius de Academijs, ex Eusebij lib. quinto hist. Ecclesiast. Nicephoro lib. quarto cap. 14. Iosepho lib. 12. capite secundo Antiquit. Clemente lib. 1. Stromatum & Zonara.*

ASINIVS *Pollio, primus Romæ bibliothecam de manubijs dicauit, eamque doctissimorum virorum Imaginibus veris & fictis exornauit. L. Lucullus, inter alias splendoris & magnificentiæ laudes hanc quoque obtinuit, quòd numerosam & ornatam bibliothecam comparauit, quam omnibus, etiam peregrinis patere voluit: vt Plutarchus in eius vita indicat.*

OCTAVIA *Augusti soror & Marcelli vxor, præcipui nominis Bibliothecam maximis sumptibus & impensis, Romæ instituit: de qua Alexander ab Alexandria lib. 4. cap. 25.*

Sub Neronis autem imperio Bibliothecæ omnes Romæ, in quibus præstantissimi libri, & clarissimorum virorum monumenta, grauissimo pernitiosissimóque incendio simul omnes perierunt: vt mirandum non sit, quòd veteri Historiâ careamus. Et sanè nisi sequentes Imperatores Vespasianus, Domitianus, Traianus, Adrianus & similes, eas maximis curis sumptibusque immensis restituisset, nulla ferè optimarum rerum memoria superesset hodie.

C. PLINIVS *Secundus, vir doctissimus, non solùm Romæ, sed & Nouocomi in municipio suo Bibliothecas dedicauit, vt Ioan. Catanæus in ejus vita testatur.*

SAMMONICVS *Serenus bibliothecam comparâsse dicitur, in qua 62. millia voluminum fuerint.*

Non minorem autem operam, studium & curam Christianorum Principes, pace post diuturnas & cruentas persequutiones Ecclesiæ redditâ, in bibliothecis dedicandis, comparandis & exornandis adhibuerunt, quod vix aliâ commodiore viâ Euangelium vel propagari vel propugnari posse pro sua prudentia facilè intelligerent. Itaq́ *Bibliotheca apud Christian.* ALEXANDER *Hierosolymitanus Episcopus nobilem Hierosolymis Bibliothecam instituit, in quam primorum, post Apostolorum tempora, Ecclesiæ doctorum scripta reposuit, quibus haud mediocriter se adiutum in scribenda Historia Ecclesiastica testatur Eusebius libro sexto, capite vigesimo primo. Cæsarea bibliothecam aperuit* IVLIVS *Africanus. Eam postea ad triginta millia voluminum auxit* EVSEBIVS *Cæsariensis Episcopus &* PAMPHILIVS *Laodicenus Presbyter. Hanc bibliothecam D. Hieronymus in rebus difficilioribus consuluit, & ad castigatissimorum* *Hierosolymitana. Cæsariensis.*

exem-

exemplorum veritatem veteris Testamenti libros emendauit, vt testatur in Psalmum 1. & capite 3. epistola ad Titum. Cumque nonnihil collapsa esset, Euzoius Caesariensis Episcopus eam restaurare conatus est, vt referunt Hieronymus in Catalogo scriptorum Ecclesiast. Eusebius lib. 3. & Iacobus Middendorpius de Academijs.

Inprimis autem memorabile in hac causa fuit studium, industria & solicitudo CONSTANTINI, *ut nomine sic pietate Magni, qui passim ingruentibus Haereticis Catholicorum doctorum scripta, & interpretationes Sacrae scripturae quas superiores Tyranni ferro & flammis funditùs delere conati fuerant, in bibliothecis reponere & asservare jussit, ut ijs armis ex his armamentarijs depromptis, Haeretici faciliùs oppugnari possent: exstat ea de re epistola ad Eusebium Nicomediensem apud Eusebium libro 4. de vita Constantini. Et credibile est hunc Imperatorem prima jecisse fundamenta Constantinopolitanae ad Sophiae Templum bibliothecae, quae progressu temporis adeò exornata fuit per Theodosium juniorem Imperatorem, ut decem myriades librorum contineret. Nam sacrorum librorum congerendorum tam studiosus fuisse legitur, ut eâ laude Ptolemaeo Aegyptio haud inferior esset. Multos sanctorum Patrum libros suâ manu descripsit, & in hanc Bibliothecam reposuit, teste Nicephoro lib. 14. cap. 3. Delati sunt ex hac Bibliotheca in sextam Synodum Constantinopolitanam generalem Constantini V. Imp. jussu sanctorum Patrum libri, ex quibus Monothelitae erroris convicti sunt, ut Platina in Agathonis 1. vita indicat.*

IULIANUS *Apostata quoque, utilitatem Bibliothecarum animadvertens, Antiochiae in suburbio Daphne dicto, nobilem Bibliothecam instituit.* CAROLUS *item M. Aquisgrani in palatio suo Bibliothecam dedicavit, & magnâ copiâ librorum exornavit. Quod studium sanctissimi principis aemulatus est Ludovicus Pius ejus filius. Quia verò mox post Caroli M. tempora magis magisque à pietate degeneratum est, & ejus loco in Ecclesia Ceremoniae statutae humanae, variaeque* ἐθελοθρησκείαι, *hoc est, cultus peculiari hominum arbitrio suscepti invaluerunt, factum est simul, ut ferè nulla quoque librorum ratio seu cura amplius haberetur, sed potius ceremoniae operosae in Templis & Monachorum lustris, nec non bella & Mavortia arma tractarentur. Quae barbaries usque ad renascentis Evangelij lucem duravit, quo tempore simul Deus Opt. Max. multos pietate spectatos principes excitavit, qui libros hinc inde cum tineis & blattis pugnantes vindicârunt, undiquaque etiam ex remotissimis locis conquisiverunt, & in hoc studio nullis, quantumvis immensis sumptibus, pepercerunt. Quos inter praecipuè nominandi hîc mihi honoris causâ tanquam summi studiorum Mecoenates & patroni, videntur Galeatius 2. vicecomes. Nicolaus 5. Pontifex Max. Alfonsus Arragonum & Siciliae rex, Cosmus & Laurentius Medicei, Matthias Corvinus Vngariae Rex, Ioannes Picus Mirandulae Comes, Franciscus 1. Gallorum Rex, nec minus literis quàm armis clarus, Fridericus Feltrius Vrbini Dux, Fuggeri, alijque plures tam politici, quàm Ecclesiastici viri, sicut videre licet volumine 1. lib. 4. Theatri vitae humanae. Horum exemplum imitari debent hodie, omnes Principes & Magistratus Christiani. Nec est quòd sumptus immensos caussentur. Nero persaepe uno puncto plus quadringentis sestertijs perdidit, Suetonio teste. Asinius Celer mullum unum septem millibus nummûm emit, ut Macrobius indicat libro 3. Aelius Verus Imp. duodecim convivis coenam dedit, sexagies centenis millibus sestertijs instructam, ut refert Sabellicus lib. 5. Enne. 7. Cleopatra reginarum Aegypti novissima, unâ coenâ centies H.S. absumpsit: nam aceto liquefactum unionem, precio 250000. coronatorum aestimatum absorbuit. Caesar Borgia Alexandri 6 filius, quotidianis convivijs ducentos aureos dicavit, Ravisio auctore. Et scimus hodie quantos sumptus multi faciant in convivia, feras, vivaria, canes, equos, gemmas, vestimenta, suppellectilem & similes res inanes ac frivolas: hujus sumptus si vel tertiam partem convertant in Bibliothecas, & emant authores sacros, doctos, probatos & bonos, non solùm veram Religionem & studia bonarum literarum eo pacto vehementer propagabunt, sed etiam sibiipsis sempiternam memoriam, & immortalem gloriam apud omnes bonos comparabunt.*

CAPVT VII.

De origine & progressu TYPOGRAPHIARUM.

QVONIAM *non solùm bonarum Literarum studia, sed & Bibliothecae* artis Excusoriae vel Typographicae *beneficio plurimùm augeri & exornari possunt, non à proposito nostro fortasse alienum fuerit, si de nobilissima hujus artis Origine & Progressu paucula in medium afferamus. Invenerat & excogitaverat* Berchtoldus Niger (Schwartz) *malè feriatus Monachus Germanus, circa annos Christi 1380. quando schisma ingens in Romana Ecclesia erat inter Vrbanum VI. & Clementem VII. quod bella cruentissima, Pontificibus authoribus, inter Gallos & Vngaros secuti sunt, aeneum tormentum, quod bombardam seu sclopetum vocant: quo nihil unquam humano generi perniciosius inventum fuit: dignusque adeò fuisset author, in quo, sicut in Perillo, hujusmodi tormentum primò expertum esset:* Bombardarum author.

—Neque enim lex aequior ulla est,
Quàm necis artifices arte perire suâ.

Vt Ovidius in 1. de Arte amandi egregiè cecinit.

Sed haud diu post divina sapientia, justitia & bonitas, fraudem hanc Satanae egregiè ulta est: Nam eodem anno quo Fridericus III. sapientissimus Princeps imperij Germanici habenas potitus fuit, Ioanni Gutenberg *civi Argentinensi*

Typographicam artem commonstravit. Qua de re Polydorus Vergilius lib. 2. cap 7. de Rerum Invent. qui primi libros ediderint, aut Bibliothecas publicaverint, aut invenerint artem literas imprimendi memorans, ita scribit: Asinius Pollio Romæ primus Bibliothecam dicando, ingenia hominum Rempubl. fecit. Fuit illud omnino magnum mortalibus munus, sed nequaquam conferendum cum hoc, quod nostro tempore adepti sumus, reperto nouo scribendi genere. Tantum enim vno die ab vno homine literarum inprimitur, quantum vix toto anno à pluribus scribi posset. Ex quo adeò disciplinarum omnium magna librorum copia ad nos manavit, vt nullum amplius superfuturum sit opus, quod ab homine quamvis egeno desideratur possit. Illud insuper adde, quòd authores quoque plurimos tam Græcos quàm Latinos ab omni prorsum interitus periculo vindicauit. *Sed huius artis inuentionem nemo fide maiori exposuit, quàm Iacobus Vuimpfelingus in Epitome rerum Germanicarum capite 65. Anno, inquit,* 1440. Friderico III. Romano Imperatore magnum quoddam ac penè divinum beneficium collatum est vniuerso terrarum orbi à Ioanne Gutenbergi Argentinensi, nouo scribendi genere reperto. Is enim primus artem Impressoriam, quam Latiniores excusoriam vocant, in vrbe Argentinensi invenit. Inde Moguntiam veniens, eandem feliciter compleuit: hinc Funccius in Chron. certissimum esse dicit, Moguntiæ primum prælum fuisse. Interea Ioannes Mentel, id opificij genus inceptans, multa volumina castigatè & politè Argentinæ imprimendo, factus est breui opulentissimus. Huic successit Adolphus Ruschius: mox Adolpho Martinus Flachus: qui & ipsi Argentinenses, in natali solo cum laude & gloria hác artem exercuerunt. Nec solùm nostri hac in arte floruerunt Argentinæ; sed eandem etiam alibi tranctantes, & decus & emolumentum sunt consequuti. Ita Sixtus Russinger Argentinus, Neapoli anno 1471. libros quomodo imprimi possint, primus monstrauit: ob quod factum regi Ferdinando & Neapolitanæ nobilitati charissimus exstitit. Huic sæpè ab ipso rege Episcopatus & amplissimæ dignitates oblatæ sunt. Præterea Vdalricus cognomento Han, subidem ferè tempus formas librarias, rem inauditam, nec vnquam Romanis visam, Romam attulit.

Celebrat hanc artem Philippus Beroaldus his versiculis:

O Germania muneris repertrix,
Quo nil vtilius dedit vetustas,
Libros scribere quæ doces premendo.

Vide etiam Nauclerum volum. 2. Generat. 49. Ego verò propterea hanc artem è cœlo missam, adeòque amplectendam, exosculandam & extollendam putârim, quòd in nulla alia plus præsidij habeat Ecclesia Christi adversus Gog & Antichristum, pseudoprophetam & sophistam maximum, quippe qui hac arte fortius quàm nullo bellorum apparatu expugnari ac deuinci possit. Prædixit hoc diu ante Sibylla Erythræa, *quæ, vt Augustinus testatur lib. 18. de Ciuit. Dei, Romuli temporibus claruit. Ea enim de nouissimo seculo, & Antichristi furoribus vaticinans, cum* LINO *tandem perdendum esse dixit. Sic enim habet carmen Græcum:*

Δίλαιος ἔκτοτε καιρὸς, ὅτι λίνος αὐτὸν ὀλεῖται

Miserum inde tempus, quia linum perdet eum.

Paratur enim & conficitur illa materia, in qua scribimus & libros excudimus, ex lineo panno minutatim contuso in aquis, & glutino iterum densato: quam chartam lineam appellant, abusione veteris nominis, Papyrum. *His armis lineis pugnatur contra Gog: his tormentis, sclopetis, telis, hastis & gladiis vulnera lethalia ei infliguntur. Vt verissimum sit quod D. Paulus scribit:* Eligere Dominum infirmas res, & quas mundus vilipendat: quibus alta, firma, præpotentia, inexpugnabiliaque mortalium judicio, & molitiones immanes Satanæ ac mundi, quæ insurgunt adversus scientiam & voluntatem Dei, subvertat. 1. *Corinth.* 1.

Sunt quidam qui dubitant, satiúsne fuerit, hanc artem, vti nunc est, habere, an propter gravissimos abusus nunquam repertam fuisse: non expendentes, propter abusum rei bona & vtilissima non tollendum esse vsum legitimum. Deinde etiam facilè abusus omnis nobilissima huius artis tolli poterit, si viri doctissimi, sapientissimi, prudentissimique constituantur, nihilque sine graui & justa pœna permittatur typis excudi, quod non ab istis approbatum sit: quæ consuetudo in vrbe Tigurina diligenter obseruatur.

DE ORIGINE ET PROGRESSV

CONSECRATIONVM

ET

DEDICATIONVM TEMPLORVM

ac Rerum ad TEMPLA pertinentium

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

De Origine & vero vſu CONSECRATIONVM & DEDICATIONVM in genere.

Dedicationes licita quæ.

LICET, *imò jure pietatis requiritur, vt in prima cujuſque rei vſurpatiane, gratias Deo agamus, ejuſque bonitatem celebremus, idque congruâ & decenti laude, & collati boni religioſum ac ſanctum vſum expaſcamus: habet enim hac conſuetudo juſta fundamenta ex diuinis literis. Moſes ſiquidem cùm exſtruxiſſet Tabernaculum*, ſacrauit illud cum Menſa, Altari, æreis Vaſis & omnibus vtenſilibus, non ſolùm divinis precibus, verùm etiam Olei vnctione Domino jubente liniuit. *Exad. 20. De Conſec. diſt. §. 1. Solomon quoque, cùm perfeciſſet Templum*, illud cum Altari & reliquis ad diuinum cultum pertinentibus conſecrauit. *3. Reg. 6. Similiter Iudas Machabaus Templum Hieroſolymitanum repurgatum, ſacris legitimè factis rurſum eanſecrauit. Nac tantum dedicârunt Templa, verùm alia permulta, vt Domus: & iccircò Pſal 30. inſcriptio eſt,* Dedicatio domûs Davidis. *Tùm etiam hamines initiare dicuntur Domus, cùm primùm in eis edere, bibere & habitare incipiunt. Quod pij citra precas & gratiarum actiones minimè faciunt. David itaque cùm domum ſuam conſecraret, Odam ſeu Pſalmum compoſuit, qua & ipſe Deo gratias egit, & pium, religiaſum, ſanctumque vſum illarum adium poſtulauit. Hujuſmodi quoque dedicationis in Deut. 20. fit mentio, vbi pracepta de re bellica traduntur. Voluit ſanè Deus, à militia permultos eximi, & illos inter cateros, qui cùm domum exſtruxiſſent, nan adhuc dedicando eam conſecrauerant & vſurpauerant. Et in libro Nehemia dedicatia mœnium ciuitatis commemoratur, qua nihil aliud fuit, niſi quòd muris vrbis inſtauratis, populus vnà cum Leuitis & Sacerdotibus, nec non Principatus, eò ſe contulit: ibique gratias Deo egerunt, de mœnibus readificatis, & juſtam ciuitatis vſuram poſtulârunt. Hac etiam ratiane priuſquam ſumamus cibum, illum conſecramus: non quòd opinemur Diabolum in illo harere, vel ipſum naturâ ſuâ malum eſſe:* Quia vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant valdè bona: *& Paulus. 1. Tim. rectè dicit,* Bona eſſe quæ Deus fecit, & ideò nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione ſumatur: ſanficatur enim per verbum Dei & preces. *Verùm noſtrâ conſecratione primùm Deo gratias agimus, quòd hac hac ſubſidia vita nabis providerit: deinde petimus, ne corpara naſtra eis ladantur, quòd intemperantiâ laboramus, quâ paſtea in morbos facilè incidimus, & dum crapulâ ſeu ebrietate grauamur, apta inſtrumenta vel rationis, vel Spiritus ſancti eſſe non paſſumus.*

Neque illud tacendum eſt, Iudaos conſueuiſſe Templum, non ſolùm recens exſtructum dedicare, ſed etiam reparatum, & à cantaminationibus repurgatum. Hoc fecerunt cùm poſt reditum è Perſide, Templum & Altare denuò reparâſſent. Iudas etiam Machabaus, quando Templum ab Ethnicis pallutum Antiochi ſpurciſſimâ Idalolatriâ refarmauit. Hujuſmodi repetita Dedicationes Gracâ voce ἐγκαίνια *dicuntur, quas Latinè dicere poſſemus* Renoualia, *ſeu* Renouales dies: *quia non tantùm*

tùm semel hodiè celebrantur, sed anniuersariæ sunt eorum solennitates.

Dedicationum ritus apud Iudæos.

Cæterùm quæ Iudæi fecerint in suis dedicationibus sacra Historia luculenter tradit. Dedicârunt ac initiârunt suo, non simplicibus & nudis verbis, sed adjectis externis ritibus, signis inquam & symbolis, quæ cernerentur: Non utique quòd crediderint rebus ipsis inhærere aliquam sanctitatem seu qualitatem diuinam: cùm enim sint inanima, sanctitatis minimè sunt capacia: verùm sic putârunt, quòd ritibus à Deo institutis, quæ consecrabantur, instrumenta fierent diuini spiritus, quibus hominum fidem excitarent. Nec falsi sunt: quoniam illa pro eo tempore verbum Dei habebant.

De Templorum dedicatione & inauguratione apud Ethnicos.

Apud Ethnicos quoque dedicationes & consecrationes variæ atque multiplices fuerunt. Has præsertim apud Romanos magno in pretio fuisse, non tantùm ex eo colligitur, quòd Templum primum Ioui Feretrio Romæ, ab vrbis regnique conditore Romulo, dedicatum testis est Liuius Decad. 1. lib. 1. sed etiam ex illa M. Horatij Puluilli atque Valerij Publicolæ Coss. historia id constat: de qua sic Liuius lib. 2. Dec. 1. Nondum dedicata erat in Capitolio Iouis ædis. Valerius Horatiusque Coss. sortiti, vter dedicaret, Horatio sorte euenit. Publicola ad Veientinum bellum profectus Ægrius quàm dignum erat, tulere Valerij necessarij, dedicationem tam inclyti Templi Horatio dari: id omnibus modis impedire conati, postquam alia frustra tentata erant, postem jam tenenti Consuli fœdum inter precationem Deum nuncium incutiunt: mortuum ejus filium esse, funestaque familia dedicare eum Templum non posse. Non credi derit factum, an tantum roboris fuerit, nec traditur certum nec interpretatio facilis est: nihil aliud ad eum nuntium à proposito auersus, quàm vt cadauer efferri juberet, tenetet postem, precationem perageret, & Templum dedicaret.

Consecrabantur autem apud Ethnicos quoque non tantùm Ædes sacræ, sed & homines: eiusque rei causam Cic. 2. de Legibus reddit: nempe, quòd mysteria quæ illis tradebantur, initia quædam vitæ humanæ essent: quibus homines à dura & agresti vita transferrentur ad humaniorem & cultiorem. Quin & pueri dicebantur initiari, cùm ablactarentur, quòd tunc ad aliud vitæ genus traducerentur: nimirum à lacte ad solidorum cibum atque potum. Vnde consecrari dicebantur Deabus Edidiæ ac Potinæ. Quarum rerum etiam in sacra Historia vestigia quædam exstant.

Christianorum in suis dedicationibus κακοζηλία.

Hæc omnia tam Iudaica quàm Ethnica κακοζηλίᾳ quadam ad se pertraxerunt Papistæ. Habent enim suas repetitas & anniuersarias dedicationes ac consecrationes: neque etiam aquam, panem & vinum solùm consecrant, sed homines, Sacerdotes, Altaria, Vestes, Vasa cæteraque utensilia Templorum: vt sunt Mantilia & Mappæ, Calices, Patinæ, Cerei, Thura Agnus paschalis, Cœmeteria: item Oua, Aqua lustralis, Rami palmorum, Virgulta, Herbæ, Olera Legumina, Fabæ, omnes denique fructus: & eò venitur, vt etiam Campanas ipsas consecrent: quæ omnia ex sequentibus patebunt.

Argumentum in ididem pro confirmatione dedicationũ Christianorum.

Gratianus de consecr. dist. 1. c. Tabernaculum: & Durandus in Rationale diuinorum lib. 1. cap. 6. dum ea, quæ in dedicationibus hujusmodi Templorum aliorumque rerum ineptè ab ipsis fiunt, excusare volunt, tali argumento vtuntur: Si illi, qui vmbræ Legis deseruiebant, hæc faciebant: quanto magis nos, quibus veritas patefacta est, hoc facere conuenit, & quæ ibi sequuntur reliqua. Digna profectò hujusmodi Theologis ratio: cui apprimè conuenit præterea interpretatio, quæ in eiusdem glossa legitur: si enim, inquit, id Gentiles faciebant, multò magis facere debemus nos: & sic est argumentum, quòd possumus argumentari ab exemplis infidelium. Hæc Gloss. Glossator itaque hæc instituta à Gentilium: author verò, cujus interpres est à Iudæorum authoritate & exemplo probat atque confirmat: quibus haud dubiè eodem iure adjungi poterit & alia ratio Durandi, ejusdem ponderis, quam in eodem argumento his verbis recenset: Nabuchodonosor etiam Rex, vocauit omnes satrapas, optimates & Tyrannus ad dedicationem statuæ aureæ, quam fecerat. Hæc ille. Sed hoc à Dedicationibus veteris Testamenti, de Ethnicorum enim nil attinet dicere, desumptum argumenti genus infirmissimum est: quia de Ceremonijs & Ritibus veterum non ita licet concludere. In præceptis moralibus firma esset ratio, sed in ceremonijs, quæ typi & vmbræ fuerunt, non ita fas est ratiocinari, cùm omnia ejus generis mandata sint Christi aduentum abolita, nisi Iudaismum in Ecclesiam Christi reducere velimus. Quo simul Durandi totum Rationale diuinorum officiorum confutatur: in eo siquidem omnes ceremonias Papistarum ex Iudaismo probare conatur. Ita quoque patres Concilij Colonien. anno 1536. habiti, parte 9. cap. 12. excusare nituntur suas dedicationes, simulque se judaizare negant: cùm tamen nihil in excusatione sua ex verbo Dei afferant, nisi quantum ad sua instituta ex veteri Testamento detorquent. Deinde Iudæorum dedicationes verbum & mandatum Dei expressum habuerunt: in nouo autem Testamento nihil tale præcipitur, sed potius docetur, tempus iam esse, quo sublata sint vmbræ & Ceremoniæ, & quo pater in spiritu ac veritate potius adorandus, non Ceremonijs, traditionibus aut constitutiunculis humanis colendus sit. Firmius igitur hoc argumentum in contrariam partem retorqueri posset. Nam si aduentûs sui splendore Christus vmbras & figuras omnes Iudaicarum Ceremoniarum discussit & dispulit, patefacta

earum

carum veritate, quæ diu ſub his inuolucris tanquam obtecta delituerat, ideò eam ipſam ob cauſam maximè ab ejuſmodi ſuperſtitioſis ceremonijs, non Ethnicis ſolùm, verùm etiam Iudaicis Chriſtianos abſtinere decet. Aut ſi ceremonias Leniticas, non modò tanquam inanes & ſuperuacaneas, ſed etiam vt damnoſas & exitioſas abrogari oportuit, ne ijs Chriſti beneficium vel abrogaretur, vel vis ejus eneruaretur, quid malùm, opus eſt aut nouas ceremonias ingenio humano excogitatas accerſere, aut jam olim exoletas in vſum reuocare, quibus velut poſtliminio non ſolùm Iudaiſmus, ſed & Ethniciſmus, tanquam abrogato Chriſtianiſmo reſtituatur? Deinde cogitent quantum interſit inter Legem & Euangelium & vtriuſque Miniſterium: item inter umbras ſeu figuras, & earum patefactam veritatem, ac denique inter Moſem & Chriſtum, inter Leuiticum & Evangelicum Sacerdotium. Denique ſi Deus illas rejicit imò execratur ceremonias, quas tamen ipſemet inſtituit, cùm in alium finem ſuperſtitioſè iis vterentur, quanti has eum facere exiſtimabimus, quæ non modò ab illo traditæ & præſcriptæ non ſunt ſed tota ab hominibus ſuperſtitioſis adinuentæ ac inſtitutæ?

CAPVT II.

De Origine Dedicationum & Conſecrationum TEMPLORVM apud Chriſtianos.

A quibus dedicationes Templorum inſtitutæ.

DEdicationes ſeu Conſecrationes Templorum à primis Epiſcopis Romanis inſtitutæ ſunt, ſi Decretalibus eorum Epiſtolis fidem aliquam habere volumus. Nam in altera Clementis epiſtola ad D. Iacobum ita ſcribitur: Eccleſias facite per congrua loca, quæ divinis precibus ſacrare oportet, & in ſingulis ſacerdotes diuinis orationibus dicatos poni. Tom. I. Concil. De Pio Pontifice Platina in vita ejus indicat, quòd, rogatu primò Praxedis thermas Nouati in vico Patricij in honorem ſororis ſuæ D. Prudentianæ dedicârit. Quæ Euariſtus, Higinus & alij nonnulli primorum Pontificum Romanorum de Baſilicarum & Templorum Dedicationibus ſtatuerint poſtea indicabimus. Sed hæc probari non poſſunt: Neque enim aut facultates alere, aut baſilicis, Templis & ædificijs publicis conſtruendis operam dare tum ſinebant continuæ & atroces in omnibus locis perſequutiones, id quod ſupra oſtendimus. Præterea etiam de Dedicationibus hujuſmodi Templorum in hiſtorijs aliarum Eccleſiarum, præter Romanam, primis illis poſt Aſcenſionem Chriſti ſeculis nihil omnino legitur. Sed quia Romaniſtis hoc ſemper curæ fuit inprimis, vt ſuas leges, inſtituta, ritus & conſuetudines, adeoque cultum ſuum externum totum, quoad ejus fieri poſſet, antiquitatis authoritate ſeu potius fuco commendarent, redderentque auguſtiorem, effectum eſt, vt à priſca vetuſtate ſæpe authores accerſant, quibus nihil vnquam ſimile ne in mentem quidem venit. Sed quoſcunque jactent authores, dum alios, quàm Chriſtum, aut Prophetas & Apoſtolos producunt, ſatis declarant, quo loco habendæ ſint humanæ iſtæ traditiones, quibus Deus irridetur, non colitur.

Vt vt verò hæc ſe habeant, rectius illi ſentire videntur, qui Felici I. tribuunt, quòd ritum dedicandi Templa de nouo inſtituerit. Vixit enim ille, & Roman. Pontificatum tenuit ſub M. Aurelio Quintilio & Valerio Aureliano Impp. quo tempore in eminentia, felicitate & commoditate ſumma Chriſtianorum res fuerunt, Euſebio teſte libro 8. capite primo. Credibile ergo, licuiſſe illis tum vel Templa de nouò condere, vel Ethnicorum repurgare: vnde mirum non eſt, ſi ea quoque cum maximo gaudio ſuo cultui dedicârunt & conſecrârunt. Panthal. in Chron. ex Volaterano. Petrus tamen de Natalibus lib. 10. c. 38. teſtatur apertè, Sylueſtrum I. conſecrationes Altarium & Templorum inſtituiſſe primùm. Petrus Martyr etiam S. Theologiæ in Schola Tigurina Profeſſor acutiſſimus, alijque docti, in hiſtorijs verſati & antiquitatis ſtudioſi viri, in ea prorſus ſunt ſententia, Conſtantinum M. occaſionem & initium hujuſmodi apud Chriſtianos Templorum Dedicationibus dediſſe. Ille enim cùm Byzantium inſtauraſſet, eaque vrbe decreuiſſet vti pro ſede Romani Imperij, voluit eam Deo conſecrare: atque ad ejus dedicationem 318. Patres, qui Nicænam Synodum eo tempore celebrauerant, vocauit. Idem quoque Imperator Hieroſolymam profectus, Templum admodum magnificum Chriſto exſtruxit, ornauitque anathematis innumeris: & euocauit eò Epiſcopos illos, qui Tyri Concilium habebant, vt ad ipſum dedicandum venirent.

A quibus TEMPLA Dedicari ſeu Conſecrari debeant.

AVthor libelli de Paſſione Domini apud Athanaſium indicat, poſt annum demùm Domini 300. inſtitutum fuiſſe, vt Epiſcopi ſolùm Templa conſecrent, non minores Sacerdotes. Martinus autem Polonus, Platina, Sabellicus Enne. 8. Volateranus, Nauclerus Geneſ. 16. Polyd. libro ſexto, capite octauo. Panthal. in Chron. Balæus in vita Felicis. Valer. Anſ. Ryd. hoc tribuunt Felici III. qui Epiſcopatum Romanum tenuit circa annum Domini 527. Confirmatur in Conſilio Spalenſi act. 8. pagina 188. Et præcipitur etiam 26. quæſt. 5. miniſtrare. de conſec. diſt. 1. c. nemo extra de conſec. Eccleſ. quòd in dubijs. Vnde Concilium quoque Carthaginen. q. 6. c. 3. prohibet hoc facere Sacerdotem, néue hoc alicui inferioris ordinis demandet ſtatuitur: extra eo. aqua. Refert Durandus in Ration. diuinorum lib. 1. c. 6.

Socratis locus de non consecrandis Templis sine Rom. Pontificis authoritate.

Socrates lib.2.c.8.asserit, Canonem Ecclesiasticum jubere, ne qua canonicè dedicetur Ecclesia, sine consensu Romani Episcopi. *Quem verò intelligat Canonem, non facilè est intelligere: nam inter Nicanos nullus talis exstat. Sed videtur Socrates ex epistola Iulij Papa hanc phrasim accepisse libro secundo, capite 17. de quo non est mirum si mysterij iniquitatis more, canones sibiipsi de suo jure mentitus est. Sozomenus libro tertio, eandem Historiam referens, non meminit canonis de consecrandis Templis cum consensu Romani Episcopi. De Gelasio item 1. qui Episcopatum Romanum circa annum Domini 495. tenuit, refertur de consec. dist.1.c. pracepta synodalia. & Basilicas nouiter. quòd statuerit,* Ne Basilicæ nouæ, seu nouiter institutæ, sine præceptione Papæ dedicentur. *Idem etiam ad Ioannem Soranum Episcopum scripsit,* Ne publicæ processiones fiant, in Oratoriis, quæ præter auctoritatem sedis Apostolicæ fuerint consecrata *dist. ead. c. certum est. Ex his concludunt Doctores Canonum,* Ecclesiam, datâ potestate à Roman. Pontifice, à solo proprio Episcopo, aut saltem eo, cui consecrandi partes is demandârit, consecrari posse. *Ratio quâ Durandus probat hoc munus soli Pontifici conuenire, hac est:* Quoniam, *inquit,* gerit Imaginem Christi, & figuram summi Pontificis Christi, spiritualiter dedicantis, sine quo nihil possumus in Ecclesia stabilire: vnde ipse ait, sine me nihil potestis facere: & in Psal. Nisi Dominus ædificauerit domum. Vnde Concilium Carthaginense prohibet hoc facere Sacerdotem, nec potest hoc alicui inferioris ordinis demandari.

Hac autem authoritas antiquitùs semper fuit politici Magistratus. Nam Solomon Rex, non Pontifex, jussit dedicari suum Templum, & ipse illius Dedicationis pracipuas obiuit partes, vt est videre 3. Reg. 8. Idem postea Templum, cùm ab Achaso rege pollutum esset, Ezechias aperuit, & Sacerdotibus, vt denuò perpurgarent & consecrarent, imperauit. Esdra 6. cap. non summus Pontifex, licet insignis ac celebris Messia typus esset, verùm filij Israël, Sacerdotes, Leuita & reliqui filij transmigrationis vnà Templum sub Zorobabele adificatum dedicâsse memorantur. Ac licet sic credendum, ipsum in hac actione non postremas partes tenuisse: tamen hac potestas non illi soli assignatur, sed ejus persona perinde ac reliquorum Sacerdotum ipsius ordinis nomine tantùm notatur.

Inauguratio & consecratio non cuiuis apud Ethnicos concessa.

Non licebat etiam cuiuis apud Ethnicos Templa dedicare, sed Consulibus tantum & Imperatoribus: item Decumuiris & Censoribus, & alijs hujusmodi: vt ex illa historia intelligitur Cn. Flauij, quam etiam Liuius Dec. 1. libro nono, narrat. Is enim, *inquit,* scriba, Patre libertino, humili fortunâ ortus, & ædilis curulis ædem Concordiæ in area Vulcani summâ inuidiâ Nobilium dedicauit, coactusque consensu Populi Cornelius Pontifex mox verba præire, cùm more Maiorum negaret, nisi Coss. aut Imperatorem posse Templum dedicare. Itaque ex authoritate Senatus latum ad Populum est, Ne quis Templum arámue injussu Senatûs, aut Trib. plebis partes majores dedicaret. *Illa lex lata fuit à Q. Papirio Trib. pleb. qua idcirco Papyria appellata est. Ejus etiam fit mentio apud Ciceronem in Oration. pro Domo sua.*

Dedicaturus Templiũ cogebatur id prius ad Sacerdotum collegium referre.

Ille autem, qui dedicare volebat, prius ad Sacerdotem publicorum atque Pontificum Collegium referre id cogebatur. Sic enim Cicero pro Domo sua inquit: C. Cassium Censorem de signo Concordiæ dedicando ad Pontificum Collegium retulisse, eique M. Æmilium Pontificem Maximum pro Collegio respondisse: nisi cum populus Romanus nominatim præfecisset, atque ejus jussu faceret, non videri ea rectè posse dedicari. Quid? Cùm Licinia Virgo Vestalis, summo loco nata, sanctissimo Sacerdotio prædita, T. Flaminio, Q. Metello Coss. aram, & ædiculam, & puluinar sub saxo sacro dedicâsset, non eam rem ex auctoritate Senatûs ad Collegium Sex. Iulius Prætor retulit? *Idem:* Atque ille tamen Quintius Martius Censor ad Collegium retulit: tu ad quem retulisti? Si quid deliberares, si quid tibi aut piandam, aut instituendum fuisset Religione domesticâ, tamen instituto cæterorum vetere ad Pontificem detulisse: Nouum delubrum cùm in vrbis clarissimo loco, nefando quodam atque inaudito inchoares, referendum ad Sacerdotes publicos non putasti? At si Collegium Pontificum adhibendum non videbatur: nemóne horum tibi idoneus visus est, qui ætate, honore, auctoritate antecellunt, vt cum eo dedicationem communicares? *Ex quibus colligimus, non licuisse injussu Populi & inscio Sacerdotum Collegio, cuiquam Templum, aut Aram, aut quiduis aliud dedicare.*

Vnde, quemadmodum etiam ex multis alijs, perspicuum fit, Romanos Pontifices ea tantùm ex legibus, institutis ac Ritibus Mosis atque veteris Sacerdotij decerpere, & ad imitationem sibi sumere, qua allubescunt, quaq; torqueri quoquo modo possunt ad tyrannidem eorum stabiliendam. Quemadmodum igitur Iulius Casar olim, quicquid Pontificibus, tribunis, dictatori, consulibus potestatis ac dignitatis in Romana republ. fuit, id omne sibi vendicauit, vt ne quid ei ad summam potentiam deesset; sic etiam Pontifices Rom. quicquid in sacris literis, in Ecclesia veteri, in extrarum gentium ritibus ac legibus

gibus vſquam fuit, quod quidem ipſis ad augendam ſtabiliendamque potentiam vſui futurum videretur, id omne per fas & nefas ad ſe ſolos pertraxerunt. Hæc verò tyrannis non ſolùm Iudæis, ſed & primitiuæ Eccleſiæ Chriſtianis planè incognita fuit. Nam ſub Chriſtiani Principibus, Euſebius Epiſcopus Hieroſolymitanum, & Athanaſius Alexandrinum, non dedicari poſſe exiſtimârunt, niſi jubente Conſtantino Imperatore.

Quæ TEMPLA *Conſecranda.*

IN *Bracarenſi Synodo c.6.præcipitur*, vt ſi quis baſilicam quæſtûs cauſa ædificet, nullus Epiſcoporum eam conſecret. *De conſec. diſt.1. c. ſi quis baſilicam.*

In eadem Synodo 2. capite 5. circa annum 610. *ſancitur*, Ne priùs Eccleſiam aliquam conſecrent Epiſcopi, quàm de dote chartulam ſeu ſcriptum acceperint, 1. *quæſtion.* 2. *placuit. Item de conſec. diſt.* 1. *extra de conſec. Eccleſ. vel altar. cum ſimil. Quod quidem vtcunque ferri poterat, niſi ſuperſtitio fuiſſet adjecta, quâ voluerunt in ea Synodo caueri, ne Templum eſſet abſque oleo & luminaribus. Vnde & Synodus Vuormatienſis capite* 3. *anno* 868. *celebrata, manifeſtè decreuit*, Non priùs fieri debere Dedicationem quàm Eccleſiæ ſatis ſit proſpectum de ſumptibus, quibus alendi eſſent Miniſtri, luminaria & alia. *In pauperes & ægrotos iſti ſumptus longè melius fuiſſent collocati. Athanaſius, Gregorius Nazianzenus & Euſebius harum rerum in ſuis dedicationibus nullam prorſus faciunt mentionem.*

Tertiò ea tantum conſecranda Templa ſtatuerunt, quæ conceſſerit Romanus Pontifex, *vt modò indicauimus.*

Ritus *Conſecrandi* TEMPLA.

SI *ipſis maximè Decretalibus primorum Pontificum Romanum fidem habere voluerimus, nullis tamen alijs Ceremonijs ſeu Ritibus conſecrata ab initio Templa fuiſſe conſtabit, quàm oratione. Ita namque Clemens in altera ad Iacobum Epiſtola ſcribit*, Eccleſias facite per congrua loca, quæ DIVINIS PRECIBVS ſacrare oportet. *Et quibus Ceremonijs Conſtantinus Templum Saluatoris Hieroſolymis in loco Cranij exſtructum conſecrari curauerit, commemorat Euſebius libro quarto, de vita Conſtantini, & Athanaſius Apologia 2. Ex qua commemoratione liquet, quali ratione veteres iſti Templa ſua conſecrârint: Nihil ibi dicitur de magicis aut ſuperſtitioſis cultibus, de aſperſione aquæ luſtralis, aut ſimilibus rebus, quæ poſterioribus temporibus in huiuſmodi dedicationibus vſurpari cœperunt; ſed ſimpliciter indicatur,* quòd Conſtantinus Imper. ad Templi illius dedicationem conuocârit Oecumenicam Synodum apud Tyrum congregatam, eamque conſecrationem concionibus & precibus, nec non gaudio & exultatione magnâ peractam fuiſſe. *Similiter* Patres è Niceno Concilio rogatu Conſtantini Byzantium veniſſe, & eam vrbem precibus & votis dedicâſſe, & Conſtantinopolim ac nouam Romam appellâſſe, *Nicephorus lib.8.cap.26. indicat: item Zonaras tom. 3. de Conſtantino. Conuocauit & Baſilius Epiſcopus Ancyræ ad conſecrationem Templi recens à ſe conſtructi, vicinorum locorum Epiſcopos, vt Sozom. narrat lib* 4. *c.* 13. *Agit & de eodem ritu Baſilius in enarratione Pſalm.114. Hic ritus etiam in Affricanis Eccleſijs receptus fuit: quemadmodum ex Athanaſio videre eſt, qui Chriſtianos in Templis nondum conſecratis non conueniſſe clarè indicat in Apologia ad Conſtantinum: vbi & Templa, quàm primum exædificata fuerint, gratiarum actionibus conſecrata eſſe teſtatur. At ſi maximè verũ eſſet, quod Laurentius Surius tom. 1. de vitis Sanctorum ex Metaphraſte de quodam Auxibio Euangeliſtæ Marci diſcipulo, & Solenſi Archiepiſcopo (quaſi verò tempore illo Archiepiſcopatus apud Chriſtianos fuerint, quò illis vix prodire in publicum licuit, ob tyrannorum ſæuitiam) refert*, ipſum Eccleſiam dedicâſſe, *non tamen euincere poterit alijs ritibus quàm oratione id feciſſe. Ita enim apud ipſum Surium Metaphraſtes inquit:* Ingreſſus (*Auxibius*) Eccleſiam dedicaturus eam, humi ſe proſtrauit, cœpitque clamare & dicere cum lachrymis: Domine omnipotens Deus, qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, *&c.* corrobora me tuum famulum & da mihi audaciam, vt liberè & ſine metu prædicem verbum tuum, & eos illumina tua gratia, vt conuerſi ab errore diaboli, agnoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Certè benigne & clemens Deus, fac vt inhabitet ſanctiſſimus tuus Spiritus in hac ſancta domo, quę eſt ędificata in ſancto tuo nomine, eamque ſtabili & confirma; immobilem eam conſeruans in tua fide, vſque ad conſummationem ſeculi, *&c. Ceremoniarum aliarum nulla ibi fit mentio.*

Cæterum vt Templorum conſecratio ex ἐγκαινίᾳ Iudaiſmi originem ſumpſit, ita quoque ſuperſtitioſis Ritibus & Ceremoniis anſam mox præbuit: Nam in Decretalibus Epiſtolis Euariſtus ſtatuiſſe dicitur, vt baſilicæ non niſi per Miſſam conſecrentur. *Sed ſi verum eſt quod refert Gratianus de Conſecr. diſtin.*1. *cap. omnes baſilicæ, & Iuo libro ſecundo, decret. Platina & Sabellicus Enne. 7. libro quarto. Higinus hoc ſtatuit: & ſunt, vt gloſſator ibidem annotat, qui dicant*, Miſſã eſſe de conſecrationis ſubſtantia. *Superſtitioſi ritus dedicandi Templa quãdo orti. Dedicandi Templa per Miſſam.*

Falsò autem hoc decretum vel Euaristo vel Higino attribui, inde conyicio, quòd Missæ nomen, cuius illi in suo decreto meminerunt, eo Tempore in rerum natura non fuit. Deinde etiam nullas habuerunt ea ætate vel Basilicas, vel Templa, sed vel simplices domos, vel speluncas & abdita loca in quibus conuentus suos celebrârunt. Et quod magis auget suspicionem, hoc Decretum ne in Higini quidem Decretalibus legitur, sed solum à Gratiano citatur: permulta autem Monachus iste hinc inde recitat, veluti de Pontificum responsis sumpta, quæ tamen in scriptis quæ illorum Pontificum nomine adhuc supersunt, non leguntur, vt longâ serie probari posset. Factum hoc ex falsa Bibliothecarij Romanæ Ecclesiæ relatione, à quo Gratianus multa in suo Decreto habet: is verò scripta sua consarcinauit ex quibusuis apocryphis vel fictis scriptis in scrinijs vel Bibliothecis Papæ, quibus præ erat, repertis.

Iudiciū de Gratiani Decreto.

Dedicanda Templa vnctione Chrismatis.

Deinde, si bullæ Clementis VI. in qua Iubileum, quem Bonifacius VIII. centesimo quoque anno celebrandum indixerat, abbreuiat, & quinquagesimo celebrari præcepit, fides aliqua adhibenda est, Syluester I. instituit Dedicationes Templorum per vnctionem Chrismatis: *& eo pacto veterem illam Iudæorum consuetudinem consecrandi & dedicandi Templa vnctione scilicet alijsque puerilibus Ceremoniis primus reuocauit, cùm hactenus id factum fuerit per Evangelicos tantum sermones, precationes & gratiarum actiones, vt supra retulimus. Sic enim scribit inter alia in ea bulla,* se velle vt in Templa Lateranensi Iubileus celebretur, idque eam ob causam, quòd Syluester Papa hoc Templum consecrârit nouo quodam consecrandi ritu atque vnctione. *Si igitur verum est quod hic Papa scribit, falsum erit quod quidam affirmare audent, Templa & Sacella quædam ab ipsis Apostolis ad hunc modum consecrata fuisse.*

Tertiò, post annum Christi 300. *in Dedicationibus Templorum addere cœperunt donaria magnifica, quemadmodum de Constantino M. Eusebius indicat lib.*4. *vita eius, quòd in dedicatione Templi Hierosolymitani in loco Cranij exstructi* id dotârit, & regalibus anathematis exornârit. *Idem etiam de Bonifacio I. Cœlestino I. & Sixto III. referunt Platina & Sabellicus Enne.*8.*lib.*1.

Præterea circa Gregorij I. tempora in dedicationibus Templorum fumigationes *cœpta sunt vsurpari.*

Ritus dedicationiū à Gregorio M. dictati.

Et sanè Gregorius ipse mirabiles dedicationes dictat varijs Episcopis: libro 10. *epist.*12. *libro septimo, Epist.*71. *libro octauo, epist.*63. *libro octauo, indict.*3. *epist.*3. *Ecclesiam, propè domum Merulanam positam, Seuerinoque dicatam, consecraturus,* sibi ejus reliquias transmitti postulat: *libro secundo, indict.*2.*c.*58. *Ipseque primus semper vult,* vt Reliquiæ aliquæ in consecratione Templorum præstò sint: & diligens fiat exploratio, ne alterius cujusdam sancti corpus ibi sit sepultum. *Gilbertus Cognatus Narrat. Syl. lib.*3. *Et in Nicæna II. idololatrica synodo anno Domini* 788. *celebrata, similiter statuitur, cap.*7. Ne Templa sine Reliquijs Sanctorum consecrentur.

Est & hic insignis error in Gregorio, quòd vult, vt quotannis diebus octo Encænia celebrentur, ad imitationem Iudæorum, qui domum Iehouæ, sub Achaz prophanatum, octo diebus sanctificârunt. 2. *Paralip.* 29. *de consec. distin.* 1. *cap. Solennitates, Iudas quoque Machabæus, cum fratribus & toto populo constituisse dicuntur,* vt dies renouati Templi singulis annis octo diebus celebraretur. *Nam hac de re nullum vel Christi, vel Apostolorum, vel primitiuæ Ecclesiæ præceptum exstat.*

De expiationibus quoque Templorum Ethnicorum, hic Gregorius Augustino Anglorum Episcopo præcipit, vt fana Idolorum destrui in eadem gente minimè debeant: sed ipsa quæ in eis sunt idola, destruantur: aqua benedicta fiat, in ijsdem Templis aspergatur, Altaria construantur, Reliquiæ ponantur: quia si fana eadem benè constructa sunt, necesse est, vt à cultu dæmonum in obsequium Dei veri debeant commodari: vt dum gens ipsa eadem fana non videt destrui, de corde errorem ponat, & Deum verum cognoscens ac adorans, ad loca quæ consueuit familiarius concurrat.

Paulus I. dedicationibus Templorum nouas etiam Ceremonias addidit vt Balæus in vita ejus refert: sed quæ aut quales eæ fuerint non indicat.

Quibus etiam Ritibus celeberrima illa dedicatio Ecclesiæ B. Mariæ Aquisgrani à Carolo M. instituta sit ac celebrata, non quidem indicatur in Fragmento historico incerti authoris ab Vrstisio nuper parte secunda, Historiarum Germaniæ edito: sed tamen refertur, interfuisse ei solennitati Leonem III. Pontificem Romanum, metropolitas & Episcopos 365. exceptâ innumerabili multitudine Ducum, Marchionum, Comitum & Baronum Italiæ, Saxoniæ, Bauariæ, Alemaniæ ac vtriusque Franciæ. *Et quia Carolus insignem, in hac Dedicatione, ab se institutam, præ se tulit deuotionem, obtinuit etiam à Pontifice & Episcopis, à Ducibusque quoque & Primoribus regni,* vt in Templo hoc sedes vnctionis regiæ locaretur, & regalis locus caputq; Galliç trans Alpes haberetur, & in ipsa sede reges successores & hæredes regni initiarentur, & sic initiati jure de hinc imperialem benedictionem Romæ à Papa sine vlla contradictione plenius assequerentur.

Dedicatio Ecclesiæ Mariæ Aquisgrani.

Aquisgranum sedes regiæ vnctionis unde & quando factum.

Con-

Confirmatum est hoc decretum à Leone & Carolo M.

Ritus consecrandi templa ex veteri Agenda. *In veteri quadam Agenda Ceremonia & Ritus consecrandi Templa hù verbis describitur.* Convenerunt ad limina Templi consecrandi Episcopus facris indutus vestimentis, omnis Clerus cunctusque populus: ibique duodecim positæ fuerunt candelæ ardentes intus in Ecclesia ante 12. cruces in Ecclesię parietibus depictas. Ad Templi fores occlusas recitabantur primùm ab Episcopo aliquot preculæ: postea clero & populo Templum circumeuntibus, & cantantibus responsorium aliquod. Episcopus parietes aqua benedicta, quæ fale mixta erat, aspergebat cum fasciculo hyssopi. Quibus ad Templi ostium, vnde modò digressi fuerant, redeuntibus Episcopus, repertis prius aliquot preciunculis, ad ostium accedens, baculo pastorali illud pulsabat: Tollite, *inquiens*, portas, Principes, vestras & eleuamini portę æternales, & introibit Rex gloriæ. Cui diaconus in Templo conclusus respondebat: Quis est iste Rex gloriæ? Episcopus vicissim: Dominus fortis & potens in prælio. His tertiâ vice peractis, januam reserari jubebat Pontifex: quâ apertâ ipse cum duobus tribusque Ministris, cum Mansionario & Acolutho tantum ingrediebatur reliquis foris manentibus, tet hac iteratâ salutatione: pax huic domui: moxque ostium denuò claudebatur, & Episcopus se ad Altare prosternens, preces faciebat. At Clerus foris Litanias cantabat, quibus Sacerdotes humeris gestantes feretrum, quo Reliquiæ novum illustraturæ Templum continebantur, astabant, vsque dum Episcopus Altare & omnia ejus instrumenta sanctificâsset. Ludebat autem interim in Templo quibusdam ineptiis Episcopus appingendo literas in pavimento & parietibus, exortizando sal, aquam, cinerem, vinum: hisque simul commixtis intingebat pollicem, ac sæpius crucis signum Altare norabat: deinde & parietes interiores Templi, totamque Aream perfundebat. Post hæc rediens ad Altare, incensum offerebat. Tandem in omnes Angulos pollice infinitam pingebat multitudinem crucium, hæc adijciens verba: Sanctificetur hoc Templum in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, Amen. His peractis Concionem habebat Episcopus ad populum ante ostium Templi, de honore Ecclesiastico, de decimis, de oblationibus Ecclesiarum, ac de anniversaria illius Ecclesiæ dedicatione, alijsque de rebus magis ventrem, quàm sacros Cultus spectantibus. Tandem simul omnibus ingressis Templum horrendo boatu replebant. *Eundem ferè ritum describit Ioan. Sleidanus lib. 21. Comment. Et Durandus in Rationali divinorum lib. 1. cap. 6. Quæ profectò si ex magorum & in cantatorum schola profecta non sunt, nescio unde sint desumpta.*

Ritus tamen hujus superstitiosissimi reddunt has causas. 1. Quòd basilicam consecrandam Pontifex ter circuit, eo effingit triplicem circuitum Christi: nempe de cœlo in mundum, de mundo ad limbum, de limbo ad cœlum: vel triplicem Ecclesiæ statum, ut conjugatorum, viduarum, virginum. 2. Quòd ter Pontifex ostium pulsat, dicens: Attollite portas: significat triplex jus esse Deo in corda nostra, *secundum Anshelmum*: primum quia fecit, dein quia redemit, denique quia seipsum nobis promisit & dedit. 3. Aquam aspergens, significat baptismum & pœnitentiam. 4. In pavimento literarum characteres scribens in cineres illuc sparsos ad crucis formam ductis lineis à dextra sinistrorsum & contra, effingit duorum populorum conjunctionem, & humilitatem 5. In parietibus intus cruces pingit ad repressionem sensuum, *de qua Paulus Galat. 5. 6.* Luminaria ante cruces ponuntur, ad significandum lumen, in quo nobis sit ambulandum. 7. Inungit cruces Chrismate ad odorem bonæ fragrantiæ significandum. *& similia multa nugantur.*

His Ritibus seu potius incantationibus divinam quandam vim attribuunt. Putant enim nisi dedicetur Templum, non posse ibi preces haberi, non exaudiri orantes, non rectè prædicari verbum Dei, nec Sacramenta administrari. Nam Clementi & Felici Romanis Pontificibus affinxerunt, quod decreverint, non nisi in consecratis locis sacrificare & Missas celebrare licere: *de Consecratione distinct. primâ can. Sicut non alij: item, Hic ergo. Vbi simul indicatur, quòd idem in Triburiensi Synodo anno* 811. *habita, sancitum fuerit. Hæc autem sententia manifestè Iudaismum olet: alligat enim Religionem ad certa loca. Scriptum quidem exstat Deut. 12.* Vide ne Holocausta tua offeras in omni loco, sed in eo duntaxat quem Dominus elegerit: *Vnde colligunt, in ijs solùm locis faciendà esse sacra, quæ ipsi suis incantationibus consecrârint & dedicârint: cùm Deus hoc non de locis iji quos ipsi crucib. & unctionibus suis consecrârint; sed de urbe adeò Hierosolymitana illustri Ecclesiæ typo locutus sit. Deinde supra ostendimus, in veteri Testamento, religionem & cultum Dei externum, in primisque Sacrificia Templo Hierosolymitano ita fuisse alligata, ut extra illud immolare & sacrificare nefas fuerit: in novo autem Testamento relaxata est hæc Ceremonia Christi adventu, qui locum Cultûs & Religionis liberum suis fidelibus fecit.* Dedicationum superstitiosarum abusus.

Addiderunt & hunc abusum, quòd hoc ritu existimârunt depelli Satanam. Ac ut ea res plus

admirationis & authoritatis haberet, signa mendacia confinxerunt plurima, quibus magno studio applausum est. Adrianopoli enim, cùm Alipius Templum Eufemiæ consecraret, conspecti sunt Diaboli magnis turmis avolare: refert Metaphrastes in vita Alipij. Hoc si maximè verum est, factum tamen ad cultum idololatricum & superstitiosum confirmandum, ac seducendum impios. Ita de Pantheo, quod antea fuerat idololatricum Templum, à Bonifacio 4. autem S. Mariæ & omnibus Martyribus dicatum, Petrus Præmonstratensis refert, quòd ante dedicationem ejus, Christiani sæpè à Dæmonibus percussi sint in illo templo: id verò deinceps post consecrationem ejus non amplius factum. Addit verò Balæus Centuria 1. de Scriptoribus Britanniæ in Bonifacio 4. ideò cessâsse illos spiritus, si maximè vera sint quæ Præmonstratens. referat, quòd tunc Romani illa mutatione amici Diabolorum essent facti, dum neglectâ & corruptâ doctrinâ omnia replerent superstitiosis Ceremonijs & traditionibus humanis. *Quasi verò superstitiosis suis Ceremonijs possint diabolum cogere, ut discedat cum voluerint, cum tale Spiritus Sancti χάρισμα non acceperint. Deinde nesciunt illi, an Diabolus eo in loco sit, quem illi consecrant: quod cùm ignorent, nec verbo Dei muniantur, quicquid agunt, citra fidem operantur, & iccirco peccant, cùm Apostolus dicat*, Quicquid ex fide non est, peccatum est. *Fuere quidem interdum domus ubi spiritus maligni horrenda quædam exercuerunt, ita ut ab hominibus non potuerint habitari, cujus illustre exemplum exstat lib. 7. epistolarum Plinij 2. Sed ibi facto ipso cognoscebatur spiritus malus præsens adesse. At in cæteris ædificijs, nec ex effectis, non ex Dei verbo intelligi potest cacodæmonas inesse: Cur ergo isti tam imperiosè illos adjurant? Cur non potius totum terrarum orbem exorcisant, cùm Paulus Ephes. 6. diabolos κοσμοκράτορας appellet? aut saltem universum aërem, quo ad respirandum utimur: cum spiritus mali potestates aëris appellentur?*

3. *Cumque ab initio Christianismi templa Oratoria, Dominica, & Domus Dei vocarentur, sicut supra indicavimus, ut quæ soli Domino Iesu Christo sacra essent, & publicis precibus, alijsque divini cultus exercitijs eidem dedicarentur, tandem Sanctis mortuis dedicari cœperunt, & Divorum Divarumque nominibus appellari, utpote Petri, Pauli, Mariæ & aliorum. Quæ res quidem circa annum demum Christi 500. cœpit, & paulatim in fœdissimum abusum abijt, ut supra indicavimus. Sic Ethnici quoque, cùm certis Ceremonijs sua Templa consecrâssent, uni alicui dedicârunt, quos pro Dijs colebant, indeque Templum denominârunt. Hinc, ut Arnobius libro 6. contra Gentes testatur, dicere solebant,* hoc Templum Martis est, hoc Veneris, illud Iunonis: Apollo hîc habitat, in hoc manet Hercules, in illo Summanus, &c.

Est & hic insignis Dedicationum Templorum abusus, quòd visitationibus earum peccatorum remissionem ascripserunt: id quod primò fecisse à Pontificijs dicitur Gregorius M. circa annos 600. quem inde in eodem errore sequutus est Alexander II. circa annum Domini 1066. qui inquit in Privilegio Caßinensi. Statuimus, vt quicunque devotus ad Cassinensis Ecclesiæ dedicationem annualiter venerit, de peccatis suis 40. dierum remissionem accipiat. 4.

Item, quòd has Ceremonias ab hominibus inuentas pluris faciunt, quàm Sacramenta diuinitùs instituta. Maiori enim pompâ & apparatu in eis administrandis vtuntur, quàm cùm Cœnam Domini vel Baptismum celebrant. 5.

Præterea etiam Conuiuia & Comessationes vsitatæ fuerunt in ejusmodi Dedicationibus: quæ vnde originem traxerint, in libro nostro de Festis Christianorum sub Encaniorum festiuitate, pluribus indicatur: Ea in primitiva Ecclesia tolerata quidem certis de causis aliquandiu fuerunt, postea verò in Nicæno Concilio damnata: sed rursus confirmata à Gregorio M. qui ait: Ethnicis, qui boves solent in Sacrificio Dæmonum multos occidere, debet etiam hac de re aliqua solennitas immutari, vt die dedicationis vel natalitio Sanctorum Martyrum, quorum in Templis Reliquiæ ponantur, Tabernacula sibi circa easdem Ecclesias faciant de ramis arborũ, & religiosis conviuiis solennitatem celebrent: *libro nono, indict. quarta, Epist. 71. ad Augustinum Anglorum Episcopum.* 6.

Dedicationum ritus apud Ethnicos.

Apud Ethnicos quoque Dedicationum hujusmodi forma hisce ferè ritibus atque Ceremonijs constabat: Omne spatium, quod erat Templo dicatum, coronis atque vittis vinciebatur: idem cum à populo felicibus ramis, tum à virginibus Vestalibus aquâ perluebatur. Is, qui dedicabat, postem Templi, qui, *vt inquit Cicero*, ibi est, vbi aditus Templi, & valuæ ambulationis sunt, manu sua tenebat, certa quædam atque solennia verba, sive precationem, præeunte aliquo Pontifice, effabatur. Area item certis Sacrificiis lustrabatur, exta super cespitem reddebantur, vittæ, quibus ligatus lapis, innexique funes erant, à dedicante contingebantur: populus etiam vniversus saxum primum tangebat, fundamentis certas res, vt auri & argenti stipes injiciebant, Simulachrum Dii aut Deæ illius, cui Templum dedicabatur, sæpè quoque aliunde translatum, *vt de Iunonis simulachro, Veijs Romam aduecto, Liuius scribit Decade 1. lib. 5.* in Templo ipsum quoque prius vnctione dedicatum, vnà cum ara & pulvinari collocabatur, *Hæc ex Liuio, Cornelio Tacito, Cicerone,*

cerone, & alijs colligere licet, quos quidem Ritus omnes atque Ceremonias videre licet in Capitolij restauratione apud Tacitum, eo loco, quem supra citaui. De his Ethnicorum dedicationibus seu consecrationibus Templorum alia multa videre licet apud Ciceronem, præsertim in oratione pro domo suo ad Pontifices.

Is porrò, qui dedicare volebat, vel totum Collegium advocabat, vel vnum & alterum Pontificum adesse jubebat, qui verbis ei praeiret: cuius quidem advocationis Cicero pro Domo sua hujusmodi formam præscribit: Ades, Ades, Lucule, Servili, dum dedico domum Ciceronis, vt mihi præeatis, postemque voueatis.

TEMPLA quando, & quibus Ritibus *reconsecranda.*

PReter illa decreta Roman. Pontificum quæ supra retulimus, etiam alia quædam exstant de Dedicationibus Ecclesiarum. Nam si qua fides Canonibus Synodorum, qui in tomis Conciliorum, vt hodiè exstant, continentur, tribuenda est, habetur inter Canones Concilij Nicæni conscriptos à Gratiano, Canon, qui præcipit, Ecclesias semel consecratas non iterum consecrari debere: *& hanc rationem affert:* Sicut infans à qualicunque sacerdote in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti baptizatus non debet iterum baptizari: ita nec locus Deo dicatus iterum consecrandus est. *Distinct. 68. c. Ecclesiis semel. Sed non valet hæc consequentia, nam dißimilibus idem non est judicium. Bergomensis in Arcadio hoc decretum Innocentio I. Papæ circa annum 410. tribuit: idem & facit in Innocentio I. vita Balaus.* Excipiunt tamen Execrationem *(sic enim loquuntur)* Ecclesiarum: *eamque fieri tripliciter volunt.*

Execratio templorum quando fiat.

Primò, si fuerit combusta, ita vt parietes omnes, vel eorum maior pars, fuerint decrustati: Vt d. 1. c. Ecclesiis ff. de contrahenda emtione. l. demum Leuit. c. 14. propè finem. Si enim solummodo tectum, vel aliqua eius pars parietibus manentibus, vel saltem in modica parte destructis combusta fuerit, reconsecranda non est: extra de Consec. Eccles. vel alta. ligneis. Durandi rationale diuinorum lib. 1. c. 6.

Secundò, si tota Ecclesia aut maior eius pars simul funditùs corruerit, & ex toto fuerit reparata ex decreto Iulij 1. ead. dist. de Fabrica verò. Consecratio enim Ecclesiæ maximè in exteriori vnctione, & lapidum conjunctione & dispositione consistit: vt in dicto capite Ecclesiis. Durandus ibidem. Si verò non simul, sed successivè parietes omnes ruerint & reparati fuerint. eadem censetur Ecclesia, ideóque non reconsecranda, sed duntaxat aquâ exorcizanda, & Missæ solennitate est reconcilianda. De Consec. dist. 1. de Fabrica. &, c. si motum ff. de leg. 1. quod in rerum. Durand. ibidem. Alij tamen dicunt reconsecrandam esse. Durandus ibid. Notandum autem hunc Canonem à Gratiano tribui quidem Iulio Papæ, eius tamen non esse, non enim in Decretalibus ejus reperitur.

Tertiò reconsecranda est Ecclesia, si dubium sit, utrum aliquando fuerit consecrata. Durandus ibidem. Hoc autem statuit Felix 1. circa annum Domini 278. Platina in vitis. In Concilio quoq. Carthaginen. 5. circiter annum 420. habito, sancitur capite 6. ut si de consecratione alicujus Ecclesiæ hæsitetur, consecretur sine ulla trepidatione. *Hoc etiam statuit Felix 3. vel juxta alios 4. in epist. decret. 1. cap. 2. nimirum,* Si dubitetur de Ecclesiarum consecratione, & nec certa scriptura, nec certi testes existant, à quibus consecratio sciatur, sine ulla dubitatione consecrentur. *Vide dist. 1. de Consec. c. Solennitates. Idem statuitur in Meldensi Synodo c. 8. ut refertur ead dist. c. Ecclesiæ.*

His casibus adjicit Gratianus alios etiam de Cons. d. 1. si motum: nimirum, si motum sit altare, aut ecclesia homicidio vel adulterio polluta fuerit, ut tum reconsecretur diligentissimè: *ex Higini institutione: quæ tamen ne in Decretalibus quidem Higini leguntur, undecunque Gratianus ea habeat. Et in Nicæno Concilio statutum fuit, si verum est quod Gratianus refert de Consec. distinct. 1. cap. Ecclesijs semel.* reconsecrandas esse Ecclesias, si illi à quibus consecratæ sint, fidem sanctæ Trinitatis non tenuerint. *Synodus quoque Aurelianen. capite 3. sancivit,* Ecclesiam, in qua Paganus sepultus sit, non licere consecrare, neque Missas in ea celebrare. *De Consec. distinct. 1. cap. Ecclesiam. Eadem distinct. cap. Ecclesiam, indicatur ex Agripinensis Synodi decreto,* Ecclesiam, in qua mortuorum cadavera fidelium sive infidelium sepeliantur, consecrare non licere: sed si idonea videatur ad consecrandum, erutis & electis inde corporibus, & rasis parietibus ac signis ejus loci, reædificandum, *id est,* rasuram dealbandam. Quod si antea consecrata fuerit, Missas in ea celebrare licere, si tamen fideles fuerint, qui in ea sepulti sint.

Alexander quoque 3. præcepit Templum, per adulterium in ipso commissum, per sacerdotem pollutum, Aquæ benedictæ aspersione expiari seu reconciliari debere: *libro 5. Decretal. titul. 16. canon. 5. significari.*

Primitivæ autem Ecclesiæ sancta simplicitas hujus generis aniles Ceremonias & superstitiones prorsus ignoravit. Polluerat stupro fœminæ nobili illato Constantinopolitanum templum Nectarij Diaconus: pollutum templum Episcopus nec aquâ benedictâ, nec aliâ Ceremoniâ reconsecravisse vel reconciliâsse legitur, sed Diaconum officio suo removit. Quæ ratio reconciliandi templa hodie adhuc optima foret, nimirum si quod in his te-

his tetrum facinus esset admissum, meritis pœnis sontes afficerentur, & culpa publicis pariter ac privatis precibus depelleretur. Quo pacto spes foret & Deo satis factum iri, & suam Templo sanctitatem pristinam recuperari. Nam quemadmodum Princeps affectus aliquâ contumeliâ majestatem eatenus amisit, quatenus qui injuriam fecit, impunè scelus suum tulit, ac rursus eam recuperat, cùm de sonte supplicium sumptũ erit: sic quicquid sceleris in Templo sit patratum, tunc sua Templo sanctitas restituetur demùm, cùm sumpta de sontibus pœna, Templum sit à contaminatione & contemptu vindicatum.

Respondetur objectioni. *Ne tamen in his reconciliationibus sacrarum literarum authoritate destitui videantur, Christi factum adducunt*, qui flagello ex funiculis confecto, ementes ac vendentes è Templo ejecit. *Sed hoc argumento ipsi manifestissimè redarguuntur. Episcopi enim & Suffraganei qui Templa ipsorum dedicant & reconciliant, suam operam mercantur simul & vendunt: & nisi aliquâ mercede adhuc conducantur, suam operam denegant. Et quod ipsa Templa Papistica attinet, quid obsecrò aliud sunt quàm forum rerum vanalium mercatus & nundinæ Missarum? Digniores igitur essent qui flagellis, imò fustibus è Templis Christianorum ejicerentur, quàm qui apud Iudæos suo mercatu Templum speluncam latronum fecerant.*

Pro *Dedicationibus* TEMPLORVM, ALTARIVM, CŒMETERIORVM, *&c.* nihil petendum.

IN *Bracarensi Synodo, quæ juxta aliquos est prima, & celebrata anno 610. capite 5. sancitur*, ne pro Dedicatione Ecclesiarum Episcopi aliquid petant, sed tamen accipiant. *Idem statuitur in Cabillonen. Synodo c. 16. Item in Vuormatiensi, anno Domini 868. habita. Sed Cenulphus Rex Merciorum, cùm apud Vuynchecumbam curâsset dedicari Ecclesiam, tredecim Episcopis, & 10. ducibus marsupia xeniis compleuit: & Presbyteris marcham auri, Monachis solidum vnum, & toti populo sua quædam munuscula distribuit*: W*ilhelmus libro* 1. *cap. 77. de Anglis. Henricus etiam II. Imperat. Bambergensis Ecclesia dedicationem, per ipsum Pontificem Romanum Benedictum VIII. factam, eâ obtinuit conditione, vt quotannis ex illa Ecclesia Romano fisco cederent* 100. *argenti marcæ, cum equo albo & phalerato, circa annum* 1010. *Leo tamen Papa postea Beneventum ab Imperatore dono accipiens hoc tributum remisit. Quàm probè etiam hoc decretum seruetur hodie, ex Grauaminibus Germaniæ in Comitiis Noribergen. anno* 1522. *Pontificio legato oblatis, apparet: grauamine enim* 48. *ita queruntur.* Cùm Ecclesias & Templa prætenuina quidem, Deo dicant sacrantque nonnulli Suffraganeorum, subditos vtcunque per se egestate laborantes, superfluis minimèque necessarijs sumptibus onerant: neque hoc contenti, quin munera quoque, & illa quidem immodicâ, à misera plebecula exigunt, *Grauamine item 49. queruntur*, quòd pro Consecratione Altarium eorumque Ornamentorum, munera ac dona petant innumera. *Catal. testium verit. fol. 346. Cumque in agro Tigurino quidam Episcopus acceptâ pecuniâ, duo Templa consecrâsset, Sacerdos verò quidam eum Simoniacum esse diceret, quòd dona Spiritus sancti venderet: Ille respondit*, se non pacisci cum rusticis, ut Simon fecerit cum Petro, sed ne hoc scelus incurrat, se ipsis disertè præcepisse, ut tantum sibi pecunias pro illa lustratione numerent. *Similiter in Gravaminibus Germaniæ gravamine 50. conqueruntur*, ut si fortè sive armis, pugnis tantum & capillis in Cœmeterio, duo pluresúe manus conserant, aut rixam habeant, ad sanguinis usque, quantumvis modici, effusionem, mox ad interdictorum severitatem recurrere Ecclesiasticos: nec prius publica Christianorum redintegrare officia, quàm civium universitas Cœmeterium denuò magnâ pompâ, gravibusque nec minoribus impensis consecrari curaverit, quàm primum ex prophano redditus sit Sepulturæ is locus sacer. *Factumq; est in agro quoque nostro, ut suffraganeus quidam totum Cœmeterium lustrârit pro certa summa pecuniæ: postea cùm pauperculi agricolæ interrogarent, ubi sepeliendi essent infantes, qui absq; baptismo decederent, mox angulum quendam cœmeterij jussit non esse sacrum, vel prophanavit, sed neque hoc gratis, denuò enim pecunias ei numerari oportuit. Fecit perinde ut Episcopus quidam olim, qui, cùm jejuniorum die carnes ad edendum apponerentur, cruce super carnibus factâ, dicebat*, Sis piscis, sis piscis: *& pro piscibus carnes comedit. Ita illudunt isti homines miseris mortalibus.*

Dedicationes TEMPLORUM quando festivæ & anniversariæ factæ.

CVm *primùm Templa consecrari cœpissent, Dedicationes ea festivæ, nondum tamen anniversariæ fuerunt. Cùm enim finitis persequutionibus, Christianis Templa vel nova exstruere, vel idololatrica & Ethnica in suum usum convertere liceret, ad dedicationes eorum undique magna cum lætitia concurrerant, Deo pro hoc beneficio gratias agentes & totum diem illum ingenti cum gaudio consumentes. Vnde Nazianzenus in oratione in novum Dominicum*: Vt Encænia, *inquit*, honorentur, vetusta lex est. *Et de Alexandro Alexandrino Episcopo Athanasius refert, in Apologia ad Constantium* eum absolutis Templorum operibus encænia & dedica-

dedicationes per conventus, laudes & gratias Deo canentes celebrâsse. *Sub Constantino magno autem magis quàm unquam antea festiva esse cœperunt. Is enim Imperator diem festum admodum solennem ad celebrandam dedicationem Templi Salvatoris, quod Hierosolymis in loco Cranij exstruxit, indixit. Patres enim Tyri in Concilio congregatos Hierosolymam vocavit, eosque per suum legatum amicâ dextræ porrectione, conviviisque splendidis & epulis exquisitissimis honorificè excepit, & in pauperes & nudos pecuniam & vestes distribuit. Episcopi verò precibus simul & concionibus id festum decorârunt: alij divinas lectiones interpretati, arcanas contemplationes revelârunt: alij mysticis operationibus sacrorum Deum placârunt, & pro communi pace, pro Ecclesia Dei, pro Imperatore & filijs ejus preces Deo obtulerunt, ut testatur Eusebius libro quarto, vita Constantini. Ex quo tempore festivitates frequentissimè gerebantur à Christianis cum omni lætitia & exultatione, per urbes & loca singula Ecclesiarum dedicationibus celebratis: ad eum omninò modum quo Iudas Machabæus quoque cum civibus suis pro renovatione Templi Sacrificia per dies octo celebravit, nullum genus delitiarum relinquens, sed pretiosissimis & lautissimis dapibus eos pasciens.*

Hæ autem festivitates quando solennes & anniversariæ factæ sint, non similiter ab authoribus traditur. Gratianus dist 1. *de Consec. cap. Solennitates. indicat,* Felicem. I. statuisse, ut solennitates Dedicationum per singulos annos celebrentur: *refert etiam Crantzius lib.* 2. *cap.* I. *Metrop. Hoc alij Silvestro* I. *tribuunt, qui instituisse dicitur,* consecrationes Ecclesiarum solennes. *Antoninus tit.* 9 *cap* 2. *Balæus in vitis Pontificum hoc Felici* 3. *tribuit. Hermannus Gigas Felici* 4. *quem statuisse dicit,* ut anniversaria dies Dedicationis Templorum singulis annis solenniter celebraretur, *in Epist. ad Episcopos per diversas provincias constitutos capite* I. *Refert idem N. Doard. in annot ad Durandi lib. divinorum offic.* 1. *cap.* 6. *Ego principium harum solennitatum ad Constantini M. tempora refero: ex quo tempore enim Templum Salvatoris Hierosolymis dedicatum est, dies ille dedicationis quotannis celebrata fuit. Sic enim Nicephorus lib.* 8. *cap.* 50. Erat, *inquit,* is decimus quartus mensis Septemb. dies, qui ab eo tempore in Ecclesia Hierosolymitana quotannis publicè ab omnibus festus & celebris agitatus est, octo ex ordine diebus conventibus celebrandis. Quibus diebus ex omni terrarum orbe homines conveniunt, & ad festos conventus concurrunt. *Ante hoc tempus non legitur in historia Ecclesiastica, Templorum dedicationes repetitas fuisse.*

Confirmavit hunc morem Gregorius magnus, dicens: Solennitates Ecclesiarum dedicationum per singulos annos sunt celebrandæ: *distinct.* 1. *capite Solennitates. de Consec. Eumque probare nititur exemplo Christi,* qui ad Encænia Hierosolymam profectus est, *Ioan.* 10. *Quasi verò Christus Encaniorum causâ Hierosolymam abierit: ac non id partim observationi legis, quam impletum, non sublatum venerat: partim occasioni, quâ ad instituendam multitudinem hominum ad illud festum confluentium maximam nulla commodior fuit, dandum judicârit. Eodem enim de causa, alia quoque festa ad docendum arripuit ac usurpavit. Et disertè Ioan.* 7. *indicatur,* ipsum ad festum Tabernaculorum Hierosolymam ascendisse, *non quòd cùm crasso & superstitioso Iudæorum vulgo festum celebrare, aut Christianos suo hoc exemplo docere voluerit ut id celebrent, sed potius* ut doctrinâ suâ priorum mentes illuminet, ac de ijs admoneat, quæ festi istius Ceremonijs adumbrabantur. *Adhæc nec Somon, nec Moses. nec Zorobabel anniversaria hæc voluerunt esse festa. sed solus Iudas Machabæus, qui profligatis Antiochi copiis omnibus, ubique recuperatâ, Templum, ab Antiocho Epiphane pollutum, repurgavit, Idolum Iovis Olympij, ab eodem impositum, excussit & Aram unà cum Templo, sacris legitimè factis, rursum dedicavit. circa finem anni tertij die* 25. *mensis Culeu, qui partim Novembri nostro, partim Decembri respondet. Et quia hoc beneficio Deus suarum promissionum fidem mirificè declaraverat, constituit primus omnium Iudas & fratres eius, totáque Israëlis concio,* ut dies renovationis Altaris suis temporibus agitarentur singulis annis, scilicet octo dies, à 25. die mensis Cisleu magno cum gaudio & lætitia: *de quo vide libro* 1. *Machab.* 4. *&* 2. *Machab.* 2. *&* 8. *capitibus. Vbi etiam indicatur, solennitatem hanc* Luminum, *seu* Luminarium festum *appellatam fuisse, non quòd ubique in parietibus Templi lumina affixerint, ut in Papatu hodie fieri solet, sed quòd Iudæis præter spem hoc tam splendidum lumen exercendæ Religionis apparuerit, sicut ibidem disertis verbis refertur. Hæc consuetudo inde usque ad tempora Christi durauit, ut ex* 10. *cap. Ioannis Intelligitur: hæc enim sunt illa anniversaria Encænia ad quæ Christum Hierosolymam ascendisse, ibi dicitur.*

Qualis autem fuerit consuetudo, & quibus Ritibus celebrata sint illa Encænia Iudaica, facilè ex Historia colligi potest. Celebrabatur enim, ut dictum est, memoria restituti cultûs veri Dei in Templo, deiecto inde Antiochi præsidio: ita potissima pars erat gratiarum actio pro beneficio divinitùs accepto. Hodie verò huiusmodi solennitatibus accedit mercatus, ut circa Templa, nec non in Templis & Cæmeteriis forum rerum venalium videas: totâ die bibitur, totâ die luditur, saltatur, lasciui cantus audiantur, ut Bacchi & Veneris quoddam festum, non

Encænia Iudaica quibus ritibus celebrata.

non Christi celebrari putes. Et hac illo Encania aut Dedicotionum festo sunt, quæ inter Christianos hodie passim retinentur, & à quibus ne ij quidem amnes abstinent, qui Euangelij & purioris doctrina sectotores videri volunt. Est autem ingens corruptionis argumentum, quòd plerique in Religiane cornu licentiam quorunt, & sub illius publico prætextu priuatæ libidini indulgent. Sed quia pouci per Dei verbum se corrigi patiuntur, easdem proculdubio oliquondo scopas expediet Deus, quibus olim Iudæorum superstitiones cum totius gentis excidio expurgauit.

Signa falsa pro *Dedicationibus* TEMPLORVM.

QVo verò res toto de Dedicationibus Templorum plus odmirationis & authoritatis haberet, ad confirmondas superstitiones de cultu Sanctorum mortuorum, & ad explendam auaritiam Sacrificorum, multa signo mendacia confinxerunt, in quibus populus stupidus animum occupauit, vsque magno studio applausit. Eorum supra quadam commemorauimus, cùm de abusu superstitiosarum Dedicotionum loqueremur: ijs jom alia adyciemus qua quidem inter legendum Historias nabis occurrerunt.

1. *Cùm quidam Episcopus prædæ inhians, Parisiis Templum Dionisii à Dagoberto ædificatum, dedicare cuperet, alij Sacerdotes, qui inuidebant illi dedicotionis aucupium, subarnârunt quendam, qui diceret, se noctu in eo Templo vidisse Christum & Apostolos, Petrum, Paulum, item Dionysium, Rusticum & Eleutherum id consecrantes: ac se leprosum in eius rei testimonium à Christo sanotum esse, impresso vestigio monus in parietem: atque ita altera consecratio fuis impedita. Vincentius lib. 23. cap. 26. Robertus Gaguinus lib. 3. de gestis Francorum. Cranzius in Saxonia lib. 1. c. 22. Fulgosus libro 1. cap. 6.*

2. *Ad eundem propè modum anno Domini 648. Sep. 13. in vigilia Exaltationis Crucis Fonum Virginis Mariæ à Michaële Archangelo in Eremo Helvetiarum dedicotum volunt: quæ Dedicatio, quoties Crucis exaltatio in dominicum incidit diem, eo anno magno hominum in eum locum concursu etiam & remotissimis locis, summo cum deuotione celebratur, vocoturque ab ipsis* Die Engelweyhe.

3. *In dedicatione Oratorij Turonensis ignitum globum apporuisse, & totum Oratorium repletum esse fulgore terribili, Gregorius Turon. de Gloria Confessorum cap. 20. tradit.*

4. *Cùm Colonia Templum esset à tribus Metropolitis Lotharingia consecrandum, nocte præcedente voces malignantium Spirituum audita sunt, querulantium, quòd de sedibus suis sint propulsandi: anno Christi 871. Sigebertus in Chron.*

5. *Dunstonus Contuariensis Episcopus dedicaturus oliquando Templum, aqua ibi defecit, baculo ergo terrom feriit, moxque largissimè effluxit aquo.*

6. *Aliom Ecclesiam idem dedicaturus, cùm ad Orientem eam non spectore onimoduerteret, humeros parieti odmouit: sicque ad Orientem conuersa est, si quis Vincentij nugis fidem habere voluerit. Similem ferè fabulam sæpè audiui de simplicibus quibusdam apud nos monticolis referre, qui cùm habuissent fanum admodum angustum id admotis simul parietibus humeris, majus & copocius focere conoti fuerint.*

7. *Lourentius Surius tom. 1. de vitis Sonctorum refert ex Ealreda Anglo, Monacho & Abbote in Rhievolle, qui floruit circa annos* 1164. quòd Sebertus nepos Ethelberti regis Cantiorum in honorem B. Petri Monasterium insigne fundârit, multisque possessionibus ditârit. Nocte autem, dedieationem ejusdem Ecelesiæ præcedente, piseatori euidam Thamensis fluvii, qui Monasterium præterfluat, vlteriori ripâ in habitu peregrino B. Petrum apparentem, promissâ mercede, transportari se ab eodem & periisse & promeruisse. Egressum autem de navicula, Ecclesiam, piseatore cernente, intrâsse: & ecce lucem cœlestem subitò emicuisse, miróque splendore illustrantem omnia, noctem in diem convertisse. Adfuisse autem cum Apostolo multitudinem civium superorum ingredientium, melodiamque cœlestem insonuisse. Peractis verò omnibus quę ad Ecclesiæ dedicationem spectârint, solenniis, rediisse ad piscatorem, eique dixisse, Numquid pulmentarium non habes? & illum respondisse. Nihil cœpi, sed promissam à te mercedem securus expectaui. Cui Apostolus, Laxa nunc retia in capturam: quo facto, implevisse rete piscium maximâ multitudine. Omnes fuisse eiusdem generis pisces, præter vnum miræ magnitudinis. Quibus ad ripam extractis dixisse Apostolum: Hunc qui præ cæteris pretio & magnitudine præcellit, Mellito ex mea parte defer piscem Episcopo: pro nautica verò mercede, cætera tibi tolle. Huius generis copia abundabis in vita tua, & longo tempore post te progenies tua: tantùm ne vltrà piscari audeatis in celebritate Dominica. Ego sum Petrus, qui loquor tecum, qui cum meis conciuibus constructam in meo nomine Basilicam dedicaui, episcopalemque benedictionem meæ sanctificationis authoritate præveni. Dic ergo Pontifici quæ audisti & vidisti: tuoque sermoni signa parietibus

impressa

impressa testimonium perhibebunt. Supersedeat igitur dedicatione: suppleat, quod omisimus, Dominici corporis & sanguinis sacrosancta Mysteria: populumque sermone erudiens, notificet omnibus hunc locum me crebro visitaturum, hic me Fidelium votis & precibus affuturum: sobriè verò, piè & iustè in hoc seculo viuentibus cœli januam reseraturum. His dictis confestim ab oculis eius disparuisse. Mane autem facto Episcopo Mellito ad dedicandam Ecclesiam procedenti, eum pisce piscatorem occurrisse, & omnia quæ sibi mandata fuerint, pandisse. Stupuisse Episcopum, reseratisque Ecclesiæ valuis, vidisse pauimentum vtriusque Alphabeti inscriptione signatum, parietem bis senis in locis sanctificatis oleo linitum, totidem cereorum Reliquias duodenis crucibus inhærere, & quasi recenti respersione adhuc cuncta madescere.

8. *Sic Pontificibus ad dedicationem illius Templi, quod propè Parisiorum urbem S. Dionysio sacratum est, Dagoberto I. regnante, aduentantibus, leprosum quendam, qui nocte eadem in eo excubias egerit, occurrisse fabulantur, & retulisse*, visum sibi Christum, vnà cum frequenti sanctorum cœlitum cœtu, qui jam illam ædem consecrârit, & vt id ipsis indicaret mandaverit. Quo nuntio audito, Pontifices dedicatione supersedendum arbitrati ad sua redierint, nec actum agere viderentur.

Solvuntur argumenta Bellarmini pro *Dedicationibus*, seu *Consecrationibus* TEMPLORVM.

Argumenti 1. BEllarminus *Col. 2202. de dedicatione & consecratione Templorum agens, inquit*, Magdeburgenses tria in Dedicationibus reprehendere Cent.4.cap.6. col.407. & sequentibus. *Primò*, quòd Templa à Pontificiis cum ingenti lætitia & celebritate dedicentur: idque ortum esse ex *κακοζηλία* Iudaismi, & esse rursum introducere Iudaismum in Ecclesiam. *Respondeo: Magdeburgenses citato à Iesuita loca, lætitiam in dedicationibus vno quidem verbo reprehendere: imò nec mentionem quidem eius facere: quanquam carnalis illa lætitia Pontificiorum, quâ luxu, crapulâ, ebrietate, libidine, scortatione, lasciviâ, saltatione, aleâ, & infinitis aliis sceleribus in his dedicationibus seu consecrationibus sic peccatur, vt magis Bacchi quoddam festum à Manadibus celebrandum, quàm Christianorum festiuitas videri possint, nequaquam probetur etiamsi Consecrationes ipsæ præceptum seu mandatum aliquod in verbo Dei haberent: & proinde quacunque Iesuita adducit de veteris Testamenti dedicationibus magno cum gaudio & lætitia sed honesta & spirituali, peractis, pro suo more profert, vt aliquid saltem respondere videatur, & sic simpliciorum oculos perstringat.*

Rectè autem & verè Magdeburgenses scribunt, quia ad Iudæorum imitationem Christianorum Templa dedicentur, Christianos ad Iudaismum & Iudaicos ritus, à Christo sublatos, revocari. *Distinguit quidem Iesuita inter Ceremonias Iudaicas*, & vult alias significâsse aliquid futurum in Christo, vel in Ecclesia: & has servari non posse sine peccato: alias autem non propriè esse Iudaicas, sed naturales, nec ad Legem ceremonialem, sed moralem pertinere. *Respondeo; distinctionem hanc locum non habere hic. Nam quia Ceremoniæ sunt partim Iudaicæ, partim Ethnicæ Consecrationes istæ, ipso quoque Bellarmino teste, ideò per Christi adventum sublatæ sunt: eòque magis, quòd non à Deo mandatæ, sed ab hominibus ad gentilismi imitationem instituta sunt. Et quid ineptius est quàm dedicationes has ad moralem Legem referre? Falsum etiam est, quòd putas Iesuita Dedicationes in veteri Testamento factas, non fuisse typicas: habuerunt enim Vnctiones & similia in ijs suas significationes.*

Argumenti 2. *Post hæc longum Catalogum texit Bellarminus* Patrum veteris Ecclesiæ, qui harum Consecrationum mentionem faciunt, easq; probare videntur. *Respondeo, Patres illos vixisse & scripsisse, quum jam dedicationes istæ vulgò receptæ & approbatæ essent. Est autem, Augustino teste*, Consuetudo, etiam in rebus Ecclesiasticis, tyrannus. *Et Cyprianus inquit*: Non esse sequendam consuetudinem quorundam. *Item*: Non attendendum esse, quid aliqui ante nos fecerint: sed quid ille, qui ante omnes est, in suo verbo nobis faciendum præscripserit & præmonstrârit: Neque enim hominis consuetudinem sequi oportere, sed Dei veritatem.

Argumenti 3. *Tertiò Iesuita dicit*, Magdeburgenses reprehendere, quòd tot Ceremonijs utantur Pontificij in Consecratione Templorum: ipse autem hoc meritò fieri probare contendit, *Primò*, quòd Dedicationes istæ jam inde à Lege naturæ cœperint. Nam Iacobus Lapidem & Altare consecravit Deo. *Gen. 28. & 35. cap.* ergo sub Evangelio quoque hoc fieri debet. *Negatur consequentia: Multa enim Patres sub Lege naturæ fecisse leguntur, quæ sub Evangelio non licet facere. Deinde in hoc argumento confundit diversos fines Iesuita. Nec enim Iacobus inunxit Lapidem vel Altare, ut illud sanctius cæteris efficeret, ad quod Papistæ in suis Consecrationibus unicè respiciunt: sed ut esset sibi ac alijs memoria à Deo dati beneficij ac visianis sibi à Deo oblatæ, ac promißionis à Deo factæ, ne fortè propter longum tempus aut longin-*

Digitized by Google

longinquam peregrinationem ejus oblivisceretur Iacobus: Iesuita autem hæc refert ad consecrationes Templorum: Ideóque committit fallaciam ab Ignoratione Elenchi.

Argumenti 4. *Quartò dicit Bellarminus*, etiam sub Lege locum habuisse Consecrationes istas: Mosem enim consecrâsse oleo sacro, alijsque Ceremonijs Tabernaculum, Altare, & omnia ejus Vasa. Ergo nihil obstat, quò minus idem à Christianis etiam fiat. *Negatur consequentia. Mosis factum expressum habuit Dei mandatum: De consecrandis autem Templis Christianorum nullum uspiam in verbo Dei præceptum exstat, ipso quoque Bellarmino teste: Ceremonia igitur hæc non est usurpanda, exemplo Mosis, qui in ædificando & dedicando Tabernaculo, nihil quicquam, præter expressum Dei mandatum sequutus est.*

Argumenti 5. *Quintò dicit Iesuita*, etiam sub Evangelio, jam tum Apostolorum tempore, Templorum dedicationes in usu fuisse. *Rectè tamen addit:* In statu Evangelij de ijs non exstare expressa testimonia Scripturæ. *Sententiam autem suam duobus testimonijs probare conatur,* Paulus, *inquit*, 1. *Cor.* 11. *cap.* arguit Corinthios tanquam Ecclesiæ contemptores, quia in Ecclesia comedebant: ex eo satis innuitur, Ecclesiam tunc etiam aliquo modo sacratam fuisse. Cur enim Ecclesiam contemnere dicitur, qui in ea actionem alibi licitam exercet, nisi propter aliquam ejus loci consecrationem? *Respondeo, Iesuitam Homonymiæ fallaciam committere, & scientem volentem verba Pauli in alienum prorsus sensum detorquere. Non enim Apostolus per Ecclesiam hoc loco intelligit materiale aliquod ædificium, quod Templum vulgò vocamus, ut vult Iesuita: eo enim adhuc tempore nulla habebant Christiani Templa, sed cœtum & congregationem fidelium. Seipsum enim explicans Paulus, inquit:* An Ecclesiam Dei contemnitis, & pudefacitis eos qui non habent? *Quasi diceret: An publicum Christianorum cœtum contemnitis, ut hoc inspiciente & teste inserviatis gulæ: velut hoc interim datâ operâ agentes, ut vobis publicè luxum & apparatum ostentantibus, pudefiant tenues, qui non habent quod edant? Deinde non sequitur: Ille contemnit hunc locum: Ergo locus iste consecratus est, ut colligit Iesuita.*

Explicatur locus 1.Cor.11.

Dionysi⁹ Areopagita quis

Alterum testimonium, quo suam sententiam probare vult Iesuita, est Dionysij, & quidem, ut inquit, Areopagitæ, qui tempore Apostolorum vixerit. Is in Ecclesiast. hier. cap. 5. *docet*, altaria sacro oleo inungi, & consecrari ab Episcopo debere, *Respondeo: probè novit Iesuita hunc Dionysium, qui Ecclesiasticam hierarchiam scripsit, Areopagitam non fuisse: iste enim citat in hoc libro Clementem Alexandrinum, Strom. lib.* 8. *qui vixit anno Domini* 215. *hoc est*, 150. *annis post Dionysium Areopagitam. Recentior igitur author est.*

Argumenti 6. *Sextò probare nititur Iesuita, meritò ab Ecclesiâ varijs Precibus & Ceremonijs Templa consecrari*, ab Authoritate nonnullorum Conciliorum ducitur. *Respondeo* primò, *Concilia illa, quæ à Iesuita citantur, congregata demum esse post errorem istum de Consecrationibus Templorum approbatum, eoq; factum, ut sic decreverint absque Dei verbo. In causis autem religionem spectantibus, non hominum authoritas, sed Dei verbum audiri debet.* Secundò, *non probant, ut Iesuita vult, Concilia ab ipso citata, multitudinem Precum & Ceremoniarum in Consecrationibus, sed Consecrationem simpliciter, quæ ab initio prædicatione verbi Dei & precibus fiebat, ut supra indicatum est.*

Argumentum 7. *Septimum argumentum Bellarmini à* Fine *ejusmodi Consecrationum desumptum, falsum est. Non enim hodie consecrantur Deo, sed Idolis & creaturis. Talis autem cultus reprehenditur in verbo Dei. Est etiam ineptum: nam sacrum confert cum prophano, & religiosum cum irreligioso, & de ijs idem concludit. Nuptiæ enim, Contractus, Coronatio Regis sunt res politicæ: Consecrationes autem illæ religiosæ res sunt. Etsi igitur in rebus politicis & humanis Ceremoniæ honestæ institui possint, tamen in rebus divinis & ad Religionem pertinentibus, quæ conscientias obligant, non possunt. Est igitur fallacia ab Ignoratione Elenchi: transit enim de genere ad genus.*

Ceremoniæ autem, quas ordine recenset Iesuita, & quæ in Consecrationibus istis usurpantur, partim sunt Ethnicæ, partim Iudaicæ, & in Pontificiam Religionem transsumptæ.

Significationes verò earum, quas etiam commemorat, & mysteria magna, quæ latere sub istis Consecrationibus gloriatur, nil nisi fraus diaboli sunt, qui se etiam in angelum lucis transfigurare potest, ut quæ blasphema sunt, pietatis prætextu tegat, fallatq; simplices. Magi etiam suas incantationes mysteriorum nomine commendant: & Sacerdotes Eleusinæ Cereris turpissima & horrenda sua sacra magna Mysteria continere prædicârunt.

Argumentum 8. *Octavò*, Templum ob consecrationem, meritò sanctum ac venerabile, ac divinâ quadam virtute præditum existimari debere, Bellarminus contendit. *Respondeo: Est petitio principij, præsupponit enim Consecrationes Papisticas esse sacras & pias Ceremonias: Id verò nos negamus, & dicimus eas esse magicas, impias, irreligiosas & blasphemas: ideóque non sanctificari illis locum aliquem, sed pollui & profanari potius.*

Probat autem suam sententiam Iesuita, Primò, *ex relatione ad Deum, cui consecrantur loca ista. Respondeo, rationem hanc falsam esse. Templa enim apud Pontificios non Deo, sed sanctis*

ctis mortuis, sed creaturis, sed Idolis ad idololatricum cultum consecrantur: & propterea loca ista sunt idolorum, non Dei. Quod ad loca ista Leuit. 27. Animal, si quis vouerit Deo, sanctum erit. *Item*, Quicquid semel Domino consecratum fuerit, sanctum sanctorum erit. *Et Matthæi* 23. Templum sanctificat aurum: *Nihil ad rem pertinent. Loquuntur enim non de Templis creaturis dicatis, sed de Templo Hierosolymitano vero Deo, Dei ipsius mandata & jussu consecrato. Non autem de dissimilibus idem concludendum.*

In secunda & tertia probatione similiter petit principium Iesuita: incertum enim per incertius probat: nempe, preces Episcoporum, quibus in consecrationibus suis vtantur, pias esse: res item sanctas in Templis contentas, vt sunt Cruces, Imagines Christi & sanctorum, eorundem Reliquiæ, præsentia corporis Christi in Eucharistia, & præsentia Angelorum, Templa quoque sancta efficere. *Imò polluunt potius & profana faciunt loca ista, quòd Deum gloriâ suâ priuant, & beneficium Christi ad alia transferunt.*

In quarta probatione ad Christianorum Templa rursus transfert, quæ olim in Hierosolymitano facta sunt. Sed ineptè hoc facit, vt sæpe iam diximus: Dispar enim comparaturum rerum ratio, disparem earum conditionem efficit.

Quinta etiam ratio falsa est, videlicet, ex Templis pelli consecrationibus istis Dæmones: *Non enim hoc fit vllis superstitiosis & idololatricis Ceremonijs, quales Pontificiæ consecrationes & dedicationes sunt.* Hoc genus Dæmoniorum, *inquit Christus*, non exit nisi per precationem & jejunium.

Neque etiam probat Iesuita suam sententiam, nisi vnico Gregorij Magni loco, qui libro tertio Dialogorum, capite trigesimo scribit, post consecrationem Templi, quod antea Arianorum fuerit, Diabolum inde egressum sensibiliter in specie Suis, maximo strepitu excitato. *Nam similia multa scripsit Gregorius Satanicis illusionibus deceptus: & huius generis miracula multa quoque in dedicationibus & consecrationibus Ethnicorum Templorum accidisse, historia testantur.*

CAPVT III.

De origine *Consecrationis* seu Dedicationis ALTARIVM.

Dedicationes Altarium à quibus instituta.

IN historia Romana Ecclesiæ Dedicationes Altarium primis tribuuntur Pontificibus Euaristo, Higino & aliis. Sed hæc non conueniunt cum iis quæ supra de Altarium origine ex veris historiis retulimus. Idcircò alij hoc Felici I. qui vixit circa annos Christi 280. *tribuunt.*

Quæ ALTARIA Consecranda.

ALtaria quæ non essent constructa ex lapidibus, ad vsum celebrandi officia diuina, consecrari noluit Euaristus, qui vixit circa annos Christi 105. *Sequutus Higinus decretum idem tulit circa annum Domini* 142. *Sin autem verum est quod D. Gerson libro* 4. *contra Floretum indicat*, Silvestrum I. circa annos 310. demum lapidea altaria instituisse, *falsum erit quod de istis in decretalibus epistolis affingitur. In Epaunensi etiam Synodo quæ celebrata esse dicitur circa annum Domini* 490. *Ca.* 26. *sancitur*, vt Altaria, nisi lapidea, infusione chrismatis, non sacrentur. *Notandum verò quòd author Conciliorum sibinam constare negat, vbi terrarum* Epaunensis *ciuitas sit. Gratianus autem de Consecratione distinctione primâ, capite Altaria. non* Epaunensi, *sed Hipponensi Synodo ascribit, quæ Ca.* 6. *hoc sanciuerit. Hormisdam quoque instituisse aiunt*, Aras absque Episcopi permissu erectas exstructasque, quamvis sacratis in delubris, non consecrandas: qui secus fecerit, si clericus fuerit, exauthorari, si Laicus anathematizari jubetur, *de Consecratione, distinctione primâ, capite Nullus. Hoc propterea decretum videtur, vt inhiberetur superstitio, quâ non solùm in Templis, sed extra ea in vijs, compitis similibusque locis Altaria erexerunt.*

ALTARIA à quibus *Consecranda.*

IN Synodo Aurelianensi tertia anno Christi 539. *iuxta Panuinium habita sancitur cap.* 15. Episcopum in Ecclesia aliena altare consecrare non debere. *In Agathensi Synodo cap.* 39. *statuitur*, ne Presbyter Altare consecret, *sicut etiam præcipitur de Consecratione, distinctione* 26. *quæstione* 6. *ministrare diac. Vnde in Bracarensi Synodo* 1. *anno Domini* 610. *conuocata, sancitur, Ca.* 37. vt si quis presbyter ausus fuerit Ecclesiam aut Altare consecrare, ab officio suo deponatur.

ALTARIA quibus Ritibus *Consecranda.*

EVaristus statuisse dicitur, consecrare Altaria vnctione Chrismatis, & sacerdotali benedictione. *De Consec. autem, distinct.* 1. *capit. Altaria. hoc decretum Agathensi Synodo tribuitur. Et in Coloniensi Synodo anno* 1536. *habita cap.* 12. *partis* 9. *Syluestro I. ascribitur.*

Quo ritu autem Altaria consecrari solita fuerint circa annum 800. *ostendit Canon.* 24. *Concilij Aquensis, tomo* 2. *Conciliorum*, qui ju-

bet Altaria erigere, eisque oleum superinfundere, ac sancto, Chrismate perungere, de factis dictisque lacobi meledicam Christo cancte: & à fidelibus oblationes, vota, & pretiosarum diversarumque rerum ad decorem & honorem divini Cultus, Sacerdotum, cæterorumque ministrorum Christi vsus, pauperumque receptionem ac recreationem suscipere donaria.

Altaria portatilia circa annum millesimum à nata Christo non aliter consecrabantur, nisi vel in tabulis ligneis, vel aliqua competenti substratorio compacta, & firmiter essent affixa: unde licet de loco ad locum moveantur, non tamen de loco in quo consecrata sunt, moveri debent: à qua si avulsa fuerint, sicut cætera altaria iterum consecrabantur. Ivo in Epistolis. Vocant autem altaria portatilia & viatoria, *lapides consecratas, quos secum portare solent, si alibi Sacra facturi sunt, quàm in delubris & lapideis Altaribus: tum enim quævis mensa vicem præstat aræ, si modò impositos habeat hujusmodi lapides sacros. Quare ubicunque libet, horum subsidia, necessitatis prætextu sacra facere licet.*

Altare portatile seu viatorium.

Durandus lib.1. cap.7. Rationalis divinorum offic. Consecrationem Altaris sic describit: In primis, *ait*, Pontifex incipit: Deus in adjutorium meum intende: (& Alleluia inter consecrationem omittitur: Consecratione verò factâ, adhibetur.) Postmodum benedicit aquam, cum vino, sale & cinere mixtam: deinde in quatuor cornibus Altaris configurat quatuor Cruces, cum aqua benedicta: & crucem vnam in medio facit. Consequenter circuit Altare septies: & septies mensam Altaris, cum aspersorio de hyssopo aquâ benedictâ aspergit. Dum verò Altare aquâ aspergitur, Episcopus cantat: Domus mea, domus orationis est. *Et iterum*, Narrabo nomen tuum fratribus meis. Tandem orat, vt exaudiantur ingredientes ibi beneficia petituri. Consequenter quando Ecclesia simul & Altare consecrantur, tota Ecclesia aquâ illâ aspergitur: quo facto Pontifex ad Altare cum psal. accedit, & residuum aquæ infunditur ad basim Altaris, sicut in veteri Testam. residuum sanguinis fundebatur in crepidinem, quod idem cum basi est. Deinde in 4. angulis Sepulcbri, in quo Reliquiæ reconduntur, quatuor cum Chrismate fiunt Cruces. Fit autem sepulchrum, seu foramen hoc quandoque ex superiori parte Altaris, quandoque ex latere anteriore. Et ponuntur Reliquiæ in capsella cum tribus granis thuris: & sic reconduntur in sepulchro. Nam sine Sanctorum Reliquiis, aut vbi illæ haberi non possunt, sine corpore Christi non fit consecratio Altaris fixi: *vt statuitur de Consecrat. dist.1. de fabri. & cap. placuit.* Sed viaticum seu portatile etiam sine iis consecratur, *vt sancitur, ea. dist. Concedimus.* Deinde supponitur & aptatur ipsi Sepulchro quædam tabula signo crucis ex chrismate roborata. *Hæc tabula dicitur* Sigillum sepulchri, *ex constitutione Alexandri III. Papæ extra de Consecrat. Eccles. vel altar. cap.1.* Postmodum lapis, qui mensa dicitur, super Altare adaptatur: & adaptatus vngitur cum oleo in quinque locis, & eodem modo inungitur postea Chrismate. Nec vnguntur Altaria nisi lapidea. *In vnctione autem cantat Episcopus:* Erexit Iacob lapidem, *&c. Item* Vnxit te Deus, Deus tuus. Confirmatur etiam Altare in fronte cruce Chrismatis, & adoletur incensum in quinque locis. Post hoc Altare tegitur, & mundis pannis induitur, & demum super altare sacrificium celebratur. Postremò ornatur Ecclesia, & accenduntur luminaria. *Hactenus Durand. Eandem consecrationem dictat Innocentius III. Papa in Serm. de consecrat. Altaris, vbi inquit:* Reconduntur Reliquiæ cum tribus granis thuris in capsula, tabula superimponitur, mensa inungitur, & quidem in sex locis, in medio, in 4. angulis, & in fronte. Post vnctionem adoletur incensum.

In veteri quadam Agenda circa annum 900. scripta, de Consecratione Altarium hæc leguntur: Aspergitur altare consecrandum aquâ benedictâ, ac circumquaque crucis signo notatur, canente Clero, Antiphonam: Asperges me Domine. *& Psal.* 51. His subjiciebat Episcopus preces, vt Deus altare spiritualibus Sacrificiis deputandum præsenti benedictione sanctificare, & oblationibus à suis famulis, devotionis studio impositis, benedicere, & spirituali hoc placatus incenso, semper promptè preces eorum exaudire dignetur. Denique tabulam Altaris Oleo sancto idem perfundit, ac, ut super illam corporis sui ministrandam Hostiam benedicat, & consecratam suscipiat Deus, precatur.

De eodem Ritu consecrandi Aras ita scribit Sleidanus lib.21. Historiarum. Adhibetur, *inquit*, Oleum, Chrisma, Thuris libra una, Sartago cum igne, Sal, Aqua, Vinum, Cinis, Hyssopus, Linteum unum cannabinum, ad extergendum: alterum verò mollius, ad tegendum, quinque Cruces è cera factæ, Calix, Cementum, Binæ Faces: postremò quicquid ad ornatum Altaris pertinet. Interim Episcopus unà cum Sacrificis, aliquot Psalmos & precationes expedit, & quinque diversis locis Aram respergit: sic distribuens aquam, ut crucis formam repræsentet: inde septies Aram obit, & aquam vino temperatam & hyssopo ac cinere, in

illam

illam conjicit: ab hoc Cementum aquâ miscet, & quod reliquum est circa Aram diffundit: mox, non sine pompa, deferuntur Reliquiæ divorum, & adhibito Thymiamate, suo loco reponuntur. Aram postea ter circumlustrat thuribulo, quod Sacrifico deinde tradit, qui suffitum continenter faciat, donec peracta sit consecratio. Vbi verò crucibus ex oleo, diversis locis, Aram signauit, Oleum offundit, & invergit, & Thuris particulas quinque, totidemque cruces è cera formatas, huc illuc disponit, eásque post incendit: Cineres inde collecti in sacris rebus habentur. Postremò quatuor margines Altaris & frontem inungit, & missam decantat. *Hac ille.*

Hæc sunt scilicet, quæ Paulus & Sacræ Literæ Episcopis tam seriò commendant, tanquam principes huius functionis partes: ex quibus quisque potest conjicere, quid sic de cæteris sentiendum, & ab hujusmodi circulatoribus expectandum. Nam interea, dum has & consimiles nugas consectantur, de prophetiæ munere deq́; Evangelico ministerio ne verbum quidem auditur.

ALTARE quandò *Reconsecrandum.*

DE *Consecrat. dist.* I. *Si motum & extra eodem capite quod in dubiis. sancitur*, Altare semel consecratum reconsecrandum non esse, nisi illud execrari contingat.
1. *Quod fit primò, si mensa, id est, superior tabula in qua fit principaliter Consecratio, mota, vel in sui forma mutata, vel enormiter, puta vltra medietatem fracta sit. Idem quoque fit, si tota Ataris structura mota & reperata fuerit. Sed si Ecclesia totaliter destructa fuerit, Altare autem non lædatur, Ecclesia quidem reparatur, altare autem non reconsecratur: quamvis tunc aquâ exorcizatâ lauetur. de Consecr. distinct.* I. *Si motum. Consecratio tamen maiore Altari, nihilominus alia minora Altaria Ecclesiæ consecranda sunt: extra eodem cap. cùm sis. Alij dicunt, sufficere in illius consecratione alia digito demonstrari. arg. ff. de acqui. possess. quòd in eo. §. si venditionem. C. de natur. lib. authent. item si quis. Secun-*
2. *dò reconsecratur Altare si altaris* sigillum, *hoc est, parvus lapis, cum quo Sepulchrum sine foramen in quo Reliquiæ reconduntur, clauditur seu sigillatur, motum aut fractum sit. extra eod. lignis: decretum hoc est Alexandri III. lib. 3. decret. tit. 40. cap.* I. *Et fit foramen ipsum quandoque in summitate stipitis: & quandoque aliud sigillum non apponitur, sed principalis mensa superposita loco sigillo habetur. Quandoque verò fit in posteriori, & quandoque in anteriori: in quo etiam foramine in testimonium consecrationis includi solent literæ consecrationis Episcopi, continentes nomen eius, & aliorum Episcoporum in consecratione præsentium: & in cuius Sancti honorem consecratur Altare: & etiam ipsa Ecclesia, quãdò simul consecratur vtrunq́; annum quoque & diem Consecrationis. Tertiò, reconsecratur altare, si junctura, quâ sigillum foramini, vel etiam quâ mensa stipiti, vbi aliud sigillum, quod mensa ipsa non est mota adhæret, vel aliquis ex lapidibus ipsius junctura seu stipitis, mensam vel sigillum tangens, motus vel fractus sit. In coniunctione etenim sigilli & foraminis atque mensæ & stipitis seu structuræ inferioris, præcipuè Consecratio intelligitur. Quartò reconsecratur Altare, si ei vel conjunctioni mensæ, & structuræ inferioris tantum fiat augmentum, quòd pristinam formam amittat: vt statuitur arg.* 10. *q.* 2. *hoc jus.* 32. *q.* 2. *quod vnde est ff. de oper: no. nunt. lib.* 1. §. *si quis ædificium. Propter modicum tamen additamentum, non execratur: sed tunc Sacrum trahit ad se non Sacrum extra eodem quod in dubiis. Quintò, altare sicut & Ecclesia propter dubium reconsecratur, vt statuitur, e. di. Ecclesia. Sextò altare viaticum vel portatile, si lapis de ligno, in quo insertus est, qui quodammodo sigillum repræsentat, remoueatur, & in eodem vel in alio ligno iterum reponatur, nonnulli reconsecrandum, alij verò solummodo reconciliandum autumant. Hæc omnia Durandus in Rationali diuinorum lib.* 1. *cap.* 6. *ex Innocentij III. Papæ constitutionibus. Vide etiam Gabrielem Biel in Canon. lect.* 13. *Etsi verò Leuiticum quoque Sacerdotium Altaria habuerit, nusquam tamen in veteri Testamento istiusmodi ineptiarum de reconsecratione eorum fit mentio.*

(Margin numbers in right column: 3. at "Tertiò", 4. at "Quartò", 5. at "Quintò", 6. at "Sextò".)

ALTARIUM *Dedicationes* quis solennes fecerit.

SIlvester I. *instituit*, vt Consecrationes altarium solennes essent: *Antoninus tit.* 9. *c.* 2. *Hermannus autem Gigas inducat, Felicem* IV: *statuisse*, vt anniversaria dies dedicationis Altarium, sicut etiam Templorum, singulis annis solenniter celebraretur.

ALTARIVM Ornamenta quando *Consecrari* cœperint.

NEque verò *Altaria solùm, sed etiam Altarium Ornamenta consecrare cœperunt circa annum* 900. *vt* patinas, *ad conficiendum in ijs corpus Christi:* Corporale, *ad tegendum involvendúmque Corpus & Sanguinem Christi:* Calicem, *in vsum divini Ministerij:* Linteamina, *vt divinis cultibus apta existant:* Stolam, *vt Ministri altaris qui eâ induuntur septiformi Spiritus sancti gratiâ repleantur:* Eucharistialem, *seu* vasculum *quo Christi Corpus includitur, vt virtute Spiritus sancti nouum fiat Christi Sepulchrum:* Crucē, *vt sit inimicis Christi obstaculum, & credentibus in ipsum perpetuū victoriæ*

vexillum: eaque sanctâ aspergitur aquâ, addito simul incenso, & precatiunculâ, vt orantes inclinantesúe ad ea corporis & animæ sanitatem inueniant: Thuribulum, *vt quod offertur in eo, sit fuga dæmonum, phantasmatum repulsio, cogitationum immundarum excussio, sicque nos efficiamur Christo boni odoris Templum:* Thymiama, *vt sit contra diaboli incursiones munimen firmum*: Capsas, *in quibus Sanctorum ossa reponuntur. Sed cum huiusmodi ineptiis neque Christus, neque Apostoli, neq. primitiua Ecclesia quicquam habuerunt commercii.*

ALTARIVM *Dedicationes* apud Ethnicos.

Ethnici quoque sua Altaria dedicârunt & consecrârunt. Apud ELEOS *stato die quotannis Februarii mensis anno supra decimum Aruspices cinerem ex Prytaneo deportârunt, eoque aquâ ex Alpheo amne diluto, Aram Iouis Olympii oblinierunt. Et quidem Religione sancitum fuit apud illos, cinerem solâ Alphei aquâ dilui, atque ex eo luto tantum Aræ tectorium super indui. Eam ob rem etiam Alpheus fluuiorum omnium Ioui maximè amicus creditum fuit, vt Pausanias indicat lib. 5.*

Dedicaturi autem Aras, legumina elixa pro primitiis offerebant dedicatis, ob memoriam grati animi de primo victu. Vnde Aristophanes: Testor Iouis Hercei ollas, cum quibus Ara dedicata est olim. *Interdum etiam sumptuosiore hostiâ dedicabantur.*

Miracula pro *Consecratione* ALTARIVM.

INnocentius III. Pontifex Romanus discedens aliquando ab vrbe, sacerdos quidam longæuus accessit ad eum, indicans, quòd in visione nocturna per somnium ei apparuerit B. Petrus Apostolus, ac dixerit: Accede ad Pontificem Innocentium, & ex mea ei parte significa, quòd à natiuitate sua, quasi filium illum dilexerim, & per diuersos gradus promotum in meâ tandem sese constituerim. Quapropter, & ipse decorem, & honorem domus meæ debet diligere, studioque vigili promouere. Sciat ergo, quòd in Ecclesia mea pauca sunt Altaria consecrata: Vnde contingit, quòd in Altaribus dissecratis diuina Mysteria celebrantur: faciat igitur ea saltem cum debita reverentia consecrari super quæ nouit frequentius officium celebrari diuinum. Verùm cùm semel, & iterum eadem fuisset visio huic Sacerdoti reuelata, nec ipse, quod mandabatur, impleret, tertiò tandem idem Apostolus velut offensus intulit, dicens: Quia meum contempsisti mandatum, ego tuum tibi tollam auditum. Et continuò surdus factus est omninò. Gemens ergo vehementer & plorans ad confessionem Petri accessit deuotus, cùm lachrymis postulans, vt misertus sibi restitueret auditum, se enim mandatum ipsius è vestigio adimplere velle. Eo verò exaudito, rem omnem Innocentio Pontifici narrauit. Pontifex Hostiensi mox Episcopo scribit, eique mandat, quum Altaria Philippi & Iacobi, Simonis & Iudæ, Beati Gregorij & Sancti Andrææ dissecta dicantur, vel ipse consecret, vel per alios consecrari faciat: *vt est videre lib. 1. Decretalium Innocentij.*

CAPVT IV.

De origine *Consecrationis* CRVCIS & IMAGINVM.

FRancofordiana Synodus, sub Carolo Magno habita, affirmat, nullum verbum ante illa tempora traditum esse de dedicandis & consecrandis Imaginibus. *Hæc igitur superstitio post ea tempora demùm nata est. Vnde appareret, quantum tribuendum sit decreto, quod exstat 22. quæst. 5. Qui peierat. in quo pœna constituitur in illos, qui peierant in cruce consecrata, vel non consecrata. Et à Gratiano quidem adscribitur Pio I. qui circa annos Christi* 150. *Romæ Episcopus fuit, quo tempore nullas vel consecratas, vel non consecratas cruces Christianos habuisse certum ex superioribus est: Vnde etiam in decretalibus epistolis Pij non reperitur. Et in Pontificali peculiares formulas consecrationis Imaginum confinxerunt: vnde simul quid, & quantum Imaginibus tribuant intelligi potest. Lignum enim Crucis inter cætera his verbis benedicitur*: Rogamus te sempiterne Deus, vt digneris benedicere hoc lignum Crucis, vt omnibus hîc genu flectentibus, ac tuæ majestati supplicantibus, cordis compunctio, & admissorum concedatur remissio. *Item*, Sanctificetur illud lignum Crucis, vt orantes inclinantesque se, propter Deum ante istam Crucem inueniant corporis & animæ sanitatem. *Et*, Digneris benedicere hoc lignum Crucis, vt sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, bonorum operum profectus, & redemptio animarum, tutela contra sæua jacula inimicorum.

Beatæ Virginis Mariæ Imago his verbis consecratur: Sanctifica Deus hanc formulam Beatę Virginis, vt tuis fidelibus salutaris auxilij opem ferat, tonitrua aut fulmina, si inualuerint, nocentia, celerius expellantur, pluuiarum quoque inundatio, aut ciuilium bellorum commotio, seu paganorum deuastatio, ad præsentiam ejus comprimantur. *Item*, Hanc Imaginem in honorem piissimæ Gene-

Genetricis filij tui Domini nostri Iesu Christi venerabiliter adaptatam ita benedicere & sanctificare digneris, vt quicunque eandem misericordiæ reginam & gratiosissimam Dominam nostram coram hac effigie suppliciter honorare studuerit,& de instantibus periculis eruatur,& in conspectu diuinæ Majestatis tuæ de commissis & omissis veniam impetret, atque mereatur gratiam in præsenti quam desiderat adipisci, & in futuro perpetuam saluationem cum electis tuis valeat gratulari:

Ioannis Euangelistæ Imaginem ita benedicunt: Præsta,vt omnes illam cum reuerentia intuentes, precésque coram illa fundentes, pro quacunque necessitate orauerint, exaudiantur. Sic hæc Imago dæmonum sancta expulsio, angelorum aduocatio, fidelium protectio, ejúsque in hoc loco potenter vigeat intercessio,*&c. Aliorum denique Sanctorum Imagines sic benedicuntur*: Hanc quæsumus Imaginem seu sculpturam in honorem ac memoriam Beati N. Apostoli tui, vel Martyris,vel Confessoris,aut Pontificis, aut Virginis adaptatam benedicere ac sanctificare digneris:& præsta,vt quicunque coram illa ipsum gloriosissimum Apostolum tuum, vel Martyrem, vel Confessorem, vel Virginem suppliciter honorare studuerit, illius precibus ac obtentu à te gratiam in præsenti,& æternam gloriam obtineat in futuro. His omnibus ita peractis asperguntur Imagines istę aquâ benedictâ.

Solebant etiam interdum Imagines baptizare. Cumque anno Domini 1279. Mantuæ quædam ea de re accusata fuisset, rustici prophanationem hanc baptismi execrantes, ipsam in campum duxerunt,& igne concremâssent,ni fratres Dominicani eam liberâssent,vt referunt Annales Dominicanorum Colmariensium.

Thus ita consecratur: Dignare respicere, benedicere & sanctificare hanc creaturam incensi, vt omnes languores, omnesque infirmitates, cunctæque insidiæ inimici, odorem ejus sentientes effugiant,& separentur à plasmate tuo,vt nunquam lædatur à morsu antiqui serpentis,*&c.Simili ferè superstitione consecratur* tabernaculum *seu* vasculum *pro conseruanda Eucharistia*, Capsæ *pro Reliquijs & aliis includendis*, Thuribulum, Baptisterium *& alia,quæ exstant in Alberti Castellani Pontificali,cui non immeritò Henricus Bullingerus titulum fecit,* Deß Bapsts vnnd der Bischoffen Gauckelsack, *quò in eo Ritus, Ceremoniæ & gestus Consecrationum & Dedicationum præscribuntur Episcopis, vel ipsis non dico, Magis seu Incantatoribus, sed Circulatoribus, vel Præstigiatoribus & Gesticulatoribus vsitatissimi.*

*Gentes etiam solebant consecrare suas statuas, sed eas tamen simpliciter vnxerunt oleo: nam Arnobius libro primo contra Gentes ait:*Si quando conspexeram lubricatum lapidem,& ex oliui vnguine ordinatum tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar & beneficia poscebam.*Et lib.6. indicat,* Gentiles per dedicationes suas voluisse efficere, vt Dij in statuis habitarent. *Dedicationes imaginũ apud Ethnicos.*

CAPVT V.

De *Consecratione* CALICIS.

EPiscopus *stans cum mitra primò benedicit* Calicem, *deinde facit signum Crucis cum pollice dextra manus in Chrismate intincto intra Calicem à labio eius in labium, & mox totum inungit interius, subjiciens nonnullas preculas. Demum aspergit Calicem cum Aqua benedicta, & cum mica panis Calix per Sacerdotem abstergitur,& extersiones in ignem vel Sacrarium projiciuntur.*

*De Consc.dist.1.Si motum.sancitur,*Calicem consecratum, licet deauretur, tamen non esse reconsecrandum: quia enim propter hoc Calicis forma non mutatur,idem Calix manet.Si verò forma prior immutaretur, secus esset: quoniam forma dat esse rei.Honestum tamen esse, *simul ibidem additur*, vt tam propter pollutarum manuum contactum, quàm etiam propter prophanæ materiæ appositionem Calix aquâ exorcizatâ lauetur prius, quàm ibi immoletur. *O Calices subinde lauandos, propter sacrificulorum impurissimarum manuum quotidianum contactum. Refert etiam Durandus in Ration. diuin. lib. 1. cap. 6.*

In Synodo Senonensi anno Domini 1528. *habita sancitur Ca.* 38. Ne Abbates Calices consecrent.*tom.4.Conciliorum.*

CAPVT VI.

De *Consecratione* CEREI *Paschalis.*

COnsecrationem *seu benedictionem* Cerei Paschalis *Zosimus Papa instituit circa annum Christi 418. Platina. Liber Pontif. Sabellicus Enne.7.lib.9.Polyd.Verg.lib.6.c.7.Martinus autem Polonus, Henricus de Erdfordia, Crantzius lib.6.c.1. Funktus in Chron. hoc inuentum Theodoro, & Honorio 1. attribuunt,quorum hic Pontificatum tenuit anno Domini 622. ille verò 615. Hic mos etiam in Gallicianum inuectus est per Toletanum Concilium 4. Cap. 8. habitum circa annum Domini 627. De ritu autem Consecrandi hunc Cereum in libro de Origine Festarum Christianorum, capite de Paschate, & Sabbatho sancto diximus.*

CAPUT VII.

De *Consecratione* FRUGUM & PRIMITIARUM.

EVtychianus, qui claruit circa annum Christi 282. *constituit*, vt fabæ uvæ & omnis generis fruges consecrentur seu benedicantur super Altari, *si verum est quod in decretali eius epist. refertur, qua extat tom. 1. Con. fol.* 271. *Damasus: Platina. Factum hoc ad imitationem Iudæorum, apud quos fruges oleo & thure adolebantur. Polyd. lib. 6. c.* 14. Servatur hodie, *inquit, Polyd. ibid.* Euthychiani decretum nonnullis in locis. Verùm adeò sanctitas Sacerdotum consenuit, & populi pietas refrixit, vt primitiarum nomen vnà cum prouentu penè exstinctum sit: cùm hodie loco primitiarum dominicis tantum diebus panes aliquot sua sponte alibi offerant, alibi verò solum duos tresúe deni, quos Sacerdos prius consecret, ac eos inde frustatim diuisos populo distribuat, vt qui quondam illis diebus Eucharistiam sumere consueuerat, ob ejus rei memoriam, panem istum ante omnia cibaria prægustet. *Quæ res in eam tandem excreuit superstitionem, vt in die Paschæ nihil omnino, quod non à Sacerdote prius sit benedictum, comedatur. Vnde etiam in quibusdam locis quæcunque comedi debent ad Ecclesiam portantur, & in Atrio vel Vestibulo Ecclesiæ Cruce & Aquâ benedictâ, & in vestibus sacris à Sacerdote benedicuntur. Durandus Ration. diuinorum lib. 6. capite* 86. *In quibusdam locis in die Transfigurationis Christi tantùm noua uva benedicuntur, vt Durandus indicat in Ration. diuinorum lib.* 7. *cap.* 22.

CAPUT VIII.

De *Consecratione* AQUÆ Lustralis.

A*Qua lustrica in memoriam Baptismi omni die Dominicâ benedicitur, præterquàm in Paschate & Pentecoste, vt indicat Durandus lib. 4. cap. 4. Rationalis. Et quia Alexander I. in Decretali sua statuit*, vt à sacerdotibus aqua hæc sanctificetur seu benedicatur, *Canonistæ inde colligunt*, neque Diaconis, neque Subdiaconis id licere: *quum tamen Baptismi administrationem laicis hominibus & mulierculis etiam concedant. Sed est hoc vetus institutum diaboli, vt curet, quo humana inuenta pluris, quàm Dei leges fiant. Quod etiam videre licet in confectione rancidi chrismatis: vbi tantus apparatus adhibetur, vt Episcopum adesse oporteat cum vniuerso Clero, cùm interea Baptismus & Eucharistia, quæ sunt ipsissima Christi Sacramenta, plebeio & vulgari more administrentur.*

Et quia Sal huic aquæ admiscetur, quod ab Helisæo originem sumpsisse volunt, ideò Sal primò adiuratur his verbis: Exorcizo te creatura salis, per Deum viuum, per Deum verum, per Deum sanctum, per Deum qui te per Helisæum Prophetam in aquam mitti jussit, vt sanetur sterilitas aquæ, vt efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, vt sis omnibus te sumentibus te sumentibus sanitas animæ & corporis, & effugiat atque discedat ab eo loco, quo aspersum fueris, omnis phantasia vel nequitia & versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus, per eum qui venturus est judicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. *Item*, Immensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, vt hanc creaturam salis, quam in vsum humani generis tribuisti, benedicere ac sanctificare tuâ pietate digneris, vt sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & quicquid ex eo tantùm vel aspersum fuerit, careat omni immunditiâ, omnique impugnatione spiritalis nequitiæ.

Deinde ad aquam conuersus dicit: Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei patris omnipotentis: & in nomine Iesu Christi filij ejusdem Domini nostri, & in virtute Spiritus sancti: vt fias aqua exorcizata, ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum angelis suis apostaticis, per virtutem, *&c. Item*, Deus qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic, multimodis purificationibus præparato, virtutem tuam benedictionis infunde, vt creatura Mysterij tui tibi serviens ad abijciendos Dæmones, morbosque pellendos diuinæ gratiæ sumat effectum: vt quicquid in domibus, vel in locis Fidelium hæc vnda resperserit, careat omni immunditiâ: liberetur à noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat: vt salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa: per Dominum *&c. In commixtione autem salis cum aqua dicitur:* Te Domine trementes & supplices deprecamur ac petimus, vt hanc creaturam salis & aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, & pietatis tuæ more sanctifices: vt vbicunque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus abjiciatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, & præsentia sancti Spiritus, nobis

bis

bis misericordiam tuam poscentibus vbique adesse dignetur, *&c. Hoc ipso manifestè ea ascribunt lustricæ suæ & incantatæ aquæ, quæ sacræ literæ veræ in Christum fidei & ardentibus ad Deum precibus tribuere docent.*

Ritus cõsecrandi lustricã aquam apud Ethnicos. *Apud nonnullos Ethnicorum Aquam eorum lustricam sic benedictam legimus:* Torrem ex ara, in qua Sacrificia peragebant, sumpserunt, & in aqua tinxerunt, quâ deinde circumstantes asperserunt atque purgârunt, *vt Athenæus lib.9. testatur.*

CAPVT IX.

De Consecratione CAMPANARVM.

Campanarum baptizatio quando cæperit. *Campanis qui primo in baptismo nomina dederint.* *CIrca Caroli M. tempora mos invaluisse videtur* Baptizandi Campanarum *id enim lege in suis constitutionibus vetuit.* *Et Ioannes XIV. Papa circa annum 966. primus fuit,* qui Campanis baptizatis, *hoc est, consecratis* nomina imponere cœperit: *ipseque maiori Lateranensis Ecclesiæ Campanæ suum communicauit nomen. Balæus Centuriâ secundâ Scriptorum Britaniæ folio* 133. Ab hoc, *inquit*, tempore cœperunt Campanis baptizatis peculiaria dari nomina. *Zegedinus in Speculo Romanorum Pontificum hoc Benedicto quinto tribuit. Hic mos in vniuersam mox irrepsit Ecclesiam, vt ex veteri Agenda quadam liquet. Fatetur hoc etiam Baronius Tom.*10.*pag.*810.*his verbis: Ioannes in vrbem rediens, contigit primariam Lateranensis Ecclesiæ campanam miræ magnitudinis recens ære fusam super campanile eleuari: quam prius idem Pontifex sacris ritibus Deo consecrauit, atque Ioannis nomine, puto Baptistæ, cùm Ecclesiæ esset vsui, nuncupauit. Qui sacer ritus in Ecclesia perseuerauit, vt eo modo, quo ipse vsus, campanæ in Ecclesiis collocandæ, Deo primum, imposito eis nomine, dicarentur, quod testantur veteres Codices Rituales. Et Bruschius testatur de Monasteriis Germaniæ,* quòd Campana maxima in Monasterio sancti Matthiæ propè Trevirim in honorem Benedicti Monachorum patris fusa fuerit circa annos 1325. vnde etiam vulgò Benedictam incolæ eam vocârint. *Baronius duplicem ob causam Campanis in baptismo earum nomina imponi dicit: vel vt distinguerentur à cæteris: vel quòd magis conduceret ad pietatem. Si voce Sancti alicuius diceretur populus ad Ecclesiam conuocari. Ad nihil verò hæc Campanarum distinctio vtilis est & necessaria. Deinde magis ad pietatem conducere arbitror, si dicatur jussu Dei & voce verbi eius nos ad Templa vocari.*

Ac insignis insuper accessit superstitio, quòd nimirum tincti æris sonitu fugetur Diabolus, præueniantur fulminum ictus, ac omnis generis calamitates, quæ ventorum turbine infligi possint, auertantur, teste Duran. in Rational. diuin. libro primo. Vbi jurè miretur aliquis, cur non semper pulsentur Campanæ, diu noctuque sine intermissione, aut cur non loco Orationis, auditûs verbi Dei ac piæ vitæ Campanarum pulsum instituerit Deus, cùm is arcendis omnis generis malis sufficiat. Equidem concedo iam inde à prima Campanarum origine, eas, imminentibus tempestatibus, pulsatas esse: sed ex superstitione aliqua id factum, hoc verò pernego: habuerunt enim causas non improbandas; vnam naturalem, alteram theologicam. Ferunt namque vehementi commotione aëris, quem sonus ille Campanarum concitat, nubes condensatas disjici. Vt enim lapillus in aquam conjectus giros facit multiplices, ita sonus vehemens aërem, qui aquâ multò tenuioris est substantiæ, impellit, & latissimè diffundit. Deinde hoc signo homines ad preces excitare voluerunt, vt nimirum eo audito omnes & singuli Deum ardenter rogent, vt imminentem tempestatem pro sua gratia & misericordia auertere dignetur. Quanquam ne hanc quidem ob causam pulsum ejusmodi necessarium esse arbitror. Quemadmodum enim apud hunc, quem vel lucis ortus manè, vel vesperi ingruentes tenebræ non commouerint; vt Deo gratias agat, eumque inuocet, & ita constitutus fuerit, vt assueuerit, Deum quotidie manè & vesperi, & sæpe etiam interdiu in ipsis rerum actionibus inuocare, & sese illi commendare, parum virium habiturus est Campanarum pulsus, vt ad pias preces eum commoueat: ita quem horrida aëris facies nigricantibus nubibus & intermicantibus ignibus, tonitrua item sæua & fulmina horrenda ad precandum non commoueant, eum ne Campanæ quidem signo ad piè orandum commoueri posse reor. *Cãpanæ cur olim imminẽtibus tẽpestatibus pulsatæ.*

*Ritus autem baptizandi seu consecrandi Campanas sic describitur à Ioanne Sleidano lib.*21.*historiarum.* Primùm quidem, *inquit*, sic eas pẽdere oportet, vt circumire possit Episcopus. Qui cùm psalmos aliquot demurmurauit, aquam & salem consocrat, simulque miscet, eaque foris & intus Campanam diligenter lauat, post extergit, & oleo sacro formam Crucis in ea describit, Deumque precatur, vt cùm impellitur, & insonat Campana, fides & charitas in animis hominum augeatur, facessant omnes insidiæ Diaboli, grando, fulmina, venti, tempestates, & omnis intemperies mitigetur. Vbi crucem illam oleatam linteo detersit, septem alias cruces in ea format, intus verò solùm vnam: postea psalmos aliquot recitans, Campanæ Thuribulum subdit, & suffitum facit, eique benè precatur. *Plerisque in locis epulum dari consueuit & peragi conuiuium, non secus atque in nuptiis.* *Campanarum baptismi ritus.*

Eundem Ritum his verbis describit Thomas Nageorgus *Libro* I. *Regni Papistici*.

Quando baptizant Campanas, ferreus est quis,
Qui risum cohibere queat: quin non manu vtraque.
Auriculas asini fingat: qui pectore toto
Non indignetur, lucrosis artibus illuc
Rem rediisse, vt Baptismi venerabile signum,
Quod nos in Christi demonstrat castra receptos,
Res anima sensuque carens ante ora prophanet
Nostra, atque actore id magno, miroque paratu.
Vndique vicinus populus concurrit eodem,
Omnibus vna cupido est hæc spectacla videndi.
A Templi illius præfectis jam antè rogati
Adsunt compatres culti, tersique supremè.
Complures ad tantum olim vt legerentur honorem,
Prævenere rogando ipsi: nec paruulus horum
Est numerus: centum fermè: persæpè ducenti,
Tercentum quoque, si Campana est magna, locusque
Insignis. Tandem procedit Episcopus armis
Spectandus solitis, preculis & consectat vndam
Cum sale: quippe sine his tantus nil efficit author.
Multa, licet clarâ luce, ardent lumina circum.
Cætera post quam egit precibus, procumbere mandat
In genua astantes, orareque vti Campanæ
Baptismus prosit contraque pericula fortem
Cinnitum mittat. Post hæc Campana linitur,
Partibus in quibus est visum, quotiesque chorago.
Non enim idem obseruant omnes. Tum postulat edi
Illius nomen (nomen quippe inditur illi,
Vt puero) quod cum didicit, perfundit abundè
Baptismi ter aquâ, sacro dein Chrismate signat
Depictis crucibus: mox illi linea vestis
Candida ceu puero injicitur. Tum maxima verò
Compatrum cura, & certamen surgit ineptum,
Vt tangant, saerique leuent de fonte lauacri.
Sed nequeunt omnes circum contingere dextrâ:
Ergo funiculis retinent, tanguntque leuantque
Quamlibet extremi: satis istud nempe videtur,
Seque suo censent perfunctos munere bellè.
Demùm filiolæ tinctæ munuscula donant,
Aurum, & argentum. Vult diues quisque videri,
Atque alios superare stipe. Hæc res commoda porrò
Præfectis Templi est, turtim vt tollatur in altam.
Hinc conuiuantur, quòd sit Campana renata.
Lucem illam celebrant, vino, lusu, atque choreis,
Et vomitu, & pugnis, omnique libidine gestus
Quidnam aliud quæso vidisti stultius vsquam
A magnis paruisque geri, sub schemato sancto?

Hic ritus baptizandi Campanas in Pontificali, ab Alberto Castellano *anno* 1520. *edito, ita ferè, describitur*. Signum vel Campana benedicenda, debet benedici antequam ponatur in Campanili hoc ordine. In primis debet Campana ipsa suspendi vt commodè possit intus & extra tangi, tractari & circuiri. Deinde propè ipsam Campanam benedicendam paratur Pontifici faldistorium (*sella*) vas aquæ benedicendæ: Asperforium: vas cum sale. Lintea munda ad extergendum Campanam quando opus erit. Vas olei sancti infirmorum sanctum Chrisma: Thimiama, thus, mitra & thuribulum cum igne. Diaconus etiam accipit amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam & dalmaticam albi coloris. Quibus paratis, Pontifex cum ministris, paratus mitta & baculo pastorali, venit propè Campanam, & sedet ibi super faldistorio, & dicit cum Ministris psalmos, quorum principium est: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam. *Item*, Deus in nomine tuo salvum me fac. *Item*, Miserere mei Deus, miserere mei. *Item*, Deus misereatur nostri, & be-

& benedicat nobis. *Item*, Deus in adjutorium meum intende. *Item*, Inclina Domine aurem tuam & exaudi me *: Cum*, Gloria Patri, *&c.* Tunc surgit Suffraganeus, & stans cum mitra benedicit sal: ac depositâ mitrâ dicit Orationem. Deinde acceptâ mitrâ, extensâ dextrâ super aquam, eam benedicit, ac depositâ Mitrâ iterum dicit Orationem. Post hæc idem Pontifex mittit sal in Aquam in modum crucis, dicens: Hæc commixtio salis & aquæ efficiatur salutare Sacramentum, in nomine Patris, *&c.* Quo facto super vtrumque dicit Orationem. Quibus peractis Episcopus acceptâ mitrâ incipit lauare Campanam cum hac aqua, dein Ministri prosequuntur lotionem totam intus & extra, quam postea linteo extergunt, & Episcopus iterum sedet, & dicit Psalmos, quorum initium est: Lauda anima mea Dominum. *Item*, Laudate Dominum quoniam bonus est. *Item*, Lauda Hierusalem Dominum. *Item*, Laudate Dominum de cœlis. Finitis his Psalmis, Episcopus stans cum Mitra facit signum crucis cum pollice intincto in oleo infirmorum exterius supra Campanam, & stans sine mitra dicit Orationem. Hinc Pontifex resumptâ mitrâ extergit eum linteo mundo crucem à se factam, & incipit cantum, Vox Domini super aquas multas, *&c.* Interea stans idem cum Mitra septem cruces de oleo infirmorum super Campanam exterius, & quatuor de sacro Chrismate in pari distantia inter se, ac quâ ibet crucem dicens, consecretur & sanctificetur Domine signum istud in nomine Patri, *&c.* In honorem Sancti talis & talis pax tibi. His omnibus peractis, tangit præ icta cruces Episcopus cum oratione hujusmodi. Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam fœderis per clangorem tubarum, muros lapideos, quibus cingebatur aduersantium exercitus, cadere fecisti: tu hoc Tintinnabulum cœlesti benedictione perfundere, purificare, sanctificare & consecrare digneris, vt ante sonitum ejus effugiant ignita jacula inimici, percussio fulminum, impetus lapidum, læsio tempestatum, vt ad interrogationem propheticam, Quid est tibi mare quòd fugisti, suis motibus cum Iordanico retroactis fluento, respondeant, A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob. Qui conuertit petram solidam in stagnum aquæ, & rupem in fontes aquarum. Non ergo nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam secundum misericordiam tuam, vt cùm præsens hoc vasculum, sicut reliqua Altaris vasa, sacro Chrismate tangitur, & oleo sacrosancto vngitur, tuâ benedictione sanctificetur, & quod arte aut metalli specie non potest fieri dignum, fiat tuâ benedictione perfusum, vt quicunque ad sonitum ejus conuenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberentur in corpore, & à prauis cogitationibus mundentur in mente, semperque fidei Catholicæ documenta sectentur, atque tuæ consolationis gratiam percipere mereantur. Saluator mundi, cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus in secula seculorum, Amen. Tunc sedet Episcopus cum mitra, & imponit thuribulo thimiana, thus & mirrham si haberi possunt, alioquin quæ ex ipsis habentur, quibus impositis thuribulum ipsum supponitur Campanæ, vt totum fumum recipiat, interimque cantatur, quo finito Episcopus depositâ Mitrâ surgit, & orat. Demum Diaconus albis vestibus indutus cantat Evangelium Luc. decimo In illo tempore intrauit Iesus in quoddam Castellum, *&c.* Finito Evangelio Episcopus osculatur librum Evangeliorum productoque super Campanam signo Crucis, vadit in pace.

P. Paulus Vergerius in lib de aqua benedictâ & baptizata Campana Origine hunc ritum ita desribit: Primùm, *inquit*, lauant ipsam nolam aquâ mixtâ vino, cinere & sale. Neque omnibus hæc ablutio conceditur, sed Episcopum solum suum quæstum inde facienti, & magnum salarium inde exigenti. Sacrificulis conceditur quidem homines baptizare, pro quibus Christus passus est: at Nolas, materiam sensu omni carentem & ex metallo confectam, vix tangere, nedum abluere illis licet. Ablutâ novâ jam dictâ aquâ, abstergitur telâ nouâ & nunquam vsâ. Post intrinsecus 4. cruces imprimuntur, eæque Oleo sancto oblinuntur: extrinsecus septem: ac suffumigatur mirrhâ & thimiamate. Quibus peractis subjunguntur multæ orationes, exorcisci, incantationes, & plures quàm viginti benedictiones. Donatur etiam nomine alicujus inferiorum Sanctorum seu minorum nec adeò celebrium. Tandem adlegitur Evangelium aliquod. Post de ejus vi & p ten ia concionatur.

De Consecratione Campanarum hujusmodi Canon exstat in Synodo Colonien. anno 1536. *habitâ.* Benedicuntur Campanæ, vt sint tubæ Ecclesiæ militantis, quibus vocetur populus ad Templa ad audiendum verbum Dei. Clerus verò ad annunciandum manè misericordiam Dei & veritatem ejus per noctem; vt per illarum sonitum fideles invitentur ad preces, & vt crescat in his devotio fidei: quamvis etiam patres aliò respexerint, scilicet, vt Dæmones tinnitu Campanarum Christianos ad preces concitantium terrean- *Campanæ cur bapti-zentur.*

terreantur, quin potius precibus ipsis territi, abscedant, illisque submotis, fruges, mentes & corpora fidelium serventur, vt procul pellantur hostiles exercitus & omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempestatum & fulgurum temperentur, infesta tonitrua & ventorum flumina suspendantur, spiritus procellarum, & aëreæ potestates prosternantur. Breviter vt audientes confugiant ad sanctę Matris Ecclesiæ gremium, ac sanctæ Crucis vexillum, quemadmodum hæc in benedictione solenni Campanarum reperiuntur, *cap.* 14 *partis* 9.

Hinc perspicere licet, multo plus Campanis inanimatis, earumque tennitui tribui, quàm piorum hominum precibus. Quod etiam ex inscriptione Campanæ cujusdam Stakbori oppiduli ad lacum Venetum colligere possumus, quæ sic habet:

Colo verum Deum, Plebem voco, & congrego Clerum:
Divos adoro: Festa decoro: Defunctos ploro: Pestem, Dæmonesque fugo.

Non immeritò ergo displicuit hæc plusquàm Ethnica superstitio multis pietate & doctrinâ præstantissimis viris. Thomas enim Rorarius edidit Concionem de pulsu Campanarum arcendæ gradinis causâ: in qua rationem reddit, vnde gradines & alia tempestates oriantur, & quomodo pellendæ sint: excusa est Tubingæ 1570. *German.*

Campanarum consecratio & quæ ei tribuuntur Ethnica superstitio.

*Et Petrus Viretus lib.*3. *de Adulterata Cœna Domini, c.* 2. *grauiter hujusmodi consecrationes Campanarum, & quæ illis tribuuntur reprehendit, nec ineptè ad Ethnicorum consuetudinem & ritus refert.* Si his viribus, *ait*, sunt prædita Campanæ & Tintinnabula, quid jam Christo opus est? hæ enim solæ abundè præstabunt omnia quæ sacræ literæ Christo soli tribuunt. Ad has igitur confugiendum erit, tanquam ad Deos quosdam Averruncos, qui vastitudinem, calamitates intemperiasque prohibescant, defendant, averruncent: quod precari docet Plato in Solitaurilibus. Quantum autem hæc absunt ab ijs quæ de sagis ac veneficis in Poëtarum libris sæpè decantata leguntur? cujusmodi hoc est Tibulli, lib.1. Elegia. 2.

Hanc ego ducenté de cœlo sydera vidi.
Fulminis hæc rapidi carmine vertit iter.
Quùm libet, hæc tristi depellit nubila cœlo:
Quùm libet, æstivo convocat orbe nives. Item:
Cantus & è curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non æra repulsa sonent.

In quo postremo versu, vis quoque à Poëta tribui videtur æris tinnitibus adversus magicâ maleficia: quemadmodum apud Ovidium eorundem præsidia, in sacris magicis Lemuralium ad lemures ædibus expiatis abigendos, & mortuorum umbras adhibentur. Sunt autem hæc ejus verba Fast. 5.

Rursus aquam tangit, Temesæaque concrepat æra,
Et rogat ut tectis exeat umbra suis.

Annon eadem ferè omnia consecrationis formula pollicetur, quæ tanquam Tintinnabulorum quædam lustratio est? Quo circa ea aptè appellari poterit Tintinnabulolustrium, *seu* Campanilustrium: *eadem nimirum ratione quâ Ethnici sacrarum Tubarum lustrationes*, Tubilustria *appellavere: de quibus Ovid. Fast. lib.*3. *ita*,

Summa dies è quinque, Tubam lustrare canoram
Admonet, & forti sacrificare Deæ.

De Campanarum consecratione iniqua querela.

Exstat quoque gravissima quarela contra inanem & immodicam Campanarum consecrationem & baptizationem inter gravamina Germaniæ, quæ imperante Carolo 5. *anno* 1522. *in Comitijs Noribergen. Legato Pontificio sunt exhibita. Gravamen enim* 51. *ita habet:* Suffraganei excogitaverunt, ut solum ipsi, & nullus alius Sacerdos, laicis Campanas baptizent. Credunt deinde simpliciores, ita affirmantibus Suffraganeis, tales Campanas baptizatas, Dæmones & tempestates pellere. Quapropter innumeri adhibentur Compatres, præcipuè verò qui fortunâ pollent, exorantur, qui baptizationis tempore funem quâ Campana religata est, tangunt, & Suffraganeo præcinente (quemadmodum in parvulorum baptizatione fieri solet) omnes pariter respondent, ac Campanæ nomen ingeminant, vesteque novâ (quemadmodum & Christianis fieri solet) Campanâ induitur. Inde ad sumptuosa properatur Convivia, quibus præcipuè compatres, ut eò largius munera offerant, adhibentur: nec non Suffraganei, & eorum Capellani, cum multis alijs Ministris regaliter pascuntur. Nec hoc satis est, sed & Suffraganeo mercedem persolvere necesse est, quam illi munusculum vocare solent: inde evenit, ut aliquando etiam in parvis villis centum floreni in tali absumantur & expendantur baptizatione: quæ res non solum SUPERSTITIOSA, sed etiam Christianę Religioni CONTRARIA, ac simpliciorum SEDUCTIO, & mera est EXACTIO. Veruntamen Episcopi, ut Suffraganeos vel vilissimâ obærare possint mercede, talia, & adhuc absurdiora tolerant. Res igitur tam NEPHANDA & ILLICITA meritò aboleri debet. Cæterum si conducere videtur, ut Campanæ consecrentur (ita enim Suffraganei

nei baptizationem appellant, quoties à prudentioribus hac de re interpellantur) conveniens erit, ut talis consecratio per unumquemque fiat Sacerdotum, quemadmodum cum Aqua benedicta, sale, herbis & similibus fieri solet; idque absque pretio & expensis Laicorum, ne populus simplex ita seducatur, & damno afficiatur, neq; non avaritiæ detestandæ præsumptio evitetur. *Catalogus Testium Verit. fol.* 346.

Præclarè quidem Germani, & luculenter: Sed ut sues cœno, ita Pontifices Romani istis corruptelis ac sordibus adhuc hodiè ita delectantur ob profundam avaritiam, ac insatiabilem habendi cupiditatem, ut nulla prorsus inspissimarum superstitionum ac horribilium abusuum emendatio ab illis sperari possit: evenit ergo illis justo Dei judicio, quod jam olim evenisse ipsis Durandus in libro de Consilio celebrando ex Beda indicat, dicens: Secuti sunt viam Balaam ex Bozor, qui mercedem iniquitatis amavit, correctionem verò habuit suæ vesaniæ. Nam subjugale mutum, hominis voce loquens, Prophetæ insipientiam probavit. *Quod etiam hodiè accidit, cùm tam stulta ac dissoluta perpetrentur in Ecclesia Dei à personis Ecclesiasticis, quæ deberent esse lumen aliorum, & lucerna super candelabrum posita, juxta id quod Dominus ait,* Sensus hebetant Iudæorum ac etiam Paganorum. *Et etiam illi, qui ratione divinæ agnitionis omni modo carent, istorum detestantur insaniam, & earum distorta ac Deo contraria itinera sanius sapiendo redarguunt. Quia erga in tantum mercedem amant iniquitatis Ecclesiarum præsules, & ex quolibet re lucrum sperant, ut etiam docti ab indoctis, Clerici à Laicis meritò corripiantur, jure comparantur Prophetæ, qui verbis asinæ contra naturam loquentis corripitur.*

Thomas quoque Naogeorgus *lib.* 4. *Regni Papistici hanc superstitionem ut impiam his verbis insectatur:*

Si cœlum tonat, & tempestas sæva timetur,
Mirum quàm trepident miseri, quàm nulla supersit
Vera fides: quàm cuncta infida habeantque putenque.
Actutum æditus Campanas concutit omnes,
Immenso sonitu, & solito violentius usque
Dum tristi cessent resonare tonitrua cœlo.
Nam baptizatis credunt hujusmodi vires
Esse in Campanis, ut cuncta tonitrua frangant.
Vidi ego Numburgi quondam in regione Toringa
Campanam de se titulo quæ talia magno
Iactabat: Dicor Maria (in Baptismate nomen
Scilicet inditum erat) confringo tonitrua pulsu,
Pello nociva, fugóque eadem cacodæmonas omnes.
Talia cùm possint, non mirum me hercle Papistas
Ad pulsum illarum fugere, impendente ruina
Grandinis, aut nymbi, penetrantisue omnia teli. *Et mox:*
Hic ubi divini fiducia certa favoris
Cernitur? inque malis speratur casibus unde
Auxilium à Christo? divinæ ubi se & sua credunt
Cuncta voluntati, verbis ut inanibus orant?
An non Catholici sunt, & gens bella, Papistæ
Præsidio quibus est Campanæ pulsus ahenæ?

Hanc verò solennem lustrationem, non solùm Campanarum benedictionem, *verùm etiam* Baptismum *vulgò vocare solent, ut multis testimonijs probari posset, non sine magna Baptismi à Christo instituti subsannatione & contumelia. Sed ut sacra Cœna verba non suis auditoribus annunciant, quorum tamen gratiâ recitari tantum debent: sed quasi suffocatâ voce murmurant, perinde ac si panem & vinum alloquerentur: ita mirum non est, si ara baptizant eundem in modum, quo ante ostendimus. Licet Hosius, & Bellarminus tomo* 1. *lib.* 4. *de Rom Pontifice cap.* 12. *col.* 1025. *hoc indignissimè ferant, & Campanas à suis symmistis consecrari, non baptizari affirment. Baronius etiam supra notalè loca dicit,* errore vulgi pro arbitrio utentis vocibus, baptizari campanas dici, cùm ita benedicuntur ab Episcopo, non aliunde Baptismi in re longè dispari mutuati nomen, nisi quòd sicut in baptismo nomen imponitur baptizato, ita in ea consecratione nomen campanæ detur. *Quoniam verò, si maximè testibus destitueremur, Campanis in hac consecratione seu benedictione non tantum nominà imponuntur, ut Baronius dicit, sed etiam cum ijs omnia ferè fiunt, quæ ad Baptismum pertinent, non injuriâ ea dicuntur baptizari: abluuntur siquidem, unguntur, exorcizantur, patrimi eis adhibentur, nomina illis imponuntur, veste nova induuntur, imò longè majori pompâ & ambitione tractantur, quàm homines, dum sacro Baptismo tinguntur. Quod an ubique facere soleant pro certa affirmare non possum: ea saltem narro, quæ fide digni homines aliquando facere viderunt. Fallit igitur Baronius insufficienti enumeratione partium.*

Campanarū benedictionē baptismū vocāt impiè.

Digitized by Google

CAPUT X.

De Consecratione COEMETERII.

CAlixtus I. Cœmeterium primus dedicâsse perhibetur, circa annos Christi 220. Valer. Ansel. Ryd. Albertus Castellanus in Pontificali à se edito testatur, plerosque asserere, Cœmeterij benedictionem seu consecrationem, necessariam non esse, quod circuitus extra Ecclesiam & Cœmeterij aspersiones, quæ fiant quando Ecclesia seu Templum dedicetur, sufficere dicant: *Ipse tamen dicit*, supervacaneam non esse eorum benedictionem, *quam hoc modo & ordine fieri indicat*: In die præcedenti dedicationem, ponuntur in Cœmeterio benedicendo quinque ligneæ cruces, videlicet vna altior in medio, & quatuor aliæ, quælibet ad staturam hominis, quarum vna in extremitate Cœmeterii ante crucem mediam ponitur: tertia in tertia extremitate à dextris, & quarta in quarta extremitate Cœmeterii à sinistris crucis mediæ. Ante quamlibet harum 5. crucium figitur in terram aliquod lignum, in cujus summitate affiguntur tres candelæ trium vnciarum quælibet. Scala item paratur super quam ascendens Episcopus possit attingere summitates crucium: vas quoque magnum aquâ plenum benedicendâ, & vas cum sale. Sequenti die summo mane indutus sacris vestibus Episcopus accedit cum Ministris ad Cœmeterium benedicendum, vbi faldistorium (*sella*) ante crucem in medio positam ei paratur, super quo residens, brevem ad populum sermonem habet de sanctitate & libertate cœmeterii. Eo finito, affiguntur & accenduntur 15. candelæ, tres ante quamlibet crucem super ligna supra ordinata Quibus ardentibus Episcopus ante mediam crucem & candelas stans depositâ mitrâ orat. Postea ante ipsam crucem super faldistorio Episcopus acceptâ Mitrâ accumbit, & cantor incipit Litaniam: in cujus medio Episcopus surgit, & baculum pastoralem in sinistra tenens, facit signum Crucis super Cœmeterium, dicens, Vt hoc Cœmeterium purgare & benedicere digneris, te rogamus, audi nos: quod ter ijsdem propè verbis repetit. Quo facto residet, & cantor perficit Litaniam. Finitâ Litaniâ Episcopus surgit & benedicit sal & aquam, quà dein accedit ad crucem ante mediam positam, & stans sine Mitra incipit canere, Asperges me Domine hissopo, *&c.* cum psalmo, Misereri mei Deus, *&c.* Interea Episcopus acceptâ Mitrâ circuit totum locum Cœmeterii, incipiens ab ejus dextra, & vbique aspergens Aquam benedictam. Expleto circuitu hoc, redit ad crucem quæ est ante mediam, & ad ipsam respiciens, stans sine Mitra dicit Orationem. Deinde thurificat ipsam crucem, & figit in summitate ipsius vnam ex tribus candelis ardentibus & alias duas similiter ardentes in duobus brachiis ejusdem crucis. Quo facto, Episcopus acceptâ mitrâ vadit ad aliâ crucem retrò mediam positam dicendo aliquot psalmos, & aspergendo semper Aquâ benedictam per Cœmeterium. Postea psalmis finitis Episcopus ante ipsam crucem sine Mitra stans orat: tum thurificat illam crucem: & figit in summitate ejus vnam ex tribus candelis ardentibus & alias duas in brachiis duobus dictæ crucis. Deinde cum mitra aspergendo Aquam benedictam vadit ad aliam crucem positam ad dextram mediæ crucis, aliquot Psalmos recitans: quo facto stans ante ipsam crucem sine mitra orat: deinde thurificat crucem & affigit ei candelas vt suprà. Idem facit cum cruce quæ est ad sinistram mediæ crucis posita. Tandem revertitur, aspergendo Aquam benedictam vbique, ad crucem mediam, ante quam orat, & postea mediocri voce extensis manibus ante pectus dicit præfationem. Tandem crucem hanc thurificat, eique, vt prioribus, affigit candelas. His peractis benedicit populum, ac intrans Ecclesiam vel ipse Missam celebrat, vel per alium celebrari curat.

Bonifacius VIII. in Sexto Decretalium tit. 21. constituit, Si Ecclesia effusione sanguinis aut seminis polluatur, ipsius Cœmeteriorum si contiguum sit ei vt censeatur etiam pollutum: non autem è contra, ne minus dignum maius, aut accessorium principale ad se trahere videatur: Ideoq́ priusquam sepeliatur aliquis in eo, reconsecrandum.

Ignoravit autem vetustas ineptas huiusmodi Ceremonias & superstitiones: nam in Aurelianensi Synodo sancitum fuit, si Ecclesia aliqua ædificata & consecrata sit, tum Atrium ejusdem Ecclesiæ sanctâ Aquâ simpliciter conspergatur, *vt est de Cons. dist. 1. cap. Nemo Ecclesiam. Exstant similes aliæ Dedicationum, Consecrationum & Benedictionum Papistarum formulæ, sed his nugis ac deliramentis, ne quid gravius dicam, bonas horas perdere, & chartas commaculare piguit.*

DE

DE

ORIGINE, PROGRESSV ET INCREMENTIS

DONATIONVM ET Bonorum Ecclesiasticorum.

LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

Quæ fuerit conditio BONORVM *Ecclesiasticorum* Christi in terris & Apostolorum ætate, ac inde, vsque ad Constantini M. tempora.

QVIA *Templa vel ædificari, vel reparari, & externus Dei cultus sine bonis Ecclesiasticis conseruari nequit, ideò tractationem eorum à nostro instituto non fore alienam puto. Quod igitur ad Originem & progressum eorum pertinet*, DEVS *Ecclesiæ suæ de propriis & peculiaribus bonis, quæ ad illius administrationem impenderentur, liberalissimè inde vsque ab initio semper prospexit. Constitutâ enim politiâ Iudaicâ, & Ecclesiâ suâ in certum quandam formam redactâ, tribui quidem Leuiticæ, cui Sacrorum forma & Ecclesiæ administratio commissa erat, nullos agros, vineas aut possessiones proprias vt reliquis destinauit, quò videlicet omni rei familiaris curâ liberi ac soluti, tantò commodius & dexterius rei diuinæ vacarent. Omnium autem frugum & pecudum primitias & decimas: ex omnibus Sacrificiis, Holocaustis exceptis, certas & optimas partes: censum vel dimidium sanctuarij siclum annuatim, à singulis, qui viginti annorum & supra erant, tam pauperibus, quàm diuitibus, in opus tabernaculi Ecclesiæ numerandum assignauit. Gazophylacium etiam in Templo poni curauit, per Ioiadam & Ioam, in quo omnis pecunia, quæ in Templum inferebatur, reponeretur, sicuti 2. Reg.12. Nehem: 13. Luc.21. videre licet. Vnde tanta vis pecuniæ in Templo conflata & collecta fuit, vt hoc ipso nomine exteri Reges, Ægyptij, Assyrij & Romani quoque, non aliter illi Temploque Hierosolymitano inhiarint, atque vultures cadaueri: Et Romani, occupatâ Hierosolymâ, ex ingenti illâ Templi pecunia & diuitiis, contra Iudæos præsidia comparauerint, quemadmodum libri Regum, Paralipomenon & Antiquitatum Iudaicarum Iosephi testantur.*

Habuisse etiam Christum Dominum ac Seruatorem nostrum, cùm in terris ageret, marsupium & pecunias quasi publicas ex Euangelica historia patet. Eæ autem conferebantur à piis & opulentioribus hominibus, qui ipsum sequi solebant: ex quorum numero aliquot illustres & diuites fœminæ fuerant; quarum nomina Luc.8 cap. commemorat: Maria scilicet Magdalena, & Ioanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis Regis, & Susanna, cuius conditio non annotatur. Pecuniarum istarum administrationem Iudæ commisit Dominus, licet eum furem & proditorem, imò diabolum esse nouisset. Quod cur fecerit, certò sciri non potest, & ferè imperscrutabilia sunt judicia Dei, in quibus nos potius eius sapientiam, bonitatem, justitiam & potentiam admirari, quàm causas factorum eius omnium, quas ille non indicat, curiosius inquirere decet.

Vsus verò pecuniæ eius fuit, quod inde seipsum & discipulos aluit, & pauperibus quoque benefecit. Cùm enim Ioan. 13. *Iudæ dixisset,* Quod facis fac citò: *plerique Discipulorum illum jussisse putârunt, vt aut ea coëmeret, quibus ad festum opus erat, aut vt pauperibus aliquid daret. Nihil verò huius suspicari poterant, nisi vtrunque solitus fuisset facere. Hoc ipso verò Dominus Ecclesiæ suæ exemplum præbere voluit,*

vt ipsa quoque ærarium publicum habeat, vnde petantur quæ ad vsus publicos necessaria sunt, & suis Ministris pauperibusque simul prospiciatur. Arguuntur igitur exemplo hoc Domini Mendicantes monachi, insignes hypocritæ, quibus nefas putatur pecuniam contrectare, cùm interim sub voluntariæ paupertatis prætextu orphanorum & viduarum domus deuorent, nihilque habere videri cùm velint, omnia longè latéque possideant, & in summa rerum copia seu abundantia saginentur hodiè. Confutantur etiam Franciscani monachi, qui Christum nullas pecunias habuisse, nihilque proprium possedisse docuerunt: qua de re contentio magna inter ipsos & Dominicanos sub Ioanne 22. Papa exorta fuit, vt supra indicavimus.

Bona cõmunia in Hierosolymitana Ecclesia.

Observavit morem hunc Domini sui diligenter primitiva Ecclesia, ut in Actis Apostolicus & Pauli ad Corinthios epistolis videre licet. Ecclesia enim quæ mox post Ascensionem Christi in cœlos, Hierosolymis fuit, sive ob ardentem & mutuam inter se dilectionem & conjunctionem, sive ob persecutorum injurias, communia omnia, nihilq́ proprium seu privatum habuit: sed sua omnia in commune ærarium, ad communem omnium usum, contulit: sicuti Lucas testatur Actor. & 4. cap. Nam quùm Hierosolymis Christiani penè omnibus odiosi essent, habitando simul, ac unà vivendo, noctu diúque sese mutuo cùm doctrina, tùm precibus communibus, & exemplis adhortationibusque confirmabant. Deinde tum temporis plurimi pauperes ex Iudæis ad Christum se contulerunt, quibus cæteri cives maximè infesti erant, ita ut illos è Synagogis suis ejicerent, ac vulgò detestarentur. Vnde suas operas elocare non poterant, quibus justis manuum operibus victitarent. Oportuit igitur ad talem multitudinem alendam, eos, qui ditiores erant, suas facultates, charitate jubente, impendere. Præterea non dubitârim, Deum ipsum incitâsse sanctos illos viros ad id faciendum, quùm Iudæorum agri & domus paulò post essent evertendæ & perituræ obsidione ac misero excidio, quòd à Romanorum exercitu impendebat. Non igitur est passa divina providentia, temerè perire sanctorum bona: quæ etiam à Iudæis, dum Christianos vexabant, ante bellum quoque diripiebantur, & confiscabantur. Proinde curavit spiritus sanctus, eadem opera hujusmodi facultates usibus piorum inservire, dum simul habitarent: & exemplum admiratione dignum inde præberi, quo docerentur fideles, opes & fortunas hujusmodi contemnendas, cùm pro Christi nomine, tum ut pauperum necessitati subveniatur, è quo Charitas, quæ fructus est fidei, & vinculum humanæ societatis, amplissimè declaretur.

Bonis Hierosolymit. Ecclesia

Huic ærario præfuerunt primò Apostoli, quibus pretia sive pecuniam in commune depositam, distribuendi jus permissum fuit, prout cuique opus erat. Actor. 4. Opes enim istæ, quas fideles contribuebant, melius distribuebantur per Apostolos, quàm si per seipsum quisque singillatim eas erogâsset. Quemadmodum videmus in civitatibus benè institutis, pauperibus ac mendicis multò melius prospici, si per certos homines eleemosynæ collectæ distribuantur, quam ubi quisque judicio ac arbitrio suo largitur cuique prout voluerit. Sed cùm, crescente multitudine fidelium, non simul possent mensis ministrare, hoc est, eorum curam suscipere seu gerere, quæ pauperum subventioni & alimoniæ servirent & vacare Concionibus precationibusque cum publico Ecclesiæ totius consensu septem viros spectata probitatis plenos Spiritu sancto & sapientiâ, creârunt Diaconos, quos ei rei præfecerunt. Actor. 6. quis fuerit.

Atque hæc est Origo bonorum Ecclesiasticorum apud Christianos. Quemadmodum enim Fideles hi sanctâ liberalitate suas opes Ecclesiæ contulerunt, ita sequentibus postea seculis factum est, ut crescente Christianorum numero, Reges & Principes aliíque, quorum lautior fortuna fuit, horum exemplum imitati, Ecclesias annuis additibus & decimis ditarent, ut mox indicabitur.

Quamdiu autem hæc rerum communio durârit certo aliquo testimonio Sacræ Scripturæ indicari non potest. Ioannes de Turre Cremata Cardinalis in Commentarijs ad cap. 33. Regulæ Benedicti, colligi posse existimat ex verbis Meltiadis Papæ, quæ exstant 12. q. 1. Futuram. ad Constantini M. usque tempora durâsse. Sed primo verus Meltiades ista non scripsit, verùm impostor quidam. Deinde non agitur ibi de Bonorum communione vel unico verbo, sed cur prædia fidelium in Iudæa Ecclesijs non tradita, verùm vendita, & pretia Ecclesijs collata fuerint. Quibus subjicitur, Constantinum demùm Magnum Ecclesijs prædia & bona constituisse tribuenda. *Tertiò certum est, hanc rerum communionem in Ecclesia Hierosolymitana tantum usurpatam fuisse, idque non ad Constantinum M. usque. Neque etiam Apostoli talem communionem lege aliquâ præceperunt usquam: sed fideles sponte suâ contribuebant bona, partim sicut diximus, ut hac ratione ardens dilectionis studium testarentur, partim verò ut sic assuefacerent se, ne opum jacturam, quam exoriente persecutione mox facturi erant, impatientiùs ferrent, cùm illas jampridem alijs erogare, & ipsi pauco contenti vivere didicissent.*

Proprietas verò in aliis Ecclesijs fuit.

In alijs verò Ecclesijs eandem rerum communionem fuisse, neque Historiæ meminerunt, neque aliunde probari potest, neque etiam ab alijs recipi ac retineri debuisse: cùm neque omni tempore, neque omni loco ea contingant, quæ tum temporis primis illis Christianis Hierosolymis evenerunt. Constat enim Romæ Christianos res proprias habuisse, ex ijs quæ Paulus scribit Rom. 12. 1. Corinth. 6. Gal. 8. Ephes. 4. Philip. 4. Coloss.

Coloss.4. 1. Thess.2. & 4. 2. Thessal. 3. Id quod etiam alia Ecclesia fecerunt, ut patet ex 1.Tim.6. ubi divitibus prascribit, quomodo suis bonis uti debeant. Ioannes quoque proprietatem probat 1. epist. 3. & Paulus Heb. 13. ac Iacobus 2. cap. sua epistola.

Ærarii Ecclesiæ primæ habuerunt.

Nihilominus tamen illa Ecclesia omnes sua araria habuerunt, in qua viritim in publicis cœtibus singuli pro sua facultate contulerunt, ut est videre Actor. 11. Rom. 15. Galat. 3. 1. Corinth. 16. & 2. Corinth. 8. & 9. Item ex Iustini Apologia 2. ubi indicatur, Christianos olim in sacris Concionibus pecunias colligere, easque Episcopo cujusque loci, in usus pauperum committere consuevisse. De contributionibus quoque in publicis congressibus, hac Tertullianus in suo Apologetico refert : Si quod arcæ genus est, non de Onesaria summa, quasi redemptæ Religionis, congregatur : modicam unusquisque STIPEM menstruâ die, vel cùm velit, & si modò possit, apponit : nam nemo compellitur, sed suâ sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. *Ex hoc loco Tertulliani de Arca sive Gazophylacio quidam conjiciunt, fideles olim in occulto suas oblationes dedisse ita ut alius nescierit, quid alius in Arcam miserit. Postmodum verò vel offerentium vanitate, vel Sacerdotum avaritiâ, eò res devenit, ut publicè Diaconus offerentium nomina recitaret, ac enunciaret, quantum quisque detulisset, ex ambone clamans,* Ille tantum pollicitus est : Illa tantum obtulit. *Hoc verò Hieronymus gravissimè reprehendit in Ecclesiarum Principibus tale quid apud se ferentibus, exponens illud Hierem. 11.* Quid est quod dilectus meus in domo mea facit tam multa scelera ? *Item illud Ezech. cap. 18.* Si panem suum dederit esurienti. *Quod Innocentius I. vetuit etiam fieri, jam d. can. ultim. de cons. d. 1. Sed & istarum Oblationum colore committebantur alia quadam valdè reprehensibilia : de quibus vide Ioann. Quintinum in explicat. can. 7. Concilij Gangren.*

Oblationes contribuendi tempus.

Tempus verò hujusmodi Oblationes contribuendi non semper fuit idem. Fabianus Papa, Cypriani coëtaneus annis post Tertullianum circiter centum, crescente indies multitudine Christianorum, constituit, in Epistola ad Hilarium Episcopum, ut non jam menstruâ die, hoc est, singulis mensibus, sed singulis Dominicis diebus, ab omnibus viris & mulieribus fieret Oblatio tam panis, quàm vini. tom. 1. Concil.

Rom. Ecclesia semper dives.

Aliorum verò redditium & bonorum Ecclesiasticorum, prater hanc pecuniam à Fidelibus in publicis conventibus collatam. certi & probati authores non meminerunt. Origenes quidem hom. 31. in Matth. mentionem facit Ecclesia redditum : verùm illi cujusmodi fuerint, & non explicat & de illis solis loqui videtur qui ex mutuis collationibus & donationibus comportabantur. Sola dives semper fuit Romana Ecclesia, si suspectis authoribus credere voluerimus. Ex decretali namq. Epistola 2. Pij 1. qui Episcopatum Rom. tenuit circa annum Domini 150. sub Antonino Pio, apparet, Ecclesiam Rom. sua pradia habuisse, qua ei & Deo donata dicuntur : Sanxit enim, ut sacrilegus esset, quicunque fundos, aliáve bona Religioni dicata, in profanos usus conferret. *Funkius in Chron. Hac autem quâ fide Pio tribuantur, ex relatione Petri de Natalibus, Polydor. Vergilij de Invent. rerum libro sexto, capite 14. Marsilij Patavini in Defens. pacis, Funkij & aliorum constabit, qui affirmant,* Ecclesiam primò omnium cœpisse possidere prædia Vrbani 1. tempore, *qui Pontificatum post Pium adeptus est 130. annis. Is decrevit,* ut Ecclesia prædia ac fundos à fidelibus oblatos reciperet, hac tamen lege, ut divideretur proventus Clericis omnibus viritim, nihilque cujuspiam privatum esset, sed in commune bonum : quod hodiè obsolevit, tanta est hominum rapacitas & libido : *verba sunt Platina in vita Vrbani : Idem refert Cranzius in Metrop. lib. 2. cap. 1. & Funkius in Chron. Et in decretali 1. sic ait :* Post Apostolorum tempora, cùm viderent Sacerdotes & Levitæ, & reliqui fideles per universum orbem dispersi, utilius fore, si hæreditates & agros, quos vendebant, Ecclesijs, quibus præsidebant Episcopi, traderent, eò quòd ex sumptibus eorum tam præsentibus quàm futuris temporibus, plura & elegantiora ministrare possent fidelibus, communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipsorum : cœperunt prædia & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesijs tradere, & ex sumptibus eorum vivere, &c. *plura qui cupit legat Carranza Epitome Conciliorum fol. 12. b. & 22. item 12. quast. 1. videntes autem : & 12. quast. 1. Res Ecclesia : 17. quast. 4. Attendendus est. Sub eodem quoque Vrbano aureis & argenteis vasis, qua prius vel lignea vel vitrea fuerunt, Ecclesia primùm uti capit in Cœna Dominica distributione. Damasus in vita ejus. Otto tamen Frisingensis Episcopus libro quarto, capite tertio dicit,* sub Constantini Magni imperio Catholicis hominibus primò permissum ut Ecclesiæ ipsorum prædijs ditarentur.

Qua non ideò dicuntur, quòd negare velim habuisse Ecclesias ante Constantini M. atatem fundos seu pradia & redditus : habuerunt enim, id quod ex decreto Constantini & Licinij Impp. patet, quod exstat apud Eusebium lib. 10. cap. 5. ubi constituunt, ut non solum ea loca, in quibus conuenire consueverint Christiani, sed & alia quædam peculiaria non singulis priuatim, sed juri societatis ipsorum competentia, si ablata fuerint, ipsis restituantur. *In eandem etiam sententiam Asylo prafecto pracipit,* ut quæcunque bona ad Ecclesiam Ca-

Digitized by Google

tholicam Christianorum vel vrbibus vel in locis alienis pertinentia, sive à civibus, seu à quopiam alio occupata detineantur, confestim ipsis Ecclesijs restituantur : prorsus enim, *inquit*, constitutum nobis est, vt quas Ecclesiæ antea habuerunt possessiones, in ius earum redeant. *Eusebius ibidem & Nicephorus lib.7.cap.42. Credibile igitur est cœpisse Ecclesias, non solum Romanam, sed etiam alias, redditus & prædia aliaque hujusmodi bona possidere, Vrbani I. tempore primùm, circa annum Domini 225. quæ postea in persecutionibus vi illis ablata, & in privatos vsus conversa, sed à Constantino restituta fuerunt.*

Ærarijs primitivæ Ecclesiæ quis præfuerit

Præfuisse autem ejusmodi ærarijs, qualia in primitiva Ecclesia fuisse supra diximus, certos homines ab Ecclesia constitutos, dubium esse non debet, sive ij Diaconi, sive alij fuerint. Apostolos autem, vt Paulum: & presbyteros seu Episcopos, vt Timotheum & similes, in distributione & collocatione pecuniæ communis ærarij, suam quoque authoritatem interposuisse, patet ex 2. Corinth. 8. & 1. Timoth. 5. vbi Paulus jubet Timotheum curare, ne Ecclesia oneretur in alendis viduis, quibus aliàs suppetat, aut quæ habeant suos familiares à quibus sustentari possint. *Et in Canonibus, quos Apostolis adscribunt ita legitur :* Præcipimus, vt in sua potestate habeat res Ecclesiæ Episcopus. Si enim animæ hominum preciosiores illi creditæ sunt: multò magis decet eum curam de pecunijs gerere: ita vt ejus potestate pecuniæ pauperibus dispensentur per Presbyteros & Diaconos, vt cum timore & omni solicitudine ministrentur. *Et in Concilio Antiocheno decretum est cap.35.* vt coërceantur Episcopi, qui sine Presbyterorum & Diaconorum conscientia res Ecclesiæ pertractant. *Et Sotherum Episcopum Romanum pecuniæ à fidelibus sic contributæ curam gessisse ex Epistola ad Romanos Dionysij Corinthij Eusebius refert lib.4. cap. 23. Id quod etiam lege primò firmavit Vrbanus I. Papa, quòd ex decretali ejus prima patet, nimirum*, vt oblationes fidelium Episcopis credantur, dispensandæ juxta necessitatem fidelium. *Sed verba ipsa Vrbani adscribemus:* Res, *inquit*, in ditione singularum Parochiarum Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant, & sunt vsque adhuc, & futuris semper esse debent temporibus. E quibus Episcopi & fideles dispensatores omnibus communem vitam degere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, vt nemo in eis egens inveniatur. *Tom. 1. Conciliorum: refert etiam Carranza in Epit. Concil. fol.21.b. & 22. Quæ tamen non ita accipi debent, quasi Episcopi per se bonorum Ecclesiasticorum curam gesserint, sed quia ipsorum erat præscribere Diacono, qui essent alendi, quibus etiam & quantum erogandum esset de bonis illis. Ex Origene enim, qui circa Vrbani primi tempora claruit, apparet plurimis in locis, rerum & pecuniarum, quæ sic conferebantur, Præsides & dispensatores fuisse Diaconos, nam tractat. in Matth. 16. ait:* Mensis Ecclesiasticarum pecuniarum Diaconi præsunt. *Item :* Diaconi, qui non bene tractant Ecclesiasticarum pecuniarum mensas, & semper de eis fraudant, & ipsas quas dispensant, non secundum justitiam dispensant, & divites fiunt de rebus pauperum, ipsi sunt nummularij pecuniarum, mensas habentes quas evertet Dominus.

12.q.1. c.præcipimus.

12.q.2. Episcopus.

Bona Ecclesiastica quibus distributa.

Ex hisce porrò bonis Ecclesiasticis stipendia suppeditârunt primò, Apostolis : Nam Philippenses Paulo sumptus suggessisse, & Thessalonicam etiam ei, & postea Romam per Epaphroditum misisse dicuntur Philippens. 4. Ac licet à Corinthijs & Achais, ne quod daret scandalum, aut videretur quæstus gratiâ Euangelium docere, nihil acceperit, vt testatur. 1. Corinth. 9. nihilominus ab alijs Ecclesijs stipendium accepisse scribit. 2. Corinth. 11. Alios etiam Ministros inde aluisse videntur ex Galat. 6. & 1. Timoth. 5. cap. Dominus enim ordinavit, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio vivant. Sed qualia aut quanta stipendia ipsis sint data, non definitur. Quod si verò secundum legem Domini 1. Corinth. 9. & mandata Pauli 1. Timoth. 5. & Galat. 6. Ecclesiæ egerunt, tantum illis dederunt, vt se & familiam suam sustentârent, 1. Corinth. 9. & victum, amictum, & omnis generis bona haberent. 1. Timoth. 6. Galat. 6. Soli Apostolorum Canones (de quibus hic suum cuique relinquam judicium) videntur subindicare, oblationes primitiarum Episcopo & Presbyteris & reliquis Clericis collatas esse, sicut 5. can. habet. Sed & Origenes homil. 11. in Num. vult offerri sacerdotibus ad Altare primitias : Ita enim, *ait*, & Dominus disposuit, *&c. Item*, Sicut hoc dignum & decens est, sic è contrario indecens, & indignum existimo, & impium, vt is qui Deum colit, & ingreditur Ecclesiam Dei, qui scit Sacerdotes & Ministros assistere Altari, & aut verbo Dei, aut Ministerio Ecclesiæ deservire, vt de fructibus terræ, quos Deus dat solem solum producendo, & pluvias suas ministrando, non offerat primitias Sacerdotibus. *In ministrorum etiam vsum factas oblationes Cyprianus indicat lib. 4. Epistolâ 5.* Presbyterij (*inquit*) honorem dignâsse nos illis (*lectoribus*) jam sciatis, vt & sportulis ijdem cum presbyteris honorentur, & divisiones mensuræ æquatis quantitatibus partiantur. *Ex libro item 1. epist. 7. Cypriani apparet, Ministris Ecclesiæ stipes, oblationes & cœnas datas esse.*

Secundò, ex bonis illis Ecclesiasticis aluerunt viduas egenas & senio confectas. 1. Tim. 6. Subvenerunt item eâ pecuniâ pupillis, ijsque quos morbus

bus aliáve causa inopes fecisset, & qui in vinculis essent, item hospitibus seu peregrinis omninoque omnibus qui aliquâ indigentiâ prementur: ut patet ex ejus Epistola fragmento quod exstat apud Euseb. lib. 4. cap. 23. & est Dionysii Corinthij. Et Tertullianus in Apologetico cum mentionem fecisset contributionum quæ fiebant in publicis cœtibus, de usu earum hæc addit, Inde non epulis, *ait,* nec potaculis, nec ingratis vorationibus dispensatur: sed egenis alendis humandisque, & pueris re ac parentibus destitutis, ætateque domitis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, insulis, vel in custodijs, *&c. Et de rebus atque alimentis in commune collatis nutriri solitos Martyres in vinculis, idem indicat initio libri ad Martyres. De bonis his in pauperes collatis scribit quoque Origenes homil. 11. in Levit. Et Cyprianus epist. 10. libro primo, & epist. 24. libro 3.*

CAPVT II.

De DONATIONIBVS & BONIS *Ecclesiasticis* Constantini M. tempore, & inde, vsque ad nostram ætatem.

Donationes autem factæ Ecclesiis, Constantini M. tempore maximè cœperunt, qui non solum ablata tempore persecutionum restituit, sed multa insuper de novo addidit, bonaque Ecclesiæ mirum in modum auxit. Nam ex statuis Ethnicis pretiosioris materiæ pecunias conflavit, & Ecclesiis contulit. Sozom. lib. 2. cap. 5. Deinde ex publicis tributis per singulas civitates, vectigal certum deduxit, ac cujusque loci Ecclesiis & Clericis deputavit: hancque munificentiam firmam & perpetuam haberi lege statuit. Sozom lib. 1 cap. 8. item lib. 5. c. 6. Ac si qui Martyrij s perfuncti bonorum aliquid post se, sine liberis aut cognatis hæredibus reliquissent, in ærarium Ecclesiæ bona ea inferri lege sanxit, ut indicat Eusebius lib. 2. de vita Constantini. Ecclesiis quoque frumentum de publico dare jussit: quod cùm Iulianus prohibuisset fieri, successor ejus Iovinianus, & postea Valentinianus ac Gratianus rursus confirmaverunt; constitut. suâ l. privilegia. C. de Sacrosancta Ecclesia. Ac de rebus contributis Ecclesiæ. Basilius epistolâ 140. testatur, multos totas domus vsui Ecclesiarum destinâsse: alios verò vltrò omnem suam iisdem contulisse substantiam: *Quod cùm sub alijs Imperatoribus facere non licuisset. Constantinus lege id permisit: l. 1 C. de Sacrosancta Ecclesia. Cùm autem lege hac abuterentur quidam ministri Ecclesiæ, & monachi pro more hæreditates captarent, & in testamenta irreperent, lata alia lex est, à Valentiniano, Valente & Gratiano, cavens ne quid ex aliorum testamentis Clerici & Monachi privatim caperent: Exstat hæc lex lib. 16. Codicis Theodosij Meminit hujus legis Hieronymus in sua ad Nepotianum Epistola:* Hæc tam de ea conqueri se se *ait,* quàm dolere, meritos illam esse Ecclesiarum Ministros. Certè reprimendæ Clericorum avaritiæ necessariam fuisse fatetur. *Sæpe etiam postea necesse fuit, Clericorum imposturas hac in re coërcere. Extat Caroli M. Lex:* Ne accipiantur res religionis nomine, ab ijs oblatæ, quorum liberi & hæredes hac ratione fraudati; talem meritò dicere possent donationem inofficiosam. *Ex eodem tempore Synodus Cabillon. graviter reprehendit Sacerdotes, qui multis callidè persuadebant, ut suas Ecclesiæ consecrarent facultates. Narrat etiam Theodoretus libro 3. capite 12. Ecclesiam Antiochenam plurima habuisse vasa pretio, anathemata & pecunias, quas ei dono contulerant Constantinus & Constantius. Refert quoque Sozom. libro quinto, capite 5. & 8. & 16. Hinc Mantuanus libro 12. Fastorum de Constantino M. ita canit:*

Cæsar hic in nostram gestans pia pectora gentem,
Immensas donavit opes; vasa aurea; fundos,
Vnde sacerdotes magnis proventibus aucti.

In quibus magnum studium Constantini M. ad cultum Christi promovendum apparet, quùm non solùm maximis sumptibus Templa exstrui fecerit, sed etiam Ecclesiarum Ministris stipendia è publico tam magnificè dari constituerit: Cùm antea non solum ædes sacræ, verùm etiam ipsi Episcopi cum cæteris Ecclesiæ Ministris & pauperibus, ex eleemosina ac stipe collata sustentarentur. Funkius Comment. libro 6. in Chron.

De falsa & supposititia *Constantini Magni* DONATIONE.

VErùm non contenti his quamtumvis immodicis & magnificentissimis optimi Imperatoris Constantini donis, fingunt insuper Pontificij eundem peculiarem quandam Romanæ Ecclesiæ ejusque Episcopo Silvestro & successoribus fecisse DONATIONEM. *Exstat illa apud Gratianum distinct. 96. cap. Constantinus. Vbi indicatur,* Constantinum M. lepræ morbo affectum, sed à B. Sylvestro purgatum sanatumque, gratitudinis ergò donâsse Pontifici ejusque successoribus, primò, dominium spirituale supra omnes orbis terrarum Ecclesias: deinde insignia regia, hoc est, Palatium Lateranense, Diadema aureum, Mitram, Collocare Imperatorium, purpuream Chlamydem, Coccineam tunicam: Indumenta imperatoria, Pompam præcedentium & sequentium equitum, Imperiale sceptrum, Signa & vexilla cuncta: postremò & temporale Dominium totius Occiden-

tis, in primisque vrbis Romæ, itemque Italiæ, Siciliæ, Sardinæ, Hispaniæ, Germaniæ & Britanniæ. *Qua de re Otto quoque Frisingensis lib.3. ita scribit:* Imperator Constantinus, *inquit*, caput omnium in tantum Romanam exaltavit Ecclesiam vt B. Syluestro vrbis ejusdem Episcopo, insignibus Regni traditis, ipse se Byzantium transferret, ibique sedem Regni constitueret. Ex hinc Romana Ecclesia occidentalia regna tanquam sui juris à Constantino sibi tradita affirmat, in argumentum tributum (exceptis duorum Francorum regnis) vsque hodiè exigere non dubitat.

Supposititiam autem hanc esse Donationem & ad dominatum Romanorum Pontificum improbè efficiam inde patet, quod apud nullum probatum veterem authorem exstat, ejusque non solum Eusebius, qui vitam Constantini M. libris quinque quàm diligentissimè descripsit, sed nec mediæ ætatis historici Nicephorus, Paulus Diaconus, & Zonaras, Pontificibus Romanis plus nimium addicti, ne verbulo quidem vllo meminerunt. Quin etiam in antiquis Gratiani Codicibus distinctio hæc de Donatione illa non exstat: id quod clarè testatur Antonius Historicus titul. 8. captie 1. §.8. inquiens: Capud illud non habetur in antiquis Decretis. Quid ergo & quantum Constantinus donauit, non est benè certum. *Et Volaterannus lib.* 23. De Dono, *inquit*, aut Concessione Constantini apud nullos exstat authores, præterquàm in libro Decretorum: idque in antiquis voluminibus minimè contineri, author est Antoninus præsul Florentinus in Chronicis. Quòd valdè miramur, *inquiunt Volaterannus, & Nauclerus*, cùm Isidorus, qui fuit abhinc annos propè 800. gravis author ac planè sanctus, in Historia sua apertè dicat, eum vrbe Româ Pontifici cessisse, ornamentisque omnibus imperialibus, diademate videlicet, habituque & albo equo quo vectetur. *Sed non observârunt boni illi hæc etiam in vetustis Isidori exemplaribus non exstare, & proinde suppositilia videri. Hodierna quoque adhuc die inveniuntur Gratiani exemplaria, quæ istam Donationem non habent: vnde etiam Nicolaus Cusanus lib.3. de Concordia Cathol.* Absque dubio, *inquit*, si non fuisset illud dictamen apocryphum, Gratianus in veteribus codicibus, & Canonum collectionibus invenisset, & quia non invenit, non posuit. *Ipsi quoque Romani Pontifices hoc privilegium pro suo in spiritualibus & temporalibus dominatu stabiliendo nunquam citâsse leguntur. Qua de re & Carolus Molinæus Iurisconsultus doctissimus in suis Commentarijs ita scribit:* Nullus vnquam Papa inventus est, qui se fundârit in prætensa Donatione Constantini, nec qui eam vnquam allegaverit. Gregorius VII. qui tanto molimine Imperium Germanorum aggressus est, & attrivit, nullo modo Donationis cujusvis ab hominibus sive à Constantino M. sive ab alijs factæ meminit (quæ tamen maximè in rem suam fecissent, si quid veri aut verisimilis habuissent) & omninò non omisisset: sed tantum nititur verbis Christi, ad Regnum & Imperium totius orbis malè detortis. Sic & Benedictus XII. contra Ludovicum Bavarum Imperatorem, non alio titulo Mediolani & alijs vrbibus Imperij vicarios nomine suo instituit, quibusdam etiam vectigal imposuit, quàm vel vnicus Vicarius Christi in terris, hoc est, etiam in terreno totius orbis imperio. Et ante eum Benedictus XI. eodem modo novos magistratus Florentiæ instituit, vt Platina in ejus vita indicat. *Hæc Molinæus. Nicolaus quidem 3. qui Pontificiam sellam tenuit circa annos Dom. 1277. lib. 6. de Electione. c. Fundamenta. meminit hujus Donationis, sed parcè & timidè admodum, nam tantum vrbem Romam, non totam Italiam & Occidentem donatum indicat. Vnde & Molinæus,* Nicolaus, *inquit*, fabulam illam quidem allegavit, non autem facit fundamentum in ea, sed in verbis Sacræ Scripturæ, Pharisaico & Iudaico more ad terrenum Regnum detortis.

Acta etiam Constantini aliorumque Imperatorum, tum Episcoporum quoque & Conciliorum argumento satis magno sunt suppositiam hanc esse Donationem. Regna enim illa quæ Constantinus in ista Donatione Romano Pontifici assignâsse dicitur, paulò ante mortem filijs distribuisse, auctor est Eusebius. Ita enim Sext. Aurelius Victor, Ad tres, *ait*, Orbis Romani dominatio redacta est, Constantinum, Constantium & Constantem filios Constantini. *Et Zosimus Historicus disertè indicat,* natu maximum filiorum ejus Constantinum cum minimo natu Constante, omnia trans alpes sita, ipsam etiam Italiam, & Illyricum sortitum fuisse. *Obtinuerunt horum successores Italiæ & vrbis Romæ imperium usque ad Odoacrum Rugianum, vel, ut alij volunt, Saxonem, hoc est, ad annum Christi 476. Etsi enim bis antea Roma capta fuerit, semel ab Alarico Gottico Rege, anno Domini 414. & iterum à Genserico Wandalico Rege, anno 459. sedem tamen ibi non fixerunt, sed prædâ onusti inde discesserunt. Odoacer verò, qui tum temporis totam penè Germaniam obtinebat, magno cum exercitu Italiam intrans, captâ Româ primus ex peregrinis Dominis eam possedit. Funccio quoque teste lib.7. Comment. in Chronologiam. seq. Regem vrbis totiusque Italiæ nominavit. Eo verò per Theodoricum victo sublatóque, imperium Italiæ penes Gottos longo tempore permansit: nimirum*

mirum usque ad annum Iustiniani Imp. 26. Christi verò 553. quo Gotti à Narsete victi totáque Italiâ expulsi sunt. Roma igitur iterum in potestatem Imperatorum redijt, quam Narses annis sedecim, cum reliqua Italia summa in pace continuit, nec Pontificibus Romanis quicquid iuris in eam fuit: quod adeò certum est, vt Honorius Papa, sine permissu Heraclij Imp. ne tegulas quidem aneas, quibus S. Petri basilicam cooperuit, à Romuli Templo amouere ausus fuerit, Blondo auctore Dec. 1. lib. 9. Et Bonif. IV. Pantheon Roma à Phoca impetrauit.

Gothis ex Italia ejectis, aliquanto post Longobardi siue à Narsete inuitati, vt aliqui narrant, siue, quod magis credibile est, conspectis antea pulcherrimis Italia vrbibus & splendore, vltrò Italiam magno numero ingressi sunt, anno Christi 568. sub Imperat. Iustino, eamque Italia partem occupârunt, qua inter Alpes & Apenninum est, quaque adhuc hodie nomen Longobardiæ *inde habet: tenueruntque annos 204. Longinus verò qui Narseti successerat, nomen Magistratus genus in Italiam traduxit: (Exarchus enim cum successoribus dicebatur, vnde* Exarchatus *dignitati fuit) & in Rauenno sedem imperij locauit, reliquaque Italia prafuit. Etsi verò Longobardorum vires ex eo tempore valdè in Italia excreuerint, hunc tamen Exarchatum cum vrbe Roma, ipsi, nedum Pontifices Romani, nunquam sua potestati subijcere valuerunt: Ita vt Roma tantisper sub Imperio Gracorum Imperatorum permanserit, donec dolis & perfidiâ Romanorum Pontificum in Francorum potestatem, & inde in suas manus peruenerit. Factum hoc sub Stephano I I. Papa circa annum Domin. 752. Cùm enim Aistulphus Longobardorum Rex, regni sui fines egressus, Rauennam iam armis occupâsset, ad totius Italia Imperium, vt olim Gotti eam possederant, animum adiecit, ideoque collecto magno suorum exercitu, Romanorum fines ingressus, agros & quacunque fuerunt obuia vastat. Stephanus itaq; Pontifex, à quo tributum poscebat, Constantinopolim primùm legatos misit, qui rogarent Imperatorem, vt Roma totiusque Italia rebus afflictissimis maturè succurreret. Quo ipso haud obscurè significauit Papa, se Constantinop. Imp. pro suo legitimo, Italiaque totius domino agnoscere. Sed cùm is auxilia aut dare nollet, aut non posset, cùm eodem tempore pestis grauissima vrbem regiam inuasisset, quam & penè exausit, illicò Papa ad Francos confugit, & à Rege Pipino, qui Regnum Romano Pontifici acceptum ferebat, contra Aistulphum auxilium petijt. Pipinus, accepti beneficii memor, ineunte vere alpes transcendens, maximis copiis ad Papiam, qua Longobardorum Regum sedes erat, contendit, Regemque inclusum obsidione cingit. Pace autem factâ, Longobardus promissis non stetit, sed maiori propè damno Romam affecit, quàm 340. annis ob inclinatione Imperij sensisset. Rogatus igitur denuo Pipinus, vt vrbi laboranti succurreret, exercitum quantâ potuit celeritate comparat, Italiam intrat, Regem Longobardorum ad deditionem compellit, Imperatorem quoque Constantinopolitanum Exarchatu exuit, raptaq; Papa tradidit, quicquid nimirum intra Isaurum flumen, Apenninum & Adriaticum continetur: quibus insuper adiecit, Ariminum ad mare, Concham, Pisaurum, Phanum Fortuna, Vrbinum, Eugubinum, & alia loca in Flamminia, & Piceno agro, & plerasque alias vrbes, quas Pius II. enumerat.*

Vera donatio Papæ facta. Et hæc est illa donatio, quæ falsò Constantino Magno ascribitur. Pipinus enim primus has terras Romanæ sedi, cùm eas à Longobardorum armis liberâsset, dono dedit, quo gratum se Romano pontifici exhiberet: à quo nuper ad regnum Francicum pari ferè jure promotus fuerat. *Verba sunt Funccii lib. 8. Comment. ad Chronolog. Sunt tamen qui ne hanc quidem Donationem Pontificibus Rom. à Pipino factam concedant, eumque in Regem Italia vnctum à Stephano probent: Nec Caroli adhuc Magni tempore in vrbem Romam iuris quicquam Pontifices sibi vendicâsse aut vsurpâsse, sed ea tantùm, qua ad res sacras pertinerent, procurâsse, multi perdiderunt, vt Philippus libro quarto. Chron. indicat Hanc tamen Donationem avi sui Ludovicus Pius Caroli filius confirmâsse dicitur apud Gratianum distinct. 63. cap. Ego Ludouicus. his verbis:* Ego Ludovicus Imperatorem Romanus Augustus statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ B. Petro Principi Apostolorum, & per te Vicario tuo Domino Paschali, summo Pontifici, & successoribus ejus in perpetuum sicut à prædecessoribus nostris vsque nunc in vestra potestate & ditione tenuistis & disposuistis, Romanam civitatem cum Ducatu suo, & suburbanis atque viliculis omnibus, & territorijs ejus montanis, & maritimis littoribus, & portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis ac villis in Tusciæ partibus. Item quando divinâ vocatione hujus sacratissimæ sedis Pontifex de hoc seculo migraverit, nullus ex regno aut Francus, aut Longobardus de qualibet parte homo sub nostra potestate constitutus licentiam habeat contra Romanos aut publicè aut privatim conveniendi, aut electionem faciendi; nullusque in civitatibus aut territorijs ad Ecclesiæ Beati Petri Apostoli potestatem pertinentibus aliquod malum prætereà facere præsumat: sed liceat Romanis cum omni veneratione & sine qualibet perturbatione honorificam suo Pontifici exhibere Sepulturam: & eum quem divinâ inspiratione, & B. Petri intercessione omnes Romani vno Consilio atque vnâ concordiâ, sine aliqua promissione, ad Pontificatûs ordinem elegerint, sine aliqua

ambiguitate atque contradictione more canonico consecrare: & dum consecratus fuerit, legati ad nos, vel ad nostros successores Reges Francorũ dirigantur, qui inter nos & illum amicitiam, charitatem & pacem concilient. *Sed quantum huic scripto, quod apud Gratianum exstat, tribuendum sit, ex lib. 3. Geor. Volaterani patet, vbi eandem Confirmationem Ludouici Pii, sed longè aliter recitat ex Antigrapho vetusti libri, quod in bibliotheca Vaticana suo adhuc tempore asseruatum testatur, & ita de verbo ad verbum habet*: Ego Ludovicus Imp. concedo tibi B. Petro Principi Apostolorum, & per te vicario tuo Domino Paschali summo Pontifici, successoribusq; ejus in perpetuum, civitatem Romanam, cum sua jurisdictione, omnibusq; circa terris, civitatibus, portubus, ac maritimis locis Hetruriæ: in ea denique mediterraneum vrbem veterem Balneoregium, Viterbium, Saonam, Populoniam, Rosellas, Perusium: Mathuranum, Sutrium, Nepe versus Campaniam, Ananiam, Signiam, Ferentinum, Alanum, Patricum, Frusinonum, cum omnibus circa oppidis & vicis: nec non Exarchatum Ravennæ integrum, sicut piæ recordationis Carolus pater, & itẽ Pipinus avus noster B. Petro dudum concessere: Videlicet Ravennam, Bonicum, Æmiliam, Forum populi, Forum Iulij Vaventiam, Imolam, Romaniam, Ferrariam, Commadum, Adriam, Serviam. In Marchia Pisaurũ, Fanum, Senogalliam, Anconam, Oximum, Numanam, Esium, Forum Sempronij, Feretrum, Vrbinum, Territorium Valuense, Callium, Luceolos, Eugubium: In Campania Sorum, Aquinum, Arpinum, Thranum, Capuã, Patrimonia quoq; ad nostram pertinẽtia ditionem, Beneventanũ, Salernitanum, Calabrię inferioris, ac superioris, ac Neapolitanũ Ducatum: insuper Spoletinum, Tuderortriculum, Harviam reliquaq; ejus ditionis: Insulas quoq; inferi maris, Corsicam, Sardiniã, Siciliam, quæ omnia piæ memoriæ Pipinus avus, deinde Carolus Imper. genitor noster, per Athinum & Mainardum abbates, ad hoc sponte missos, B. Petro ejusque successoribus scripto concesserunt, nos item probamus atque concedimus. Præterea summi Pontificis eligendi Romano Consilio potestatem esse volumus, modò sine discordia fiat, *&c.*

Discrepantia instrumentorũ Lud. Pij & Pipini ac Caroli de Donatione Papis facta.

In his scriptis illud inprimis obseruandum, quòd instrumenta Ludonici Imp. de confirmatione Donationis à Pipino & Carolo sedi Romani facta, quæ apud Gratianum & Volateranum exstant, sunt diuersa: atqui vt verus Constantinus apud Iustinianum loquitur, Scripturæ diversæ, & fidem sibi invicem derogantes, nihil habere firmitatis possunt. *l. scripturæ, 14. cap. de fid. instrum. nam duæ orationes pugnantia continentes, vera esse non possunt: In Gratiani autem instrumento sola Roma suburbana quædam nominantur: in Volaterani autem, præter maximam Italiæ partem, Sardinia quoque, Corcyra & Sicilia.*

Carolus Molinæus de confirmatione Lud. Pij.

Operepratium autem erit audire Caroli Molinæi I.C. doctissimi de hac Confirmatione Ludouici Imp. Iudicium. Is igitur in suis Comment. Vt non est, *inquit*, in favorem Paparum credendum Bibliothecario, potentatûs eorum fautori famuloq; domestico: ita non est credendum Gratiano Monacho, qui & ipse affectibus & ambitioni novorum sui temporis Paparum, quantũ potuit, fauit: nec aliũde quàm à Bibliothecario dictum cap. Ego Ludovicus, transsumpsit: & sic nec alijs, qui tantum dicta ejusdem Bibliothecarij recitant, nec aliunde sciunt, nec examinant. Sed examinando veritas eluceſſit in contrarium: quia Paschalis à populo vi coactus Pontificium munus obire ante habitam authoritatem Imperatoris, legatos excusatum & ad culpam non inficiandam, sed in populum trãsferendam, misit ad Ludovicum Pium, qui vt mansuetus erat, satisfactionem quidem accepit, sed cũ increpatione cleri & populi, & adjecto præcepto Majorum instituta pactaque servandi, vtq; caverent, ne deinceps simili exemplo majestatem læderent, vt expresſè Platina & Sabellicus testantur. Quid autem magis contrarium aut repugnans est præfatæ & suspectæ Bibliothecarij scripturæ? Certè vel ex hoc falsitatis convincitur: nec tamen etiam per se sufficienti exemplo tàntùm, sed etiam ex eo, quòd tempore Eugenij II. immediati dicti Paschalis successoris, Ludovico Pio adhuc viuo, Lotharius I. filius ejus in Imperij consortium assumptus, Romæ politiam ordinauit, & magistratus instituit. Hoc autem fieri non potuisset, si Ludouicus Pius Romam ipsam, caput imperij Papæ dedisset. Quid quòd Volateranus Geogr. lib. 3. prætensam illam Ludouici Donationem longè aliter & difformiter, quàm Gratianus refert? sed ex scriptura quadam apocrypha, quàm in bibliotheca Papæ sese invenisse dicit. Et sic illius bibliothecæ scripturæ, vnde tam Bibliothecarius, quàm Gratianus & Volateranus sumpserunt, sibi ipsis non constant: & non solùm quòd domesticæ, & è loco suspecto, sed vt variæ rejiciendæ, sunt: & multò magis ex eo, quòd fides Historię repugnat per prędicta: tũ ex eo, quòd Volateranus ibi Calabriã inferiorẽ & superiorem, & Ducatum Neapolitanum includit, & alia quæ cõstãt ex fœdere diuisionis inter Carolũ M. & Imp. Constantinopol. factę Græcorum imperio cessisse, & diu pluribusque seculis etiã post Francorũ Imperiũ in Germanos translatum vsq; ad Gulielmũ Ferrebach Normannũ, Tancred. Galli Normanni

manni filium (qui è Neustria in Italiam trajiciebtes, Regnum Apuliæ anno Domini millesimo septimo, deinde Siciliæ, Sacerdotibus tamen Græcis relictis, occupaverunt) remansisse: quemadmodum si necessitas postularet probari ex Historijs eorum qui tempore Caroli Magni, & deinceps vixerunt & scripserunt, posset. Porrò nec verum nec verisimile est, quòd Ludovicus Pius ea donâsset, quæ non poterat, & nullo modo possidebat, & quæ pater ejus ex dicto fœdere Imperio Græcorum reliquerat. Quin sicut Regnum Francorum alienare non poterat, ita nec imperium, nec regiones imperij Occidentalis, quæ ex divisione Carolo Magno & successoribus ejus cesserant, & multo minus Romam caput Imperij. Alber. in cap. 1. de fu. tri. & l. benè à Zenone. C. de quadr. præscript. Et sic Donatio Ludovici, si qua fuit, iisdem de causis nulla esset, ex quibus Donatio Constantini Magni, quã gloss. & Doctores communiter, qui eam factam fuisse putant, tamen non valuisse concludunt, ut gloss. Accurs. in authen. quomodo oporteat Epis. verb. conferens generi. coll. 1. Petr. perti. in procœm. Inst. nu. 11. cum. seq. Signorol. de homedeis consil. 26. sentit Barr. in procem. & Bal. de novo cod. in prin. tener, quòd valere non potuit sine consensu populi. Arqui prætensæ Donationi Ludovici populus Rom. nunquam, sicut nec prætensæ donationi Constantini Magni consensit: nec solùm non apparet de consensu, sed de dissensu constat, etiam per continuam populi Roman. resistentiam tempore Eugenij 3. Adriani 4. Alex. 3. Lucij 3. Vrbani 4. *Hæc omnia Carolus Molinæus.*

Crediderim ego partim Pontificibus Romanis à Pipino & Carolo quædam data & concessa fuisse, partim verò ipsos Pontifices in motibus illis intestinis Italiæ & civilibus bedis cruentissimis inter posteros Caroli multa vi, fraude & dolis ad se pertraxisse, & ut viderentur jure ea possidere, Donationem nescio quam aut cujus prætendisse. Testantur enim Historiæ, Pontifices Romanos illis temporibus cruenta bella in Italia præsertim excitâsse, suâque perfidiâ aluisse inter fratres quoque & consanguineos magna dissidia, ut vel cupiditates explerent suas, vel tollerent, quos officere ijs rebus experiebantur, quas moliebantur. Ea verò Otto 1. ad Imperij fastigium evectus omnia repetijt, & Leo 7. Papa non gravatè reddidit, probè nimirum intelligens, quibus artibus antecessores sui ea acquisivissent. Exstat enim apud Theodoricum à Niem, qui multorum Paparum intimus scriba & Secretarius fuit, hac de re privilegium à Leone Ottoni datum, quod ita habet: Ego Leo servus servorum Dei Episcopus, Otthoni spirituali filio nostro in Christo, Imperatori Augusto, & omnibus suc- Theodoricus à Niem.

cessoribus suis Imperatoribus & regibus regni Italiæ, quatenus Dominus Carolus Rex Francorum & Longobardorum, & Patritius Romanus, nec non Pipinus pater ejus, de Regalibus regni Italiæ tribuerunt in sancta Romana Ecclesia B. Petro Apostolo, sive instrumenta scripta fuerunt per Eutherium notarium suum, sive per sacram, sive donationes, seu per alios modos sibi obvenerunt donationes à Iustiniano Rege, & Ruberto rege, hæc omnia largimur & diffinimus vobis Ottoni Imp. & Adelheidæ conjugi fuæ, regnique consorti, vestrisque successoribus regni Italiæ in perpetuum præsentibus sacrosanctis Evangelijs, & Patrocinijs plurimorum Sanctorum, videlicet, &c.

Permansit imperium Italiæ & urbis Romæ quoque penes Imperatores adhuc Friderici 2. temporibus: Ita enim Continuator Frisingensis, Anno, *inquit,* 1160. Fridericus Imperator convocatis omnibus Italicis baronibus generalem Curiam apud Roncaliam, cum maximo Principum conventu celebravit: ibique renovatis antiquis legibus, novas de suo promulgavit, ac diversis imperij negotijs expeditis, jura desueta in consuetudinem reduxit, & quo juris genere civitates Italiæ subjacerent imperio, judicialiter exquisivit. Quod à Principibus & legum dominis diligenter examinatum, generali omnium sententiâ judicatur: Omnia regalia civitatum, utpote monetas, telonea, navigia, nec non & dignitates potestatum, consulum, judicum ad jus spectare imperij, electasque à civibus ad has dignitates, de manu Imperatoris jure beneficij easdem suscipere, nec sine ejus consultu easdem deponere. In hac etiam Curia jam per multa tempora oblivioni & neglectui datos, ad 20. millia talentorum annuos redditus, Imperio acquisivit. Præterea vectigalia antiquitùs constitura, nec non exactiones pro Imperij necessitate exigendas in rationem Cæsaris, ubi, quando & à quibus, & quomodo tractentur decretum est, & edicto confirmatum. Et ad hæc promulganda ac instituenda nuncij Imperiales per Italiam destinabantur. *Frisingensis continuator.*

Aventinus lib. 7. Annalium refert, Pontificem Romanum demùm sub Carolo 4. Imp. Italiæ totius compotem factum fuisse: Cùm eâ lege consecratus fuerit, ut continuò Italiâ excederet, nec eam absque mandato Rom. Pontificis deinceps adiret: quod & primus Imperatorum eis indulsit. Ea verò ratione libertatem Germaniæ *(verba sunt Aventini)* Majestatem imperij Romani, populi victoris gentium fortunam, & Christianam simplicitatem illis simul primus prodidit. Ob quam rem adhuc malè audit, quòd *Aventinus.*

quòd hoc pacto pontificum Rom. furorem alioquin intollerabilem, illis inserviendo magis instigârit, & illorum licentiæ immodicæ, non solùm aperuit viam, sed & straverit.

In his omnibus, ut eò unde digressa est revertatur oratio, illud observandum videtur, quòd nec Ludovicus in fictitia Confirmatione, nec Leo 7. in restitutione, Constantini M. aliquam saltem vel verbulo unico, sed tantùm Iustiniani, Pipini, Caroli M. & Ruperti regis, atque eorum quæ illi sedi Romanæ donârunt mentionem faciunt.

Quibus etiam illud adjungo, quòd si maximè Constantinus M. B. Sylvestro Imperium Occidentis dedisset, aut dare voluisset, ipsum id accipere nullo modo debuisse, Certissimum enim est, regnum Christi, cuius Pontifices Roman. vicarij volunt haberi, non esse politicum, sed spirituale: Christus enim disertè inquit, Regnum meum non est ex hoc mundo. *Nec colligitur & gubernatur Ecclesia aliter, nisi voce & Ministerio verbi ac Sacramentorum, filio Dei per verbum & Sacramenta Spiritum sanctum in corda credentium effundente. Nec caput est Ecclesiæ aliud nisi Filius Dei: Ephes. 1. 4. 5. Coloss. 1. 2. Deinde non modò non concessum est permissu divino ministris Ecclesiæ invadere quocunque prætextu regna mundi, sed severissimè interdictum. Ioannis enim 20. inquit Dominum,* Sicut misit me pater, ita ego mitto vos. Cumque hæc dixisset, insufflauit & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt. *Quibus verbis disertè docetur, ad quid institutum sit Ministerium. Luca 22. ait:* Reges gentium dominantur eis: & qui potestatem habent in eas, benefici vocantur. VOS AUTEM NON ITA. *Prohibet his verbis clarissimè Dominus, ne sub Ecclesiastici muneris prætextu in respublicas dominium affectent Apostoli; néve etiam in ijs quæ vulgò spiritualia dicuntur, more Regum imperare velint. Qua de re D. Petrus quoque, cuius successores Papæ Rom. esse volunt, huiusmodi admonitionem contexuit:* Presbyteros qui inter vos sunt obsecro, qui sum & ipse Presbyter, ac testis afflictionum Christi, atque idem consors gloriæ quæ revelabitur, Pascite quantum in vobis est gregem Christi, curam illius agentes non coactè, sed volentes, non turpiter affectantes lucrum, sed animo propenso, neque ceu DOMINIUM exercentes in Cleros, sed sic vt sitis exemplaria gregis. *Item,* Humilitatem animi vobis infixam habete, &c. *Porrò Christus Dominus memorato loco, quod sit Apostolorum munus clarè definit, dicens:* Qui maximus est inter vos, sit sicut qui minimus est: & qui princeps est, sicut qui ministrat. *Et apud Matth. ait,* Quicunque voluerit inter vos magnus fieri, sit vester Minister: & quicunque voluerit inter vos primus esse, sit vester servus. *Quibus utique illos non dominio sed ministerio destinat, & ex servorum officio argumentum petit, quo illis modestiam & quibusvis serviendi studium commendat. Constat enim inter servos eum excellere, qui plurimùm laboret, & ad rei domesticæ curam plus alijs confert. Quia ergo Christus suos Apostolos, & qui ipsos in Ministerio sequuntur, suos & Ecclesiæ suæ servos fecit, hunc ille omnium præstantissimum judicabit, qui se minimum putaverit, quique adeò reliquis omnibus servitium voluntarium præstiterit. Peccant ergo contra Christi leges, quicunque in Ministerio Ecclesiastico constituti alijs dominari volunt, quos pro conservis suis agnoscere debebant. Solomon Proverb. 30:* terram contremiscere, *dicit,* sub servo, qui imperat. *Dubio procul igitur tota mundi machina contremiscet, quando eos sibi in Regno Christi imperium vendicare videbit, qui ne servi quidem dici merentur, quùm nihil horum præstent, quæ ille à servis suis requirit. Idem præterea probat argumento ab Ecclesiæ dignitate desumpto.* Nam uter *(inquit)* major est? qui accumbit, an qui ministrat? *Quibus haud obscurè significat, Cùm major sit, eorum qui accumbunt, quàm qui ad mensam ministrant, dignitas: Ecclesia autem accumbat, ut cibo æterno saturetur, quem ei verbi Præcones administrent: Ecclesiam utique majorem & excellentiorem suis administris esse, & proinde æquè turpe esse, si hi ecclesiæ dominari velint, ac si quis famulus in herum suum jus sumat atque Imperium. Hos denique suo exemplo quoque arguit & confutat:* At ego sum *(ait)* in medio vestrûm, ut qui ministrat.

Cum hac Servatoris doctrina consentiunt etiam Apostoli: Paulus enim 2. Cor. 10. Arma, *inquit,* militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei, redigentes in captivitatem omnem intellectum in obsequium Christi. *Item,* Non dominamur fidei vestræ. *2. Cor. 1. Et rursus,* Evangelium est Ministerium spiritus. *2. Cor. 3. Sed quid multis? Ipsemet Nicolaus 1. Pontifex Rom. circa annos Christi 860. decrevit,* Ne Pontifex Rom. jura regia, sicut nec Imperator Pontificia sibi usurpet: *ut legitur dist. 96. c. Cùm ad verum ventùm est.*

Vt igitur fictum est Constantinum M. dedisse Sylvestro ejusque successoribus Imperium urbis Romæ & totius Occidentis: ita quoque falsum & supposititium est, quòd in eadem Donatione idem Imperator dicitur sanciviße, ut Roman. Pontifex principatum teneat tam super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quàm etiam super omnes in universo orbe terrarum Ecclesias Dei. Et ut Pontifex qui per tempora Rom. Ecclesiæ exstiterit

terit celsior, & Princeps cunctis Sacerdotibus, & totius mundi existat: utque ejus judicio, quæ ad cultum Dei vel fidem Christianorum, vel stabilitatem procuranda fuerint, disponantur. *Verba sunt ficta Constantinianæ Donationis. Si enim hæc vera sunt, qui passus fuit Constantinus in Nicano Concilio, cui ipsemet quoque interfuit, decerni*, ut Episcopus Romanus, *sicut Rufinus lib.10. Ecclesiast. hist. refert*, tantum suburbicanis Ecclesijs præesset? *Nihil enim id aliud fuisset, quàm hanc suam Donationem irritam facere, quæ paulò antè tam solenniter tamque pomposis & grandibus verbis fuit facta, ac tam sanctè confirmata. Quo ipso certè se æternis illis supplitijs mancipâsset totum, quæ in fine Donationis contemptoribus ac violatoribus ejus minatur. Eadem supplicia non subterfugissent* 150. *illi Patres qui Constantinopolitano* 1. *Concilio interfuerunt, quique cap.2. ita decreuerunt*: Episcopi, quibus sua diœcesis attributa est, ne in Ecclesias quæ extra fines suos sunt, se inferant, néue Ecclesias confundant. *Item*, Episcopi, nisi advocati, ne in alienam diœcesim & præfecturam se inferant, sive ad suffragia, sive ad alias ullas administrationes Ecclesiasticas. *Et in Chalcedonensi generali Synodo à 630. patribus celebrata, sancitur disertè*, ut Constantinopolis sedes pari fruatur honoris primatu, atque sedes antiquioris Romæ: utque etiam in Ecclesiasticis negotijs æquè atque illa magnificetur. *Quod decretum postea iterum in Constantinopolitano 6. Concilio renovatum confirmatumque fuit, sed à Grattano dist.22.c. Renovantes, turpissimè corruptum ut in Antigratiano nostro suo, Deo dante, tempore indicabitur. Putidissima igitur est fabula, & Doctoribus ecclesiarum post Constantinum multis seculis incognita, Romano Pontifici principatum in omnes universi orbis Ecclesias, & nominatim in sedem Antiochenam, Hierosolymitanam, Alexandrinam & Constantinopolitanam à Constantino M. tributam fuisse.*

*Probatur hoc etiam cap.*105. *Carthaginensis 6. Synodi cui B. quoque Augustinus interfuit, ubi adversus Papam decretum fuit*, ne ad ipsius sedem ex transmarinis Ecclesiis provocaretur: si quis provocare auderet, anathema esset. *Quæ sanè clarissimè demonstrant; Patres huius synodi Romanum Episcopum pro suo Principe & uniuersali Episcopo nequaquam agnouisse, alioquin prouocationes seu appellationes ad illius sedem minimè inhibuissent. Prætendebant quidem Zosimus, Bonifacius & Cælestinus Papa, in Nicano Concilio provocationem ex transmarinis ad suam sedem decretam fuisse: Verùm Patres Carthaginensis Synodi diligenter inspectis eius Concilii Græcis & Latinis exemplaribus, negant se quicquam ea de re invenire potuisse: ideóque non solum decretum, quod modò commemoravimus, promulgant, sed etiam literas Synodales scribunt ad Cælestinum in hanc sententiam & verba:* vt neque excommunicatos ab Aphricanis Episcopis, neque condemnatos ad se appellantes recipiat, *additis causis grauissimis*: Quia in nullo Concilio hoc decretum sit: *imò* quod decreta Nicæna Clericos, & etiam ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè committant: prudentissimè enim justissiméque providisse, vt quęcunque negotia in suis locis, vbi orta sunt, finiantur: nec vnicuique provincię gratiam Spiritus Sancti defuturam, qua æquitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constanter teneatur. *Item*, appellationes ad sua propria Concilia cuique concessa: nisi fortè quisquam sit, qui credat, unicuique posse Deum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Impossibile præterea esse, ut Romæ omnes causæ dijudicentur: cùm personæ non omnes possint propter multa impedimenta eo perduci. Vt verò Romanus Episcopus in Africam legatos suos mittat, nulla invenimus, *inquiunt*, Synodo constitutum. *Vbi est igitur summus ille super universi mundi Ecclesias tributus Papæ Romano ab Imp. Constantino principatus? Deinde quipotuit Constantinus subjicere Romanæ sedi Constantinopolitanam Ecclesiam, cùm urbs illa tum nec condita adhuc, nec nomen illud auditum, nec Episcopatus in ea institutus esset? Non satis commodè sunt hæc divisa temporibus.*

His adde, quòd vera antiquitas, *neminem* principem Sacerdotum *aut* vniversalem Episcopum *appellari voluerit, vt verò in ficta illa Donatione Romanum Episcopum Constantinus decernit appellandum. Nam c.26. Carthaginensis 3. Concilij ita pronunciatur*: Decernimus, vt primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus. *Idem quoque sensit Gregorius M. qui etsi Romanæ Ecclesiæ circa annos Christi 600. Episcopus esset, scribere tamen non dubitauit in Registro lib. 4. capite* 82: eum esse Antichristi præcursorem, qui pateretur se appellari vniversalem & summum Pontificem. *Et in epist.*35. *ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, qui hunc sibi titulum vsurpauerat*, Omnia, *ait*, quæcunque prædicta sunt, fiunt: Rex superbiæ (*Antichristus*) propè est. *Ad Mauritium quoque Imperat.* Ego, *inquit*, fidenter dico, quia quisquis se vniversalem Sacerdotem vocat, vel vocem desiderat in elatione sua, Antichristum præcurrit, &c. *Hæc verò quis putat scripturum fuisse Gregorium, si Romani Episcopi hoc priuilegium à Constantino Imperatore habuissent?*

buissent, vt principes Sacerdotum totiusque mundi & essent, & appellarentur? Sed quid multa in re manifestissima? Nam probatorum ferè omnium historicorum consensu vnanimi traditur, Bonifacium III. à Phoca Imperatore parricida, primum inter omnes Pontifices Romanos impetrâsse, vt Romanus Episcopus omnium Ecclesiarum per vniversum Christianum orbem & esset & haberetur Princeps & caput: reclamantibus quidem, tum quoque adhuc, sed frustra, plurimis celeberrimus Ecclesiis ac Episcopis.

De Constantini Donatione in specie.

Hæc contra istam Constantini M. suppositițiam Donationem in genere dicta sufficiant. Quod si ipsam paulò penitius inspicias, tot deprehendes ακατάλληλα, *vana, falsa & analogiæ fidei contraria, quot ferè ei insunt verba. Primùm Inscriptio huius Donationis ita habet*: In nomine sanctæ & individuæ trinitatis Patris scilicet, & Filij & Spiritus sancti. Imperator Cæsar Flau. Constantinus in Christo Iesu, vno ex eadem sancta Trinitate, Salvatore Domino Deo nostro: fidelis, mansuetus, maximus, beneficus, Alamanicus, Gothicus, Sarmaticus, Germanicus, Britannicus, Hunnicus: Pius, Felix, Victor, ac Triumphator, semper Augustus. *Hæc inscriptio non convenit cum veri Constantini literarum Inscriptionibus, quæ quidem apud Eusebium exstant, in quibus solùm Victor Constantinus, Maximus, Augustus appellatur, ac nihil præterea.*

Inscriptioni similis est Data: *vt vocant, seu Subscriptio, vnde ex illa quoque argumentum irrefragabile colligi potest, hanc paginam mentitam & effictam esse. Nam si legatur, Data Romæ à Constantino Augusto quarto Consule, & Gallicano quarto Consule, evidentissimum erit mendacium. Gallicanus enim fuit Consul cum Symmacho, & non cum Constantino Augusto: & quidem semel fuit Consul, non bis, ter aut quater. Sed fuit Constantinus quartùm Consul cum Licinio, ante aliquot annos, quàm cogitaret Constantinus sedem Imperatoriam Constantinopolim transferre. Bartholom. Pincernus hoc mendaciū corrigere volens, suam inscitiam prodidit, vt qui notas* VV. CC. CC. *exprimat*, Viris Cōsulibus & clarissimis. *Cuspinianus excutiens hunc Consulatum:* Vereor, *inquit*, conficta planè esse, quæ de Sylvestro leguntur, & de lepra Constantini: nec modo paleas videri, sed planè quisquilias & peripsemata. *Non fugit quoque Laurentium Vallam hæc vitiosa subscriptio, quam egregiè exagitauit, Inter alia inquit*: Mirandum Augustum leprosum elephantiâ, velle etiam accipere consulatū. *Quo vno argumento totum privilegium confutatur, profligatur, evertitur.*

Inscriptioni & Datæ respondent reliqua: dicit enim Constantinus, Per hanc Imperialem constitutionem omnes Episcopos Romanæ Ecclesiæ subjectos esse debere. *Sequitur ergo ante hanc Constitutionem ei subjectos non fuisse: & per consequens etiam falsum erit, quòd contendunt, se plenariam potestatem in omnes totius orbis Ecclesias habere jure diuino: Christum enim dicendo S. Petro*, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claves Regni cœlorum: cuicunque remiseritis, &c. *Item*, Pasce oues meas: *Petrum designâsse omnium Apostolorum Principem, eiusque Successores in sede Romana omnium Sacerdotum, Presbyterorum, Episcoporumque caput, adeòque totius orbis Monarchas. Nota enim est in jure Pontificio Extra. com. c. de Majoritate & Obed. horum verborum Christi explicatio Bonifacij VIII. vbi inter alia sic loquitur Bestia:* Dixit Dominus ipsi Petro, Pasce oves meas: Meas, *inquit*, & generaliter, non singulariter has vel illas: per quod commisisse sibi intelligitur universas. Sive ergo Græci sive alij dicant, se Petro ejusq; successoribus non esse commissos, fateantur necesse est, se de ovibus Christi non esse, dicente Domino in Ioanne, unum ovile & unicum esse pastorem. *Nec mihi objiciant, Christum quidem dedisse hanc potestatem Petro, Petrum suis successoribus, Constantinum autem eam confirmâsse; nam Donationis & Constitutionis, Confirmationis ne unico quidem verbo fit in hac pagina mentio.*

In Symboli recitatione Idea seu forma vocabulo utitur Constantinus pro hypostasi & persona. Hoc verò Theologis Constantini tempore in usu non fuit.

Recitat Versiculos, quos Aurelius Prudentius Poëta nonaginta annis post composuit.

Dicit, se recessisse à cultura Idolorum, à Simulachris mutis, surdis & manufactis: *At si verum est quod Pontificij de eo referunt, ipse simulachra muta, surda & manufacta coluit. Aliquoties fatetur*, se credere in Deum Patrem omnipotentem, &c. prout didicerit à summo Patre & doctore Sylvestro. Admonitum se *indicat* in somnis à B. Petro & Paulo, ut vocaret Sylvestrum Episcopum, qui persecutiones ejus fugiens ad montem Soracte in cavernis petrarum cum suis Clericis latebras foveat. *Nunquam autem Constantinus persequutus est Ecclesiam Christi, articulos quoque fidei christianæ non primò didicit à Sylvestro: sed, si Nicephoro Constantinopolitano historico credimus*, ut ex Christianis parentibus natus, ita etiam ab incunabulis in fide Christiana institutus fuit. *Qui antequam Sylvester esset Papa, cum Miltiade Pontifice Romano per literas egit de rebus Christianis, & in causa Cæciliani Carthaginensis Episcopi, quem Donatistæ persequebantur, sapienter ac piè judica-*

judicovit. Et hujus generis multa alia in ea Donatione exstant, sed ijs commemorandis tempus perdere, ac bonas chartas commaculore nolo. Et quid de hac ipsa Donatione judicârit ipsemet Gratianus, vel illi qui postea Decreto eius eom infarserunt, Paleæ, titulus, quo illam ornârunt, satis indicat. Notantur enim hoc nomine ea, quæ à Gratiano in veteribus codicibus & canonum collationibus non sunt inventa, quæq; in Scholis non leguntur, quòd non habeont intus bonam frugem.

Palea quid.

Quæ cùm ita sint, mirum non est, si etiam in densissimis Papatûs & omnium errorum tenebris multi pietate & doctrinâ præstantissimi viri hanc Donationem & voce & calamo confutârint. Scripsit enim contra illam Petrus de Vineis, qui circa annos Domini 1230. Friderici Imp. fuit Cancellarius. Dantes quoque Florentinus, qui claruit anno Christi 1320. scripsit librum, quem oppellonit Monarchiam, in quo refutat hanc Donationem, vt quæ nec facta sit, nec fieri jurè potuerit: ob eamque rem hæreseos fuit damnatus. Marsilius Patavinus in Defensore pacis, qui vixit circa annum Domini 1324. Laurentius Valla ex professo, circa annum Christi 1440. Is in proœmio & propositione inter alia inquit: Scio jam dudum expectare aures hominum, quodnám Pontificibus Rom. crimen impingam. Profectò ingens, sive supinæ ignorantiæ, sive immanis avaritiæ, quæ est Idolorum servitus: sive imperandi vanitatis, cujus crudelitas semper comes est. Nam aliquot jam seculis aut non intellexerunt, Donationem Constantini commẽtitiam fictamq; esse: aut ipsi finxerunt, sive posteriores in majorum suorum dolis vestigia imprimentes, pro vera, quam falsam cognoscerent, defenderunt: dedecorantes pontificatûs majestatem, dedecorantes veterum Pontificum memoriã, dedecorantes Religionem Christianam: & omnia cædibus, minis flagitiisq; miscentes. Hæc Valla. Eandem etiam oppugnavit Cusanus Cardinalis, suamq; sententiam ad Basiliense Concilium mittere non est veritus, circa annos Christi 1460. Æneas quoque Sylvius qui ad summum Pontificatum promotus Pius 2. fuit nominatus, Dialogum contra eam scripsit. Reprehendit vanitatem hujus Donationis & Hieronymus Paulus Cathalanus Canonicus Barcinonensis, Iuris utriusque Doctor, & Cubicularius Alexandri 6. Pontificis Max. in sua Practica Cancellariæ Apostolica circa annos 1496. Ortho Frisingensis, & Raphael Volaterranus in vita Constantini. Omnium tamen horum firmissima est Cusani refutatio Commentarijs Æneæ Sylvij de Concilio Basiliensi, Colonia anno 35. impressis, adjunctæ sunt istæ Refutationes Constantini Donationis: & præterea adjecta multorum Historicorum, qui de rebus Constantini scripserunt, testimonia. Ex quibus liquidò cuivis apparet, totam illam Donationem fuisse eis ignotissimam, atque adeò postea à Papis impudenter confictam.

Qui contra Constantini Donationem scripserint. Petrus de Vineis. Dantes Florentinus. Marsilius Patavinus. Laurentium Vallæ. Cusanus Cardinalis. Æneas Sylvius Hieronymus Paulus. Ottho Frisingensis. Raphael Volaterranus.

Nauclerum quoque hanc paginam suspectam habuisse ea produnt, quæ Generat. 11. libro 2. scribit: Qualia, inquit, & quæ Constantinus Ecclesiæ donauerit Romanæ variant in hoc authores: text. in c. Constantinus. refert eum concessisse B. Sylvestro vrbem Romam, Italiam & omnium Occidentalium regionum provincias, vt habetur d. 96. c. Constantinus. Alii dicunt ex textu paleam esse & nihil probare: quod credibile redditur, nam Constantinus postea præmissa regna filiis suis testamento reliquit, quæ etiam abinde successionis jure in manibus remanserunt Imperatorum & Regum Catholicorum: ad quod non facit modicum cap. fundamenta de elect. lib. 6. loquens enim de Donatione Constantini, tantum dicit de vrbis Romæ donatione, Italiæ & aliarum provinciarum nullam faciens mentionem. Item, Canon futuram 12. q. 1. asserit, quòd Constantinus fidem veritatis adeptus dederit licentiam per vniuersum orbem suo degentes Imperio non solùm fieri Christianos, sed etiam fabricandi Ecclesias. Et mox: Quæ hodiè dicuntur de Patrimonio Petri & Ecclesiæ ferè omnia inveniuntur à sequentibus Principibus donata. Hucusque Nauclerus. Confutârunt eandem solidissimè Authores Historiæ Ecclesiast. Magdeburgenses Cen. 4. cap. 6. per aliquot folio. Item Theodorus Bibliãder: & nuper firmissimè Author Bruti fulminis, vt putem nihil habere amplius Pontificios quod contra dicere possint: & ob eandem causam nos quoque in ea confutanda breuiores fuimus. Augustinus quidem Steuchus, doctus alioquin vir & multæ lectionis, qui sub Paulo III. claruit, pro hac Donatione contra Laurent. Vallam scripsit: nulla autem, quod pace eius dixerim, firma & solida profert argumenta, licet vndiquoq; omnia, quæ hanc causam juvori possunt, magno studio congerat.

Nauclerus

Centuriatores Magdeburgen. Theodorus Bibliander. Brutum Fulmen.

MIRVM in modum autem aucta sunt bona Ecclesiarum hinc inde per orbem etiam post Constantini Magni ætatem, largitione partim Imperatorum, Regum, Reginarum aliorumque Principum: quales fuerunt inprimis Theodosius eiusque coniunx Eudocia, Nicephorus lib. 14. c. 9. & 5. Iustinianus, Evagrius lib. 4. Cap. 17. ex Procopio. Childebertus, Paulus Diaconus lib. 4. de Longobard. Cap. 2. Clodoueus. Turonensis libro 2. hist. Cap. 37. Chilpericus, idem lib. 5. Cap. 34. Dagobertus, Regino libro 1. Odda uxor Boggis regis Aquitanorum, Sigebertus. Offa rex, Polydorus lib. 4. hist. Anglicæ. Arnulphus Aventinus libro 4. Annalium. Carolus Magnus, Eginhardus, Regino lib. 2.

Bona Ecclesiarũ aucta post Constantinum M.

Ado in Viennensis, Sigebertus, & Annonius lib. 5. capite 10. de Francis. Mutius in Chron. fol. 62. Otho *Thuringorum Marchio, qui primus Moguntino Archiepiscopo Decimas sua terra promisit, Phrygio.* Conradus II. Imp. *Cranzius.* Henrici Imperatores. Fridericus II. *Chron. Vrspergen.* Ludovicus IV. Imp. *quem etiam monachi & sacratæ Virgines Bojariæ ob beneficentiam Deum fecere, cœloq́; locârunt : cùm è contra ad inferos eum deturbârint Rom. pontifices, quòd eorum superbia & immodicæ dominandi libidini obviam ierit : Avent. lib. 4. fol. 489.* aliiq; sine numero cùm Imperatores, tum

2. principes. *Partim locupletata sunt Ecclesiæ Romanorum Episcoporum aliorumque liberalitate : quales fuerunt* Sixtus 3. *qui ob magnificas opes Ecclesiis collatas, ditator & collator Ecclesiarum nominatur, ut indicat Sabellicus Enne. 8. lib. 1. & Panthal. in Chron.* Simplicius, *liber Pontif.* aliique plures.

3. *Partim ex contributione, benevolentia & donatione piorum & Fidelium : quorum nulli bono quidem zelo hoc fecerunt. nimirum ad promovendum Dei honorem verbumq́; alij verò ex superstitione, pro redemptione scilicet animarum suarũ.*

4. *Partim etiam mulctatione aliorum. Vel em-*
5. *ptione. Vel fraude : qua in re Sacrificuli mona-*
6. *chiq́; mirè industrij fuerunt : præsertim verò Pontif. Rom. qui fictitio titulo* Patrimonij Apostolorum *effecerunt, ut Sicilia tria talenta cum dimidio auri centulerit Ecclesiæ Rom. P. Diaconus lib. 21. Romanarum rerum. Sub eodem prætextu dementantes Francorum Reges, Italiæ totius Domini facti sunt. In Matisconensi autem Synodo, anno Domini* 813. *jussu Caroli Magni habita cap. 7. sancitur,* ut Episcopi sive Abbates, qui non saluti animarum, sed avaritiæ & turpi lucro inhiantes, bona Fidelium ad se pertraxerint, pœnitentiæ regulari, tanquam turpis lucri sectatores, subjaceant : bona autem illa, non solùm accepta, sed potius rapta, hæredibus reddantur. *Hac lex si hodie observaretur, Deus bone quàm multa reddenda forent fidelibus. Ita ferè in Cabillonensi 2. Synodo cap. 6. præcipitur,* ut sacerdotes persuadeant hominibus, ut abrenonciantes seculo, res suas Ecclesiæ conferant. *Et cap. 7.* ut qui homines illectos circumveniendo totonderint, & res illorum tali persuasione ad se rapuerint, pœnitentiæ regulari subjaceant.

7. *Partim donatione & legatione morientium : Sozom. lib. 7. cap. 26. testis est ;* Epiphanij Episcopi in Cypro tempore, undique multos, quibus propositum erat in pios usus opes suas dispensare, non modò inter vivos Ecclesijs eas donâsse, sed multo etiam magis morientes testamento reliquisse. *Sed & Prosper scribit lib. 2. cap. 9. de vita contempt. suo tempore* Hilarium Episcopum Arelaten. accepris numerosis fidelium hæreditatibus Ecclesiæ suæ possessiones valdè ampliâsse : *ita tamen ne cum damno & fraude hæredum fieret. Unde Augustinus in Sermone de Vita Clericorum scitè :* Quicunque, *ait,* volt exhæredato filio Ecclesiam hæredem facere, quærat alium, qui suscipiat, quàm Augustinum. 17. *q. ult. c. ult. Ubi etiam laudatur ejus Episcopi factum, qui testatori cuidam à quo liberos non habente bona sua Ecclesiæ relicta fuerant. postquam liberos præter spem & opinionem susceperat, omnia restituerat : quod idem traditur* 13. *q. 2. cap. si quis irascitur. Aurelianensis quoque Synodus 2. anno Domini 525. habita, statuit,* oblationes defunctorum, qui ob aliqua crimina fuerint interempti, accipiendas, modò seipsos proprijs manibus non interfecerint. *Id quod in Antissiodorensi Synodo cap. 17. omninò prohibetur his verbis :* Quicunque se propriâ voluntate in aquam jactaverit, aut collo ligato se suspenderit, aut de arbore præcipitaverit, aut ferro percusserit, aut qualibet occasione voluntariè se morti tradiderit, istorum oblata non recipiantur.

Partim ex Iudicijs : quòd nimirum Magistratus politicus maleficorum & improborum hominum bona Ecclesijs adjudicavit. Partim ex præ- 8.
da & rapinis. Partim denique ex hæreditate 9.
Episcoporum, Presbyterorum & Sacerdotum multa quoque cesserunt Ecclesijs. Nam in Agathensis Synodi cap. 5. statuitur, Si Episcopo ab aliquibus fuerit derelictum aliquid, ut non pro proprio, sed pro facultatibus Ecclesiæ habeatur, 12. *q. 3. Pontifices quibus. Et in Synodo Hispalensi 1. cap. 1. statuitur,* ut Episcopus, qui res proprias, exceptis filijs & nepotibus, alteri, & non Ecclesiæ suæ, dimiserit ; quicquid de Ecclesiæ rebus aut donaverit aut vendiderit, aut quocunque modo ab Ecclesia transtulerit, irritum habeatur. *Unde Gregorius lib. 9. indict. 4. epist. 14. inquit :* Sacris Canonum legibus est definitum, ut in his quæ antistites episcopatus tempore acquisivit, non alius nisi sola Ecclesia succedat. *Repetit idem lib. 10. indict. 5. epist. 42. Extat eadem lex inter Francorum leges quas Ansegisus collegit jussu Caroli Magni, scilicet,* ut unusquisque Presbyter res quas post diem consecrationis acquisierit, proprias Ecclesiæ relinquat *lib. 1. cap. 150. Hoc etiam docet Canon 35. Aquisgranensis Synodi sub Ludovico Pio habita, quo præcipitur,* sacerdotes nihil proprium habere, sed Ecclesiæ facultates tanquam communes suscipere debere. *Et in Synodo quadam Rom. sancitur cap. 2.* ut moriente Romano Episcopo, vel cujuscunque civitatis, nullus præsumat facultates ejus invadere, sed successoribus eorum reserventur integræ. *Sed tamen consensu Clericorum licebat interdum Episcopis de thesauro Ecclesiæ succurrere*

rere suæ familiæ, juxtà Canonem 4. Avernensis Synodi.

CAPVT III.

De Origine DECIMARUM.

EX ÿs quæ habentur Gen. 14. & 18. apparet, consuetudinem dandi DECIMAS etiam ante legem fuisse usitatam, sed sine expresso mandato Dei. Moses enim testatur ibi, Abrahamum à cæde Orientalium Regum redeuntem Melchisedecho regi Salem & Sacerdoti altissimi Decimas ex præda hostibus erepta dedisse: & hoc ita narratur, ut satis appareat, id pÿs hominibus in more tum fuisse, ut si quid ipsis ex animi sententia successisset, aut singularem Dei benevolentiam sensissent, Decimarum oblatione gratitudinem suam testarentur. Et Iacob in Mesopotamiam fugiens, Decimas vovebat Domino omnium quæ illic acquireret, si incolumis reverteretur, & Deus itineris comes esse, atque ab Esaui Tyrannide liberare dignaretur.

Postea verò constitutâ politiâ Mosaicâ, cùm populus vniversus in 12. tribus fuisset distributus, & tribus Leuitica cultui diuino destinata, ac mancipata, nullos agros, vineas possessionesve proprias haberet, quòd nimirum Leuitæ atque Sacerdotes omni rei familiaris curâ atque solicitudine liberi & soluti, tantò commodius faciliusque rei divinæ vacare possent, Moses prudentissimus Princeps Legem tulit, quâ, vt in Exodo, Numeris, Deuteronomioque exstat, & à Iosepho simul exponitur Antiquitat. Iud. lib. 4. cap. 3. & 6. Primitias & Decimas omnium frugū omniumque pecudum Sacerdotibus & Levitis offerri mandavit, sic, vt omnis, qui possideret agrum, vel vineam, vel olivetum, vel etiam hortum, & si quid esset, quod exerceretur in terris, sed & si quis pecuaria haberet, is offerret ex illis Deo omne, quod primum esset, & decimas quoque ad Sacerdotes deferret. Et hoc est, quod docemur ex Lege, vt nullus homo licitè & legitimè vtatur fructibus, quos terra produxit, nec animantibus, quæ pecudum protulit partus, nisi ex singulis Deo Primitiæ & Decimæ dentur. Atque sic Moses, imò Deus ipse, cuius jussu ille cuncta gesserat, author fuit, vt Primitiæ & Decimæ Leuitis ac Sacerdotibus offerentur. Hæc ferè Polyd. Vergilius de Inuent. rerum lib. 6. cap. 14.

Decimarum genera in veteri Testamento tria. Harum autem decimarum veteris Testamenti tria potissimùm fuerunt genera. Primum quotannis decima Leuitis dabuntur ex vniversis frugibus. Alterum genus erat decimarum, quas ex suis Decimis Leuitæ, id est, inferior Ministrorum ordo summo Sacerdoti soluebant. Tertium earum fuit, quæ tertio quoque anno ad pauperum, viduarum, pupillorum & peregrinorum inopiam subleuandam reponebantur. His quartum annumerat Hieronymus in Ezechielem genus Decimarum, quas Israelitæ in suis horreis separabant, ut comederent eas, cùm irent Hierosolymam in Templum & in vestibulo Templi Sacerdotes & Levitas ad convivium invitarent. Itaque Decimarum usus multiplex & verâ sanctus fuit. Per has enim admonebantur privatim singuli, à Deo dari fruges terræ, cui illi hanc gratiam referre debeant, ut illis piè & religiosè frui possint. Deinde ad conservationem divini cultus faciebant: quæ etiam causa est, quòd Deus illas sibi vendicat. num. 18. Præterea ex illis pauperes alebantur, qui non minima Ecclesiæ pars sunt. Idcirco etiam Deus posteris temporibus severissimè decimas requisivit, si quando in illis reddendis negligentiores aut parum Fideles essent. Apud Malachiam certè Sacrilegÿ illos accusat, & se ab illis spoliari, & ideò maledictos, & execrationi obnoxios esse dicit, & vicissim uberem benedictionem pollicetur, si quod illi debetur, fideliter reddant. Malach. 3.

Quo tempore autem, & à quibus consuetudo invaluerit, & ritus dandi Decimas & Primitias fuerit apud Christianos primò institutus, non satis certò liquet. Polydorus Vergil. lib. 6. cap. 14. de Invent. rerum affirmat, Patres, hoc est pontifices Rom. Lege sanxisse, decimas esse solvendas, sicuti latè pateat ex compluribus ipsorum decretalibus Epistolis. Herm. Gigas author est, Constantinum M. primò præcepisse, ut Decimæ omnibus Ecclesijs solverentur, de omnibus rebus. Rodolphus Gualth. hom. 183. in Luc. cùm initia, progressum, usum ac rationem decimarum, Gazophylacÿ & opum Ecclesiasticarum veteris Testamenti paucis, sed diligenter exposuisset, de Origine Decimarum aliarumq; opum Ecclesiasticarum novi Testamenti, hæc subjungit: Ante Constantini Magni imperium nunquam eâ pace & tranquillitate usi sunt Ecclesiæ, ut certos redditus constituere possent, ex quibus sacrorum & ministrorum impensæ fierent. Ab eo tempore autem res in melius constitutæ sunt, & principum Christianorum nobiliumq; hominum liberalitate Ecclesiæ ditari cœperunt, Decimarum denique collatio restituta est, sicuti vetustissimarum Ecclesiarum & Collegiorum fundationes, & quæ de his passim exstant instrumenta seu tabulæ publicæ testantur. Et ista quidem scire opus est propter eos, qui sub religionis Ecclesiasticæ aut Christianæ prætextu immunitatem quærunt, & ne Decimas, aut alios census agrorum, domuumq; reddere cogantur, horum omnium initia atque originem ad Papatum referunt, quasi Pontificum aut Monachorum rapacitas atque avaritia in hac etiam parte Iudaismum nobis reduxerit. Fatemur quidem illorum artibus atque dolis Collegiorum opes in immensum auctas esse: id verò de omnibus Decimis, & antiquioribus Ecclesiarum redditibus nequaquam dici debet. Iustæ enim illæ opes sunt, utpote ab illis donatæ, qui eas donandi jus habebant, & quos Dei amor,

atque Religionis studium ad id commovit. Qua de re August. præclarè admodum, Decimæ, *inquit,* ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus, Meus es ô homo, Mea est terra quam colis, Mea semina quæ spargis, Mea animalia quæ fatigas, Meus est Solis ardor: Et quum omnia mea sint, tu qui manus accommodas, solam Decimam merebaris, sed serva tibi novem, da mihi Decimam. Si non dederis Decimam, auferam novem. Si dederis mihi Decimam, multiplicabo novem. Si ergo quærit aliquis, cur decimæ dentur? sciat, quòd ideò danda sunt, ut hac devotione Deus placatus, largius præstet quæ necessaria sunt, &c. *ut citatur capite 4. Triburien. Synodi anno 899. habita, ex epistola Gelasij Papæ cap. 27. Idem Augustinus Serm. 219. de Tempore,* Decimas egentium animarum tributa vocat, & justissimam Dei consuetudinem esse, *inquit,* ut si illi Decimam non dederimus, nos ad Decimam revocemur: quique eas dare non vult, res alienas inuadere, & homicidiorum reum ante tribunal æterni judicis apparere: quia rem à Deo pauperibus delegatam suis usibus reservet. *Vnde colligitur, tum temporis, quandò Papatus nullus adhuc erat non solùm Decimas datas, sed etiam ex jure & æquo, sanctissimorum Patrum judicio, requisitas fuisse. Sanè ex cap. 5. Matisconensis Synodi 2. anno 587. juxta Pannin. habita, apparet etiam ante illud tempus consuetudinem hanc in usu fuisse: ita namq; ibi sancitur:* Leges divinæ consulentes Sacerdotibus ac ministris Ecclesiarum, pro hæreditaria portione, omni populo præceperunt Decimas fructuum suorum locis sacris præstare, ut nullo labore impediti per res illegitimas spiritualibus possint vacare Ministerijs, quas Leges Christianorum congeries longis temporibus custodivit intemeratas. Vnde statuimus, ut decimas ecclesiasticas omnis populus inferat, &c. Si quis autem contumax nostris statutis fuerit, à membris ecclesiæ omni tempore separetur. *Carolum Magnum scribit Cranzius in sua Metropoli lib. 1. cap. 8.* tributa Christianis remisisse, & eorum loco Decimas Ecclesijs & Episcopis assignâsse.

Decimas fideliter solvendas.

In Duriensi quoque Synodo anno 779. habita à Carolo Magno sancitur capite 10. ut Decimæ solvantur: dare autem nolentes amoveantur à Presbyteris Ecclesiarum usque ad tertiam vicem: quòd si hoc contempserint, ab introitu Ecclesiæ prohibeantur: & si hoc non emendaverint, à Ministris Reipublicæ districti singuli per caput sex solidos Ecclesiæ componant: & insuper decimam dare cogantur. Quod si iterum contemptores exstiterint, tunc per publicam authoritatem domus vel casæ eorum hiusentur *(publicentur seu proscribantur)* quousque pro ipsa Decima satisfaciant. Quod si denuo rebelles vel contradictores esse voluerint, & super ipsam hiusam suâ authoritate intrare præsumpserint, tunc à Ministris Reipublicæ in custodiam mittantur, usque dum ad judicium publicum mittantur, & ibi secundùm Legem contra comitem vel partem publicam componant. *In Anglicana quadam Synodo anno 786. celebrata cap. 17. præcipitur,* ut omnes studeant, de omnibus quæ possident, Decimas dare. *Idem etiam sancitur in Moguntina Synodo anno 713. jussu Caroli M. habita, cap. 38. In Synodo Cabilonensi 2. c. 18. sancitur, sicut & à Nicolao 2. præcipitur,* ut qui Decimas post crebras admonitiones Sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. *In ejusdem Synodi cap. 19. decernitur,* ut Episcopi & Abbates, de agris & vineis, quæ ad suum vel fratrum stipendia habent, Decimas Ecclesijs dent: *constituit quoque ibidem,* ut familiæ ibi dent Decimas suas, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per totum anni circulum Missas audiunt. *Habita est hac Synodus anno Domini 813. juxta Sigib. in Chron. Alexander 3. tamen* consuetudinem sequendam docet in eo, utrum colonus solvere teneatur decimam Ecclesiæ, in cujus Parochia sita sunt prædia: an Ecclesiæ, ubi audit divina, & percipit Sacramenta: *tit. 30. cap. 18. Decret. Gregorij. In Arelatensi Synodo 4. anno Domini 813. habita, statuitur cap. 9.* ut unusquisque decimas & primitias de suis laboribus afferat. *Vrbanus 2. in Synodo Claromontana anno 1095. habita, sanxit,* ut unaquæque Ecclesia Decimas suas habeat, nec ad alteram transeant.

In Lateranensi Synodo generali sub Alexandro 3. habita cap. 23. sancitur, ut de hortis & nutrimentis animalium suorum Leprosi Decimas dare non cogantur. *In eadem Synodo, vel alia aliqua, hanc mox secuta præcipitur, ut videre licet tom. 3. Concil. fol. 612. 1.* ut de proventibus molendinorum & piscariarum, de fœno quoque & lana Decimæ persoluantur. 2. ut de fœno equitio, pomis, piris, apibus & omnibus fructibus decimæ dentur. 3. Religiosos etiam ex prædijs conductis decimas solvere debere: non de suis prædijs, nisi prius quoque de ijs datæ fuerint. 4. Religiosos de laboribus, quos proprijs manibus vel sumptibus colunt, & de animalium nutrimentis, à decimarum præstatione esse immunes. 5. Clericos à Clericis non debere decimas exigere. *Clemens 3. Papa* de omnibus prædiorum fructibus ab agricolis Decimas Ecclesiasticâ censurâ exigendas censet *libro tertio, tit. 30. cap. 21. Ex parte. Idem & Cœlestinus 3. fieri præcepit. ibidem. cap. 22. Non est.*

In Con-

In Concilio Lateranensi ab Innocentio III. celebrato anno 1215. *præcipitur*, vt Decimæ ante censum & tributa solvantur. *cap.* 54. *extra de primi & oblat. Cum non.*

Hæc & alia de fideliter solvendis & reddendis Decimis piè sunt constituta. Etsi enim Leviticum Sacerdotium abolitum sit, & sacra legalia cessârint, manet tamen Ministerium Euangelij, quod absque Ministris ordinariis non poterit consistere: neque deerunt vnquam pauperes, quos suo loco substituit Dei filius, vt in hos conferamus, quæ in ipsum collaturi essemus officia, si ille in terris viueret. Atqui idem Evangelij administros mercenarÿs confert, quibus sua merces debeatur: & Paulus ad Corint. scribens, prolixè docet, tam justum & æquum esse, vt ex Evangelio viuant, qui Euangelium prædicant. quàm justum fuerit olim, vt ex sacrario ederent, qui sacris operabantur & Altari assidebant. At quæ justior ratio alendi Ministros excogitari potest, quàm vt ex Decimis viuant, qui publicæ salutis administri sunt? Etenim, vt Origenes olim rectè monuit, nisi necessaria vitæ subsidia dentur Sacerdotibus, ipsi in talibus occupati, minus vacabunt legi Dei: his autem non vacantibus verbo Dei, tu periclitaris: obscurabitur enim lux scientiæ, quæ in illis est, te non subministrante oleum lucernæ.

Nec est quòd aliquis Decimarum legem cum Ceremoniis abolitam esse dicat. Nam etiamsi illæ abrogatæ sint durat tamen adhuc Ministerium Ecclesiæ, & propter verbi prædicationem & Sacramentorum administrationem adhuc Ministris opus est, quibus, vt Deo militare possint, de victu prospici oportet, ne vitæ negotÿs ad familiarem pertinentibus implicentur. Quibus autem argumentis probari poterit, Decimarum legem vnquam ab eo abrogatam esse? Illas quidem à Iudæorum Sacerdotibus impiè interceptas, & in vsus alios translatas fuisse legimus, sed cùm Decimæ Principibus quoque debeantur, 1. Sam. 8. *vt ex jure Regis apud Samuelem apparet, & Christiani Reges atque Principes Ecclesiam frugum Decimis & aliis redditibus annuis auxerint, sacrilegÿ culpâ non vacabit, qui aliquid horum ausus fuerit negare aut subtrahere. Idque eò constantius affirmamus, quòd prædia ferè eâ conditione vel venduntur, vel ad hæredes legitimos perveniunt, vt Decimæ annuorum prouentuum ex illis reddantur. Qui ergo has negant, vel in eis fraudem admittunt, multifariam peccant.* Primò *parui faciunt gratiam Dei, quando piget illos sumptum facere in iis, per quæ ille seipsum & omnes regni sui thesauros nobis offert.* Deinde *illi negant quod debetur, cuius liberalitate toto anno aluntur: cui denique se totos debent & quicquid habent. Injusti enim operariis mercedem suam, impij verò egenis Christi membris à Deo destinatam alimoniam negant.*

Hercules, vt refert Marlianus libro quarto, capite sexto Roman. antiquit. prædixerat, vitam ducturos felicem, qui bonorum omnium sibi Decimam persoluerent. Vnde peruulgatum apud Romanos verbum erat: Dives fieri qui vult, Herculi decimam solvito. *Pompon. Læto authore capite tertio de Sacerdot. Rom. Hinc Plautus in Sticho:* Decimam Herculi polliceam. *Et quòd Lucullus Herculi Decimam persoluisset felix & dives euasisse vulgò creditum fuit, authore Alexand. libro tertio genial. dier. capite* 22. *Cicero quoque libro tertio, de Natura Deorum, graviter reprehendit*, quòd multi Decimam Herculi vouerent pro divitiis & bona valetudine: pro sapientia verò, quæ omnium rerum præstantissima haberetur paucissimi. *Et arduum aliquid subituri Romani, aliis quoque Diis decimam vouisse leguntur, sicut de bello Veianno scribit Liuius: quos oppugnaturus Dictator, decimam prædæ partem Apollini se daturum voto obstrinxit. Quemadmodum & Græcorum sapientissimi Athenienses, rerum suarum Decimam in Sacrificiorum & belli vsus persoluebant, quod ex Epistola quadam Pysistrati tyranni ad Salonem, apud Laertium, apertè colligitur. Dolendum itaque est vehementer Christianos, hac in parte, vt in aliis multis, ab Ethnicis superari, quum tamen illi, non ab Hercule, vt Ethnici, sed à vero Deo, cœli & terræ creatore, promissionem habeant, quâ per Malachiam Prophetam*, omnium rerum abundantiam *pollicetur his*, qui Decimas in domum suam liberaliter inferrent, *Vt verò Camillus, apud T. Liuium*, haud mirum esse, *ait*, quòd civitas Romana seditionibus arderet, quæ damnata voti, omnium rerum potiorem curam, quàm Religione se exolvendi haberet: *sic timendum est, calamitatum maximarum, quibus orbis Christianus affligitur hodiè, non minimam causam esse, quòd non fideliter soluantur Decimæ: Propheta enim meritò Iudæos à Deo puniri affirmat, quòd Decimas non persoluerent.*

Obÿciunt autem, plerosque Decimis turpiter abuti, multos etiam illas transferre ad illicita & prophana studia, vt ex Ecclesiæ bonis comessentur, scortentur, vsuras faciant, & opes iniquas ac injustas congerant. Respōdetur obiectioni de abusu Decimarum. *Sed calva hæc est excusatio: Abusus enim non tollit verum rei vsum. Aut si res eæ sint è medio tollendæ, quibus homines pro ingenita vitiositate abutuntur: non video quid in orbe reliquum sit nobis futurum, & an nos ipsi superesse possimus. Abutuntur nonnulli sacrosancto Dei verbo ad seminandos prauos & horribiles errores: abutitur magistratus iure & legibus: abutuntur homines cibo & potu cum corporis & animi bonis: Quamobrem, vt est inepta conclusio, negandum cibum & potum humano generi, quia his ipsis abutatur: sic ineptè quoque statuunt, Decimas*

non esse soluendas, quòd plurimi nefariè ijs abutantur. Reddent isti Deo rationem qui hæc faciunt, non qui Decimas soluunt. Nec aliqua excusabit eum ratio, qui egenti necessarium victũ surripit, ne fortè eo abutatur ad ebrietatem & crapulam. Christiani hominis est, reddere vnicuique quod debetur, non autem suam iniquitatem alterius culpâ excusare velle.

CAPVT IV.

De Origine OBLATIONVM & PRIMITIARVM.

Oblationũ origo. P*Rimitiua Ecclesia ante Constantini Magni tempora cùm neque Decimas, neque vllos omninò redditus seu prouentus possideret, fideles non solum pecunias, sed primitias frugum variáque munera ad sustentationem pauperum & verbi Dei Ministrorum liberaliter, pro sua quisque facultate, obtulerunt, vt supra quoque indicauimus. Hæc verò laudibilis consuetudo progressu temporis in fœdissimum transiit abusum.* *Oblationũ abusus.* *Etsi enim sequentibus mox seculis sub Christianis Imperatoribus ac Magistratibus, Ecclesiæ opibus suprà quàm credi possit ditatæ & collocupletatæ fuissent, Sacerdotum tamen profunda auaritia oblationes nihilominus retinuit. In Matisconensi enim Synodo 2. capite 4. præcipitur*, vt omnibus Dominicis diebus oblationes tam panis quàm vini fiant, *vt Carranza refert fol. 245. b. Et in Synodo Moguntina anno 813. statuitur*, vt sine intermissione populus admoneatur, quo oblationes subinde in Ecclesia faciat: Oblationes enim magnum esse remedium animarum. *Earum vsus ab hoc demùm tempore mirandum in modum creuit in Ecclesia: & Sacerdotes eas longè maiori studio, quàm pietatem, veram fidem, justitiam, sanctitatem, charitatem, aliaque opera bona requisiuerunt & exegerunt ab auditoribus suis, subindè illud intonantes*, oblationes ad redemptionem animarum facere.

Primitiarum origo. *Quod originem verò Primitiarum in Christi Ecclesia attinet, jubet eas eandem ob causam, quam modo diximus, offerre ad Altare Origenes, homil. 11. in Numeros*: Decet, *inquit*, & vtile est, etiam Sacerdotibus Euangelii offerri primitias. Ita enim & Dominus disposuit, &c. Et sicut hoc dignum & decens est, sic è contrario indecens & indignum existimo, & impium, vt is qui Deum colit, & ingreditur Ecclesiam Dei, qui scit Sacerdotes & ministros assistere Altari, & aut verbo Dei, aut ministerio Ecclesiæ deseruire, vt de fructibus terræ, quos Deus dat solem suum producendo, & pluvias suas ministrando, non offerat primitias Sacerdotibus. *Meminit etiam primitiarum Sacerdotibus ad alimentum datarum Epiphanius lib. 3. tom. 2. hæresi 80. Et Hieronymus lib. 3. Comment. in Ezech.*

In primitiua autem ecclesia justum sanctumque vsum Primitiarum & Oblationum fuisse nullus opinor negabit: cùm verò ecclesiis passim hodiè Decimis alijsque prouentibus abundè satis prospectum sit, eum non amplius retinendum arbitror, ne Fideles gemino degrauentur onere, & Ecclesiarum ministris peccandi occasio amplior offeratur. *Primitiæ & oblationes num hodie exigẽdæ.* *Deinde etiam ob hanc causam Primitiæ & Oblationes porrò non sunt exigendæ, quòd Sacrificio Christi, Sacrificia reliqua, præter Sacrificium laudis omnia sunt abrogata: Cessante autem causa, cessat effectus. Vnde ne quis obijciat mihi, Primitias eodem jure quo Decimas exigi posse hodiè quoque cùm sint eiusdem generis: obiter notandum, quòd etsi eodem genere censeantur, esse tamen ita graui ratione distinctas & inter se diuersas, vt eodem jure species ambæ minimè requirantur. Primitiæ enim quasi quadam victimæ Deo magis quàm hominibus offerebantur inter veteri Testamento, vt reliqui fructus harum Oblatione consecrarentur: Oblationes autem in hoc à Decimis differunt, quòd ipsæ nullâ re mediâ interueniente, Deo offerentur: Decimæ verò Sacerdotibus diuini cultûs administris sustentandis magis quàm honorandis soluerentur.* *Primitiarũ oblationũ & Decimarum differentia* *Quorum alterum agnoscimus antiquatum, nec vllum aliud, vt diximus, præter sacrificium laudis hodiè à nobis requiritur: alterum verò nec abrogatum, nec abrogandum dicimus. Sacrificijs enim ad colendum Deum, cui Sacrificio Christi satisfactum est, non opus habemus amplius: salarijs autem, quæ ex Decimis persoluuntur ad alendos ministros opus est in primis, ne Euangelij lumen exstinctum velimus. Fine tamen primitiarum, quoad gratitudinem Deo exhibendam, & consecrationem frugum, Christianos teneri non inficior. In primis autem animi primitias Deo offerre debemus, sic vt omnes nostras cogitationes & consilia, rationem & voluntatem nosque adeò totos Deo consecremus, dantes operam, vt Spiritûs primitias consequamur.* *Primitiarum oblationũ & Decimarum differentia.*

Quo ritu autem huiusmodi donaria omnia, de quibus hactenus, ecclesiis oblata fuerint, apparet ex supplicatione populi Wormatiæ Carolo M. oblata, quæ ita habet: *Ritus offerendi donaria Ecclesiis.* Quisquis nostrum suas res Ecclesiæ tradit, DOMINO DEO illas offert atque dedicat, & non alteri: dicendo talia, & agendo, ita facit scripturam, de ipsis rebus quas donare desiderat, & ipsam scripturam coram Altari aut supra tenet in manu, dicens ejusdem loci Sacerdotibus atq; custodibus: Offero Deo atq; dedico omnes res quæ in hac carthula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorũ, ac parentum & filiorum, aut pro quibuscunque illas libare voluerit, ad seruiendum

ex his Deo in Sacrificijs, Missarumque solennijs, orationibus, luminarijs, pauperum ac Clericorum Alimonijs, & cæteris divinis cultibus, atque hujus Ecclesiæ vtilitatibus. Si quis autem eas inde (quod fore nullatenus, credo) abstulerit, sub pœna Sacrilegij ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, districtissimas reddat rationes. *Vbi illud quidem magnopere laudandum, quòd Caroli Magni adhuc ætate, donaria sua Deo, non creaturis & sanctis mortuis obtulerunt, quod sequentibus mox seculis fieri cœpit: hoc verò vehementer improbandum, quòd donis suis imputârunt: quòd soli Christo est tribuendum, qui solus pro remißione peccatorum nostrorum sese in cruce obtulit.*

Patet ex his quæ huc vsque diximus, ecclesias à Constantini Magni tempore demùm possidere cœpisse. 1. Thesauros. 2. Vasa omnis generis aurea & argentea. 3. Vestes preciosas. 4. Villas & prædia. 5. Decimas. 6. Reditus. 7. Tributa & Vectigalia. 8. Frumentum. 9. Arces. 10. Territoria. 11. Libertos & Servos. *Sed quid inde secutum est?* RELIGIO peperit diuitias, & filia deuorauit matrem, *hoc est, diuitiæ & opes pepulere pietatem, & induxerunt luxum. Neglecta autem pietas errori locum aperuit, error verò omnia superstitione oppleuit, superstitio denique, bonas literas oppreßit, proq. his barbariem plantauit. Luxus pauperibus valedicere, egenos negligere, equisones & canum magistros conducere, palatia exstruere, aulas regias ædificare, Alcinoique hortos adornare cœpit & docuit. Vnde non immeritò D. Hieronymus in epist. ad Nepotianum queritur,* accrescentibus Ecclesiæ opibus, veras illas opes, pietatem scilicet, fidem, charitatemque esse diminutas. *Quocirca glißcenti morbo succurrendum ipse putauit, & in hanc partem conatus est in illa Epistola pertrahere Episcopos ac Sacerdotes,* vt nihil possiderent, quo saltem in medio consisterent, & moderato diuitiarum vsu essent contenti. *Iniquum petijt, vt æquum auferret, sicut Erasmus monet in Antidoto eius Epistolæ.*

Conqueritur etiam Henricus 5. Imp. in Apologia quadam contra Paschalem Pontificem. Rom. Pontifices, Episcopos, Mystas & Monachos ab Imperatoribus atque Regibus collocupletatos, vbi his pares opibus facti sint, more perditorum, quo plura donata fuerint, plura concupiscere, illisque sordere prima quæque vbi majora sperârint. Auentinus lib. 6. fol. 611.

Imò eò vsque progressa est eorum audacia, vt ex hac ipsa Imperatorum ac Principum liberalitate, ipsos contemnendi ac despiciendi occasionem arripuerint. Quam ingratitudinem seu potius impietatem, cum pœna iusta denunciatione, Pontifici Max. Cardinalibus & Prælatis alijs Auenione congregatis, festiuo apologo Ioannes de Rupescissa *Monachus pro concione anno Domini* 1360: *obiecit.* (Ioannes de Rupescissa.) Historiam, *dicebat inter alia,* vobis insignem cujusdam rei, vt quondam in cœtu auium gesta est, narrare volo, ijs planè consimilem quæ sanctissimo patri euenerunt, & deinceps eventura sunt. Fortè quędam auis olim inter cæteras enata est, omnium consensu pulcherrima, sed implumis. Eam mox cęteræ certatim invisunt: atque eas cum admiratione pulchritudinis miseratio simul incessit, quòd illa inopiâ pennarum cum alijs volare non posset. Quid fit? Cœtus auiũ cogitur, deliberatur quâ ratione consuleretur illi, ne inopiâ & nuditate interiret. Itaq; decretum fit, vt singulæ illi de suis plumis aliquid largirentur: largiuntur haud malignè. Quo magis autem plumis illa sese vestiebat, hoc formosior erat: itaque cæteræ certatim conferebant. Sed post quam illa se satis decoram & à cæteris avibus coli sensit, superbire, insolescere, reliquas aspernari: neq; despicere tantùm, sed rostro ferire & insectari cœpit. Indignatæ aves Concilium convocant: consilium meunt quid de ave tam ingrata & superba statuendum sibi esset. In eo Concilio sententia vicit quæ censebat, optimum fore, si singulæ plumas suas repeterent; quæ tantos illi spiritus fecissent. Extemplò igitur ad avem illam convolant cæteræ: superbiam & ingratitudinem exprobrant, plumas quæque suas evellunt, & nudam relinquunt. Ita vobis (*inquiebat, Papam & Cardinales alloquens*) haud dubiè eveniet. Nam vbi Cęsar cęterique Christiani Principes eripuerint vobis istas opes divitiasque, quas ipsorum liberalitate congestas, per luxum ac turpitudinem consumitis, nudi restabitis. Ecquis vestrum dicere audeat, Petrum aut Syluestrum 200. aut 300. equituum turmâ stipatum incessisse? quippe illi simplici cultu victuq; Romæ clausi & obscuri manebant. *Ita quidem ille: Verùm hæc eius παρρησία causa illi vinculorum fuit: nam Innocentius VI. eâ offensus, hominem in custodiam conjicere iußit, in custodiam conjicere iußit, in qua & periit, fato in an morte illatâ incertum: vt refert Frossardus in sua Historia lib. 1. c. 211. & lib. 3. c. 24.*

Non mirùm igitur videri debet, quòd, vt Hermannus Gigas refert, cùm præcepisset Constantinus, vt Decimæ omnibus Ecclesijs soluerentur dè omnibus rebus, in aëre audita vox fuit: Hodiè venenum infusum est Ecclesiæ. *Malleolus autem* De Nobilitate *affirmat,* manum in Laterano visam esse ad parietem, cunctis videntibus simul ac legentibus, scribere: Hodiè venenum Ecclesiæ infusurus: idque eo die factum esse cùm Constantinus I. Syluestro Papæ & Ecclesiæ Roman. dedisset palatium Lateranum, vrbem Romam ac Italiæ provincias. *Idem Nauclerus lib. 2. Generat. 11. asserit: ac colligit, non tam ad res donatas, quàm ad iurisdictionem secularem, & superbiam, quam*

diuitiæ pariunt, eam vocem, si tamen vnquam audita sit referendam esse.

CAPVT V.

BONA *Ecclesiastica* in quorum fuerint potestate à Constantini Magni temporibus.

B*Ona autem illa & reditus vndecunque, maximè tamen ex largitionibus, oblationibus, & contributionibus in vsum Ecclesiæ collectos, fuisse in custodia & cura Episcoporum, ea testantur, quæ Patres Synodi Alexandrinæ de Athanasio in Epistola ad omnes vbique Ecclesias referunt in Apologia 2. Athanasij. Idem etiam colligitur ex Socrate lib. 7. c. 25. Ex Canon. 7. Concilij Gangren.* in quo anathematizantur illi, qui oblationes extra Ecclesiam dare voluerint, præter Episcopi licentiam. *Idem sancitur in Aurelian. Synodo 1. anno 512. habita, c. 17. causa 10. q. 1. De his quæ Paroch. & rursum Aurelianensi Synodo 3. anno 539. celebrata c. 23. In Agathensi c. 36. & Aurelianensi 4. can. 11: Perspicitur hoc etiam ex Ansegiso libro 1. de legibus Francorum c. 143. vbi indicat,* Carolum Magnum constituisse, vt Decimæ sint in Episcopi potestate. *Et Canon. 8. Moguntinæ Synodi,* Episcopis potestatem dat, res Ecclesiasticas regendi & dispensandi: *Et Synodus Turonen. Episcopos hortatur,* vt magnam curam & solicitudinem circa pauperes habeant, & res Ecclesiasticas Ecclesijs collatas cautâ circumspectione dispensent. Dotem quoque & omnes redditus Ecclesiæ ad Episcopi ordinationem & curam pertinere, *sanxit Concil. Vuormatien. anno 868. habitum c. 6. & 55.*

Sed hanc consuetudinem graviter reprehendit Chrysostomus homil. 86. in Matth. ac queritur, Episcopos hoc modo in dispensatores, caupones, procuratores, publicanos & quæstores redactos esse. *Vnde in Chalcedonensi Synodo can. 26. cavetur,* nè Episcopis facultates Ecclesiasticas tractent, sed Oeconomis id onus imponant. *Et Ibas Edessenus Episcopus in eadem Synodo promittit,* se in posterum, secundum consuetudinem Antiochenæ ecclesiæ res curaturum per Oeconomos ex Clero ordinatos. *Hinc factum, vt Episcopi hoc onus imposuerint Presbyteris, & Diaconis: quos propterea vocárunt* Dispensatores & Oeconomos, *vt est videre apud Sozom. lib. 8. c. 12. Theodorum lib. 1. Euagrium lib. 3. c. 32. item lib. 4. c. 35. Concil. Bracarense primum c. 25. Hincmarum in epist. ad Tornacen. Ecclesiam.*

Hypodiaconos *verisimile est fuisse initio Diaconis attributos, vt eorum opera circa pauperes vterentur, illud tamen discrimen paulatim confusum fuit. Cumq; amplitudo facultatum nouam & exactiorem rationem administrandi postularet,* Archidiaconi *creari cœperunt: quanquam Hieronymus in epist. ad Nepotianum jam suâ ætate fuisse commemoret. Erat autem penes eos summa redituum possessionum, suppellectilis & quotidianarum oblationum procuratio. Vnde Gregorius epist. 10. lib. 1. Salonitano Archidiacono denuntiat,* reatu constrictum teneri ipsum, si quid ex bonis Ecclesiæ, vel negligentiâ, vel vllius fraude deperierit.

Quemadmodum verò Diaconi & Archidiaconi primitiuæ ecclesiæ omnia faciebant de consilio & voluntate Apostolorum & aliorum ministrorum: Ita post Constantini M. tempora Oeconomi isti seu Dispensatores præteritis seu inconsultis Episcopis, & si necessitas postularet Imperatoribus, Principibus alijsque Magistratibus nihil temerè agendum statuerunt.

Quòd igitur nonnulli Canones his ipsis temporibus editi, Episcopos nihilominus bonorum Ecclesiasticorum dispensatores faciunt, non ita intelligendum est, quasi ipsi per se eam solicitudinem gesserint: sed quia ipsorum erat præscribere Diaconis, qui in publicam Ecclesiæ alimoniam recipiendi essent: de eo quod residuum erat, quibus & quantum cuique erogandum esset: quia inspectionem habebant, an hi fideliter exequerentur, quod officij sui esset. Sed de eo non est disputandum longius, cùm ex plurimis Gregorij Epistolis constet, illo quoque tempore, quo aliàs Ecclesiasticæ ordinationes multum vitiatæ erant, hanc tamen obseruationem duràsse, vt Diaconi aliique sub Episcopo, pauperum essent Oeconomi, quibus sine Episcopi voluntate & licentia nihil vel parùm agere licuerit.

CAPVT VI.

De Origine ADVOCATORVM seu IVRIS PATRONATVS, *Germanicè* Kastvogteyen.

C*Rescente autem malitiâ cum numero Christianorum & multitudine bonorum Ecclesiasticorum, vt vel debita Ecclesijs difficulter persoluerentur, vel potentiores multis in locis Ecclesiasticis bonis, tanquam corui & vultures rapaces inhiarent, eaque ad se raperent & in suos vsus converterent, ministri verò Ecclesiarum aut ipsorum potentiæ resistere non possent, aut alioquin, Christum & Apostolos imitari volentes, cum nullo judicio contendere vellent: idcircò ad refrænandam illorum vim atque audaciam, decretum fuit in Milevitano Concilio sub Arcadio & Honorio quinto Coss. anno 402. habito, præside D. Augustino,* vt petatur à gloriosissimis Imperatoribus, vt jubeant judices dare peritos sibi Defensores Scholasticos, qui in actu sint vel in officio defensionum causarum Ecclesiasticarum, more sacerdotum, vt provinciæ ijsdem ipsi qui defensionem Ecclesiarum susceperint,

rint, habeant facultatem pro negotijs Ecclesiarum (quoties necessitas flagitauerit) vel ad obsistendum callidè decipientibus, vel obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi judicium secretaria. *Et in Carthaginensi Synodo 5. anno 420. celebrata, c. 9. in eandem sententiam statuitur*, vt ab Imperatoribus vniuersis auxilium petatur, propter afflictionem pauperum, quorum molestijs subinde vexetur Ecclesia, quo defensores ejus adversus potentias diuitum cum Episcoporum prouisione deligantur. *Hinc Originem habere puto* Ius patronatus Die Kastvogtey *Ecclesiarum & Cœnobiorum. Durauit hæc consuetudo in bonis vel rebus temporibus sine horum* Patronorum *Assensu aut Consilio quicquam decernere, & agere. Tandem verò cum Religio in diem declinâsset in superstitionem, & Episcopi alijque Ecclesiarum Præsules jam arma Mauortia tractare didicissent, & ita ditionibus opibusque essent collocupletati, vt vel potentissimis Principibus resistere possent, non raro etiam vltro ijsdem bella inferre auderent, mansit quidem vetus* Patronorum *nomen, omnis autem administratio opum seu bonorum Ecclesiasticorum rursus ad Episcopos devoluta & contorta fuit.*

Qua de re Auentinus in præfatione ad librum 6. Annal. ita scribit: Ante Paschalem 2. Mystæ, Monachi, Sacerdotes, Virgines, Sacratæ fœminæ, Episcopi, rebus diuinis, studio literarum, scribendis libris duntaxat operam dabant, rerum fluxarum caducarumque administratione contaminari & pollui se credebant. Pecuniæ igitur, prædiorum reiq; familiaris curam in procerum quempiam, qui vicinus aut author contubernij erat rejiciebant, à se verò relegabant. Illum Cæsar dabat, qui Sacerdotibus victum & vestitum, pauperibus inde alimenta tribueret, huncque Bogdov, Boëthum (*vnde nomen*) hoc est, patronum curatoremque vocabant. Primùm sub Paschale 2. immunitatem libertatemq;, amoto hujusmodi administratore, sacerdotes receperunt: polliciti quotannis Romano Pontifici aureum (quem Byzantinum vocant diplomata, Germanicè ein Ducaten) pensitare, facilè tùm Paschali de alieno largiente tributumque accipiente. *Idem auctor lib. 6.* Paschalis, *inquit*, Collegia & contubernia immunitate donat, & tributum annuum (sicut diplomata ejus ostendunt) imponit. *Et fol. 617. dicit* se reperisse Paschalem primò Collegia, licet ab aliis exstructa, immunitate donâsse.

Cæterum cùm mox sub ipsorum manibus opes istæ in extremè peruersum vsum venissent, nec spes vlla fuisset, vt Episcopi communicato cum Principibus consilio, secundum Scripturas omnia in pristinam & bonam formam vnquam restituerent, iustissimè prudentissimeque in hac postremâ mundi ætate multi sanctissimi Magistratus & Principes viri egerunt, quòd abusum multiplicem sustulerunt, & priscum illum genuinumque vsum quasi postliminio reuocârunt, institutis ad hanc rem grauiter gerendam Oeconomis seu Dispensatoribus, qui non sint auari, præfracti, inclementes, elati ac superbi, sed pij, frugales, fideles, liberales, tractabiles & prudentes, quibus Ministrorum & pauperum curam fideliter & diligenter commiserunt, à quibus quot annis, aut quandocunque placuerit, rationem exigunt in quem vsum & quibus exposita ac impensæ sint opes.

Cæterùm de hoc toto negotio audiamus obsecro Marsilii Patauini iudicium. Is igitur in Defensore pacis pro Ludouico IV. Imp. parte 2. c. 29. ante annos plus minus 250. ita scripsit. Moderni, *inquit*, Episcopi & præcipuè Romanorum, pro agris & secularibus dominiis fortissimè pugnant, & pugnas vndique inter Christi fideles concitant, dicentes se in hoc iura sponsæ Christi defendere, cùm tamen ipsius iura non sint, sed iniuriæ, veram sponsam, fidem videlicet, doctrinam & mores defendere, ne per prauos vsus aut actus, aut infidelium impetum corrumpatur, quasi totaliter negligentes. His ergo de causis, antiquis temporibus, huiusmodi officia & beneficia susceperunt Sanctorum aliqui, quibus siquidem convenienter renunciare possent moderni, ad minus in communitatibus fidelium. Sufficienter enim per principantes ab oppressionibus defenditur Clerus, quin imò vix ipse ab offensionibus in aliquos reprimi potest. Verùm talibus renunciare secularibus officiis, possessioni atque dominio temporalium, non est propositum modernorum pastorum, sed pro huiusmodi etiam armatâ pugnare potentiâ, non solùm habitis conseruandis, verùm etiam pro reliquis vsurpandis, sicut quilibet quàtumcumque rudis sensu, si non alio, doceri potest: vniuersitatem fidelium etiam quam plurimùm scandalizantes, ex hoc ambitionis exemplo, non attendentes Christi comminationem Matth. 18. Qui si tamen sponte huiusmodi officia iudicialia, & authoritatem distribuendi temporalia relinquere nolint, ipsisque abutantur, secundum divinam & humanam legem, licite possunt & debent Principes aut fideles legislatores eadem ab ipsis reuocare.

Apud Romanos quoque IVS PATRONATVS *quoddam fuit à Romulo institutum. An verò Christianorum Ius Patronatus de quo hic agimus, ab eo Originem habeat necnè, Lectori iudicandum relinquo. De illo Dionysius Halicarnassæus lib. 2. Antiq. sic scribit:* Romulus, *inquit*, postquam discreuit potiores ab inferioribus mox legibus latis præscripsit vtriusque quid faciendum: vt patritii Sacra curarent, Magistratus

Ius patronatus apud Romanos

stratus gererent, Ius redderent secum Rem-pub. administrarent, res vrbanas obirent: plebeii verò ab his negotiis immunes, quippe qui talium imperiti essent, nec vacaret eis propter inopiam, agros colerent, pecora alerent, exercerent quæstuosa opificia, &c. Commendavit autem Patritiis Plebeios, optione cuique è vulgò data, vt quem vellet Patronum sibi legeret: mos sanè Græcus & antiquus, quo diu Thessali vsi sunt, & Athenienses prisci, sed tum receptus in melius. Illi enim sæpe vtebantur clientibus opera eis iniungentes parum decora liberis, & si quando iussa non fecissent intentantes verbera & abutentes tanquam emptitiis. Hos Athenienses Thetas vocabant ob Ministeria, Thessali verò Penestas, exprobrantes eis fortunam ipso vocabulo. Romulus contrà & appellatione decorà cohonestauit hoc negotium, PATRONATVM nominans tutelam pauperum & humilium, & commoda vtrisque addit officia, excogitatà ciuili ac perhumanà copulà. Constabat autem Ius Patronatus officiis huiusmodi, iam inde apud Romanos durantibus. Patronos oportebat clientibus respondere de iure, cuius illi rudes essent, & absentium æquè ac præsentium curam gerere, facientes quicquid pro filiis parentes solentes solent facere, quod ad pecunias & contractus attinet, & lites pro affectis iniuria clientibus suscipere, si quis præter pacta detrimentum acciperet, & sustinere accusatoris impetum: & vt paucis dicam, quietem eis, quà maximè opus haberent, parare à priuatis publicisue negotiis. Vicissim Clientum erat Patronos inopes elocantes filias si his parum esset pecuniæ, & ab hoste captiuos redimere, vel ipsos, vel eorum filios. Priuatarum quoque litium perditarum æstimationes & mulctas publicas pecuniarias pro eis soluere, idque sumptu proprio, non quasi fœnoris loco, sed ob referendam gratiam: publicorum quoque impendiorum quæ Magistratuum honorumúe causâ fiunt esse participes non secus quàm coniunctos genere.

CAPVT VII.

De vero & legitimo vsu BONORVM Ecclesiasticorum.

Quis autem vsus istorum fuerit, aut esse debuerit, & qualis dispensatio, passim tum in Synodarum decretis, tum apud veustos authores reperias: nimirum, quicquid possidet Ecclesia, vel in fundis vel in pecunia, pauperum esse Patrimonium. Vnde Ambrosius epist. 31. lib. 5. claris verbis testatur, quicquid tunc possideret Ecclesia, sumptum fuisse egenorum. *Itaque subinde illic hac cantilena Episcopis & Diaconis canitur, vt meminerint se non proprias opes, sed pauperum necessitati destinatas attrectare: quas si malâ fide supprimant aut dilapident, rei sanguinis futuri sint. Vnde admonentur, cum summo tremore & reuerentia, velut in conspectu Dei, sine personarum acceptione, eas distribuere, quibus debentur. Hinc & illa apud Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, & alios similes Episcopos graues obtestationes, quibus suam integritatem apud populum asseuerant. Cùm autem æquum sit, & Domini etiam lege sanciatur, vt qui suam Ecclesiæ operam impendunt, publicis Ecclesiæ sumptibus alantur, nonnulli etiam eo seculo Presbyteri, Patrimoniis suis Deo consecratis, voluntarii pauperes facti essent, talis erat distributio, vt nec ministris deessent alimenta, nec pauperes negligerentur. Cauebatur tamen interim, ne Ministri ipsi, qui frugalitatis exemplum dare aliis debent tantum haberent, vnde ad luxum aut delitias abuterentur: sed duntaxat, quo suam inopiam sustinerent.* Qui enim bonis parentum sustentari possunt Clerici, *inquit Hieronymus*, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium committunt: & per abusionem eiusmodi iudicium sibi manducant & bibunt.

Principia autem libera & voluntaria fuit administratio: cùm sponte fideles essent Episcopi & Diaconi, & conscientiæ integritas, vitaque innocentia pro legibus foret. Deinde verò quùm ex quorundam cupiditate, vel prauis studiis nascerentur mala exempla, ad hæc mala corrigenda in Romana synodo 3. à Sylvestro I. Papa celebrata, si authori Conciliorum credimus, statuitur & definitur Sess. prima c. 4. nimirum, Redditus Ecclesiæ in quatuor partes distribuendos esse, quarum vna detur Ecclesiæ ad reparationē Templorum: altera Pontifici seu Episcopo ad sui suorumque sustentationem: tertia Presbyteris, Diaconis & toti Clero: quarta pauperibus, infirmis ac peregrinis. *Caranza Epit. Concil. fol. 50. & Sagittar. fol. 21. Sed neque huius neque aliarum synodorum à Sylvestro celebratarum probati Scriptores meminerunt, quales sunt Socrates, Theodoretus & Sozomenus, qui tamen Romanæ quoque Ecclesiæ Historiam scripserunt. Simplicius tamen qui Pontificatum Romanum tenuit circa annum* 474. *idem decreuit in Epistola ad Florentium. Et Gelasius I. in Epistola decretali 1. ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, Siciliam, c. 12. qu. 2. quatuor autem: idem repetit. Confirmatur à Gregorio Magno in Epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum, cuius fragmentum exstat c. 12. q. 2. Mos. Item lib. 12. indict. 7. Epistola 32. & lib. 11. indict. 6. Epistola 49. Confirmatur etiam in Bracarensi Synodo 1. c. 25. A Gregorio 2. in Epistola ad Clerum Thuringiæ. In Salzburgen. Synod. anno* 801. *habita. Et Vnormatiensi anno* 808. *celebrata, c. 7. A Gregorio 3. in epist.*

in epist. ad Germanos pro Bonifacio Germ. Apostolo, referente Auentino libro tertio, Annal. fol. 289.

Vbi obseruandum quod partem eam quæ Episcopo aßignatur, alij Canones peregrinis pauperibus adscribunt. Sed nihil impedit, neque enim partem illam propriam Episcopi esse volunt, vt vel solus ipse ingurgitet, vel quo libuerit profundat: sed vt hospitalitati, quam ab ordine illo Paulus exigit, sufficiat. Vnde Ambrosius epist.33.lib.5. dicit: Nihil Episcopum habere, quod pauperum non esset. *Atque ita interpretatur Gelasius 16. quæst. 3. vbi inquit:* Præsulum nostrorum auctoritas emanauit, vt facultates Ecclesiæ Episcopi ad regendum habeant potestatem: ita tamen vt viduarum, & pupillorum atque pauperum, nec non & Clericorum stipendia distribuere debeant. Hoc etiam eis statuimus dari, quod hactenus decretum est: reliquum sibi Episcopi vendicent, vt (sicut ante diximus) peregrinorum atque captiuorum largitores esse possint. *Et clarius etiamnum loquitur Gregorius 12. quæst.2.* Mos est, *inquit,* Apostolicæ sedis, ordinato Episcopo præcepta dare, vt de omni stipendio quod provenit, quatuor fiant portiones: Vna videlicet Episcopo & familiæ ejus, propter hospitalitatem & susceptionem: altera Clero: tertia pauperibus: quarta reparandis Ecclesiis. *Nihil ergo Episcopo in suum vsum capere licuit, nisi quod ad moderatum frugalemque victum ac vestitum satis esset. Quod si quis insolescere cœpisset, vel luxu, vel ostentatione ac pompâ, statim à collegis reprimebatur: nisi paruisset, honore abdicabatur.*

Donationes quoq. illæ magnificentißimæ amplißimaque à Clodoueo factæ Ecclesiis, in quos vsus conuertendæ sint, indicat can.7. Concilij Aurelianen. in hunc modum: De obligationibus vel agris, quos Dominus noster Rex, Ecclesiæ suo munere conferre dignatus est, vel adhuc non habentibus Deo sibi inspirante, contulerit, ipsorum agrorum vel Clericorum immunitate concessa, id esse justissimum definimus, vt in reparationibus Ecclesiarum, Alimoniis Sacerdotum, & pauperum refectione vel redemptionibus captiuorum, quicquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur.

Sancitum quoque tum fuit, vt Episcopi non singulis annis tertiam, & in tertio totam, quod aliquibus in locis fiebat, sed quotannis Quartam saltem, aut in quarto anno totam Decimarum partem recipiant: *vt etiam videre licet in Decret. Iuonis libro secundo. Atque hinc originem habere videntur* die Quarten der Bischoffen vnd hohen Gestiffte. Die Quarten der Gestiffte vnde.

In eadem Synodo Gallici Patres oblationes Fidelium ita distinxerunt: vt si quid à fidelibus offeratur Altari majoris Ecclesiæ, Medietatem sibi vendicet Episcopus: & sibi Clerus secundi gradus (*eiusdem videlicet, Ecclesiæ Clerus*) alteram. Sin verò quid aliis Parochiis oblatum fuerit, oblationum pars tertia tradenda sit Episcopo: duæ penes Ecclesiæ Clericos remaneant. *In Can. 17. & 18. Brixiensis, & alij aliter hoc tractant apud Gratianum, sed à vero canonum sensu aberrantes, qui sic sunt invicem conciliandi per Can.5. Aurelianen. tertiæ Synodi, post annos 50. à prima celebratæ. Non multo plures præterierant anni quàm centum, cùm & hæc pars oblationum tertia fuit Episcopis ablata per Concilium Bracaren. 2. Et integræ seruantur Oblationes Presbytero, qui curam gerit illius Altaris & loci, quo deferuntur. Et rectè quidem Quid enim iam nimiùm ditibus Episcopis cum pauperibus suis Chorepiscopis, id est, vicnlorum regionumque cu- itoribus & Parochis? Hæc Ioannes Quintinus in explicat.can.7. Gangrensis Concilij. Sed vbi pauperum interim ratio habetur? Similiter Martianus, quem Gennadius Constantinopolitanus suæ ecclesiæ Oeconomũ seu dispensatorem constituerat, instituit,* vt quæ in quaque ecclesia muneris loco offerrentur, ea loci cuiusque Clerici ferrent: cùm ad id tempus Ecclesiæ parochiales seu cathedrales dona eiuscemodi omnia tulissent, *vt Nicephorus indicat libro decimo quinto, capite vigesimo secundo. Abbas Ansegisus, qui sub Ludouico Caroli Magni filio vixit in libro de Caroli & Ludouici legibus, tradit,* suo seculo bona, collata Ecclesiis, ita partita fuisse, vt si ditiores essent ecclesiæ, pauperum vsui partes duæ: si tenuiores, æquis partibus inter Clerum & pauperes dividerentur. *Vadianus in Aphoris. fol.* 198. vide locum. *Auentinus libro 4. Annal. fol.* 368. d can. de hist. & seq. 10. q. 1.

In hunc vsum Decimas quoque soluendas esse, Concilium Tiburiense anno Domini 895. habitum, decernit c.13. quod sic habet. Decimæ offerendæ sunt à populo, vt hac ratione Deus placatus largius præstet quæ necessaria sunt, & vt ministri Ecclesiæ exinde releuati liberiores fiant ad spiritualis officii expletionem & vt munus populi ex hinc in quotidiana oblatione Domino immoletur, nec non secundum statuta canonica in sustentationem pauperum & restaurationem Ecclesiarum proficiant. Quatuor enim fieri partes, iuxta canones, iudicamus de Decimis & oblationibus fidelium, vt vna sit Episcopi, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta restaurationi Ecclesiam seruetur, *sicut in Epistola Gelasij Papæ 27. legitur.*

BONA

si Episcopus tertiam partem, quæ sibi de oblationibus debetur, aut ipsi Ecclesiæ vnde habet, aut alteri quasiu elegerit, velit conferre ratum ac firmum habeatur. *Carranza in Epitome Concilior. hic ad marginem addit*: Nota (*inquit*) quòd hic nulla fit mentio consanguineorum, sed tantum ecclesiarum ipsius. *In Synodo Nicæna 2. anno* 788. *celebrata statuitur capite* 12. Si quis Episcopus vel Monasterii præfectus, ex Episcopatûs vel Monasterii agris, in Principis alicujus aut Magistratûs manus alienet aliquid, vel alteri personæ tradat, vt ea traditio sit nullius momenti. *Item*: Ne liceat ex hujusmodi bonis quicquam sibi vendicare, vel propriis cognatis elargiri. Sed si sint pauperes, vt pauperibus suppeditet, non autem eorum prætextu res Ecclesiæ venundet. Sin autem detrimentum afferre causetur, nec quicquid ex agro emolumenti percipi, ne sic quidem Magistratibus aut Principibus, qui sunt in eo loco, venundet prædium, sed clericis vel agricolis. Si autem aliquâ improbâ calliditate vtentur, & ab agricola vel Clerico agrum præses vel Magistratus emerit, sic quoque nullius sit momenti venditio, & Episcopatui vel Monasterio restituatur. Qui secus fecerit, si sit Episcopus vel Monasterii præfectus exturbetur ab officio. *Aquisgrani Synodus habita fuit sub Pipino Ludovici filio anno* 829. *in qua multa decernuntur contra eos*, qui negabant peccatum esse res sacras Deo & Ecclesiæ donatas ad alios vsus conferre *tomo* 3. *Concil. fol.* 428. *& sequentibus. In Concilio generali* 8. *Constantinopoli anno* 870. *habito, capite* 15. *decernitur*, vt Episcopo vendere vel vtcunque alienare vasa, aut vestes sanctas, nec vllas rusticas possessiones venundare liceat, ne propter hoc Ecclesiastici redditus lædantur. *Eodem Concilio can.* 18. *præcipitur*, vt res quas Ecclesiæ ex longa consuetudine habeant donatas, & ab eis 30. annos possessæ sint, nequaquam à seculari potestate eis subtrahantur: qui contra fecerit, sit sacrilegus. *Et Carolus Calvus in epistola ad clerum Ravennatam scribit*, Episcopos & rectores monasteriorum, ac rerum seu facultatum Ecclesiasticarum dispensatores, eas non vt proprias, sed vt vota fidelium, precia peccatorum, stipendia servorum Dei & pauperum, debere fideli devotione tractare.

Observantes sunt Clerici affecti erga Magistratus.

In Moguntina Synodo 888. *habita capite vndecimo* in vasores prædiorum Ecclesiæ infamiâ, anathemate & exilio jubentur puniri. *In provinciali quadam Synodo Galliæ à Carolo simplici habita, decernitur circa annum Domini* 905. bona ecclesiastica sancta esse debere, quæ nefas sit politicis vitiis abalienare, atque in profanum vsum convertere. *P. Æmilius in vita Caroli simplicis. Vrbanus II. in Synoda Claramontana anno* 1095. *statuit*, vt Laicus nec Decimas vendat, nec retineat. *Vincent. libro vigesimo sexto, capite* 91.

In Lateranensi Concilio sub Alexandro III. habita anno 1180. *statuitur quoque*, ne Laici decimas Ecclesiarum in alios Laicos possint aliquo modo transferre. Si quis verò receperit & Ecclesiæ non tradiderit, Christianâ sepulturâ privetur. *cap.* 24. *Et capite* 19. *sancitur*, Ne rectores & consules ciuitatum Ecclesiis onera imponant, & grauibus crebrisque exactionibus eas premant: ita vt siue fossata, siue expeditiones, siue quælibet alia sibi arbitrentur agenda, de bonis Ecclesiarum, Clericorum & pauperum Christi vsibus deputatis, circa hæc Ecclesiis non sint oneri & molesti. *In Turonensi Synodo anno* 1163. *ab Alexandro III. habita, præcipitur*, vt quisquis alicui Laico ecclesiam Decimamúe concesserit, excommunicetur. *Aventinus libro* 6. *Annal. In Synoda quadam Alemania celebrata anno* 1224. *sancitur*, si fundatores Ecclesiarum, vel hæredes ipsorum, partem Decimarum, vel aliorum proventuum Ecclesiasticorum, in quibus jus habent patronatûs, sibi retineant ex pacto, & nihil-ominus repræsentent Clericos ad easdem anathemate feriantur; cum Clericis qui ita ecclesiis repræsentantur, & terra ipsorum interdicto Ecclesiastico subjaceat. *tom.* 3. *Concil. Edita quoque sunt aliquot decreta hac de re in Calanien. Synodo anno* 1266. *habita.*

De abusu BONORUM Ecclesiasticorum.

C*Æterùm contra hæc decreta pia alioquin gravissimè peccârunt, primò ipsimet Episcopi, Sacerdotes & totus denique Clerus, qui hujusmodi bonis ad necessarium, vel etiam liberalem vitæ vsum, victum cultumq́; corporis collatis, impiè nefarieq́; ad fastum, ad pompam, ad superstitionem, ad templorum ædificationem & exornationem immodicam, ad libidinem, ad gulam & ebrietatem, ad corporis voluptates abusi sunt, neglectis interim pauperibus. Ac ne quid privato affectui indulgere hic videar, testes horum sistam qui apud ipsas etiam Pontificios in magna authoritate semper fuerunt. Nam de impio bonorum sacrorum abusu, Hieronymus suis temporibus gravissimè conquestus est epist.* 2. *ad Nepotianum, ubi contra luxum clericorum agit qui jam tum invaluerat*: Nonnulli, *inquit*, sunt ditiores

Hieronymus.

Nn Mo-

Monachi; quàm fuerant fęculares Clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas, sub locuplete & fallaci Diabolo non habuerant, ut suspiciat eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit antè mendicos. *Et paulo post:* Turpe est, *ait*, ante fores Sacerdotis Christi crucifixi & pauperis, & qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores Consulum & milites excubare, judicemq; provinciæ melius apud te prandere, quàm in palatio. *Quid sanctissimum virum dicturum putas si hodie viveret & intolerabilem abusum bonorum Ecclesiasticorum, fastumq; immanem Clericorum cerneret?*

Bernhardus. *Audimus eadem de re conquerentem Divum Bernhardum in Oratione ad Clerum in Concilio Remensi congregatum habita anno Christi* 1144. *in ea*, Quomodo verò, *inquit*, seculares non expenderent substantiam suam ad vitam luxuriosam etiam præsentibus Sacerdotibus? quomodo non intenderent vanitatibus & lenocinijs hujus seculi? quomodo non essent insolentes & elati, cùm tantum fastum, tantam insolentiam videant Sacerdotum? Nónne in præsentia eorum irreverenter abutimini eleemosynis pauperum? De patrimonio crucis Christi non paratis codices in Ecclesijs, sed pascitis pellices in thalamis vestris, impinguatis carnes, adornatis equos phalerantes pectora & capita deaurando. En tempora ista planè fœda à negotio perambulante in tenebris. Quapropter væ generationi huic à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis, si tamen hypocrisis dici debet, quæ jam latere præ abundantia non valet, & præ impudentia non quærit. *Et mox:* Ministri Christi sunt & serviunt Antichristo, honorate incedunt de bonis Domini, cui honorem non deferunt. Inde est eis quem quotidie videmus meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frenis, aurum in sellis & calcaribus. Plus nitent calcaria quàm Altaria. Indè mensæ splendidæ & cibis & poculis. Inde commessationes & ebrietates. Inde cithara & lira & tibia, redundantia torcularia, promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria. Inde referta marsupia. Hujusmodi sunt & volunt esse Ecclesiarum Præpositi, Decani & Archiepiscopi. Omnes quærunt quæ sua sunt, diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornati, circumamicti varietate, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nónne si quempiam talium repentè eminus prodeuntem, aspiceres, sponsum potius putares, quam sponsæ custodem? Unde verò hanc illis exuberare æstimes rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem vasorum aureorum & argenteorum, NISI DE BONIS SPONSI? Interim hæc pauper, inops & nuda relinquitur, facie miserandâ, incultâ, hispidâ & exanguis. Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare, non est custodire, sed perdere, non est defendere sed exponere, non est instruere sed prostituere, non est pascere gregem Domini sed mactare & devorare, &c.

Nota abusus bonorũ Ecclesiæ immanis.

In Monasterijs quoque opes luxu immoderato, inhonesto ac turpi, exhauriri, dissipati, consumi ac disperdi idem Pater graviter in Epistola ad Guilhelmum Abbatem conqueritur: Fercula, *ait*, ferculis apponuntur, & pro solis carnibus, à quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. Cumque prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi nec dum gustâsse pisces. Tantâ quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis devoratis, prima non impediant novissima, nec satietas impediat appetitum. Palatum quippe, dum novellis seducitur condimentis paulatim dissuescere cognita, & ad succos extraneos, veluti adhuc jejunum, avidè renovatur in desideria. Venter quidem dum nescit oneratur, sed varietas tollit fastidium. Quia enim puras (quas natura paravit) fastidimus epulas, dum aliæ alijs multifariè permiscentur, & spretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula provocatur saporibus: transitur nimirum meta necessitatis, sed necdum delectatio superatur. Quis enim dicere sufficit quot modis (ut cætera taceam) sola ova versantur & vexantur, quanto studio evertuntur, subvertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur, & nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farsa, nunc mixtim, nunc sigillatim apponuntur? Ipsa deinde qualitas rerum talis de foris apparere curatur; ut non minus aspectus quàm gustus delectetur, &c.

Et in Sermone 23. *in Cantica*, Timeant clerici, *ait*, timeant ministri Ecclesiæ qui in terris Sanctorum quas possident tam iniqua gerunt, ut stipendijs quæ sufficere debeant minimè contenti, superflua quibus egeni sustentandi erant impiè & sacrilegè sibi retineant, & in usus suæ superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur: duplici profectò iniquitate peccantes, quòd & alie-

& aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus ac turpitudinibus abutuntur.

Marsilius Patavinus.

Marsilius quoque Patavinus in Defensore pacis Dictione 2. capite 24. indicat, quàm turpiter suo tempore Ecclesiarum Præsules bonis Ecclesiasticis abusi fuerint: Quid, *inquit*, de temporalium dispensatione dicemus, cùm debeant Ecclesiasticorum Ministrorum sufficientiæ, residua pauperibus, impotentibus, aliisque personis miserabilibus dispensari? quod neminem latet. Sed illi invenerunt novum eleemosynæ modum. Nam in mercenarios milites, equites & pedites, & ad pugnas inter Christi Fideles concitandas & continuè fovendas, ut eos tandem suæ subjiciant tyrannicæ potestati, insumunt. Breviter ex illa plenitudine potestatis universum corpus Ecclesiæ infectum est. Omnis Ecclesiasticæ œconomiæ prævaricatus est ordo, & omne civile regimen impeditum simpliciter aut in parte turbatum, cùm tamen hujus Episcopi & ipsius Ecclesiæ sive Collegij sermones & opera constituta sunt velut exemplum omnium aliorum. In quos siquidem velut quæso fideles convertant lumina quodam dudum honestatis sophisticæ plurimorum ex ipsis obumbrata velamine cernent se ipsis limpide qui Romanæ curiæ imò verius cum veritate dicam domus negociationis & ea quæ latronum horribilioris speluncæ limina visitârunt, aut qui ab hac abstinuerunt numerosæ fide dignorum multitudinis relatione discent, eam penè sceleratorum omnium & negotiatorum tam spiritualium quàm temporalium receptaculum esse factam. Quid enim aliud ibi quàm Simoniacorum undecunque concursus? Quid aliud quàm Causidicorum strepitus, & caluminatorum insultus & justorum impulsus? Ibi periclitatur innocentum justitia, vel in tantum differtur si eam pretio redimere nequeant, ut tandem exhausti innumerisque fatigati laboribus justas & miserabiles ipsorum causas cogantur deserere. Ibi namque alte intonant leges humanæ, silent aut rarius resonant divinæ. Ibi tractatus & scrutinia inuadendi provincias Christianorum & per armatam & violentam potentiam obtinendi & eripiendi ab his quorum custodiæ licite sunt commissæ. Acquirendarum animarum nulla solicitudo neque consilia, & adde quod ibi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat. *Et quæ sequuntur. Nam his subjungit multo acerbiora. At intra* C C. *interim Annos omnia reddita sunt longe deteriora imò deterrima.*

Consistorium & forum Romanum.

Incorporationis origo.

Et quidem ut nunquam deessent pecuniæ in tam nefarios usus, INCORPORATIONUM *voraginem sancti illi, si Dijs placet, viri excogitârunt; quæ torrentis instar cuncta raperet, ageret, rueret ac prosterneret, quæ adhuc sana ac salva in Ecclesia essent. Pingues enim tauri Basan, hoc est, Cardinales, Episcopi, Abbates, Præpositi & Canonici, boves triturantes à præsepi ejecerunt, & miseros tantùmnon macie ac fame confecerunt. Nam decimas aliosque proventus seu redditus & fructus Monasteriorum & Ecclesiarum, quas in* Commendam *(ut vocant) acceperunt, ad se rapuerunt, ijsque ad fastum, ad pompam, ad libidines, ad luxum, ad omnia denique scelera abusi sunt. Hinc factum est ut non solùm Monasteria direpta, spoliata, atque ita attenuata & exhausta fuerint, ut cùm ante hac in uno illorum quadraginta, quinquaginta aut plures satis commodè foveri, nunc ægerrimè quinque necessarijs vitæ subsidijs provideri potuerit: sed Ecclesijs quoque maximum inde damnum ac detrimentum illatum sit: sacerdotibus enim, quos Parochijs præfecerunt tutores isti egregij, vel nihil dederunt. vel tam parum, ut vix suem inde enutrire potuisses, cùm ipsi interim in otio & rerum omnium abundantia saginati, incrassati, impinguati & dilatati fuerint.*

Ex hoc fonte multi & horribiles errores in Ecclesiam irrepserunt: Famelici enim isti Sacerdotes Codro pauperiores, ut aliquâ ratione famem sedare potuerint, anniuersarios dies, parentalia & animarum commemorationes celebrandas docuerunt: Templa, Sacella, Aras & Vigilias ut instituant mortales inculcârunt: dedicationes, Missas, collectas publicas seu Oblationes, confessiones & nescio quæ alia facienda subinde pro suggestu clamârunt, hæc eorum fuit cantilena, huc omnem suum sermonem direxerunt, huc omnia instituerunt, in his fuerunt toti nequid usquam decederet: adeoque ex his palustribus & limosis pabulum quæsiuerunt, quùm fructus omnes à validis ac robustis tauris, seu onagris verius, essent prærepti.

De tempore verò quo malum hoc in Ecclesia exortum est, Auentinus lib. 7. Annalium hæc tradit: Ioannes 22. mystis invitis Episcopos imposuit. Illi ut symmystas placarent, parochias ipsis tributarias fecêre: hospitalitas tum abolita est: quod in alimenta pauperum ante distributum, in ornamentum cultumque parietum atque pompam versum est. Tum privata Sacrificia, Sacrificularios Pontifices, Sacrilegia, Compilationes, peculatus (ut tum autumabant) Templorum, & sicuti nunc vocant, Incorporationes & Absentias invaluisse reperio. *Hæc Auentinus. Nemo verò nescit hoc, efferatiorem & intollerabiliorem Ecclesiis esse Incorporationis rapinam quàm Simoniam, quòd hæc velut*

ex pacto agens vsum fructum emit & vendit, illa autem nullâ juris formulâ intercedente, solo præsulum consensu non emit, sed adimit, nec solvit, sed vendicat, præterea testamenta & legationes piorum hominum, dispensâ conscientiâ, tollit & violat.

Pontifices Romani sacrilegi.

Neque verò turba Episcoporum aliorumque præsulum Ecclesiarum hoc fecit solùm, sed ipsi Pontifices Maximi, Patres sanctissimi, & Christi vicarij. Ioannes enim, qui ab omnibus 12. præter vnum Platinam, vocatur, monstrum hominis, de Pontificatu, malis artibus acquisito, eiectus, meretrices, cum quibus commercium habuerat, instigauerat, vt nobiles Romanos, promissis Ecclesiæ thesauris, concitarent, vt ipsum rursus in vrbem susciperent: quod & ipsi statim fecerunt. Bonifacius VII. etiam circa annos Domini 976. relinquere vrbem coactus, ob Pontificatum malis artibus adeptum, thesauros & pretiosissima quæque è Basilica D. Petri subtrahens Constantinopolim confugit: vbi tamdiu substitit, quoad diuenditis, quæ Sacrilegio abstulerat, magnam vim pecuniorum comparâsset, quibus tanquam admoniculis occupandæ Tyrannidis fretus, vrbem repetit, ciues Romanos largitione corrupturus. Obstabant conatibus eius viri boni, maximè verò Ioannes Diaconus Cardinalis, quem captum, adiuvantibus quibusdam perniciosis hominibus, oculis statim priuauit. Ecce Pontifex Romanus Sacrorum Pater & Rex: Sacra ipsa furto abstulit: & qui vindicare Sacrilegia debuerat, tanti Sacrilegii factus est auctor. *Verba sunt Platina. Gregorius VII. Papa ad pacandos Romanos, cùm post deuictum Rodolphum, quem Imperatorem contra Henricum IV. salutârat, eorum metueret offensionem, circiter centies mille auri libras, passim ex Templis surreptas, distribuit, vt Hedio indicat parte 3. Historia Ecclesiastica libro nono, capite decimo quarto. Bonifacius IX. fundos Ecclesiæ Rigensis, quæ Ordinis Augustini regulam sequebatur, per quindecim aureorum millibus vendidit. Theodoric. à Nyem lib. 2. de Schism. cap. 16. Gregorius XII. Venditis Monasteriorum possessionibus magnam pecuniæ vim collegit. Ibid. Pius IV. fundis Monasterij, S. Sabbæ distractis, pecunias inde conflauit, & fœnori exposuit. Onuph. in Pio IV. Clemens VI. Pontifex Aueniониresidens, licentiam dedit his, qui Neapolim duci Andegauensium defendebant, vt venderent vasa aurea & argentea Ecclesiarum conflata, quo stipendia possent militibus conductis dare: vnde notabile detrimentum illatum est Ecclesiis: Antoninus tit. 22. capite 2. §. 14. Cumque Carolus Vngarus, quem Vrbanus VI in regem Siciliæ coronauerat, pecuniâ, neruo belli, destitueretur, Pontifex Vrbanus Templa pleraque Romæ spoliauit, Calicibus, Crucibus, Imaginibus Diuorum argenteis & aureis conflatis, ad cudendam monetam pro Carolo, & sustinendos belli sumptus, referente Mutio libro 26. Histor. fol. 291. Pars quoque eius pecuniæ quam Richardus Rex Angliæ, hortante Vrbano, ab Ecclesiis extorserat, Episcopo Londinensi data fuit, vt in Hispania bellum aduersus Clementinos gereret: altera Nordwicensi Episcopo attributa fuit, cum exercitus parte, quâ bellum Galliæ inferret, quæ Clementis partium erat. In valida etiam illa expeditione Caroli V. in Pannoniam, anno 1532. facta, cùm ærarium Pontificij Imperij penitus exhaustum esset, in senatu Romæ decretum fit, vt quinque decumæ Sacerdotiis imponerentur: quæ res minores Sacerdotes, sacratasque Virgines, & Sacras hospitales domus vehementer afflixit: nam exactores incredibili acerbitate humana & diuina omnia perturbabant, adeò vt plerique Sacerdotes Templa desererent: & passim sacrata Vasa & antiqua donaria conflarentur: erant & qui prædio dicata Altaribus venditarent, vt decumæ soluerentur. Interim tamen Cardinales, qui opima sacerdotia possidebant, immunes evaserant, quasi illis ad tuendam Rom. aulæ amplitudinem de solito vitæ splendore nihil remittere moderarivé liceret, quùm ex adverso plerisque egentibus ultima vitæ alimenta raperentur. Iovius libro trigesimo Historiarum.*

Et ut summatim dicam ingentes illi thesaurorum cumuli ex Annatis *sive* Vacantiis: *ex præventionibus, resignationibus in favorem, commendationibus, dispensationibus, ætatis, ordinis, irregularitatis, vitij corporalis: Item ex gratijs expectativis, ex devolutionibus, ex beneficijs vacaturis. ex privilegijs, exemptionibus non visitandi, vel per procuratorem visitandi homologationibus concordatorum, transactionibus seu beneplacito Papæ factis, permutationibus beneficiorum cum dispensatione, mandatis Episcopalibus, expeditionibus in forma ratione congrui, creandis protonotarijs & notarijs Apostolicis: cum coadiutoribus, literis majoris aut minoris justitiæ, dignitatibus secularibus, ecclesiasticis, novis fundationibus, vel immutatione antiquarum, vel reductione regularium Monasteriorum in secularem statum, vel restitutione in integrum: pro fructibus percipiendis in absentia, pro legitimationibus, altaribus portatilibus, pro non obstantiis, pro indultis clericorum secularium, pro revocationibus & reductionibus, pro Toleramus, sive Tolerantiis Concubinarum, pro rescriptis ad lites, thesaurorum, inquam, cumuli his aliisque infinitis modis in Cameram Apostolicam collecti, non ad Dei honorem convertuntur, sed Pontifices Romani vel in usus bellicos ad stabiliendam immanem suam Tyrannidem, & opprimendos verè fideles, vel ad locupletandos suos nepotes, sic enim honesto nomine ab adulatoribus Paparum vocantur: quos tu*

rectius

Digitized by Google

rectius & verius ipsorum liberos seu spurios dixeris, nefariè abutuntur.

Seculares Sacrilegi.

Sed & abusi sunt bonis Ecclesiasticis seculares quoque seu politici viri, qui ea vel ad se rapuerunt, vel in alios usus transtulerunt. Carolus Martellus Ecclesias bonis suis spoliavit, & in sumptus bellicos contulit. Hinc nugatur Chronicon de Ducibus Bavariæ, Papam, Chronicon verò Martini Eucherium Amelianen. Episcopum, vidisse in somnis animam Caroli in inferno : apertoque monumento ejus, serpentem miræ magnitudinis repertum esse. *Et Balæus Centur. 2. in capitis 5. Appendice refert*, Monachos hoc per literas Pipino significâsse. *Quod in eum finem factum esse facilè colligi potest : ut edictum ejus de bonis Ecclesiasticis ad sumptum belli enervarent. Verùm Aventinus libro 3. Anal. somnium hoc refutat, eo quòd Egidius Martellum ab omnibus peccatis suis absolvisset : & Eucherium ob invidiam Caroli, à quo remotus ab Episcopatu fuerat, hoc totum confinxisse affirmat. Cùm Carolus Magnus vicisset Saxones, Ecclesiam ædificavit primam in ea provincia Episcopalem, cui præfecit Wilhonem, Frisium origine, eiq; de provinciæ proventibus assignavit, unde cum clero suo viveret. Ferunt autem indictas populo Decimas de more Christianorum, non provenisse Pontifici illi primùm, sed regijs præfectis, ut stipendia inde militibus, & sumptus facerent crebrarum in eam gentem expeditionum.* Tributorum enim nomen horrebat libertati assuetus populus, sed Decimarum exactionem recusare non poterat. *Cranz. libro 1. capite 2. Metropolis. Addit ibi ibidem author*, annales testari hinc ortum, ut in Saxonia & alibi multarum Decimarum exactiones sint in manibus Laicorum. *Ipse verò aliam huic rei causam accessisse conjicit :* Cùm enim non satis fiderent Pontifices sua jura ab Laicis Principibus tueri, dedisse *arbitratur* partem Decimarum Principibus in manum per speciem feudi & beneficij, malentes amittere dimidium quàm totum : inde factum, ut à Principibus transirent in Ministeriales, qui nunc militares appellantur. *Cranzius ibidem.*

Vnde Decimæ pervenerint in manus laicorũ.

Vera autem esse quæ Aventinus hic refert, ex ea oratione apparet quam Fridericus 1. Imperator in celeberrimo Imperij cætu, Gailenhusæ congregato, habuit, in qua inter alia inquit : Quod ad vos pertinet Pontifices, arbitratur *(Papa)* indignum, Decimas, quæ Altaribus & personis Ecclesiæ dedicatæ noscuntur à laicis obtineri : nec vult intelligere, olim Ecclesias varijs afflictionibus laborantes, à laicis personis defensas, tum in beneficium remunerationis, quas abundè tenuerant Decimas, in parte dimissas. Et quomodo indignum judicabitur, si quis Ecclesiæ militans Ecclesiæ stipendijs foveatur? *Cranzius libro sexto, capite quinquagesimo secundo. Saxon. Pontifices Bavariæ sacras Sericas & laneas Vestes, opes Templorum, Vasa Ecclesiastica, signa divorum aurea & argentea, Vngaris contribuerunt, ac pacem ab eis redemerunt, Aventinus libro quarto Annalium. Philippus Rex Francorum annuam decimam Ecclesiasticorum bonorum in bellum sacrum convertit, quæ postea Sol*dani decima *nuncupata est, Gaguinus libro sexto, de Francis. Cùm in direptione urbis Cajetanæ in Neapolitano regno sitæ, omnia Templorum & Altarium ornamenta, quæ religiosi quidam homines voto pro salute suscepto, Dijs suis exolverant, ablata etiam essent, Belcarij jussu, qui Magister quæstorum in Gallicanis castris fuerat, in Scyphos & pateras omnia ea sunt conflata. In obsidione urbis Florentinæ à Carducio Dictatore decretum indictum fuit, quo è fanis cuncta donaria tolli atque divendi jubebantur, inter quæ præter auream crucem prægrandibus gemmis ornatam, quæ erat in delubro D. Ioannis, etiam fuit Mitra illa insignis pretiosissimis redimita gemmis, quæ à Leone Pontifice Templi maximi Altaribus dicata consecratáque erat, Iovius libro vigesimo octavo histor. Cumque à Ferruccio duce Florentino Valaterra essent recepta, donaria dicata ibi antiquitus Templis, & religiosè usque in eam diem custodita abstulit, & res pretiosas carioresque civium in ipso belli metu in Virginum Cœnobijs absconditas, suam esse prædam dixit, denunciatâ capitis pœnâ his, qui abdita biduò non revelassent. Imò calatâ argento Altarium frontalia, atque abacos cum Candelabris & Calicibus conflari jussit. Postremò divorum eorum, quos tutelares existimabant ejus urbis, Octaviani scilicet atque Victoris argentea Simulachra, quibus vera capita ipsorum Martyrum includebantur, ad hastam venalia in foro proposuit, &c. Vide Iovium libro 30. histor.*

Soldani Decima.

Veneti quoque in expeditione quadam Turcica quinas decumas ex sacris redditibus Sacerdotum ordini imposuerunt, ut ex ea pecunia remigibus stipendia præberentur. Iovius libro 33. historiarum. Rentius Venetorum Dux anno Christi 1513. Bergomi campanas Templorum turribus detraxit, & conflavit : earumque metallo ad fundendas colubrinas bellicas usus est, Iovio auctore lib. 12. histor.

Hæc propterea pluribus commemoro ut intelligant Pontificij, quàm iniquè Christiani Principes & Magistratus, qui bonorum & redituum Ecclesiasticorum abusu, ad normam verbi Dei; & canonum Conciliorum primitivæ Ecclesiæ, in ordinem redegerunt, furti Sacrilegijq; hactenus accusati fuerint : quùm ipsi interim ter Sacrilegi ijs per fas & nefas ad omne scelus pro libidine sua abutantur. Licet Evangelicorum non-

nullos etiam non omni culpâ liberare velim, qui primùm bona Ecclesiastica sibi vendicârunt ceu sua, iisque partim latam sibi faciunt ditionem, partim arces atque ædificia struunt, partim thesauros augent, partim gulâ & crapulâ absumunt, neglectis interim aut perparcè habitis ministris Ecclesiarum & pauperibus. Deinde Oeconomos ijs præficiunt duros simul ac rigidos, qui malint derogare quam erogare. Sed reddent hi infideles dispensatores Domino bonorum istorum gravissimam in die judicij ultimi rationem.

Quod si quæratur, sitnè ille contractus, ceu Simoniacus, irritus habendus juxta decreta Conciliorum quæ commemoravimus, quæque descripta exstant 13. quæst. 1 & extr. de præscriptio. cum causam, & 1. quæst. 3. Altare. quo decimæ aliaque Ecclesiarum bona vel venditione, vel alio modo in manus Laicorum perveniunt? Respondetur, Quoniam ab his Canonibus discessum sit, & aliæ decimæ sint emptæ, aliæ hæreditario jure, aliæ alio modo acquisitæ: nonnullæ etiam ab ipsis Parochiarum Præsidibus certâ quadam conditione traditæ Magistratibus, aut etiam hominibus privatis: nullo jure posse ab ijs, qui jure possident, ad Parochias iterum transferri, nisi precibus & pecunijs redimantur.

CAPVT VIII.

BONA à Laïcis *absque* Principis, *aut* Politici Magistratûs permissu, authoritate & licentia, ad Personas Ecclesiasticas nulla alienatione transferri posse & debere.

U*Niversa hujus mundi regna in varijs Orbis partibus, à solo Deo Opt. Max. In determinata & discreta sunt. Falsò enim Diabolus, mendaciorum Pater, asseruit, suum esse, summam fortunam & regna dono dare: nec enim jus vllum ei est in mundi Imperium, vt nec in Dei Templum, ne in primogenituram Ruben à Iacobo prognati, nec in primogenituram Levi filij Israël, nec in duplex os Sacerdotum: vt nec etiam jus habuit in veterem Iudaicam, nec in novam Christi Ecclesiam. Itaque certum est, neque Reges, neque Magistratus, qui Dei Ministri ab Apostolo Paulo vocati sunt, ab alio pendère quàm à Deo, in cujus rei fidem pulchrè Irenæus Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus, mundi Principes indumento justitiæ amictos dicit, leges habentes, de quibus, cùm justè & legitimè fecerunt, non interrogabuntur, neque pœnas dabunt: si qua verò ad eversionem justi iniquè, & contra legem, & more Tyrannico exercuerint, in his judicio Dei reseruantur. Deo nempe soli peccantes, de his, quæ Regibus à Deo commissa sunt, Deo rationem reddunt. Sic Rex Deo dilectus in Psalm. 50. dicit:* Tibi soli peccavi Deus. *Ita & Rex Francorum in regno suo Imperator est: & quia à Deo immediatè suum Diadema, suum Sceptrum, suum denique Regnum obtinuit: Idcirco Dei gratiâ Rex dicitur: nec ullum in temporalibus superiorem agnoscit, præter Supremum illum* MONARCHAM DEVM. *Patronus etiam ac Fundator præcipuus est omnium Franciæ Ecclesiarum. Multa præterea eius prærogativæ; multa illi privilegia; plurima indulta à summis Pontificibus concessa, vel potius agnita: denique ad eum pertinet bonorum, immunitatum, libertatum, pacifici status, honestatis, recti ordinis, disciplinæ atque integritatis Ecclesiasticæ protectio atque custodia. Verùm inter plurima huiusce Potestatis jura, illud præclarum est, quòd Ecclesiasticæ personæ & Religiosi, quos Homines manus mortuæ nostri vulgò appellant, qui prædia sine Regis licentiâ possidere non possunt, quæ quidem eis sacro diplomate conceditur, & id est quod vocamus* Amortissement. *Quod jus non modò apud Gallos, sed & in Hispania locum habet: cuius rei testis est Petrus Belluga Valentinus civis in speculo suo, titulo de Amortisationibus. Tale autem hoc jus est, quod non modò Regibus Francorum & Hispanorum à Deo datum fuit, sed jure Communi Omnibus Principibus competit.*

Probant hoc Sacræ leges, tam Imperatorum quàm aliorum, & maximè Gallo-Francorum Principum constitutiones. Quod quidem Philippi Valesii Regis Christianissimi seculo Viri pij & docti plurimi; dein inter cæteros Iacobus Capellus Advocatus Regius Catholicus, vir & eloquentissimus & consummatissimus Marillacus, Seguierius, Menillius, Thuanus, Iacobus Faius, & Ludovicus Servinus tam publicis actionibus quàm scriptis suis asseruerunt, & ex ijs potissimùm Capellus in libello, quem Francisco I. Regi Christianissimo obtulit; & Servinus libro Vindiciarum secundùm libertatem Ecclesiæ Gallicanæ & Regij Status Gallo-Francorum, Augustæ Turonum edito, ex quo descripsi quæ sequuntur: Olim, inquit, Leuitæ in terra sancta prædia non possidebant saltem hæreditario jure, ut ex Deut. 10. & 18. & Levit. 25. cap. 30. discimus. Sic neque teste Plinio Druidæ in Gallijs. Clericis verò & Monachis Christianis sub veteribus Principibus prohibitum fuit, ne quid ex donatione sive ex testamento caperent. Quod D. Hieronymus ad Nepotionum scribens, disertis verbis testatur, ubi non de Constitutionibus Principum conqueritur, verùm se dolere ait, quòd Christiani Clerici meruerint hanc legem. *Ea lex est Valentiniani, Valentis & Gratiani ad Damasum Episcopum Vrbis Romæ, Ecclesiastici,* &c. *Cod. Theodos. de Episcopis & Cleric. & Ecclesiast. In qua tamen legi Mosaïcæ contrarium est, quòd ijs capere liceat, ut à propinquis ad quorum successionem vel bona jure civili, vel edicti bene-*

Eti beneficio admitterentur. Sed durior lex in Gallijs scripta est, aut jure non scripto, & consuetudine lex Mosäica repetita, per quam Clericis prædia possidere non licuit, de qua Sidonius Apollinaris. Obtinuit, *inquit*, vt portio nostra sit Dominus, atque vt adscripti turmis contribulium Levitarum non remaneamus terreni, quibus terra non remanet, inchoëmúsque vt à sęculi lucris, sic quoque à culpis peregrinari. *Scio Salvianum Massiliensem in lib. 3. ad Ecclesiam Catholicam sic dixisse.* Qui antistat in Evangelio sacro, antistare debet in humano testamento; sed præponuntur tenebræ luci, terra cœlo, mundus Deo. *Quibus verbis adversus eos exclamat, qui liberis religionem ingredientibus non esse opus dicebant æquam accipere cum fratribus patrimonij portionem. Sed ea lex erat illius seculi, ut dandos quidem vitæ usus Christiani censerent ei cui vita concederetur, verùm usufructu dato tolleretur proprietas. Nimirum Parentes liberos abdicabant quos religioni dicabant, & eos jubebant, quasi Latinos esse libertos, ut viverent scilicet quasi ingenui, & morerentur ut servi. Certè sub Leonis Papæ I. tempora fertur Hilarius Arelatensem Episcopum, cum bona sua propinquis reliquisset, ea non solùm quæ Arelatensis habebat Ecclesia jure optimo possedisse, verùm acceptis numerosis hereditatibus ampliavisse. Ita dixit Prosper in lib. 2. de vita contempl. cap. 9. ubi idem refert de Sancto Paulino. Sed credibile est, imò aliter haud credendum, illos à Principibus gratiam impetrâsse, qualem vulgò nostri literas amortisationis vocant. Savè Constantinus Ecclesias tam Orientales quàm Occidentales amplissimis prædiis dotâsse dicitur, ut victus Clericis præberetur. Sed si donatis vel ab eo vel ab aliis possessionibus Ecclesiastici rectè usi fuissent, quarum prima pars veteribus Canonibus Episcopo adsignata erat, ut peregrinos inopes hospitio exciperet, secunda alendis Clericis impendebatur; tertia pauperibus; quarta sartis tectis sacrarum ædium: forsitan, ut vir pius dixit, non tot hostes hodie pateretur Ecclesia; nec essent hujusmodi legibus divitiæ Clericorum possessionésque circumscriptæ. At juris Canonici Professores etiam dicunt, Apostolos futuram Ecclesiam in Gentibus prævidentes, idcircò prædia in Iudæa non adeptos; sed pretia tantùm ad fovendos egentes. Et ab ijs profertur Canon* Futuram *qui à Gratiano Melchiadi Papæ tribuitur, insertus causæ 12. q. 1. ubi hæc scripta sunt: Constantinum M. fabricandi Ecclesias in suo degentibus Imperio licentiam dedisse, & prædia constituisse tribuenda. Tum hæc adjecta: Denique idem Princeps donaria immensa contulit, & fabricam Templi primæ sedis B. Petri instituit, adeò ut sedem Imperatoriam relinqueret, & B. Petro successoribusque suis futuram concederet. At quidam proferunt Vrbani Papæ decretum, quo statutum fuisse dicunt, ut Ecclesiæ Romanæ liceret prædia possidere, quorum proventibus ipsius ministri alerentur. Et hoc decretum à Gratiano refertur in illa causa 12. q. 1. in Canone.* VIDENTES. *Addunt horum bonorum alienationem sub excommunicationis pœnâ interdictum. Sed quis præsumat, sanctum illum Martyrem Vrbanum, qui sub Heliogabalo cum aliis Christianis in latibulis se occultabat, & cuius omnis cogitatio, motúsque animi in capiendis de propaganda religione consilijs, & pertinentibus ad beatè vivendum & bene moriendum, aut in studijs scientiæ cognitionisque divinæ versabatur, in terras ferri voluisse? Tum Christiani omnes, nec vitiis animum applicabant, nec divitiis; sed Martyrij gloriam quærebant: & possessionum frustra ab ipsis acquisitum fuisset dominium, cùm ijs frui non liceret. Quamobrem cælum petebant, & solo animi ardore concalescebant. Ab aliis igitur quàm à Pontificibus Martyrium passis, hujusmodi de licentia possessionum acquirendarum probationes quærendæ sunt, sive in Italia, sive in aliis locis. Quæ verò sub principibus Christianis, vel in Galliis vel alibi eis data sunt, ea nonnisi permittentibus principibus habuêre; ut ex Gregorij I. Papæ lib. 5. Epist. 5. colligi potest; ut prædiorum, quæ in regno Galliarum ad eum pertinebant, rectorem candidum Regina Brunichildæ commendat. Et quod in C. 1. de Censibus, & in aliis juris Canonici locis scriptum est, prædia concessa fuisse presbyteris; depromptum est ex Capitularibus Caroli M. & Ludovici: ubi de Manso, quod Ecclesiæ unicuique tribuitur, mentio fit. Verùm quæ causa est, cur in Galliis & in aliis multis regionibus, Clericis prædia sine licentia Principis habere non liceat? Huius rei ratio est: quòd, cùm prædia ferè omnia, vel feudorum dominis, vel ijs qui Censuales appellantur, pensiones & tributa debeant, quæ ex mutatione possessorum illis pendi solent, extinguerentur, nec census censendo fundi amplius ulli essent, id est, nec emerentur, nec venderentur, si Ecclesiastici eos acquirerent. Etenim Ecclesiæ, Collegia & Civitates, quibus olim res Templorum id est, ædificiorum Idolis sacratorum, ab Ethnicis ablatas Imperatores tribuerunt. Denique corpora omnia & Vniversitates manus mortuæ vocantur: quia legionibus similes sunt, ex quibus licet multi decedant: tamen cum in eorum locum alij subijciantur, eædem existimantur, ut idem populus idem Magistratus qui abhinc centum annis fuerunt, quamvis ex illis nemo supersit. Et hanc ob causam cùm etiam jure communi rerum Ecclesiasticarum alienatio prohibita sit, Regijs quoque constitutionibus anni 1402. & multis senatus consultis, tam Regi quàm Nobilibus, & aliis feudorum & censualium prædiorum Dominis consultum est; ut Ec-*

ut Ecclesiastici gratiam à Principe obtineant, & postea hominem, quem leges aliquæ municipales viventem morientem & confiscantem appellant, dominis offerant, & pro eo jure quod quidam Marticinium, alij Idemnitatem vocant. partem tertiam rei æstimatæ, vel aliam ex arbitrio judicis solvere teneantur. Rex verò solus hujusmodi concessiones dare potest, quibus renunciat juri cogendi Ecclesiasticos ad transferendas res alienas in idoneam laicorum manum. Et hac ratio est: quoniam interest Principum, ne Ecclesiastici tot prædia comparent, ut Laicos spolient; & ita brevi habeant rerum omnium copiam. Qua ratione frequentibus sancti Senatus Pariensis placitis cautum fuit, ne absque permissu Principis ulla immobilia Clerici vel religiosi teneant: & ita contra Cathalannensem Episcopum judicatum fuit anno Domini 1277. *In summa: Hoc jus ad Principem pertinet, ut sine ejus licentia Ecclesiasticæ personæ nihil possidere queant. Vnde Ivo Carnotensis in Epistola, ex authoritate D. Augustini, contra Clericum dicentem,* quid mihi & Regi? *ita scribit:* Quid tibi ergo & possessioni? per jura regum possidentur possessiones. *Dixisti;* Quid mihi & Regi? *Noli dicere possessiones tuas, quia ad ipsa jura renunciasti humana, quibus possessiones tenentur. Quòd si hæc & æterna lege sancita essent, non esset in manu Principum, ut ea in quibusdam districtè judicarent, in quibus misericorditer relaxarent.*

FINIS.

Digitized by Google

RODOLPHI HOSPINIANI ORATIO

DE ORIGINE ET PROGRESSV RITVVM ET CEREMONIARVM Ecclesiasticarum.

CHRYSOSTOMVS ORAT. I. contra Iudæos.

Quod fit juxta Dei voluntatem, quamvis videatur improbum esse, tamen omninò Deo gratum est, & acceptum: Contrà, quod fit præter Dei voluntatem, ac secus quàm ille vult fieri, quanquam existimatur acceptum Deo, tamen est omnium pessimum & iniquissimum.

ANNO VLTIMI SECVLI M. D. LXXXV.

Nobilitate, Virtutibúsque Ornatißimis Viris Dn.

DOMINIS ÆSCHERIS,

GEROLDO, Archicancellario, & D. IOANNI, Prætori ac Senatori Vrbis Tigurinæ, Fratribus germanis, Dominis suis colendissimis S.

QVEMADMODVM Ethnici olim, ad patrocinium suæ Idolomaniæ variarúmque Superstitionum, Antiquitatis argumento potißimùm vtebantur, ac prædicabant suam religionem esse antiquißimam ideóque non temerè ab ea recedendum vt ex Symmachi, Senatoris Romani & Gentilismi propugnatoris acerrimi, Epistola pro sacris patrum colligere licet: sic hodie quoque Catholici, vt vocant, nullo ferè alio, quàm Antiquitatis argumento, simplicioribus fucum facere conantur; & plenis, quod dicitur, buccis vetustatem subinde crepant, imò ad ravim vsque clamant, non esse aliam hodie sua religione antiquiorem; vt quæ tot seculis confirmata, & à majoribus etiam nostris approbata sit. Inde verò mox inferunt, veram esse hanc suam religionem, & sequendam esse vetustatem, veterúmque consuetudines; ac insistendum parentum nostrorum vestigijs, qui feliciter etiam suos secuti sint. Atqui si de proximis mille elapsis annis loquantur hic, damus quidem libenter illis, toto ferè illo temporis spatio suam illam religionem, & cultum istum externum, quo etiamnum hodie gaudent, durasse, ita tamen, vt ab initio, circa Gregorij Magni tempora, tolerabilis adhuc fuerit, sed progressu temporis subinde factus sit deterior, vt crescentibus superstitionibus, erroribus & abusibus, indies minus ac minus pristinæ in eo synceritatis integritatisque remanserit. Hoc verò nihil, vèl parùm admodum ad causæ suæ defensionem facit, neque inde, quod volunt, sequitur. Non videndum est, *inquit Cyprianus*, quid aliqui ante nos fecerint: sed quid ille, qui ante omnes est, in suo verbo nobis faciendum præscripserit & præmonstrarit. *Et Augustinus libro Quæstionum veteris & noui Testamenti, quæst.* 114. *&* 115. *multis docet*, Antiquitatem præjudicare veritati nec posse

nec

Digitized by Google

nec debere: *posse enim homicidas, molles & adulteros hoc modo sua etiam scelera defendere, quod nimirum antiqua sint, & ab ipso mundi initio cœpta. Eutyches hæreticus dixit etiam, vt in Actione* 1. *Chalcedonen. Concilij videre licet.* Sic à progenitoribus meis accipiés credidi, in hac fide genitus sum, & consecratus Deo, ac in ea opto mori. *Ea tamen fides hæresis fuit, non vera fides. Sic Auxentius Arianus.* Quemadmodum ait, ab infantia edoctus sum, ita credidi, & credo. *Ad eundem quoque modum Iudæi idololatræ ad Ieremiam Prophetam dixerunt:* Sic fecimus nos, & patres nostri, reges nostri, & pricipes nostri, & saturati sumus panibus, & benè nobis erat. *Deus autem ad illos inquit:* In statutis patrum vestrorum nolite ambulare, *&c.* Ego Dominus vester. *Quodsi verò vltrà mille annos retrospiciamus, atque adeò ad Apostolorum & Christi æterni filij Dei tempora vsque, quibus in terris juxta assumptam humanam naturam fuit, tanquam veram antiquitatem, progrediamur, & cuncta diligenter perlustremus, videbimus eam doctrinam, quæ in nostris hodiè sonat Ecclesiis, easque ceremonias, quibus nos vtimur, tunc quoque in vsu, & ab ipsomet Christo sanctisque Apostolis traditas ac observatas fuisse: Pontificiorum autem dogmata, decreta, placita, instituta, consuetudines, ritus, ceremonias & superstitiones toto illo tempore ne in rerum quidem natura extitisse. Et in hunc vsum collegi jam aliquot annos ex veris & vulgò receptis approbatisque historiis, nec non & ex ipsorum Catholicorum libris, Opus, cum de cœlesti Doctrina & Ceremonijs veræ primitivæ Ecclesiæ, tùm de inclinatione & depravatione ejusdem Doctrinæ, deq́ Ceremoniarum mutatione, auctione & progressu, ijs seculis, quæ Christum & Apostolos primùm, deinde verò Constantinum Imperatorem, in primis autem Gregorium Magnum secuta sunt: Cuius quidem laboris vix vmbram exhibeo in hac Oratione mea, quam nuper in frequenti pastorum & ministrorum Ecclesiæ Tigurinæ Cœtu habui. Eam verò qualemcunque vobis D. Gerolde & Ioannes, Viri Amplissimi, duabus potissimùm de causis, pro veteri ac laudabili more, dedico. Prima est, quòd hanc, eius observantiæ, qua vos à juventute mea colui, testimonium & quasi pignus certissimum esse velim. Altera, quòd non dubitem, quin hanc meam Orationem multorum injuriis, obtrectationibus & calumniis exponam. Ea siquidem est nonnullorum perversitas, vt instar rabidi seu furiosi canis, obvium quodq́ invadere & dentibus suis arrodere ausint, nilq́ nisi quod ipsi faciunt, rectum putent. Virorum igitur præstantium patrocinio opus habebit: & vestro quidem eò libentius vtor, quòd non solum ob generis splendorem, sed & ob eximiam pietatem ac prudentiam apud nostros in maxima authoritate & existimatione sitis. Ex ea enim familia oriundi estis, ex qua, aliquot jam seculis, multi excellentissimi Viri, & domi militiæq́, ob præclara fortiaq́ facta, celeberrimi, continuata serie, tanquam ex equo Troiano prodierunt. Et ex his non pauci equestris ordinis dignitatem assequuti sunt. Tam verò abest vos, Gerolde & Ioannes, à maiorum vestrorum virtutibus degenerasse, vt etiam ob singularem pietatem in Deum & patriam ad summos honorum gradus in Vrbe vestra promoti fueritis; multaque nobiles familiæ vestram affinitatem expetierint: quæ non minima in terris felicitatis summæ pars est: & tamen in hac eminentia constituti, ita vos geritis, vt optimo cuiq́ grati & accepti sitis. Accipite ergo, Viri Præstantissimi, hanc meam Orationem in tutelam & patrocinium vestrum, eamque à furiosorum hominum morsibus defendite, & me, quod semper fecistis, amare pergite. Illud quoque à vobis, Colophonis loco, obnixè peto, vt in defendenda vera Religione & patria libertate impavidi & strenui sitis, vestráque prudentia, hoc periculosissimo rerum omnium statu, sic cum alijs vestri Ordinis viris fortissimis, vrbem & Rempublicam Tigurinam moderemini, vt doctrina pura verbi Dei in ea fulgeat, nosque simul omnes in florentissima pace quàm diutissimè in terris vivamus, in cœlis autem æterna beatitudine fruamur, Amen. Data Tiguri Nonis Octobris anno nati in carne Christi Domini.* 1585.

V. AMPLITVDINI
Addictissimus

Rodolphus HOSPINIANVS
Tigurinus.

ORATIO

ORATIO

DE ORIGINE ET PROGRESSV

RITVVM ET CEREMONIARVM Eccleſiaſticarum.

NE cui veſtrum mirum videatur, Patres & Fratres obſeruandi, cur ego potiſſimùm hoc ſuggeſtum verba facturus, aſcenderim, ex quo nil niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria & refertum maximarum rerum notitia, hodierno præſertim die, in celeberrimo hoc eximiorum Theologorum & doctiſſimorum virorum conventu, dici oporteat: primùm inſtituti ſeu facti mei rationem reddam, deinde quæ ſim dicturus paucis oſtendam. Aliquot jam annos, præter meos Eccleſiæ & Scholæ labores, Opus cùm de cœleſti doctrina & veris veræ primitiuæ Eccleſiæ Ceremoniis, tùm de inclinatione ejuſdem doctrinæ, peculiares quaſdam & incommoda, opiniones, ſtipulas & errores Doctorum complectente, déque Ceremoniarum mutatione, auctione & progreſſu, iis ſeculis quæ Chriſti & Apoſtolorum ætatem ſunt ſequuta, in privatum meum vſum collegi. Quem meum laborem vt judiciis graviſſimis & doctrina ornatiſſimis hujus Eccleſiæ & Scholæ Viris probari animadverti, ita nuper iidem illi, quod imperare mihi, pro ſua in me authoritate, poterant, à me petierunt, vt in hoc ſolenni cœtu, ſpecimen aliquod ejus darem. Etſi verò antehac per ætatem nondum hujus loci authoritatem contingere auſus fuerim, ſemperque ita ſtatuerim, ſi maximè evocatus fuiſſem, in ſilentio permanere: tamen neſcio quomodo tantorum Virorum authoritate & judicio moueor, ſpe item & fiducia veſtræ erga me benevolentiæ jam erigor ad dicendum.

Enumerabo igitur in præſentia paucis quidem ſimplices & veras Ceremonias, quæ in Novo Teſtamento ab ipſo æterno filio Dei Domino & Servatore noſtro unico inſtitutæ fuerunt: Deinde verò oſtendam pluribus ex veris & approbatis Eccleſiæ hiſtorijs, quomodo Ceremoniæ illæ ei manſerint, vel paulatim cœperint mutari & augeri in Eccleſia, ac quibus in locis id magis vel minus ſit factum: adeoq; originem incrementa & progreſſum Ceremoniarum Eccleſiaſticarum, quin & totius Papatus, qui ex ceremonijs potiſſimùm conſtat, hic quaſi uno faſce complectar. Hoc autem ſcire & obſervare, omnium noſtrum, qui in Eccleſia Chriſti laboramus, maximoperè refert: ad id enim prodeſt, ut inter veram & hypocriticam Eccleſiam judicium certum facere poſſimus. Vera enim Eccleſia, ut doctrinam puram Verbi Dei retinet, ita etiam ſimplicitatem Ceremoniarum ſervat: novit enim humanis traditionibus fruſtra Deum coli, iiſq; ſynceram religionem corrumpi. Falſa verò & hypocritica, ut à doctrina pura recedit, ita etiam Ceremonias divinitus inſtitutas, pro ſuo arbitrio plerunque mutat, auget, & traditiones ſuas coacervat, ſingularem ejus cultum attribuens, & conſcientias hominum miſerè illaqueans.

Quemadmodum igitur Ceremoniæ Veteris Teſtamenti in Chriſto Servatore omnes impletæ fuerunt, ita etiam per eundem abolitæ & abrogatæ ſunt, ut non niſi magno cum Eccleſiæ detrimento amplius revocari ab hominibus queant: fuerunt enim Sacramenta ſeu myſteria Chriſti Domini, quibus Deus multifariam veteri ſuo populo negotium redemptionis propoſuit & adumbravit, idq; per Prophetas explicuit in Chriſto verò exhibuit, ac per Apoſtolos demùm pleniſſimè & valdè perſpicuè in lucem protulit.

In earum verò locum Chriſtus ſuæ Eccleſiæ has potiſſimùm Ceremonias ſervandas inſtituit. Primò Baptiſmum, quem Deo jubente, auſpicatus eſt Ioannes Baptiſta. Ac licet forma Baptiſmi non ſit expreſſa, tamen ex concionibus Ioannis manifeſtum eſt, eum in præſentem Meſſiam, ejuſque nomine baptiſaſſe. Admiſit etiam omnium Ordinum atque ætatum homines, modò pœnitentiam agerent, & doctrinam de præſente Chriſto amplecterentur. Marci verò 16. cap. certa forma ab ipſomet Chriſto exprimitur, nimirum ut Baptiſmus ſimpliciter

pliciter fiat aqua in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti. Alias Ceremonias nullas præscribit, sicut etiam de Baptismi substantia non sunt. Secundò Sanctam cœnam suæ Ecclesię usurpandam Servator instituit. In verbis autem Cœnæ, quæ apud Evangelistas extant, simul actiones quædam exprimuntur: cujus generis sunt, gratias agere, frangere ac distribuere elementa, edere & bibere, Christum ejusq; mortem commemorare. Aliæ Ceremoniæ nullæ præscribuntur à Christo in sacrosancta Cœnæ actione: ideóq; etiam conscientiæ hominum ad eas obligari nec possunt nec debent, præsertim superstitiosas & palàm impias, quales posterioribus temporibus adjecerunt. Præter has duas sacras actiones seu ceremonias publicas, nullas disertè ordinavit Dominus. Quocirca rectè Diuus Augustinus Epistola 118. ad Ianuarium inquit, Dominus noster Iesus Christus Sacramentis numero paucissimis, significatione præstantissimis, & observatione facillimis, novi populi societatem colligavit.

Apostoli verò has à Christo institutas Ceremonias diligenter observarunt, nihil mutarunt, nullas ademerunt, neque etiam addiderunt, sed à Christo institutis simpliciter contenti fuerunt, nisi quòd Ordinationem per manuum impositionem ministrorum seu pastorum Ecclesiæ prioribus addiderunt. Vnde jam liquet, quàm prodigiosè posteræ ætates ceremonias in Ecclesia accumularint, & quàm longè ab hac primitivæ Ecclesiæ simplici quidem illa, sed tamen absolutissima perfectissimaq; forma recesserint. Meminerimus autem, semper ad hanc primam à nato in carne Filio Dei ætatem, veluti omnium præstantissimam, sanctissimam, incorruptissimam & cæterarum omnium normam seu regulam certissimam, recurrendum esse. Siquid enim non solum in principalibus fidei articulis, sed etiam ceremonijs & ritibus externis, discrepaverit deinceps, id meritò suspectum vel saltem longè inferiori loco haberi debet.

Quemadmodum enim natura comparatum est, vt non homines solùm, sed cuncta in hac rerum universitate subinde degenerent, juxta illud Poetæ,

——Sic omnia fatis
In peius ruere, ac retrò sublapsa referri:

Sic idem quoque in Ecclesia Christi post Apostolorum tempora accidit: id quod Eusebii quàm meis verbis referre malo. Is igitur Ecclesiasticæ historiæ libro tertio capite 32. ex Egesippo. Adhæc, inquit, vsque tempora, virgo pura & incorrupta mansit Ecclesia, iis qui sanum salutaris prædicationis canonem corrumpere conati sunt, si tum aliqui fuerunt, ad usque temporis in obscura quadam caligine delitescentibus. Postquam autem sacer Apostolorum chorus differentem sortitus est finem, & generatio illa præteriit, quæ divinam sapientiam suis auribus audire meruerat, tunc impii erroris conspiratio, per seductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium cœpit, qui etiam, quoniam nemo amplius superstes erat ex Apostolis, jam nudo vertice contra veritatis prædicationem falsi nominis scientiam ex adverso prædicare conati sunt. Loquuntur hîc quidem illi ex professo de hæreticis, qui mox post Apostolorum ex hoc mundo discessum caput suum extulerunt: sed quid vetat, quò minus hæc ipsa de ipsis etiam Ecclesiæ Doctoribus ex parte quoque intelligamus? Origene videlicet, Tertulliano, Cypriano, Lactantio, & Romanis nonnullis Episcopis, si vera sunt quæ eorum circumferuntur nomine. Fuerunt hi quidem omnes clarissima Ecclesiæ lumina, & fidelissimi Christi Domini servi, ideóque etiam doctrinam à Christo sanctísque Apostolis traditam: nec non & ritus plerósque à Christo institutos & ab Apostolis observatos in Ecclesiis, ipsi magna ex parte retinuerunt: nihilominus tamen sensim sub ipsis magnæ obscurationes maximorum articulorum fidei inciderunt: id quod hac ratione potissimùm accidit, quòd summi isti in Ecclesia doctores, suas quasdá opiniones parùm commodas, & suos quasi nævos habuerunt, quibus etiam sequentibus seculis Ecclesia magis quassata & turbata fuit. Manifesta hæc sunt, quæ dico, de omnibus quos modò nominaui. Hinc Origenis scripta & dogmata Hieronymus in aliquibus venenata appellat, & aliena à scripturis, imò sacræ Scripturæ vim facientia, quod & Theophilus Alexandrinus de iis retulit. Nam in sacrarum literarum explicatione allegoriis immodicis & intempestivis perpetuò vsus est: non rarò etiam cœlesti doctrinæ philosophorum decreta, placita & argutias admiscuit, vt qui à Clemente Alexandrino præceptore suo imbibisset ista. Tertullianus opiniones plurimas non solùm incommodas, verumetiam palàm absurdas interdum scriptis suis infarsit, & Ceremonias de Vnctione externa post Baptismum, de signo Crucis sese muniendo ad omnem progressum, aditum, exitum, motum, vestitum, calceatum, ad lavacra, mensas, lumina, cubilia & sedilia, de oblationibus pro defunctis & natalitiis, de necessitate Iejuniorum & similibus, mutuatas à Montanistis, quibus se, acerbitate ingenii & impatientia victus, aliquandiu addixerat, in Ecclesiam induxit & auxit, easque non autho-

authoritate sacræ Scripturæ, sed sola traditione & consuetudine defendit. Lactantius de libero arbitrio confusè loquitur. Et, ne singulos persequar, omnibus ferè hoc vitium fuit, quòd viribus humanis nimiùm tribuerent. Etsi enim interdum asseverent, sola nos fide in Christum justificari, tamen subinde operum fermentum simul aspergunt, & eis justificationem sive partialiter, sive formaliter, sive denique totaliter, vt in Scholis loquuntur, attribuunt. Et quamvis Augustinus, aliique pauci huic errori postea acriter sint reluctati, parùm tamen obtinuerunt, tàm altas, semel hæc concepta opinio, in hominum animis radices egerat. Hoc pacto autem summus fidei articulus de gratuita peccatorum remissione per fidem in Christum obscurari & vitiari cœpit. Qua occasione, factum est, vt mox in admiratione cœperint esse variæ ἐθελοθρησκεῖαι, & Ceremonijs ritibusq; accumulandis homines mirum in modum occupati fuerint, ac non minimam pietatis partem in ijs collocarint. Adeò enim frequens apud horum temporum doctores, Iejuniorum sit mentio, ut & in opinionem meriti jejunia abijsse jam tum videantur. Cœperunt etiam festivitates in Memorijs Sanctorum, cum oblationibus & sacrificijs, celebrari. Quæ res posterioribus mox temporibus Festis Sanctorum diebus, & anniversariis Oblationibus pro defunctis occasionem præbuit: aliaque hujus generis multa tum quidem observari cœperunt.

Prætereiram hîc ferè de industria ritus & Ceremonias, quas iisdem primi illi Roman. temporibus Ecclesiæ Episcopi tanquam ex tripode dictasse feruntur: Anacletus videlicet. Ne præsul, neve Clerici barbam vel comam nutrirent. neve Episcopus à paucioribus quàm à tribus Episcopis ordinaretur: utq; Clerici publicè, non privatim, ad sactos Ordines asciscerentur. Alexander, Aquam lustralem pro fugandis dæmonibus, & aspergendis hominibus finitis sacris, Sixtus, ut Corporale, sive linteolum super quo inter sacra corpus Christi ponitur, ex lineo panno, & quidem purissimo fieret: neve sacra vasa profanæ manus, maximè verò mulierum, attrectarent, Telesphorus, Iejunium Quadragesimale ante Pascha, Hyginus, Dedicationes solennes templorum, neve ea augerentur aut diminuerentur sive Metropolitani vel Episcopi consensu: Item, ut Compatres, ceu testes, Baptismo adhiberentur. Pius, ut Pascha Dominico tantùm die celebraretur. Anicetus, ut Vertex capitis Sacerdotum Sphærulæ instar raderetur. Victor, ut Baptismus extra necessitatem in Paschate tantùm daretur. Calixtus, ut Ordines sacri in quatuor Iejunij temporibus, quorum ille quoque author fuisse perhibetur, conferrentur, quod hactenus in Decembri tantùm fiebat. Vrbanus, ut Ecclesia prædia, ac fundos, à fidelibus oblatos, reciperet. Fabianus, ut singulis annis in die Cœnæ Domini Chrisma, veteri combusto, renovaretur, quod contra Orientales Episcopos decrevisse dicitur, qui non quotannis Chrisma conficiebant, sed duos vel tres annos semel confectum retinebant ob balsami penuriam. Stephanus, tegumenta altarium & vestes sacerdotales, neve Sacerdotes & Levitæ alibi quàm in Ecclesia, & peragendis sacris ijs uterentur. Felix, annua sacra pro Martyribus. Eutychianus, ut frugum primitiæ in altari à sacerdote benedicerentur, utque per gradus ad Episcopatum ascenderetur, quod tamen etiam Cajo tribuitur. Omittam verò prorsus, quæ hi simul omnes, de primatu Romani Pontificis, de forma judiciorum & qualitate testium, de non accusandis Clericis & maximè Episcopis à Laicis, de appellatione ad sedem Romanam, deq; alijs hujus generis multis statuisse & decrevisse dicuntur: Hæc enim conditio primorum Romanæ Ecclesiæ Episcoporum, & ratio illorum temporum nequaquam fert, quibus tanta indignitate promiscua Christianorum multitudo, nedum ipsi Episcopi & Ecclesiarum doctores, tractata fuit, ut ne in publicum quidem prodire eis liceret, & benignè secum agi tum crederent, quum intermissis persecutionibus, in urbibus Romæ præsertim, tum quidem tyrannorum alumnæ, tolerarentur: ideoq; etiam ea quæ Romani illi Episcopi constituisse & decrevisse dicuntur, apud nullum horum temporum probatum authorem leguntur, sed tantùm in eorum vitis, à suspectis hominibus conscriptis, & epistolis Decretalibus, quæ primis illis Romanis Pontificibus attribuuntur quidem, sed falsò: nam seipsas produnt varijs argumentis, quòd à nullo eorum quidem temporum scribi potuerint, sed omnes ab uno eodemque indocto atque insulso homine confictæ de novo, aut turpissimè corruptæ & depravatæ sint. Nec aberrare illi mihi videntur, qui affirmant circa Caroli Magni ætatem, quando Ecclesiæ Occidentales passim ex Romana bibliotheca libros peterent, fraude Romanorum Episcoporum, imperium non modò super omnes Ecclesias, sed etiam super reges & principes terræ affectantium, has epistolas consutas, suppositas & longè lateque sparsas fuisse: Si enim Zosimus, Bonifacius & Cœlestinus in Synodo Carthaginensi sexta, cui Divus Augustinus interfuit, Nicæni Concilij Canones

ob primatum Romanæ sedis confirmandum, corruptos & adulteratos protulerunt, quid mirum si posterioribus seculis, quibus omnia in pejus profecerunt, in summo potentiæ gradu constituti, ipsorum successores idem ausi fuerint? ideóque etiam non facilè reperias ab ullo Patrum, aut ullo fide digno authore ante Caroli tempora earum aliquam saltem mentionem fieri. Aut si maximè ab illis, quibus tribuuntur, scriptæ sunt, apparet, mysterium illud iniquitatis, de quo D. Paulus in 2. ad Thessal. 2. cap. jam tum in Romanis Episcopis agere & operari cœpisse. Quocirca de Monachatu potius aliquid dicamus. Cœpit is in Ægypto primùm, circa annos Christi 250. ex necessitate, non opinione cultus divini aut meriti alicujus. Cùm enim Decij & Valeriani Imperatorum tempore Christum confitentibus, dira & horrenda pararentur tormenta ac supplicia, multi Christianorum imbecillitati carnis parùm fidentes, atque adeò abnegationem fidei metuentes, fuga sibi consuluerunt, atque relictis urbibus & facultatibus suis, in vastas sese abdidere solitudines. Ast ubi furor persequentium remisisset, & tyrannorum cessassent lanienæ, non ad sua redierunt illi, sed in desertis sua sponte manserunt, ibíque divinis contemplationibus dediti, ad mortem usque perseverarunt: inter quos facilè primus & præcipuus fuit Paulus quidam Thebæus. Hos mox non solum Antonius ille Ægyptius, sed alij etiam quàm plurimi imitati sunt: alij quidem ex bono zelo ac pio animi proposito, mundi nimirum & mundanarum rerum tædio, ne scilicet immundo mundi consortio polluerentur, utque cœlestium rerum contemplationibus magis incumbere possent. Alij verò ex κακοζηλία, hoc est, prava piorum, præstantium & clarorum virorum imitatione, quos videlicet noverant se quoque in hoc vitæ genere exercuisse. Nonnulli ex cupiditate vanæ & nihil profuturæ gloriæ. Multi denique ex desperatione: unde & Proverbium illud natum est, Desperatio facit monachum. Quo factum est, ut res hæc ex tam parvo initio mox sumpserit incrementa maxima, ac instituta sint plurima cœnobia per Ægyptum, Palæstinam, Lybiam, Syriam, Arabiam, aliasque Orientis provincias. Tandem Occidenti quoque circa annos Christi 530. hoc novum vitæ genus innotuit per Benedictum Nursinum, à quo Benedictini monachi originem & nomen habent: ac mox universam penè Europam pervasit, summo studio cunctis mortalibus institutum hoc adjuvantibus: quòd Cœnobia primorum monachorum plæráque, essent quasi Scholæ, in quibus juventus in pietate & bonis literis erudiretur, quas tamen progressu temporis superstitio, ignorantia, hypocrisis & luxus fœdissimè evertit, ut inde horribilis ruina & vastitas Ecclesiarum enata sit.

Sed tempus postulare videtur, ut videamus quis circa & post Constantini Magni, principis nunquam satis laudati, tempora, status Ecclesiæ fuerit: Cui quidem Deus Optimus Maximus per hunc ipsum Imperatorem lætissimam pacem reddidit. Ea verò occasione cœperunt primò magnificæ templorum extructiones: quibus ab Hilario primo, qui Pontificatum Romanum circa annos Christi 465. tenuit, Sacella seu Capellæ, & ab alijs, post multa secula demùm Ossaria, ut vocant, adjuncta fuerunt. Cum magnificis templis, magnifica etiam & splendida Altaria originem sumpserunt: quorum tamen authorem Sixtum Primum quidam faciunt: eorumque usus ab initio tolerabilis quidem fuit, quando nec modum excessit, nec superstitioni servivit: quod primò cæpit fieri circa annos nati in carne Christi 400. cùm etiam extra templa in agris, compitis & ubivis locorum, in honorem & memoriam martyrum extruere altaria cœperunt, ut ex Concilij Carthaginensis Quinti canone decimoquarto perspicitur. Hodie quoque in multis templis ultra 50. altaria sæpè videre licet. Constantinus porrò Imperator dedicationibus & consecrationibus templorum occasionem & initium dedit: quamvis eas quidam ad Felicem Primum referant, qui etiam author fuisse perhibetur, ut cuncti eo die vicatim feriarentur, quo aliquod templum dedicaretur: & post aliquot annos Felix Tertius instituit, ut à solis Episcopis dedicarentur Templa, essetque dies ille festus anniversarius. Illę verò Dedicationes tum quidem citra omnem superstitionem & luxum, auditu verbi Dei & gratiarum actione celebrabantur, progressu autem temporis in abusus fœdissimos abierunt. Ab hac consuetudine dedicandi & consecrandi Templa, nostra quoque Encœnia, quorum solennitatem hodierno die celebramus, exorta sunt, anno Christi 880. quando videlicet Gebhardus Constantiensium Episcopus duo majora Templa in urbe nostra in honorem Felicis & Regulæ dedicauerat, & eorum memoriam seu Natalem non solùm Tiguri, vbi ob fidem in Christum securi percussi fuerant, sed etiam in toto Constantiensi Episcopatu quotannis vndecimo Septembris celebrandam instituerat. Maior quoque sub Constantino, quàm hactenus festorum dierum variarumque festiuitatum excreuit numerus. Nam festum de Inven-

tione

tione Sanctæ Crucis Eusebius Papa, juxta aliquos, instituit. Ipseque Imperator lege edixit, vt non solùm Dominicus dies, sed is quoque qui Sabbatum antecedit, ab omnibus coleretur, ob memoriam earum rerum, quæ eo die à Servatore gestæ fuissent. Et Sylvester Papa ne inferior Constantino videretur, diem quintum hebdomadæ, quem diem Iouis vocant, instar Dominici celebrandum edixit: quæ tamen constitutiones postea per Agapetum primum multiplicatis Sanctorum festivitatibus, abrogatæ fuerunt. Petri ad vincula Festum alii Alexandro primo tribuunt, nonnulli Sylvestro, multi Sergio tertio. A quo tempore deinceps nec modus nec finis vllus instituendi festos dies in Ecclesia fuit: id quod haud scio an expedierit, cum præsertim videamus, eò rediisse Christianorum mores, vt maxima pars hominum otium istud festorum dierum non ad orandum, non ad verbum Dei audiendum, cujus rei causa ab initio datum fuit, sed ad omnifariam bonorum morum corruptelam augendam, impudentissimè in dies magis magisque consumat. Cumq; sub eodem Imperatore multi cùm Iudæi tùm Gentes ad Christianam religionem adducerentur, nemini dubium esse debet, quin ex eorum consuetudinibus, ceremonijs ac ritibus multa retenta, & ipso usu pedetentim vel confirmata, vel paululum immutata, & minus rectè ad alios fines deinde translata sint, quæ superstitionibus multis & varijs, quibus antea obnoxij fuerunt, postea occasionem præbuerunt. Ex hoc enim fonte ritus & ceremoniæ funebres cumulatæ sunt. In seculis superioribus, de Translatione Reliquiarum Sanctorum mortuorum, & earundem veneratione, nihil apud probatos authores legimus: Constantini demum tempore ea res, tum ex nimia Sanctorum veneratione & prædicatione, eorumque intercessione, tum ex Ethnica superstitione primùm cœpit, & mirum in modum mendacibus prodigijs & signis confirmata magis magisque deinceps crevit. Eadem tempestate etiam cœperunt primo sub Constantino loca terræ sanctæ ab ethnicis superstitionibus expurgari, excoli & in pretio haberi, propter rerum ibi gestarum memoriam, confluentibus eò ex omnibus terræ partibus Christianis: & paulatim hæc res adeò in errorem deduxit multitudinem ut non in postrema pietatis laude ponerent, terram sanctam, & loca sacra inuisisse.

Quod verò Romanam horum temporũ Ecclesiam attinet, Deum immortalem, quàm sedula, imò quàm superstitiosa hac in parte illa fuit. Nam præter ea, quæ paulò ante commemoravi, Sylvester Romanus Pontifex Chrisma tantùm ab Episcopo consecrandum esse statuit: Confirmationem in fronte per Chrisma & signum Crucis post Baptismum instituit: veterem illam Iudæorum consuetudinem consecrandi & dedicandi templa unctione Chrismatis, alijsq; puerilibus ceremonijs revocavit: utque Sacerdos sacrificaturus, nec serico nec tincto panno, sed lineo albo vestiatur, sancivit. Gradus quoque in Ordinibus ecclesiasticis, & ut unusquisque uno tantum ordine contentus sit, constituit. Marcus voluit diebus solennibus statim post Evangelium Symbolum à Clero & populo magna voce decantari. Liberius decrevit, ut in Quadragesima conjugati à conjugibus abstineant, eò quòd nihil prosit jejunium conjugali opere pollutum. Damasus Chorum, ut vocant, instituit, cum psalmodijs diurnis atque nocturnis, utque in fine psalmorum semper hæc verba dicerentur, Gloria patri, & filio, & spiritui sancto. Siricius, ministris Occidentalium Ecclesiarum conjugia primus interdixit, id quod Antichristo peculiare esse futurum, Paulus prædixit: Monachos etiam ad Ecclesiasticos Ordines primus admisit, usque ad Episcopatus fastigium, qui prius nec inter Clericos habebantur. Anastasius constituit, ne sacerdotes sederent, sed curui starent, dum sacrum Evangelium aut caneretur aut legeretur in Ecclesia, neve debiles, manci & aliquo membro carentes, in numerum clericorum reciperentur. Innocentius primus, Sabbathi jejunium indixit, & ex unctione infirmorum sacramentum fecit. Zosimus author fuit, ut Cerei in parochijs Sabbatho sancto benedicerentur. Bibere autem in publico Clericis vetuit: in Cellis fidelium id fieri posse non negavit. Vetuit etiam, ne servi in Clerum reciperentur. Asciscuntur hodie, inquit Platina, non modò servi, & vulgò concepti ac nati, verum etiam flagitiosi omnes ex flagitioso quoque geniti quorum sceleribus Ecclesia Dei magnum incommodum capit. Bonifacius primus vigilias Sanctorum instituit. Pelagius, Horas canonicas ordinavit. Felix Quartus Clerum à populo in Ecclesijs discrevit. Claudianus Mamertus Viennensis Episcopus, triduanas ante Ascensionem Domini Litanias, sive Supplicationes & Rogationes non ad consecrationes, sed ad pericula & calamitates avertendas, primus instituit: Has postea Agapetus Papa dicitur primus constituisse in singulos Dominicos dies, in templis, vel circa templa habendas, unde Circuitiones in Ecclesijs originem habent: & alia hujus farinæ plura instituerunt,

runt, quæ non est otium nunc singula referre.

Hinc ergo, Patres & Fratres observandi, jam videre licet, quantum à veræ primitivæ Ecclesiæ simpliciori statu degeneratum sit illis ipsis temporibus, quibus Deus Optimus Maximus altissimam suæ Ecclesiæ pacem ex immensa benignitate concessit: ut Ecclesia in verbis Cantici non injuria lamentando graviter conqueratur, dicens: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Apparet etiam Augustinum in epistola ad Ianuarium non sine gravi causa conquestum esse, Christianam religionem ita traditionibus humanis, Ceremonijs ac ritibus onerari jam suo tempore, ut Iudæorum conditio tolerabilior fuerit sub lege, quàm Christianorum sub Gratia & Evangelio, ut qui legalibus tantùm sarcinis, non etiam humanis traditionibus subjecti fuerint. Ita quidem ille de statu Ecclesiæ sui temporis: Quid igitur, bone Deus, dixisset sanctissimus vir, si eam faciem Ecclesiæ, quam habere cœpit sequentibus mox seculis, & quam adhuc hodie habet, contemplatus fuisset?

Facies igitur Ecclesiæ tristis esse cœpit, sed tamen quæ ferri aliquomodo potuisset, nisi tristiorem, imò tristissimam & fœdissimam sequentibus temporibus nacta fuisset. Causa hujus mali fuit, quòd irruperunt in Europam iis temporibus Gothi & Wandali, gentes barbaræ ac parte maxima impiæ, quæ vexarunt annos plus minus 160. totum ferè Occidentem. Eruperunt è sedibus suis & Hunni, ac post hos Franci & Alemanni, & præclaras quasque cultasque gentes & urbes flamma & ferro vastarunt. Post Attilam enim in interiorem Galliam digressum, quicquid supererat quod ille non perdidisset in proximis Rheno provinciis, id Alemanni & Franci Hunnum statim subsecuti, prorsus everterunt. Ipsa in primis Italia à Longobardis penitus ferè eversa, ac in solitudinem redacta fuit. Hic dici non potest quantam jacturam fecerit vera religio, pietas & eruditio in Occidentalibus Ecclesiis. Arserunt passim instructissimæ bibliothecæ, discerpti sunt optimi authores, perierunt ac dissipatæ sunt benè constitutæ scholæ, conculcatæ sunt linguæ, & inter has Latina maximè à Gothis, gente ambitiosissima, corrupta fuit: cujus quidem rei nobilissimi quique eorum temporum historici meminerunt. Hinc certò certius est per Gallias, Italiam, Hispanias, Germaniam aliaque Occidentis regna miserabilem linguarum & bonarum literarum inscitiam, optimorumque authorum inopiam enatam esse. In has igitur occasiones intentus hostis humani generis, horribiles & perniciosas tenebras, ceu nubes quasdam atras totum cœlum occupantes, in Ecclesiam Christi simul induxit per ipsos Doctores & Ecclesiarum antistites maximè: quos inter Gregorius ille cognomento Magnus & Ecclesiæ Romanæ Episcopus facilè primas tenet. Is enim duarum præcipuè rerum, quæ horribiliter nocuerunt Ecclesiæ, author fuisse perhibetur, Invocationis nimirum hominum mortuorum, & Sacrificiorum pro mortuis. Ceremonijs etiam plusquàm Iudaicis & Ethnicis, Ecclesiam & religionem Christianam, præ cæteris omnibus, mirum in modum oneravit. Ritus enim dedicandi & consecrandi templa varios & mirabiles dictavit: & quod mirandum est, non aliter, quàm si novum aliquod Solomonicum aut Hierosolymitanum templum conderetur, vaccas, boves, oves, & nescio quæ alia, prava æmulatione Iudaismi, ad hujusmodi dedicationes requisivit. Cantum Ecclesiasticum ordinavit. Officiarium Ecclesiæ fecit. Missarum ritus complanavit. Super Apostolorum cadavera Missas celebrari mandavit. Imaginum non quidem cultum & adorationem, sed tamen usum in templis, primus omnium approbavit. Septiformem Litaniam ipse in peste Inguinaria excogitavit, & Litanijs invocationem mortuorum primus addidit. Stationes Romæ seu Peregrinationes ad templa & statuas Sanctorum instituit, ac Indulgentias, templa & loca sacra visitantibus, primus concessit, non autem vendidit. Iejunio Quadragesimali quatuor dies adjecit, & ejus initium Cinerum aspergine sacravit: Vnde Cinerum dies suam originem habet. Vsum carnis, lactis, casei, butyri atque ovorum jejunantibus interdixit, & alia hujus generis multa superstitiosa, Monachus superstitiosus ordinavit. Vt rectè Volateranus lib. 22. Anthrop. de hoc Gregorio referat, quòd Ceremonias plerasque, quibus hodie Papistæ utantur in templis, primus instituerit quodque eandem ob causam præcipuas Romæ statuas, & quicquid fuerit mirandi operis in Tiberim præcipitari jusserit, ne homines à religione ejus nuper admodum instituta sua specie avocarent. Sabinianus Gregorij successor Campanas in turribus templorum primus suspendi fecit, quarum pulsu deinceps ad sacros cœtus publicè convocaretur populus. Lampadum quoq; & lucernarum in templis usum primus approbavit. Hæc verò Ceremoniarum multitudo, & rituum accumulatio plurimùm Ecclesiæ Christi nocuit. Dum enim Doctores earum administratione, & populus spectatione occupantur, animi ipsorum à studio docendi & discendi Verbum Dei simul

mul abstrahuntur: nam mentes hominum mirificè capiuntur & fascinantur Ceremoniarum splendore & pompa: & hypocritæ stultæque mulierculæ nihil speciosius, nilq; sanctius excogitari posse existimant,& mox ista persuasione imbuuntur, quòd ejusmodi operibus gratiam & favorem Dei sibi promereantur.

Quæ quidem omnia gravia videntur, & piis animis hanc fœdam ac miserabilem Ecclesiæ faciem diligenter contemplantibus, suspiria & tantùm non lachrymas movent. Verùm, ô Fratres, longè infeliciora & tenebricosiora tempora secuta sunt, rebus subinde in pejus, justo Dei judicio & vindicta, adversus mundi ingratitudinem & scelera, ruentibus, ANTICHRISTVS enim, qui mox post Constantini Magni tempora quasi in alvum Ecclesiæ receptus fuit, quique Gregorio Magno sedem Romanam tenente,vitam & incrementa accepit, & quasi ad maturitatem suam,atque ad ipsum tempus partus deductus est, post mortem Gregorii, Phocæ Imperatoris, quasi obstetricis, ope & auxilio,in lucem editur. Nam Bonifacius tertius à Phoca, parricida nequissimo, frustrà reclamantibus plurimis Episcopis & Ecclesiis, obtinuit, vt Romanus Episcopus & Romana sedes, omnium Ecclesiarum per Christianum orbem haberetur princeps & caput. Idemque decreuit, vt altaria candidis linteis pannis operirentur. A quo tempore deinceps, magis quàm vnquam anteà, cœlestis doctrinæ puritas in Ecclesia evanuit, & crescentibus superstitionibus obscurata fuit. Mox enim Bonifacius Quartus, Pantheon, fœdissimum falsorum Deorum templum, ab eodem Phoca impetravit, ut in eo Cybelis, spurcissimæ Deorum matris, loco, Maria Christi Servatoris mater sanctissima, cum omnibus sanctis Martyribus coleretur. Eaque occasione instituit etiam, ut singulis annis Quarto Idus Maij celebraretur festum de Martyribus omnibus: nondum enim eo adhuc tempore celebrabantur festa de Confessoribus: Gregorius autem IV. circa annos Christi 834. hoc festum ad Calendas Novembris transtulit, ut tunc collectis terræ frugibus in otio & rerum omnium abundantia, magno suo Deo, scilicet Ventri, & novis suis Dijs,hoc est,sanctis mortuis opimiora sacrificia possent offerre: ac per universum mundum hunc diem in honorem generaliter Omnium Sanctorum solenniter celebrari decrevit. Theodatus, ne nihil in Papistico regno fecisse videretur, Spiritualem cognationem primus adinvenit: constituit enim, ne patrimus patrimam, aut filius patrimi puellam è sacro fonte à patre levatam, in uxorem duceie posset. Quod equidem non minimum indicium fuit, Antichristum natum esse, cùm legitimæ,& à Deo permissæ Christianis nuptiæ, prohiberentur. Quam impiam doctrinam misericors Deus absque dubio hominibus quasi digito monstrare voluit perniciosissimo illo morbo, lepræ aut elephantiæ simillimo, qui ea ætate adeò ferbuit & deformavit in facie homines, ut cognosci vix possent. Bonifacius Quintus Asylorum apud Christianos author fuit,constituitque, ut fugiens aliquis, quovis crimine patrato, ad templa,aras & cœmiteria,violenter inde non abstrahatur. Martinus Primus feriam Sextam in memoriam Passionis Domini,jejunari præcepit. Vitellianus omnia in templis Latina lingua fieri voluit: & Organa musica excogitavit, eaque in templis cantui Ecclesiastico addidit. Constantinus Papa, Iustiniano Imperatori, adeoque suo Domino, pedes, proh scelus & nefas, osculandos primos exhibuit. Et hunc mox secutus Stephanus Secundus humeris hominum primus circumferri voluit. Zacharias Primus à fidelitatis juramento subditos primus absoluit: idemque vestes auro & gemmis distinctas primus in usum sacrum dedit. Leo III. Thuris usum,Iudæorum & Gentilium more altaribus primus assignavit. Sergius I. illusione quadam deceptus, Nativitatis Mariæ festum instituit, cum prius festum Exaltationis crucis ab Heraclio Imper. institutum fuisset, ob memoriam Crucis Cosroe Persico regi ereptæ. Et Ludovicus Pius in Synodo Aquisgrani anno 818. dies Annunciationis & Assumptionis Mariæ festis addidit: ac Leo Quartus Papa statuit, ut Octavæ Assumptionis celebrarentur in Romana Ecclesia, quod hactenus factum non fuerat. Sergio Tertio plerìq; tribuunt, quòd Romanorum februa mutarit in Purificationis Mariæ festum, quod alio nomine Luminum seu Candelarum festum vocant, & statuerit, ut in eo Processiones fiant, in quibus cuncti Cereos ardentes in manibus gestantes, per Ecclesias procederent. Nec longo intervallo, Odilo Quartus Cluniacensium Abbas, omnium animarum festum per cuncta sua monasteria instituit: & Ioannes Papa, quem alij Sedecimum, alij Decimumseptimum nonnulli Decimumoctavum, Platina autem, Stella & Balæus Decimumnonum vocant, id approbavit, & ab universo deinceps orbe postridiè Omnium Sanctorum observandum statuit.

Sed hæc levicula vobis videri possent, graviora igitur de Antichristo, sub Phoca parricida & adultero spurcissimo, nato referam, & talia quidem,quæ ejusmodi mon-

ſtrum vobis exhibeant,quale cœlum & terra nullum unquam viderunt immanius, truculentius, perniciofius,peſtilentius, magiſq; horrendum & ingens. Mox enim in primis infantiæ annis in immenſum excrevit,ita ut caput ſuum uſque ad cœlos extulerit, manus & brachia in omnes totius mundi regiones extenderit, pedem alterum in Eccleſia, alterum verò in hujus mundi regnis fixerit, caudaq; ſua (ſic enim Divus Iohannes eum depingit) ipſas cœli ſtellas tetigerit, eaſque deturbare molitus ſit. Neque enim ſolum ſeſe extulit ſupra omnes alios toto orbe Chriſtiano paſtores, & veluti ſummus Monarcha ſeu Dictator quidam, ſibi ſoli arrogavit poteſtatem regendi omnes Eccleſias, præſidendi Concilijs & Synodis, decernendi controverſias, præſcribendiq; religionis formulas : verum etiam ſumma audacia in politicum imperium irrupit, ſibique regna mundi arrogavit : Voluit ipſos Imperatores, Reges & principes à ſeſe, Dominum ſcilicet à ſervo, regnorum poſſeſſionem petere & accipere : Sumpſit ſibi poteſtatem diſtribuendi regna quibus viſum fuit : Leges præſcripſit Imperatoribus ac Regibus, eaſque citra ullam tergiverſationem ad amuſſim ſervare præcepit : Cauſarum etiam politicarum cognitionem & determinationem, ſibi ſoli vendicavit. Et principes quidem regeſque calice meretricis inebriati,ſeſe ſubjecerunt beſtiæ eamque adorarunt.

In hac igitur eminentia conſtitutus, cultum Deorum alienorum inſtituit, & Chriſto, æterno noſtro Pontifice remoto, ac veluti abrogato, Sanctos mortuos pro genere humano interceſſores decrevit, eoſque invocatione,ſtatuarum & imaginum erectione, templorum & altarium extructione, reliquiarum tranſlatione, auro, argento, gemmis, Miſſis, candelis, ſuffitu & geniculationibus coli ac honorari præcepit : quin ipſas ſtatuas & imagines manibus hominum effictas, non ſimplici duntaxat honore, ſed etiam adoratione colendas eſſe primò aſſerere cœpit Conſtantinus Papa circa annos demùm nati in carne Chriſti 710. Id autem fecit non perſpicuis ſacræ Scripturæ teſtimonijs, ſed prætendens uſum paſſim tum receptum,& quaſdam apparitiones ſeu viſiones, quibus Sancti juſſiſſent ſe in ſtatuis coli. Cùm verò animadverteret, ejuſmodi fœtentibus,imò putidiſſimis rationibus, parùm ſeſe obtenturum eſſe, illicò ad vim confugit : ac primùm damnat ſine ratione Synodos Iconolatriam ex Verbo Dei oppugnantes, diriſq; execrationibus eas anathematizat : pios & ſynceros Doctores è ſedibus ſuis exturbat,politicos magiſtratus, ipſoſq; adeò Imperatores fulmine excommunicationis non ſolùm terrirat, ſed veluti thronum Dei poſſidens, præcipit ſubditis, ne ejuſmodi magiſtratibus, Venerationem & invocationem imaginum abolentibus, ullum politicum honorem, obedientiam & tributa præſtent, quod Gregorius Tertius primus fecit. Summa imis miſcet Antichriſtus tantùm ut imaginum venerationem & adorationem, nuper admodum inſtitutam, obtinere poſſit,quo inde quæſtum uberiorem faciat. Ac memorabilis me hercle cauſa eſt, quod Antichriſtus ob cultum Deorum alienorum in Eccleſijs ſtatuendum & conſervandum, Imperium Occidentis à legitimo Magiſtratu avulſit, & in Francos contulit, mox etiam his eripuit, & Germanis tradidit : poſt quæ tempora demùm Imagines in cunctis Occidentis Eccleſijs recipi, & ſumma veneratione coli cœperunt.

Cæterùm ut nihil intemeratum & integrum relinqueret Antichriſtus, ipſam quoque Cœnæ Dominicæ actionem fœdiſſimè pervertit, corrupit & adulteravit : Nuda fuit ab initio ſacro ſanctæ illius actionis omnis Ceremoniarum ratio, plus pietatis habens quàm apparatus. Apoſtolus enim Petrus in conſecratione Cœnæ tantummodo Oratione Dominica uſus eſt, & pauciſſimis quibuſdam preculis : Cætera diverſis temporibus & à diverſis perſonis huic actioni adjecta leguntur, ipſo quoque Innocentio Tertio hoc atteſtante. Hunc ſequutus Platina, quid quiſque Romanorum Pontificum adjecerit, explicare contendit : & in vita Sixti Primi : In Celebratione, inquit, mandavit Sixtus,ut Sanctus Dominus Deus Sabaoth cantaretur. Cœleſtinus Miſſæ Introitum dedit : Gregorius Kyrieeleyſon : Gloria in excelſis Deo Teleſphorus : Collationes Gelaſius Primus. Epiſtolam & Evangelium Hieronymus. Alleluja verò ſumptum ex Eccleſia Hieroſolymitana. Symbolum in Concilio Nicæno : Mortuorum commemorationem Pelagius invenit. Thus Leo Tertius. Oſculum pacis Innocentius Primus. Vt caneretur Agnus Dei Sergius Pontifex inſtituit. Hactenus Platina. Prolixam quoque illam Orationem, quam Canonem (verius Centonem) vocant,quæque in Conſecratione ſubmiſſa voce & cum murmure quodam à ſacerdote recitatur, ſine ullius Scripturæ teſtimonio in ea actione uſurpari,in volumine Decretorum, quod Burkardus Wormatienſis Epiſcopus congeſſit, clarè teſtatur Caput 223. libri quinti de univerſali Eccleſia. Sed partes ejus diverſo quoque tempore & à diverſis, ſcilicet Alexandro, Gelaſio,Siritio,Leone,Pelagio,

Gregorio Magno & Gregorio Tertio huic actioni adjectæ, & deinde in Ordinem redactæ fuerunt, vel à Pelagio, vel à Scholastico quodam, vel a Gregorio Magno, vel etiam à Gratiano, nam in hoc ne ipsi quidem consentiunt.

Alexander Primus etiam, in Eucharistia voluit offerri vinum aqua permixtum: & sublato, quo ante usi fuerant, pane fermentato, azymum instituit. Pius Primus pœnam constituit his, qui negligentes essent in attrectando Christi corpore & sanguine: jussit etiam vinum Cœnæ effusum lambere, si fieri posset: sin minus, aut radere, aut eluere, & rasum lotumúe vel comburere, vel repositum in sacrario asservare. Imò sanciverunt, siquis evomuerit panem mysticum, ut partes diligenter & cautè quæ reperiri possint, colligantur, & contritæ cum vino, ab aliquo fideli sumantur, residuum verò vomitus comburatur, & reponatur in terram juxta altare. Qui honor nimius certè fuit & superstitiosus, Symboloque externo minimè conveniens, viam sternens multis erroribus. Zepherinus Papa mandavit, ut in vitreo vase, non in ligneo, ut anteà, sacrificaretur. Antiquatum est tamen hoc decretum paulatim, cautumq; ne in ligneo vase sacerdos rem divinam faceret, propter materiæ raritatem, qua liquor imbibitur: neque vitreo, quia fragile: neque ex metallo, ob terrum saporem, quem inde concipit: sed vel in aureo, vel argenteo in Ecclesijs opulentioribus, in pauperioribus verò, si utrumq; desit, stanneo: quod decretum Vrbano Primo tribuunt. Anacletus etiam constituit, ut omnes Christiani nominis, consecratione peracta, quotidie Eucharistiam sumerent. Zepherinus autem, ut omnes, qui pubertatis annos attigissent, semel duntaxat quotannis communicarent. Fabianus contrà, ut si non frequentius, saltem ter in anno, non impediti gravioribus criminibus ad mensam Domini accederent: in Paschate nimirùm, Pentecoste & Natali Domini. Soter quoque sanxit, ut nullus post cibum potumúe, sive quodvis minimum sumptum, Missas celebraret. Qui certè omnes de rebus minimè necessarijs soliciti fuisse mihi videntur.

Hic verò diligenter observandum est, quòd hæc Romæ præcipuè, & in Romana Ecclesia maximè, non autem in alijs obser vata fuerint. Quin etiam non sine gravi causa dubitatur, an hæc ipsa, quæ commemoravi hactenus, à primis illis jam nominatis Episcopis Romanis sic fuerint instituta, quòd eorum Epistolæ Decretales saltem horum rituum mentionem faciant, omnibus autem alijs Ecclesijs & authoribus illorum temporum tam incogniti, ut ne verbulo quidem ullo eorum meminerint. Iustinus certè antiquissimus author sic describit ritum circa Eucharistiam in Romana ecclesia observatum suo tempore, ut priora illa conficta, & primis Romanorum Episcopis falsò attributa sanctè aliquis affirmare ausit. Sic enim inquit: In cœtu affertur præcipuo fratri panis, & calix aqua dilutus, quibus acceptis, laudem & gratiarum actionem patri omnium refert, per nomen filij, sanctíque Spiritus, atque ita Eucharistiam aliquandiu celebrat. Post preces & Eucharistiam totus cœtus accinit, Amen. Absoluta gratiarum actione præsulis, & ominatione totius plebis, Diaconi quos vocamus, dant singulis præsentibus partem panis & calicis diluti, super quæ facta est gratiarum actio, atque etiam deferre sinunt absentibus. Et paulò post: Die Solis Vrbanorum & rusticorum cœtus fiunt, ubi Apostolorum Prophetarumq; literæ, quoad fieri potest, prælegantur: deinde cessante lectore, Præpositus verba facit adhortatoria, ad imitationem tam honestarum rerum invitans. Post hæc consurgimus omnes, & precamur. Posteà profertur panis, vinum & aqua: tum Præpositus, quantum potest, precatur, & gratias agit: plebs verò Amen accinit. Inde consecrata distribuuntur singulis. Hactenus Iustinus. Vbi nullos omninò ritus quos modo enumeravimus, quique in Decretalibus epistolis primis Romanis Episcopis tribuuntur, commemorat. Sed demus ea omnia vera esse maximè, ac sit de veteri disciplina, & prima illa Cœnæ institutione nonnihil recessum, utpote tranquillioribus factis Christianorum rebus: & in otio, ac veluti vacatione militiæ, sit sanè à puritate & simplicitate illa vetusta ad externum quendam cultum, sed etiam dum permediocrem, ideoque ferendum, deflexum ritibus: nihilominus tamen verus & genuinus Euccharistiæ vsus & inviolatus mansit, vsque ad Gregorij Magni ætatem. Nihil enim Iustinus, & alij eum secuti, de impia illa Eucharistiæ mutilatione, nihil etiam de applicatione Missæ pro viuis & mortuis dicunt. In primitiua Ecclesia Oblationes quidem pro defunctis annua die fiebant, vt ex Tertulliana constat: illæ verò Oblationes nihil aliud fuere quam preces, quibus gratulabantur defuncto ob felicitatem illam qua nunc in cœlis frueretur, & simul Deo ob beneficentiam agebant gratias. Inde verò didicerunt fortassis sequentibus seculis, non jam laudes, sed supplicationes & preces in Cœna Domini offerre, pro defunctorum salute: id quod negare non poterit, qui Ambrosium, Hieronymum, Augusti-

num aliosque ejus temporis Doctores legerit. Tandem ipsam quoque Cœnam Dominicam Oblationem expiatricem pro mortuis fecerunt, ita ut crederent, Eucharistia mortuorum peccata expiari & deleri posse. Instituit hoc primus omnium Pelagius Primus, & Spectris seu illusionibus satanicis adductus approbavit Gregorius Magnus decreto publico, quo sic omnis dubitandi hac de re occasio simplicioribus adimeretur. Eundem errorem non parùm etiam confirmavit & promovit Ignis ille purgatorius, quo de vestigia quidem in scriptis patrum extant, & Augustinus quædam de illo proponere cæperat, verùm non absoluerat, resque adeò in dubio mansit usque ad tempora Florentini Concilij anno Christi 1439. celebrati, in quo demùm Purgatorium confirmatum approbatumque fuit: Cui deinceps non solum Missarum nundinatio, sed & cultus Papisticus totus, tanquam suo fundamento, ita incubuit, ut hoc destructo, totus Papatus corruat necesse sit: ideoque non mirum, si cœlum potius, quàm Purgatorium sibi eripi paterentur.

Ex hoc verò, hoc, hoc inquam fonte, quoddam quasi superstitionum diluvium in orbem Christianum inundavit. Vnde enim tot Cœnobia, tot exempla, tot sacella, tot altaria, tot Missę, tot sacrifici, tot denique his legata bona? Non sanè aliunde, quàm ex vanissima illa mortalium persoasione, quòd scilicet crederent, Eucharistiæ actionem pro peccatis viventium & mortuorum satisfactoriam esse.

Porrò hi ritus, hæque ceremoniæ & superstitiones, quæ hactenus in Romana potissimùm Ecclesia observatæ fuerunt, Carolo Magno imperante, iisque seculis quæ ipsum proximè secuta sunt, in Hispanię, Galliæ, Italiæ, Germaniæ, adeòque in omnibus per Europam Ecclesiis, magno cum applausu, magnáque cum admiratione primò receptæ fuerunt, vt scilicet bestiam illam, de qua Ioannes in Apocalypsi, omnes adorarent, illique subijcerentur. Imò Antichristus ille super omne quod dicitur Deus exaltatus, omnes qui hunc characterem ejus suscipere noluerunt, ad ima usque tartara deturbare molitus fuit.

Iis ipsis temporibus quoque, Ludovico nimirum Pio regnante, ex actione publica Cœnæ Dominicæ privata fuit facta, & Missæ, quas vocant angulares, tum primùm in Ecclesiam introductæ sunt. Eademque ætate simul ita invaluit jam ante nata opinio de Cœna expiante peccata mortuorum & viventium, vt in summum vitæ periculum adducti sint contrà vel sentientes, vel disputantes publicè. Ioannes enim Scotus hoc dogma in enarratione libelli de Hierarchia Dionysii taxans, à suis discipulis graphiis propterea confossus dicitur.

Et quemadmodum, juxta Dialecticorum regulam, vno inconvenienti dato, alia multa sequuntur: ita etiam, postquam errores illi circa cœnam, quos hactenus enumeravi, semel fuissent recepti in Ecclesiis, secuti sunt mox alii his longè nocentiores, imò nocentissimi. Nam circa annum Domini 840. ipse Symbola demùm peti cœperunt, vt ex Bertrami libro, quem ad Carolum Galliarum regem, Caroli illius Magni nepotem, scripsit, manifestum est, quibusdam contendentibus, nec panem nec vinum superesse in Cœna sacra, sed illa mutari in reale Domini corpus, & naturalem eius sanguinem: aliis verò ex Verbo Dei, & veterum patrum scriptis contrarium docentibus. Vexavit hæc concertatio annos plus minus 200. Ecclesiam, antequam certi quicquam, contra orthodoxum consensum totius Ecclesiæ, totiusque vetustatis ab Apostolorum ætate, ex parte Corporalis præsentiæ Christi in Cœna, definiretur. Primùm omnium (quod sciam) de ea re, ceu pia & catholica, cautum fuit plus quàm mille post natum Christum annos in Vercellensi Concilio anno 1051. habito præsidente Leone Nono Pontifice. Quo tempore etiam Petrus Damianus ille Eremita novum orandi modum per calculos, quos vulgò Paternuster vocamus, primos docuisse dicitur. Ac mox paulò à Nicolao Secundo ita decretum contra Berengarium aliosque rectè sentientes, vt credendum diceretur, post panem consecratum ita esse in Sacramento Corpus Christi, vt sensualiter etiam & in veritate manibus Sacerdotum tractaretur, frangeretur, & credentium attereretur dentibus. Nondum tamen etiam tum TRANSSVBSTANTIATIONIS nomen inventum atque vsitatum erat: nullam enim hic Nicolaus in suis Canonibus ejus facit mentionem: Nec ipse Lanfrancus, adversarius Berengarii, qui floruit anno quinquagesimo quinto supra millesimum, eo vsus est, etiamsi rem ipsam palàm asserat. Mox tamen eum secuti Doctores id vsurpare cœperunt. Et multis annis postea Innocentius Tertius doctrinam de mutatione seu conversione signi in signatum, panis in Corpus, & vini in sanguinem Christi naturalem, ita vt de signis nil reliqui amplius superesset præter speciem & apparentiam accidentium, denuò in Lateranensi Concilio, anno Christi 1215. celebrato, approbavit, imò inter articulos fidei retulit, & Transsubstantiationis nomen, prioribus seculis prorsus incognitum, Decretalibus infarsit.

infatsit. A quo demùm tempore hæc doctrina tanto studio, tantaque severitate fuit defensa, vt anathematis fulmine sint percussi, ac tanquam hæretici proclamari & damnari, qui diversum sentire, aut hanc carpere & oppugnare tentassent. Atqui à Vercellensi Concilio, in quo hæc doctrina primò fuit recepta & approbata, vsque ad hunc præsentem 1585. Christi annum, colliguntur anni 534. quibus hoc dogma Transsubstantiationis in Ecclesia fuit & duravit. Cum hac portentosa doctrina Confessio auricularis, carnificina illa mortalium, in eodem Lateranen. Concilio quoque recepta & approbata primo fuit, cùm prius per annos propè 80. aut plures acriter disputatum esset, Deóne confiteri satis sit, an etiam sacerdoti, ad repurganda peccata, confiteri oporteat.

Hæc autem doctrina de Transsubstantiatione postquam credita & recepta fuit, illicò fenestra patuit nimiis Symbolorum honoribus. Nam sub Friderico Barbarossa Alexander Tertius partem alteram Cœnæ Dominicæ, vinum scilicet, laicis ademit, ne quid fortè de eo à rudi atque impolito populo effunderetur: facinus me hercle audax atque horrendum: non tamen eo contentus fuit, quia insuper statuit primus omnium. Canonizationes sanctorum, eorúmque deificationes, vt loquuntur, à solo Papa fieri posse, idéoque nulli mortalium divinum honorem in terris habendum publicè, nisi illi, qui prius ex edicto Papali in Divorum esset catalogum ascriptus. Eodemque simul tempore Indulgentiarum nundinæ quoque cœpisse putantur. Et anno demùm 1300. Iubilæus annus de centesimo in centesimum annum institutus fuit, quo plenissimam peccatorum omnium remissionem pollicebantur cunctis mortalibus, quantacunque etiam mole nefandissimorum scelerum oppressis & obrutis, modò ipsi pecuniis onusti Apostolorum limina visitarent. Quæstuosissimi hujus aucupij author fuisse perhibetur Bonifacius ille Octavus, qui docuisse fertur, animam hominis esse mortalem, & gaudium aliud non esse, nisi præsentis vitæ: quique librum sextum Decretalium edidit, in quo Antichristi regnum validissimè fulcitur & confirmatur: idéoque etiam justo Dei judicio eadem simul tempestate Othomannus Turcorum imperium auspicatus est. Centesimus verò Iubilæi annus contrahitur non solum in quinquagesimum à Clemente Sexto, quo major remissionum usura fieret, sed etiam in tricesimum tertium ab Vrbano Sexto, & tandem in vicesimum quintum à Paulo Secundo & Sixto Quarto anno Christi 1475. quo simul tempore, justo Dei judicio Machomet Secundus valde res Christianorum imminuit, eorúmque vires fregit.

Verùm ne extra metas progrediamur, post confirmatum Transsubstantiationis dogma, cœperunt etiam in honorem hujus Sacramenti parari tabernacula, thecæ & ædiculæ, Θυεῖα seu Ciboria ex institutione Innocentii Tertii & approbatione Honorii Tertii, qui etiam decrevisse dicuntur, panem Eucharisticum in decenti habitu cum tintinabulo & lumine ad ægrotum deferri debere. Accessit his quoque Elevatio & Adoratio Corporis & sanguinis Christi: itemque pulsus Squillæ seu Campanulæ; qui fit ad elevationem & consecrationem; ut eo audito populus procumbens adoret Sacramentum, ex decreto Gregorij Noni; qui etiam Decretales in vulgus dedit, rerum innovatione à Gratiani Canonibus longissimè distantes: instituit quoque contra Fridericum Imperatorem Salve Regina, certis divinæ rei horis ad Campanæ pulsum in templis cantari: ad quem modum postea Ioannes Vigesimus secundus vel juxtà alios Vigesimus tertius Papa (omnium Pontificum qui ante se fuerunt ditissimus; ut qui aurearum drachmarum 205000. in thesauris reliquerit) contra Ludovicum Quartum Imperatorem decrevit, ut ter in singulos dies tintinnabula ad vesperam pulsarentur, ac tum unusquisque ter Salutationem angelicam divæ Virgini factam recitaret: quod institutum ab eo tempore ita mansit, ut hodie quoque ubique gentium sit in usu, atque audito tintinnabuli hujus sono, cuncti, ceu sydere quodam tacti, è vestigio genua flectant, atque orent. Et Calixtus Tertius circa annos Domini 1457. instituit, ut in meridie signum Campanis darent ad eandem salutationem Virginis Mariæ: qua (inquit Stella) eos adjuvarent, qui contra Turcas continuè pugnarent. Idem quoque Ioannes Vigesimus secundus Clementinas in Concilio Viennensi editas per Bullam Apostolicam approbavit, easq; in Scholis legere præcepit, & Extravagantes edidit, in quibus jam Indulgentiarum quæstus redundat. Sed ad rem. Subsecuta est Consecrati panis Circumgestatio, & Circumgestationi solenne institutum Festum ab Vrbano Quarto anno Domini 1264. quo ipso aperta fuit latissima porta horrendæ idololatriæ. Nec multò post certus numerus Festorum, quòd ferè in infinitum excrescerent, constitutus fuit per annum in Concilio Lugdunensi: ijs tamen non contentus Innocentius Sextus festum Lanceæ Christi, Clavorum & coronæ ejusdem feria sexta post octavas Paschæ singulis annis

per

per universum orbem Christianum celebrandum instituit cum maximis Indulgentijs. Vrbanus Sextus Visitationis Mariæ festum in schismate indixit etiam, sub annum Christi 1378. quo tempore machinas bellicas quoque, quas à sono tonitruum fragorem imitante, bombardas dicunt, Monachus quidam adinvenit, cum incredibili totius humani generis pernicie. Quod autem in Conceptionis Mariæ memoriam celebratur, in Concilio demùm Basiliensi initium habuit, anno Domini 1439. Et Sixtus Quartus anno Christi 1484. Præsentationis Mariæ festum approbavit & confirmavit: Sanctæ item Annæ & Iosephi festa veterum solennitatibus addidit.

Hæc verò & alia plura, quæ singula referre temporis angustia non patitur SCOLASTICA THEOLOGIA, ut vocant, promovit plurimùm, cujus prima fundamenta jecerunt Gratianus, Petrus Lombardus & Comestor. Et Gratianus quidem Decreta Pontificum Romanorum in unum volumen primus congessit circa annos Domini 1140. quod Decretorum Opus etiamnum hodiè nominatur, ad usum forensem, ac quæstiones & lites illo seculo agitatas, præsertim accommodatum. Ante Gratianum quidam Iuo Carnotensis Episcopus simile quid condiderat: & antè Ivonem Burkardus Wormatiensis Episcopus, verum uterque ille tenuiore stylo & argumento scripserat. Itaque Gratiani liber uberior habitus est, & propter Iuris civilis authoritatem invalescentem, quam obscurabat, Pontificibus Romanis acceptissimus longeque gratissimus fuit. Vnde etiam Eugenius Tertius constituit, ut secundum Gratiani Decretorum Canones jus in Consistorijs diceretur: ob eamque causam novis Iurisconsultorum Italicorum Summis, tanquam locupletior quidam thesaurus illa ætate illustratus, & omnibus alijs scriptoribus prælatus fuit. Denique causam quoque & argumentum præbuit, ut Pontifices Romani deinceps infinita quædam alia decreta, ad corroborandum suum regnum, conderent, quæ & ipsa postea à Gregorio Nono circa annos Domini 1230. in corpus ac volumen, pluribus libris distinctum, collecta, & Decretalia nominata sunt. Gratiani porrò exemplum ad imitandum sibi proposuit Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis. Verùm in dissimili planè argumento. Nam in Theologia versari ipse maluit, quàm in forensibus & litigiosis quæstionibus. Itaque Scholasticæ theologiæ fundamenta in libros quatuor, qui Sententiarum dicuntur, congessit. Hi quatuor libri, non ex limpidissimis Verbi Dei fontibus, sed Patrum duntaxat lacunis, de summis fidei articulis, mala etiam fide, collecti, fuerunt postca totius Scholasticæ doctrinæ basis & fundamentum: unde ipse Magister Sententiarum vulgò in Scholis est appellatus. Scripsit autem Lombardus circa annum Domini 1150. tanti habitus, ut adversus eum ne hiscere quidem ullis licuerit. Eodem ferè tempore Petrus Comestor historiam utriusque Testamenti Ecclesiasticam consarcinavit, eamq; glossis illius ætatis tùm falsissimis, tùm insulsissimis refercivit: quæ tamen ita tum ubique obtinuit, ut ipsi Scripturæ sacræ penè præferretur. Vnde factum jam apertè, ut ipsum quoque Verbum Dei sacrosanctum vilesceret: hujusmodi autem hominum commenta, omnis generis errores, ac ritus superstitiosos confirmantia, prædicarentur, veluti commodiora docendis hominibus, quàm ipsummet Dei Verbum, & magis ad rudium hominum captum accommodata.

Confirmarunt & propagarunt eosdem errores ac ritus superstitiosos mirum in modum etiam MENDICANTES MONACHI, qui circa annos Christi 1200. exorti sunt, & propterea Mendicantes dicti, quòd perpetuam mendicitatem in ingressu religionis voveant, cùm tamen nihil habentes omnia longè lateq; possideant, & in summa rerum omnium abundantia saginentur hodie. Hi rejecto Evangelio Christi æterni Filij Dei, novum fabricarunt, ex veteribus Origenis erroribus, quod æternum Evangelium appellarunt, idq; comparatum ad Evangelium Christi, tanto plus perfectionis ac dignitatis habere, quantum Sol ad Lunam comparatus, & ad nucleam testa, blasphemè dixerunt. Sed nimirùm, cur novum istud Evangelium tantopere ab ipsis probaretur, hæc causa fuit, quòd dogmata Scholasticorum confirmaret, Ceremonias & ritus superstitiosos Romanæ Ecclesiæ, nec non & Monachorum Ordines, regulas, studia, instituta & quicquid fuit ejus generis, approbaret. Cujus tamen commenti ipsummet etiam Satanam ita tandem puduit, ut Pontifex Rom. istud Vulcano tradendum præceperit.

Cum ergo hac non successisset, alia via rem aggressi sunt. Arripuerunt enim Scholasticam Theologiam, sed longè deteriorem quidem illam, quàm quæ antea vel à Lombardo, vel à Comestore tradita fuerit. Hi enim Patrum quidem, sed Ecclesiasticorum duntaxat, dicta, Verbo Dei exæquarunt: illi verò Aristotelis scripta, & præsertim Metaphysicorum libros, augustissimis sacrarum literarum arcanis ubiq; ferè comparatunt: ipsumq; adeò Aristotelem veluti Prophetam aut Apostolum aliquem coluerunt:

nec

nec eximij, Angelici aut etiam Seraphici Theologi gloriam merebatur, nisi qui Aristotelem, aut etiam aliorum hominum placita & scripta plenis, quod dicitur, buccis sonare & crepare posset: abjectoque Verbo Dei tantùm in Aristotelem & Magistrum sententiarum ingentia commentaria, Summas, Determinationes, Quæstiones super quæstiones, Quodlibeta, Partes, Specula, Legendas, Marialia, Devotionalia, Miraculorum & exemplorum promptuaria, Fidei fortalitia, Fodinas cœli, Bigas salutis, & sexcenta hujus generis alia scripserunt. Quo factum est, ut quæ vestigia exiguæ illius erga Verbum Dei reverentiæ restarent adhuc, ab his prorsus extincta & ex hominum animis deleta perierint: è contra autem philosophia humana, in primísque Aristotelica, in ipsa adyta Ecclesiæ intromissa, & in supremo suæ Scholæ controversarum quæstionum dijudicandarum ac decidendarum gradu & throno, ceu Regina quædam, collocata fuerit.

Sepulto igitur in terris hac ratione Verbo Dei, facilimùm ipsis fuit Abadonis sui, hoc est, Antichristi ambitionem, avaritiam, fastum, dolos imposturas, fraudes & immanem tyrannidem defendere: idololatriam, superstitiosos ritus & Ceremonias confirmare: quicquid etiam in Ecclesia fuit impium, blasphemum, erroneum & ineptum suis subtilitatibus, argutijs, distinctionibus, sophismatis, exceptionibus & oppositionibus palliare: denique, quia Monachi erant Pontifices maximi, Cardinales, Episcopi, Regum ac principum Consiliarij, Academiarum Rectores, ac simul omnia ubique in omnibus, facilè quoque ipsis fuit quidvis pro quovis, non tantùm promiscuæ plebi, sed ipsis quoque Imperatoribus, regibus & principibus obtrudere, ac sua somnia pro Oraculis divinis vendere. Ecce igitur ut obscurata fuerit his proximis quingentis annis aurea primitivæ Ecclesiæ facies, ac mutatus Evangelicæ doctrinæ color optimus. Versa est mihi (inquit Dominus apud Ezechielem) domus Israel in scoriam, & degenerarunt Ecclesiarum ministri in feces ac excrementa sordida. Non injuria etiam de horum seculorum statu, idem dicere possumus, quod Ethnicus homo Marcus Tullius Cicero de suæ urbis statu olim dixit, votis videlicet & Ceremonijs nobis religiones factas esse perturbatissimas.

Durarunt autem hæ plus quàm Cimmeriæ tenebræ ab Innocentio Tertio seu ab Origine Mendicantium Monachorum maximè, usque ad annum Christi 1515. quo Deus Optimus Maximus ex immensa gratia humani generis misertus, duo illa clarissima lumina fortissimosq; heroas, MARTINUM LUTHERUM ET HULDRYCHUM ZVVINGLIUM excitavit: quorum hic quidem primus omnium in Helvetia densissimas has nebulas, & obscurissimas tenebras discussit Verbo Dei, quod ille prorsus extinctum atque sepultum in lucem revocavit, & super candelabrum, quo toti mundo luceret, posuit, ejusq; lumine hanc Ecclesiam, hancq; nostram patriam dulcissimam ab iis erroribus, idolomaniis, superstitionibus aliisque fœditatibus, quas hactenus enumeravimus, expurgavit, & verum Dei cultum, ad veræ illius primitivæ Ecclesiæ simplicitatem, in qua Christus Servator sanctiq; Apostoli fuerunt, ei restituit. Hanc simplicitatem Doctrinæ, externorum quoque rituum & Ceremoniarum, quam à sanctissimis nostris majoribus accepimus, & in qua felicissimè Deo in hunc usque diem servivimus, vos patres & fratres, deinceps quoque constanter retineatis, nihil mutetis, nihil adimatis neque etiam addatis: testes enim sunt, quod omnes scitis, historiæ, testis est etiam hæc præsens narratio, vel leves mutationes horribiliter semper Ecclesiæ Christi nocuisse, & uno inconvenienti recepto approbatoque, mox alia & quidem plura, subsecuta fuisse horrendissima. Hoc ne fiat in nostris Ecclesiis quoque, faxit omnipotens Deus, qui in Spiritu & Veritate, non traditionibus aut constitutiunculis humanis, ab hominibus coli vult, per filium suum unigenitum, Dominum ac Servatorem nostrum unicum Iesum Christum, cui soli debetur omnis potestas, gloria & benedictio in secula seculorum, Amen.

FINIS.